12197/B

A xxx Bar

55350

PAULI BARBETTE MED. DOCT. OPERA OMNIA

MEDICA, CHIRURGICA ET ANATOMICA,

NOTIS ET OBSERVATIONIBUS

Nec non

PLURIBUS MORBORUM HISTORIIS

& CURATIONIBUS illuſtrata;

EDITIO NOVISSIMA AUCTIOR

APPENDICE EORUM, QUÆ IN PRAXI, TUM Medica, tum Chirurgica, vel omiſſa, vel conciſiùs pertrectata fuerant,

OPERA ET STUDIO

JOH. JACOBI MANGETI MED. DOCT.

& Sereniſſ. ac Potentiſſ. REGIS PRUSSIÆ Archiatri.

D. Luigi Langrandi

GENEVÆ,

Sumptibus CHOUET, G. DE TOURNES, CRAMER, PERACHON; RITTER, & S. DE TOURNES.

M. DCC. IV.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

NOBILISSIMIS ET AMPLISSIMIS

VIRIS

DOMINO D.

ABRAHAMO CHAMBRIER,

Sereniſſimo Principi de Longueville, &c. à Conſiliis Status in Principatu Neocomenſi, Comitatuique & Ditioni Valenginenſi ab eodem Præfecto.

NEC NON

DOMINO D.

JOHAN. HENRICO BRUN,

Domino in Oleires, Sereniſſimo itidem Principi de Longueville à Cubiculis inter Nobiles, à Conſiliis Status, & Procuratori ejuſdem Generali in Principatu Neocomenſi.

QVEM Neocomi Helvetiorum haud ita pridem auſpiciis veſtris Medicinam facientem benevolentiæ tot teſtimoniis tam gratiosè cohoneſtare voluiſtis; Quem non tantùm in Ædes veſtras benignè & amicè admittere, ſed etiam, vixdum Vobis notum Veſtri, Veſtrorumque valetudini proſpicere tam confidenter optaſtis; Videtis nunc, Viri Illuſtriſſimi, *Genevâ Patriâ ſuâ quanquam*

§ 2 *rursùs*

rurſùs exceptum , beneficiorum apud Vos receptorum memoriam grato animo recolentem , favoris toties jam experti novum pignus exquirere, patrocinium videlicet pro fœtu priùs ex parte apud Vos concepto , ut à Veſtris Nominibus , quaſi totidem benignis ſideribus influentias latè ſpargentibus , quem per ſe non meritus eſt honorem mutuatum veniat. Quos autem Viros, Nobilitate, Ingenio, Prudentia, Sapientia, Vobis ambobus inſigniores, & quorum judicium majoris ſit ponderis & momenti circumſpicere eum in finem potuiſſem ? Tu ſiquidem Ampliſſime Domine Chambrier *longæ Avorum Nobiliſſimorum ſeriei originem debes , è quorum numero recenſerem* Atavum , *qui Neocomenſis Vrbis Præfecturam meritiſſimus obtinuit ; Abavum qui Canonicatu poſt Reformationem ſpontè exutus , Legati Gubernatoris officium digniſſimè ſuſtinuit ;* Avum *qui Magiſtraturæ præcipuos honores ſummo omnium applauſu inivit ; ac denique beatæ memoriæ* Parentem , *Sereniſſimo Principi de Longeville à Conſiliis Status in Principatu Neocomenſi, qui Procuratoris Generalis munere magna cum exiſtimatione functus , Vrbis Præfecturæ commiſſus fuit. Verùm quid opus eſt tantos Viros in ſcenam producere dum in Te, virtute non minùs quàm ortu nobiliſſimo, relucere videmus quicquid in illis ſuſpicimus ; Te, inquam, qui poſt peragratos varios tam Vrbis, quàm Status Magiſtraturæ gradus, in Conſilio Status, & Præfectura Comitatus & Ditionis Valenginenſis jam ſedes , unde prudentia , humanitate , decretorum æquitate & ſoliditate, aliiſque ſingularis exempli, omnibus ſpectandum & venerandum Te præbes. Tu præterea Ampliſſime Domine* Brun *inter cujus Avos nominari poteſt Illuſtriſſimus Heros* Petrus Brun *Conſul Tigurinus, qui jam ab aliquot ſæculis virtute & fortitudine ſua Helveticæ Libertatis fundamenta non tantùm poſuit, ſed etiam firmavit;* Atavus *qui cùm primus è Nobiliſſima Familia Neocomi domicilium locaſſet, ibidem Illuſtriſſimæ Familiæ* de Dieſbach

Provinciam

Provinciam tum pro Principe adminiſtranti, matrimonio junctus vixit; Abavus *qui primas Vrbis dignitates ſuſcepit*; Avus, *qui abdicato cui ſummo cum applauſu incumbebat Magiſtratu, Sacris ſe vovit, Paſtoriſque honorarii officia Neocomi maxima Eccleſiæ ædificatione, gratuitò & ſine mercede geſſit; beatæ memoriæ* Parens *qui iiſdem quæ poſſides muneribus à Principe ſuo condecoratus, gloria ſatur ab aliquot annis obiit. Tu, inquam, virtutum avitarum hæres, poſtquam per aliquot annos in Regis Chriſtianiſſimi exercitibus Cohorti Helveticæ Præfectus fuiſſes, jam ante ætatem ingentes animos verſans, Celſiſſimis Principibus de Longueville dignus viſus es qui ad ſublimiora Patriæ Officia elevareris, in quibus etiam turbatis & quaſi confuſis rebus, immotus perſtitiſti, Deoque & hominibus, charitate, beneficentia, aliiſque virtutibus, tum moralibus, tum civilibus, acceptiſſimum te præbuiſti. Inter plura quæ juſtum implerent volumen hæc impræſentiarum delibaſſe ſufficiat,* Viri Illuſtriſſimi, *unde toti orbi pateat quæ Nomina Operi meo præfigere, in ejuſdem majorem commendationem voluerim. Vnum ſupereſt, Vos ſcilicet,* Viros Ampliſſimos, *iterùm atque iterùm cum debita reverentia rogem, qualemcunque meum laborem eo quo Vobis dicatus eſt animo ſuſcipiatis, leveque iſtud obſervantiæ erga Vos meæ* τεκμήριον *accipere non dedignemini, donec poſſim aliunde teſtatum facere quanta cum veneratione ſum*

Dabam Genevæ 14. Martii
Anno 1688.

Amplitud. Veſtr. deditiſſimus
JOH. JAC. MANGETUS.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

CLARISSIMI Pauli Barbette Medici Amſtelædamenſis Celeberrimi Opera Medica & Chirurgica uno Volumine complexa, tibi tertiùm, Lector ſtudioſiſſime, ſiſtimus, eaque non nuda, ut priùs jam monuimus, ſed Notis Clariſſ. Frederici Deckers ad alteram eorum partem, Praxim ſcilicet Medicam, innexis, illuſtrata, atque variis obſervationibus, animaduerſionibus, morborum hiſtoriis & curationibus, ab excellentiſſimis Autoribus excerptis, proprioque petitis penu, non tantùm ut in primâ Editione auctâ; ſed etiam præter Appendicem promiſſam, hactenuſque ineditam, variis explicationibus, tum Medicam, tum Chirurgicam Praxim, tum etiam res Anatomicas ſpectantibus multò auctiora. Si diſtractiones practicæ, fervenſque prælum minùs obſtitiſſent, plura forſitan, eaque proculdubio magis elimata adjeciſſemus; verùm hęc qualiacumque demum ſint, rudia ſcilicet & impolita, tibi grata fore ſperamus, quandoquidem ſtudiis tuis apprimè conveniunt, cautioneſque pluribus cum enodationibus complectuntur, unde tutiùs & ſecuriùs rebus Medicis & Chirurgicis incumbere valeas. Caracteres in hac Editione adhibitos quod attinet; Notas à Clariſſ. Deckers adjectas, jam non ut priùs caractere Romano, ſed Italico, noſtras verò cum Appendice, non ut priùs Italico, ſed Romano, textus caractere paulò minutiore, conſcriptas tradimus. Pręcipuarum Appendicis, propriis locis identidem inſertę, materiarum Indicem, in majus tuum commodum, (quod etiam reſpectu Chirurgicorum maxima ex parte factum eſt) adjungere animus erat, at

inſtantes

inſtantes Nundinę Francofurtenſes nos intra anguſtiores limites concluſere, quàm ut id permitteretur; ſpatii itaque iniquitate coacti te rogamus contentus ſis Indice Capitum quo ſignificetur quid novi pręter Notas in Praxi Medica exquirere debeas. Capita autem illa ſunt

De Epilepſia Infantium. Pag. 26.
De Paralyſi. p. 44.
De Lethargo, Caro, Comate ſomnolento & vigili. p. 49.
De Catalepſi. p. 51.
De Incubo. p. 53.
De Convulſionibus. p. 56.
De Dolore Capitis. Pag. 58.
De Phrenitide. p. 62.
De Melancholia & Mania. p. 63.
De Vertigine. p. 67.
De Tremore. p. 69.
De Signis Calculi renal. &c. p. 186.
De Variolis & Morbillis. p. 279.

Vale LECTOR Studioſiſſime & ama

Tui Amantiſſimum

JOH. JAC. MANGETUM.

PRÆFATIO,

INGENIOSE LECTOR.

PAVCIS tibi multa do, quæ multis fortè non placebunt, quos non multi fortè faciam. Hæc compendiosè ſcripſi doctioribus, à quibus doctiora ſperans, multis interim profectura ſpero, multis enim profeciſſe ſcio. Deficit morborum contagioſorum cura, ſed & illam brevi, Deo dante, dabo. Ex centum, quos conſului, auctoribus, nihil ferè exſcripſi, proprio ubique uſus ſenſu & judicio. Mirari noli quod Pituitam vulgarem ſæpiùs Lympham craſſam vocem; examinent illam Anatomici & Practici accuratiores, reperient vera me ſcripſiſſe; ſed in ventriculo & inteſtinis limitatione eget. Fruere tu hiſce, & ama, ſi ſic tibi viſum fuerit,

Tuum totum

PAULUM BARBETTE, M. D.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Benevole Lector.

QUOD Democritus *Epiſtolâ ad* Hippocratem *ait, ſingulos homines* Medicinæ *conſcios eſſe debere, non tantùm ad dignitatem* Medicinæ *facit, verum etiam illud videtur exigere* Medicinæ *difficultas; ut videlicet junctis manibus contendamus ad Medicinam quantum fieri poteſt perficiendam. Adeò ut in hac materiâ ſæpè etiam olitor valdè opportuna locutus ſit; nec cujuſquam ſanè conatus co temnendus; tam ardua enim eſt* Medicina, *ut unius hominis diligentiâ vix poſſit ad umbilicum deduci. Multa certè Veteres præſtiterunt, aſt verò dies diem docet, atque hoc noſtrum ævum multorum quoque novorum eſt ferax, quibus* Medicina *non parùm illuſtratur, atque occaſionem ſuppeditant* morborum *eorumque* cauſarum *rationem diſtinctiùs cognoſcendi atque accuratiùs curandi. Veteres paucis utebantur medicamentis, quia pauca ipſis erant cognita; hoc verò tempore tanta eſt medicamentorum meſſis, ut ferè eorum multitudine obruatur* Medicus, *illique propter copiam ſit inopia: tantus enim eſt* Chimiæ *uſus, tantaque* Naturæ *ubertas, ut nullus ſit terrarum angulus, ubi* Medicus Chimiâ *inſtructus non inveniat medicamina ad cujuſvis morbi curam neceſſaria; tanta quoque eſt herbarum ſpontè prodeuntium copia, ut ubique ſit* αὐταρκεία, *quæ oculato* Medico *ſufficiat; ex utrâque officinâ corraſimus quæ humanæ fragilitati ſuccurrere poſſent: Neque etiam pepercimus animalibus à* DEO OPTIMO MAXIMO *creatis non modò ut ſint hominum alimenta, aſt quoque ut ſint medicamenta. Secuti autem fuimus ductum* Viri Experientiſſimi Domini Doctoris PAULI BARBETTE p. m. *de Re* Medicâ Chirurgicâve *optimè meriti, tum quia ſuccinctè, tum etiam quia pleraque ſua perquam accuratè propoſuit; ignoſcet autem mihi, Lector Benevolus, ſi ubique eadem cum ipſo non ſentiam; labi enim humanum eſt, & fortè ego erravero; non equidem volens, qui nihil cupio quàm* Veritati *primas concedere, meumque benevolum affectum generi humano teſtari; quod, uti opinor, ne ipſe quidem* Livor *ægrè feret: nemini enim obtruditur, ſed ut hanc meam Opellam eo animo excipias, quo porrigitur, rogat.*

Tuus FRED. DECKERS, M. D.

PAULI

PAULI
BARBETTE
DOCT. MED.
PRAXIS MEDICA
Notis & Obſervationibus
Illuſtrata.

PAULI BARBETTE
PRÆFATIO,
INGENIOSE LECTOR,

PAucis *tibi multa do, quæ multis fortè non placebunt, quos non multi fortè faciam. Hæc compendiosè ſcripſi doctioribus, à quibus doctiora ſperans, multis interim profectura ſpero, multis enim profeciſſe ſcio. Deficit morborum contagioſorum cura, ſed & illam brevi, Deo dante, dabo. Ex centum, quos conſului, auctoribus, nihil ferè exſcripſi, proprio ubique uſus ſenſu & judicio. Mirari noli quod Pituitam vulgarem ſæpiùs Lympham craſſam vocem; examinent illam Anatomici & Practici accuratiores, reperient vera me ſcripſiſſe; ſed in ventriculo & inteſtinis limitatione eget. Fruere tu hiſce, & ama, ſi ſic tibi viſum fuerit,*

Tuum totum

PAULUM BARBETTE, M.D.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

BENEVOLE LECTOR,

QVod Democritus *epiſtolâ ad* Hippocratem *ait, ſingulos homines* Medicinæ *conſcios eſſe debere, non tantùm ad dignitatem* Medicinæ *facit, verùm etiam illud videtur exigere* Medicinæ *difficultas; ut videlicet junctis manibus contendamus ad Medicinam, quantum fieri poteſt perficiendam. Adeò ut in hac materiâ ſæpè etiam olitor valdè opportuna locutus ſit; nec cujuſquam ſanè conatus contemnendus; tam ardua enim eſt* Medicina, *ut unius hominis diligentiâ vix poſſit ad umbilicum deduci. Multa certè Veteres præſtitêrunt, aſt verò dies diem docet, atque hoc noſtrum ævum multorum quoque novorum eſt ferax, quibus* Medicina *non parum illuſtratur, atque occaſionem ſuppeditant* morborum *eorumque* cauſarum *rationem diſtinctius cognoſcendi atque accuratius curandi. Veteres paucis utebantur medicamentis, quia pauca ipſis erant cognita; hoc verò tempore*

tanta eſt medicamentorum meſſis, ut ferè eorum multitudine obruatur Medicus, illique propter copiam ſit inopia: tantus enim eſt Chimiæ uſus, tantaque Naturæ ubertas, ut nullus ſit terrarum angulus, ubi Medicus Chimiâ inſtructus non inveniat medicamina ad cujuſvis morbi curam neceſſaria; tanta quoque eſt herbarum ſponte prodeuntium copia, ut ubique ſit αὐταρκεῖα quæ oculato Medico ſufficiat; ex utrâque officinâ corraſimus quæ humanæ fragilitati ſuccurrere poſſent: Neque etiam pepercimus animalibus à DEO OPTIMO MAXIMO creatis, non modò ut ſint hominum alimenta, aſt quoque ut ſint medicamenta. Secuti autem fuimus ductum Viri Experientiſſimi Domini Doctoris PAULI BARBETTE p. m. de re Medica Chirurgicave optimè meriti, tum quia ſuccincte, tum etiam quia pleraque ſua perquam accurate propoſuit; ignoſcet autem mihi Lector Benevolus, ſi ubique eadem cum ipſo non ſentiam; labi enim humanum eſt, & forte ego erravero; non equidem volens, qui nihil cupio quàm Veritati primas concedere, meumque benevolum affectum generi humano teſtari; quod, uti opinor, ne ipſe quidem Livor ægrè feret: nemini enim obtruditur, ſed ut hanc meam opellam eo animo excipias, quo porrigitur, rogat

Tuus

FRED. DECKERS, M.D.

PRAXEOS BARBETTIANÆ ILLUSTRATÆ & AUCTÆ,

LIBER I.

DE CAPITIS AFFECTIONIBUS.

CAPUT I.

De Epilepſia.

I. DEfinitio. Epilepſia eſt [a] Convulſio, vel motus partium corporis plerarúmque præternaturalis, *(a)* cum mentis & ſenſuum pro tempore plerumque læſione.

II. *Pars affecta* primaria eſt *Cerebrum*, & conſequenter *nervi*, nullatenus verò membranæ.[b]

III. *Dif-*

* Quid ſit Convulſio, quid motus Convulſivus in capitis hujus Appendice, explicabitur.

(*a*)*Convulſivus nempe, imò in* epilepſia *ſæpiùs* motus convulſivos, *quàm quidem* ipſam convulſionem *obſervarunt Practici.*

[b] Circa Epilepſiæ ſedem atque verum ſubjectum variant Authorum ſententiæ; Quidam cum clariſſimo D. Authore noſtro, volunt cerebri meditullium unicè affici, alii verò meninges ipſum inveſtientes; Excellentiſſimus D. Williſius totum hoc refert ad ſpirituum animalium cerebri incolatum ſubitam quandam rarefactionem & exploſionem, quâ cerebrum inflatur, inſenſile redditur, ſimulque nervi appenſi in convulſiones aguntur. Qua autem ratione ejuſmodi contingant exploſiones, & quomodo omnia Epilepſiæ ſymptomata eas ſubſequi valeant, fusè, ingeniosè & doctè tradit idem.

III. *Differentiæ. Idiopathica* eſt vel *ſympathetica. Fortis* vel *levis. Periodica* vel *inordinata. Hæreditaria* vel proprio vitio & *diæta* acquiſita. [c]

IV. *Cauſa proxima* eſt *Lympha* in cerebro vitiata & *acredine ſua* (*b*) nervos vellicans. [d] *Remota* in glandulis lacteis, corde, utero aliiſque

[c] Epilepſia eſt vel à cauſa interna, vel ab externa; Cauſa interna aliquando in cerebro ipſo, aliquando in genitalibus, aliquando in meſenterio, aliquando in liene, aliquando in aliis etiam viſceribus ſedem ſuam habet, de quibus omnibus multa videri poſſunt apud Practicos exempla. Cauſa externa in partibus etiam longè à capite remotis eſſe poteſt; ſic epilepſiam ex pollice ortam ibidemque per cauterii applicationem ſanatam deſcribit Borellus; ſic aliam ab extremis inſtar auræ aſcendentem, atque per ligaturas quo minùs ulteriùs progrederetur impeditam, explicat Salmuthus; Lindanus de epilepſia ex carie oſſis in pollice pedis verba facit; & mox adducimus hiſtoriam epilepſiæ à ſiniſtri pedis læſione excitatæ. Aliquid rariùs etiam habet Henr. ab Heers de Epilepſia ex terrore in puella nubili orta, ex eo ſc. quod ebrii duo ipſam ad ſtuprum ſollicitarent. In ea cum prædictus ab Heers adverteret perpetuam pollicum pedum confricationem, butyro antimonii hiſce applicito, ſicque carne ad oſſa uſque ablata, curationem fœlicem inſtituit. Alias idem Epilepſias, & à morbo gallico, & ab ebrietate, & à vermibus, & à menſtruo fluxu retento, eleganter deſcribit in ſuis Obſervationibus Medicis.

(*b*) Et quidem acido-auſterâ, *non tantum nervos vellicans, aſt quoque ſuâ auſteritate nervos quaſi conſtringens, liberumque ſic ſpirituum animalium in nervos influxum impediens, efficit motus convulſivos convulſioneſvè: eſſe acredinem acido auſteram ſatis ſuperque patet ex effectis & curatione.*

[d] Clar. Barbette lympham acrem, aut Clar. Deckers lympham acido-auſteram, vel Doctiſſ. De le Boë Sylvii ſpiritum acidum & acrem, ſpiritus forma ad nervorum principium elevatum, vel ſimpliciter Excell. Ethmulleri acidum nervis, ut ipſe affirmat inimiciſſimum, vel tandem Clar. Williſii corpuſcula ſalina & ſulphurea maximè activa, ea, inquam omnia, paroxyſmum epilepticum, aut graviores ſaltem convulſiones per ſolam irritationem producere, [quæ communis eſt ſententia] eidem Williſio minus probabile videtur, propterea aſſerit hiſce in morbis corpuſcula illa cum ſpiritibus combinata, & dein ſubitò erumpentia, particularum mineralium combinationes violentaſque exploſiones imitari; & revera ſi quis ad rationem invaſionis probè attendat, vix ac ne vix quidem conjicere poterit tam ſubitam lymphæ aggeſtæ, aut aliarum cauſarum à memoratis Autoribus allatarum, per periodos in cerebri

aliiſque partibus [c] ſunt quærendæ. Quicquid enim, ſive bilis ſit, ſive pituita, ſive ſuccus pancreaticus, vel ſemen ſanguiſve men-

cerebri totum meditullium effuſionem, quæ caduci paroxyſmos, ſæpiùs validiſſimos, & verè herculeos, momento procreet, & ſtatis ita intervallis, ut quis ſingulis diebus circa horam ſeptimam mane; circa horam primam & ſextam pomeridianas, iis correptus fuerit. Quod tradit Philipp. Iac. Sachs à Levvenh. Miſcell. Curioſ. A. ij. pag. 169. Præterea qui fieri poterit, ut v.g. ex uſu olei juniperini tam prompta fiat lymphæ acrioris in cerebro aggeſtio, ut in ſubjecto nullatenus prædiſpoſito, frequentes & atrociſſimi caduci paroxyſmi excitentur, quod tamen cuidam evenit Matronæ dum in nephritidis medelam oleum prædictum adhiberet, ut legi poteſt in Miſcellan. curioſior. A ij. pag. 27.

c Ex pollice manus ſiniſtræ aliquandò quid aere moveri (ſentiente ægro) verſus cor cerebrumque obſervavimus, quo etiam ligato, paroxyſmum retardarunt nonnunquam, imò non ſemel ab eodem æger liberatus; tales & ſimiles hiſtorias varii obſervarunt; videſis apud Galenum lib. 3. de Locis affectis cap. 5. ut & Joannem Schenchium lib. 1. de Epilepſia obſerv. 185. & ſeq. p. m. 162. & ſeq.

Diverſarum cauſarum *ſigna ſequentia ſunt: ſi* ex cerebri ἰδιοπάθεια, *ſemper adeſt gravitas & atrox dolor capitis, item ſenſuum debilitas, ſtupor, faciei pallor, & inſomnia turbulenta: ſi verò* ex συμπάθεια ventriculi aut ipſius orificii ſuperioris, *ii in præcordiis & circa orificium ventriculi, dolorem, corroſionem, vel diſtenſionem ſentiunt, præſertim jejuni, & difficillimè inediam tolerare poſſunt: Paroxyſmum ſemper antecedit nauſea, dolor & palpitatio cordis, animique deliquium: ſolvitur autem paroxyſmus cum vomitu bilioſorum aut pituitoſorum acidorumvè humorum; ipſius cuius hiſtoriam recitat Galenus lib. 5. de Locis affectis: ſi* ex utero, *circa lumbos, & pubem dolores antecedunt, & ſimul capitis acerbos cruciatus percipiunt fœminæ: ſi* ab extremis partibus, *ex iiſdem frigidam quandam auram ad cerebrum elevari ſentiunt: cujus impetus, arctiori vinculo parti affectæ injecto facilè aliquando intercipi poteſt, ut videre eſt in obſervatione noſtrâ circa hunc paragraphum; adeò ut vel nullam, vel ſaltem mitiorem adferat Epilepſiam.*

De Epilepſia à ſiniſtri pedis læſione occurrit hiſtoria in Miſcellan. Curioſ. ex D. Georgio Abrah. Merclino, quæ omnino digna eſt quę hic legatur. Sic autem ille Iuvenis erat 18. circiter annorum, ſani aliàs corporis & optimi temperamenti. Is in ſiniſtri pedis pollice dolorem ſenſit ex reflexi unguis compreſſione, indeque prognato in circumſita carne tumore ortum: Chirurgum accerſit, qui poſtquam varia remedia incaſſum adhibuit, tandem die 15. Ianuarii anni hujus 1675. ad ſectionem devenit; qua facta animo actutū linquitur patiens, & paulò poſt, cùm interea Chirurgus vultui eius frigidam reficiendi cauſa aſperſiſſet aquam, convulſivis motibus abominabili ſpectaculo concuti incipit,

menſtruus. Lympham reddere potens acriorem, (*d*) Epilepſiam facilè cauſat cerebro malè ſeſe habente. [e] Vapores non admitto.

V. *Signa*

pit, qui eum ab illo tempore uſque in hunc diem quotidie ſemel, bis, ter, ſæpiuſvè immaniter etiamnum exagitant, dum artus ſuos nunc flectere, nunc extendere, nunc antrorſum, nunc retrorſum, nunc ſurſum velociſſimo jactu ſe proiicere, nunc corpus in gyrum movere, nunc affectam partem ori admotam exoſculari, nunc eam velut inde per ſuras aſcendentem auram cohibiturus levi manu tractare ac demulcere, nunc alios varios mirabiles geſtus pantomimi ad inſtar formare cogitur. Sentit enim miſellus ab affecta parte auram quaſi quandam velut futuri paroxyſmi preconem per totum pedem in abdomen perreptare, indeque porrò per ſpinalem medullam in caput aſcendere, factaque in ea multa rotatione, frontem occupare, ad quod ipſe primum antrorſum præceps ingenti ſaltu ruit, & deindè ipſa hac epilepſia miſerabilem in modum corripitur, continuò interim ſeroſo quodam ichore ex affecto pollice extillante, fruſtraque hactenus tentatis probatiſſimis etiam aliàs remediis. Rarum profecto exemplum! illique non adeò abſimile quod Galen. l. 3. de loc. aff. cap. 7. de puero 13. annorum; vel Heurnius Comment. ad Aph. 7. ſect. 5. de juvene quodam annotavit; quibus Williſii ſententia de particulis elaſticis non malè roborari poſſe videtur.

d Scilicet acido-auſteram.

e Tribus his verbulis, *vapores non admitto*, egregiè repudiat Autor vulgò receptam, ſed nulli forſan intellectam, de vaporibus opinionem. Quoties autem auram malignam, ſeu vaporem à peculiari quapiam parte elevari tradunt Practicorum Obſervationes, toties ad mutuam communicationem quæ inter cerebrum, & partes corporis exteriores, mediantibus nervis intercedit, attendendum: hac enim ratione facilè concipiemus nervorum ad artus & remotiora à cerebro membra, attinentium irritationes, & vellicationes, ipſi cerebro nervis iiſdem continuo, ſeu appenſo, momento temporis communicari poſſe, eodem modo quo funis tenſi extremitatem alterutram tangere aut movere non poſſumus, quin extremitas oppoſita moveatur. Ita medicaméta acria viſceribus adſperſa, fibrillas nerveas irritando, motus convulſivos interdum excitant, licet in cerebro, aut nervorum principio nulla ſit prævia ad id diſpoſitio. Idem à tendinibus punctis efficitur, à morſu viperarum, & aliorum animalium venenatorum, nec non à venenis intrò aſſumptis & ventriculi plexus nerveos vellicantibus. Sæpè etiam è contra contingit, ut quo tempore materia morbifica, quæcunque demum ea fuerit, intra cerebri cancellos æſtuare & moveri incipit, atque certos quoſdam nervorum faſciculos lancinare, eodem momento motus convulſivos, vel ſenſatione neſcio quam moleſtam, veluti auræ frigidi-

eris

V. *Signa Diagnoſtica.* Caput dolens eſt, grave, vertiginoſum. Pallet facies, extrema frigent tremuntque. Linguæ motus inordinatus. Meticuloſus æger atque triſtis. (*e*) Subito interdum corruit. Nunc quædam, nunc multæ convelluntur corporis partes Hic manus habet clauſas, ille in gyrum agitur; hic curſitat, ille ſedet. Plerique actorum ſunt ignari; quidam ſenſibus utuntur; tam externis quàm internis, hocque rarò, nec ſatis, puto, aptè. Quidam vociferantur, aliis ſupervenit dentium ſtridor, ſtertor, ſpuma oris; urinæ, fœcum, ſeminis involuntaria excretio. [f]

VI. *Pro*

oris aut acrioris in artubus ad quos prædictus nerveus faſciculus diſtribuitur, neceſſariò percipiant ægri; unde etiam remedia ibidem applicita, atque inuſtiones aut ligaturæ aliquid boni efficere poſſunt, dum ſcil. virtutem & actionem ſuam per nervos affectos ad cerebrum ipſum deferendo, acrimoniam diſcutere, motuſque exploſivos inde ortos ſupprimere, aut potius immutare valent.

(*e*) *Sunt præludia, nec non* inſtantis e*pilepſiæ ſigna diagnoſtica. Rectè Hipocrates lib. 6. de Morbis popularibus circa finem: melancholici etiam epilepſiâ corripi plerumque ſolent, & viciſſim epileptici fieri ſolent melancholici; imò ſemper ferè ſunt melancholici; acida auſteraque acria quàm maximè in epilepſiâ, affectibuſque omnibus melancholicis nocent; acetum acidaque omnia acria eſſe melancholiæ pabulum magnus ille Senex, ut & Galenus exiſtimat.*

[f] Hæc circa Epilepſiæ diagnoſim rurſus adnotanda ſuperſunt. Morbi acceſſio ut plurimum ægros nihil tale cogitantes opprimit, atque ictu oculi citius ſenſu & intellectu orbos, in terram præcipitat, quippè, ut inquit Williſius, non tam cadunt, quàm cum impetu quodam proſternuntur, ut ſæpè pars primò in terram aut corpora adjacentia alliſa livore aut vulnere afficiatur, nec etiam quæ maximè ſunt nociva inter cadendum effugere valent, ita ut ſi ignis ſit in vicinia in illum prçcipites ruant ab eodem ſine ſenſu comburendi, ni auxiliatrices admoveantur manus, quod mihi aliquando videre contigit. Sæpè ſupervenit capitis concuſſio, & crebra ad humum alliſio, quæ omnia ineunte paroxyſmo boatus interdum enormes concomitantur; brachia & crura, quinimò cervix & dorſum, aut ſtatim rigida fiunt, aut variis flexionibus huc illuc diſtorquentur; alii pectus immaniter contundunt, alii brachia & crura validè exerunt; eaque ac totum aliquando corpus huc illuc impetuosè jactant; plerique autem præcordia & hypochondria, nec non totus inferior venter intumeſcunt; quæ omnia poſt aliquod tempus derepente terminantur. Superſtite poſt paroxyſmum capitis dolore, cum torpore, & hebetudine ſenſuum,

b & non

VI. *Prognoſtica.* Idiopathica curatu [g] difficillima; ſympathetica ſæpè, in infantibus facilè curatur, hæreditaria nunquam. (*f*)

VII. *Indicationes.* Caput expurgandum, roborandum. [h] Lympha

&non raro vertigine & ſcotomia.

[g] Omnes ferè cerebri & nervorum affectiones difficillimè curari, nec non medicinæ opprobrium facere, ideò exiſtimat Willis, primò quòd ſuccus nervoſus motu ſegni inque vaſis obſtrictis lentè ſcaturiens, non uti ſanguis effervescentiam depurativam ſive fermentationem ſponte cōcipiat; ſecundò quia medicamentorum vires ad eum facilè, aut illibatæ non pertingunt, ſed aut aliis partibus priùs impenduntur, aut ſiquidem heterogenea ſunt, à cerebro incongruum quodvis reſpuente, prorſus excluduntur.

(*f*) *Hippocrates ſequentia habet prognoſtica, à comitiali morbo juvenes mutatione potiſſimum ætatis & regionum. & victuum liberationem accipiunt. Aphor.* 45. *ſect.* 2 & *ſect.* 5. *Aphor.* 7. *Epilepſia, quibus ante pubertatem contingit mutationem recipit: quibus poſt viceſimum verò quintum annum eos fere comitatur ad mortem uſque. Videatur quoque Doctiſſimus C. Celſus lib.* 3. *cap.* 23. *p. m.* 172. *quo autem anni tempore & conſtitutione epilepſiæ oriuntur; videſis apud Hippocratem ſect.* 3. *Aphor.* 16. 20. & 22. *ut & C. Celſum lib.* 6. *cap.* 1. *p. m.* 43. 45. & 48. & *c.* 8. *p.* 68. & 73.

Oculorum ſplendores paroxyſmum epilepticum præcedentes, illum maximè ominoſum efficiunt; unde Celeber. Sachſ. à Levvenh. Miſcell. Curioſ. A. ij. p. 171. hæc habet. Anno 1667. Ioh. Georg. Hanck Vratislavienſis, Chirurgus experientiſſimus & decennali Indiæ orientalis peregrinatione clarus, ex tot itineribus vario ſub cœlo & aëre peractis valetudinarius per aliquot annos, inopinatè Epilepſia corripitur. Adhibita varia fuerunt remedia, & quidem eo cum ſucceſſu, ut videretur malum eſſe debellatum. Sed cùm per aliquot dies conquereretur de ſplendoribus igneis & globulis flammeis continuò ante oculos volitantibus, & viſum depravantibus, tandem tam vehementer ab Epilepſia correptus fuit, quæ nullam pauſam faceret, niſi cum ipſa vita extincta fuiſſet. Eodem anno fœmina quædam cachectica 46. annor. variis variorum morborum ſymptomatibus conflictata, demùm ſplendorū igneorum moleſtias continuò oculos fatigantes accuſavit: Ego prioris exempli optimè memor, malum exinde adſtantibus pronunciavi augurium, & inſtantes motus convulſivos, quos antè nunquam perſenſerat prædixi: qui etiam nondum elapſo biduo ſupervenerunt tanta cum vehementia, ut ægram in ipſo paroxyſmo ſtrangularent. Videat jam Doctiſſimus Lector an hæc pro corroboranda ſententia de lympha acriori in Epilepſia; an verò pro exploſionibus ſpirituum animalium in eodem morbo ſtabiliendis, conveniant.

[h] Non tantùm attendendum in genere ad temperiem lymphæ & alio-

rum

pha temperanda: (g) cauſæ remotæ tollendæ.

VIII. *Curatio. In Paroxyſmo* proſunt frictiones, ligaturæ membrorum, punctiones, clamores, vellicationes, cucurbitulæ, clyſmata, ſuppoſitoria; oris apertio, partium externarum in rectum extenſio; (h) illinitiones temporum, carporum, naris, cranii circa ſuturas, præcipuè coronalem; ſuffitus. [i] Narcoticorum uſus utilis eſt & noxius, benè diſtinguere experti eſt Doctoris. (i) De Venæſectione idem dico. [k]

Extra

rum humorum; ſed præterea videndum in ſpecie ut figantur ſpiritus animales nimis volatiles, atque ne à ſanguine iis copula heterogenea ſubminiſtretur, quâ in exploſiones præmemoratas cieantur; nec non exploſiones eorumdem inceptæ ſupprimendæ; in quos fines, ex VVilliſio, duo remediorum genera præcipuè conducunt: Sc. primò quæ ſpiritus animales efferari & exilire aptos reprimunt ſuffitu ingrato. Secundò quæ ipſos ad propria munia revocant, cujuſmodi ſunt frictiones, &c. quibus addimus ſanguinis correctionem, per diætam, quæ potiſſimum conſiſtit in abſtinentia à vino, venere, ira, & omnibus eduliis quæ caput replent & acriora ſunt, (imprimis nocere dicitur petroſelinum, coturnicum caro, &c.) variaque remedia huic negotio apta, de quibus inferiùs.

(g) *Non tantum lympha temperanda, verùm etiam omnes humores.*

(h) *Pedetentim, non verò vi, nam oſſa indè luxata, imò aliquandò fracta Practici obſervarunt.*

[i] Laudanum è ſulphure vitrioli anodyno mirificè extollunt Chymici. Laudanum antepilepticum ex illius ſulphuris partibus duabus, olei camphoræ ſpecific. parte una, parat Harthmannus, & utriuſque præparationem tradit in tractatu de opio. Verùm de ſulphuris vitrioli anodyni realitate non parum ambigitur, *eo itaque (donec ſecretior præſentiorquè præparatio pandatur) ſecurè*, ex Clar. Ludovici conſilio, *carentes*, opium ipſum moderatè exhibitum non ita reformidabimus. Non omittentur interim vitrioli quædam præparationes, & forſitan præcipuè, ut ſaltem mihi conſtitit, primum illud ens veneris de quo Illuſtr. Boyle, & è quo etiam Collectanea Chymica Leidenſia lapidis Butleri in varios uſus deſtinati, baſim faciunt.

(i) *Narcotica relinquenda in paroxyſmo, aſt extra paroxyſmum multum prodeſt moderatus, ſpecificis mixtus, illorum uſus.*

(k) *In paroxyſmo levem venæſectionem aliquando profuiſſe, ad conciliandum nempè ſanguinis (ab acido-auſtero coagulati quaſi) motum; aliàs ſemper ferè & in ipſo, ut & extra paroxyſmum venæſectionem inſtitutam adeò nocuiſſe, ut graviores indies poſt venam ſectam paroxyſmi redderentur, obſervavimus, & nobiſcum varii Practici.*

b 2 k Venæ-

Extra Paroxyſmum temperamentorum, cauſæ proximæ & remotarum ſumma eſt habenda ratio. Inſpice oculos, faciem, linguam; explora pulſum; tange ventriculum & Hypochondria, utpote in quibus ſympatheticæ Epilepſiæ cauſa plerumque hæret; conſiderentur Lymphæ gratia partes externæ, pedes volo atque manus. Præparentur hiſce conſideratis humores, vel primò, vel educantur ſtatim pro re nata. Corroborantur partes præparantibus unâ eâdemque fideliâ; Cumque malum Chronicum ſit, tam præparantia, quam purgantia ſæpiùs reiteranda. k Venæſectio raro uſu venit; Vomitoria interdum, ſed præſcripta cautè. (*l*)

Medicamenta Antepileptica.

Radices Acori veri, Angelicæ, Ariſtolochiæ, Artemiſiæ, (*m*) Bardanę,

k Venæſectionem rarò neceſſariam judicant Clariſſimi Viri, Autor noſter & Dekkers, forſan quia non ita familiaris eſt in Belgio: ac ſanè in venæſectione adminiſtranda, & temperamenti ægri, & conſuetudinis, & gentis, maxima habenda ratio. Aliàs ſaphænæ ſectionem, aut hyrudinum venis hæmorrhoidalibus applicationem commendant non infimæ notæ Scriptores, inter quos Williſius. Aliud & præſidium è Chirurgia peti ſolitum omittit Vir Clar. cauterium nimirum, aut quod teſte Fabric. Hildano præſtantius eſt ſetaceum nuchæ applicatum. Eſcharotica & veſicatoria variis etiam in partibus pro data occaſione applicantur, ut ſuprà v. g. videre licuit in ea hiſtoria de butyro antimonii pedum pollicibus feliciter applicato, quam ex Henrici ab Heers obſervationibus medicis excerpſimus. De Epilepſia gravi, cauterio actuali, ſuturæ coronali applicato, curata, hiſtoriam raram in ſequentibus ex Iobo à Meckeren adducimus.

(*l*) *Si Epilepſia ex* ſympathia ventriculi *pituitoſorũ viſcidorum, acidorumve humorum ſaburrâ referti, oriatur; proſunt vomitoria, ſed quod notandum, ſemper ſpecifica antepileptica eſſe admiſcenda, præceſſis nempè præparantibus incidentibus acrimoniámque humorum temperantibus.*

(*m*) *Quidam multa perhibent de carbonibus pridie D. Ioannis Baptiſtæ ſub radicibus arthemiſiæ evulſis, ſed hallucinantur Autores; non enim ſunt carbones, ſed radices arthemiſiæ antiquæ annoſæ emortuæ, multo ſale volatili conſtantes; & ſemper ferè ſub arthemiſiâ reperiuntur, adeò ut tantum ſuperſtitio quædam ſit, quod radices illæ annoſæ emortuæ pridie D. Ioannis Baptiſtæ circa duodecimam nocturnam evelli debeant. Doſis illarum eſt ad drachm. j. cum aquâ appropriatâ exhibitâ. Vide Icëlem praxeos p. m. 85. ubi agit de epilepſiâ, ut & Schroderum*

Bardanæ, Bryoniæ, Dentariæ, eryngii, fraxinellæ, hyperici, (n) pœoniæ, ſcyllæ, ſuccisæ, tormentillæ, valerianæ ſylv. vincetoxici. Anagallis, betonica, [l] ruta ſylveſtris, polium, verbena, pœonia. [m] Flores liliorum convallium, pœoniæ, ſtœchados, [n] tiliæ, Semina aquilegiæ, atriplicis, pœoniæ, ſeſeleos, cardamomum, ceraſa nigra. Ligna buxi, tiliæ, quercus. Succinum, agaricus, caſtoreum. Coagulum leporis; cor ciconiæ, hirundinis, leporis, vulpis, vulturis. Cornu alcis, bovis, cervi, hirci, monocerotis. Cranium aſini, humanum, cuculus uſtus. Fel agni, catuli nigri, urſi, vulturis. [o] Fimus vaccæ nigræ, hepar aſini, capri, [p] ra-

derum pharm. lib. 4. p. m. 21. &c.

(n) Imprimis hyperici flores, eorúmque tinctura, de quâ videatur Zvvelferus in mantiſſa hermetica p. m. 765. quam ſpecificè in tremore manuum aliarúmque corporis partium prodeſſe obſervavimus.

[l] Rutam variè commendant quidam. Scil. in paroxyſmo jubent ſuccum rutæ cum modico caſtorei naribus imponi, cordi & nuchæ rutam coctam cum aceto; adhibitis prætereа, ſi paroxyſmus non ſolvatur, clyſteribus acrioribus variiſque inunctionibus & emplaſtris ad ſuturam coronalem &c.

[m] Folia Nicotianæ tanquam ſpecificum in hoc morbo deprædicat Zacutus Luſitanus Prax. Admir. Obſerv. xx. & xxj. verùm cùm ego ipſe ſtudiis medicis incumbens, & authori prænominato nimiùm fidens, iſtud remedii genus in virgine 24. circiter annos nata, corpore priùs præparato adhibere voluiſſem, ſic in maniam atrociſſimam deducebatur, quam vix optimis remediis profligare licuit; unde proprio periculo edoctus, iſto remedii genere poſtea cautiùs uſus fui, imò ſecuriora & generoſiora alia quæ occurrebant adhibui.

[n] Succum qui è tiliæ caudice prope terram inciſo colligitur menſe Februarii, maximè commendat Tilemannus, hocque ſolo liquore epilepticum integrè reſtitutum fuiſſe aſſerit. Doſis ℥iij. ad ℥iij. ſingulis diebus ter, mane ſc. meridie & veſperi. Cum eodem ſucco, ſeu liquore è tilia vulnerata ſtillante, additis aq. flor. tiliæ & pœoniæ, emulſiones è ſemin. pœoniæ excortic. nucleis ceraſor. nigr. tiliæ ſem. papaver. alb. & nigr. parat Cnoëffelius, ſolvendo gelatinam cornu alcis, cervi, aut ſi haberi poteſt cranii humani, &c.

[o] Fel caninum multi commendant, voluntque maſculinum pro maſculis, fœmininum pro fœminis adhiberi; ſed ipſe expertus teſtari poſſum parum aut nihil inde emolumenti advenire epilepticis, aliquoties illud in vehiculis idoneis propinavi, priùs expurgato, & præparato corpore, nec tamen curatio tentata ſuccedebat, quam poſtea aliis re-

p ranarum viridium, turdi, urſi. Hirundo. Lac aſininum, caprinum, equinum. Pulli hirundinis. Lien equi. Lumbrici terreſtres. Muſtelæ, piſcis caro, ſanguis & ſpina; oſſa lacertæ viridis. Oſſiculum cranii triãgulare ſeu cruciforme lucii piſcis. q Pica. Penna pavonis uſta, pulli corvorum combuſti. Sanguis catti maris, menſtruum juvencularum, r humanus calidè aſſumptus, teſtudinis marinæ. Stercus ciconiæ, cotur-

mediis infrà enarrandis obtinui.

p Ranarum viridium hepar, ſic præparat Hartmannus. Collige hepata de ranis viridibus, [aquaticis non terreſtribus] vivis 40. eaque ſigillatim pone ſupra folia braſſicæ capitatæ ad eam partem qua terram reſpiciunt, ita ut ſe invicem contingant, poſtea in ollis devitreatis & recentibus, ſuperiùs tectis, exſiccentur ad lentum ignem, itaut in pulverem tenuiſſimum teri poſſint, à foliis cautiùs ſeparata, poſtea divide pulverem integrum in 5. partes æquales & ſerva. Partem unam exhibe patienti [præmiſſis univerſalibus] jejuno ventriculo, in hauſtulo aquæ vel ſpiritus appropriati cum luna cancrum inambulat; veſperi duabus horis à cœna alteram partem, atque ſic conſequenter poſtero die mane tertiam, veſperi quartam, tertio die ultimam partem mane. Si patiens præſertim adultus, poſt ſumptam hanc medicinam in fronte & temporibus ſudat, eſt teſtimonium operationis exquiſitæ. Itaque ſi poſt tertiam, quartam, aut quintam exhibitionem ſudor provocetur, vel in lecto, vel in laconico, effectus ſperandi ſunt uberiores. NB. 1. Ranæ tantùm virides & non aliæ accipiendæ ſunt, & quidem vivæ. 2. hic pulvis menſe Majo, Junio, & Julio uſque ad medietatem Auguſti tantùm confici poteſt. 3. cùm exſiccata ſunt hepata, ut poſſint pulveriſari, folia braſſicæ capitatæ diligenter ſunt ſegreganda, & poſtea hepata in mortario contundenda. 4. hic pulvis ultra annum non durat, ideoque ſingulis annis, ſi opus eſt, de novo præparandus. Vix poteſt dici quantum emolumenti ab hac medicina ſimplici accidat. Inſtituenda eſt cura in Iunio, circa ſolſticium, & ſi primo anno non correſpondeat effectus, altero anno eadem cura reiteranda. Hoc remedio reſtitutus eſt Fredericus IV. Palatinus, qui ab ann. 15. ætatis ad 26. Epilepticus fuit.

q Commendat & Hartmannus duo oſſa petroſa porci tanquam excellentiſſimum ſpecificum, ſi pulveriſentur, & in vehiculo convenienti exhibeantur, cum hac cautione ut oſſicula dextri lateris maribus, ſiniſtri fæmellis dentur. Hæc oſſa in interna facie exactam capitis mortui ſignaturam habent. Paracelſus ſimiliter laudat os triangulare, quod in centro cranii humani, magnitudine cruciferi, quandoque reperitur. Hoc os pulveriſatum & in aqua appropriata exhibitum tollit caducum, & ſi eo æger laboraſſet per 20. annos. *Credat qui volet.*

r E ſecundinis talem parat pulverem

coturnicis, pavonis, talpæ cor & Hepar, teſticuli equi, galli, Turtur fœmina. [f] Veſica apri. Vngula alcis, aſini Vnicornu. Margaritæ. (o) Hydromel, Aqua, Spiritus, Vinum, Elixir, Syrupus Antidotus Cephalica Quercetani. Aqua Anhaltina; Hartmanni, Langii, Mynſichti, Hirundinum uſitata & Kobrenteri, picarum, ex fæcibus humanis Mathioli, theriacalis. Spiritus Ant' epilepticus Baſilii, Paracelſi, Hartmanni: Cerebri humani, C. Cervi. [t] Vitrioli viridis, volatilis,

rem Cnoëffelius. ℞. Secundinæ mulieris [primiparæ filium enixæ] maſculi anterioris [violenter mortui & non humati] ãã ℥ß. vnicornu foſſilis albiſſimi, C.C. ex apicibus ſuperioribus raſpati & in alcool redacti ãã ℥j corallior. rubr. cum aq. epileptic. ppt. oculor. cancri ãã ℥ß. granor. & radic. pœoniæ, decreſcente luna, collect. radic. doronic. viſci querni, ãã ʒij. ſuccin. nuc. moſcat. ãã ℥ß. ambræ ʒj. f. omnium pulv. ſubtiliſſimus, doſ. à ℈j. ad ℈ij. ex aq. appropriata.

Secundinam præparat Hartmannus modo ſequenti. Secundinam recentem à vena umbilicali & cuticula exteriore ſeparat, eamque in clibano exſiccat.

[f] Veſicam apri cum lotio in furno ſiccat Henric. ab Heers, ex eaque pulverata cum cranio human. ſtercore pavonino, viſco colurno, & oleo ſuccini inodoro, remedium antepilepticum eximium componit. Franciſcus Oſvvaldus Grembs in ſua arbore integra & ruinoſa hominis, aliud remedii genus è regno animali tanquam infallibile pro paroxyſmo epileptico ſolvendo adfert; Scil. corium arietis (*ſeu potius ejusdem particulam*,) quo ſcrotum fortiter circumligetur.

[o] *Item corallia præparata, ut & eorumdem magiſteria, quatenus acidum alterant.*

[t] E Vitriolo tale parabat oleum Henricus ab Heers. ℞. Vitrioli veneris, aut viridi æris calcinati ℔j. ſ. Cranii humani, Vngulæ Alcis ãã ʒij. viſci querni (*mallem colurnum*) ſem. pœoniæ maris ãã ʒj. cum ſpir. vini rectificatiſſ. ℔ij. digere in retorta, & l.a. diſtilla. Ingratiſſimum eſt hoc oleum & odore & ſapore, ſed miræ efficaciæ, ſi cum liquore convenienti exhibeatur. Ex vitriolo etiam ſequens parat elixir Clar. Willis: ℞. Vitrioli Hungarici ℔vj. Deſtillentur in retorta vitrea calore arenæ per horas 24. Dein retorta eadem loricata cum recipienti amplo ponatur in furno reverberii, ut ſpiritus acidi, quouſque exibunt, igne fortiſſimo urgeantur. Liquor totus extillatus in retorta minori vitrea calore arenæ avocetur; & in matracio ſuperaffundantur rad. Pœoniæ maris in taleolas ſciſſæ & exſiccatæ ℥jv. ſem. ejuſdem ℥j. Cranii humani præparati, Vngulæ Alcis, Coralli rubri ãã ℥j. viſci querni ʒii. Digeratur leni calore per plures dies ad tincturæ extractionem: liquor decantatus avocetur in retorta vitrea ad tertiæ partis remanentiam; extillatus ſeorſim aſſervetur. Remanentiæ iſti affunde ſpiritûs vini rectificatiſſimi, & eorun-

tilis, Tartari vitriolati, Salis Dulcis. (*p*) Tinctura Solis Glauberi, Lunæ, Antimonii. Eſſentia & Tinctura Caſtorei, Elixir Crollii, Cratonis, Mynſichti. Syrupus pœoniæ, ſtœchados, cinamomi. Ol. camphoræ, caſtorei, cranii humani, heracleotici ligni; majoranæ, roriſmarini, citri, rutæ, lavendulæ, ſuccini, ungulæ alcis, zedoariæ, ligni rhodii. Conſerva flor. Anthos. lil. convall. flor. Aurantiorum, pœoniæ. Electuar. Heve. Saxoniæ, Montagnanæ; Theriaca Smaragdorum. Extractum Deodati, ceraſorum, vitrioli narcotici, Laudanum Antep. Hartmanni. Baſſanus ruta ſuccini, Antapoplecticus. Pulvis ſecundinæ, marchionis, ſpecies dialunæ, (*q*) bezoardicum minerale, lunare, ſalia ferè omnia tam fixa quam volatilia, Tabulę Hartmanni, Langii Pil. Antep. Plateri. Sapo Hiſpanicus, (*r*) &c.

Formulæ Medicamentorum Purgantium.

℞. *Elect. è ſucco roſar. unc.* j. *Pulveris Ialappæ drachm.* j. *Spir. Salis rectificat.* (*ſ*) *ſcrup.* j. *Ol. roriſmarin. gut.* viij.

M. S. F.

& eorundem ingredientium infuſione imprægnati parem quantitatem; & digeratur per 6. dies in fimo equino. F. Elixir, cujus doſis ℈ſ. ad ℈j. Liquor extillatus detur à cochleari dimid. ad integrum propter eaſdem intentiones. E vitriolo itidem ſpiritum compoſitum parat Cnoëffelius qui hic eſt. ℞. Phlegmat. vitriol. ſeu ſpir. vitriol. roridi ℥ xviij. capit. mort. vitriol. ℥j. Cranii humani ʒiij. viſc. quercin. ℥ſ. radic. pœoniæ ℥j. cinnabar. antimon. ʒiij. ſem. pœoniæ tantundem. Mixta diſtillentur per retortulam. Doſ. à ℈ſ. ad ℈j.

(*p*) *Ut & nitri dulcis; aſt omnibus ferè antecellunt ſalis armoniaci flores albi, rubri, flavi, vel ejuſdem ſalis ſpiritus, qui non tantum pituitam incidit verum etiam acido-auſterum corrigit, eſtque valdè volatilis ac penetrantiſſimus; quo ipſi melancholici redduntur hilares, quod quidem centies obſervavimus; atqui non tantum puerorum, aſt quoque adultorum epilepſias varias hujus beneficio, juſto vehiculo mixti, annuente Divino Numine, curavimus; ut patebit ex obſervationibus ſecuturis.*

(*q*) *Mynſichti nempè, in armamentario ſuo Medico-Chymico. p. m.*100.

(*r*) *Specificè hoc in affectu prodeſt cinnabaris nativus & antimonii, prior à Cratone vocatur magnes epilepſia, atque ex eâ talem parat pulverem.*

℞. *Cinnabar. nativ. pellucida limata in tenuiſſimum pulverem trita unc.*
Corall. rubr. &
Margarit. præpar. ana ſcrup. ij.
Croci oriental. ſcrup. j.
Fol. auri num. 15.

Terantur omnia ſubtiliſſimè ſuper pidem, doſ. à gr. vj. *ad ſcrup.* j. *in vehiculo convenienti; præſtat tamen cinnabaris antimonij.*

(*ſ*) *Potius ſpiritus ſalis armoniaci,*

ſalis

M.S.F.Conditum molle, de quo ſumat æger nucis moſchatæ magnitudinem, ter quatervè in hebdomade.

Vel

℞. *Extract.rhei. Aloës lucid. Reſinæ, Ialapp. an. gr.* vj. *Sal. ſuccin.* (*t*) *gr.* iij. *Ol.lavendul. gr.* ij.*M. S. F. Pil. Num.* iiij. *deaurentur pro una doſi.*

Vel

℞ *Crem.Tartar. Oc.Canc.præparat.Sal. Succin. Diagrid.an.gr.*vj. *M.S.F. Pulvis* in Vino vel cereviſia ſacharatis aſſumendus.

Formulæ Medicamentorum Præparantium.

℞. *Liquor.Tartar.unc.* ſ. *Sal. Ammoniac. Succin.an.ſcrup.* ſ. *MS.* Sumat in vino 10. pluresvè guttas quater de die.

Vel

℞ *Sal. prunell. Ammoniac.an. drachm.* ſ. *Oc.cancr. crud. contuſ. ſcrup.* ij. *Raſur. cranii human. ſcrup. iiij.*

M.S.F.Pulvis dividendus in 6. *partes æq.* ſumat eorum bis de die, hunc jejuno ſtomacho, illum veſperi ante cœnam.

Vel

℞ *Sal.ſuccin.volat. Corn.cerv.an. ſcrup.*j. *Caſtor. drachm.* ij. *Infundantur horis* 24. *in* ſ. *q. Spirit. Vin. rectific. & Tincturæ extractæ* Adde.

*Aq.prophylacticæ. Iulap. roſac. an.unc.*j.ſ. *Syr. cinamom. unc.* ſ. *MS.* Bibat ter quatervè de die cochleare unum atque alterum.[u]

IX.*Ob-*

aliuſvè ſalis volatilis oleoſi; vel ex hiſce duobus mixtis et bonis terniſvè cohobationibus jăctis deſtillati ſpiritus ſcrup.j.

(*t*) *Per ſal ſuccini Autorem intelligere ſal volatile ſuccini puto.*

[u] In Epilepſia ſequentia ſuadet Clar. Ludovici. Qui pulveris noſtri Bezoardici albi, Succini albi præparati, Cinnabariſque nativæ ſelectionis ãã miſcuerit, & adultis quidem ad ℈ß. infantibus autem anniculis ad gr. iij. iv. vj. natu minoribus dimidium horum, curativè repetendoque dederit, ac pro indicationum ratione (præmiſſis aut interpoſitis emeticis, aut laxativis) modò volatilia urinoſa (ſpir. C. C. Armoniaci ſimplex &c.) modò eſſentiam ſuccini, camphoræ, caſtorei, tincturam Coralliorum, antimonii &c. modò præcipitantia alia, imprimis autem ligantia illa ex Opio circumſpectè ſuperaddiderit, multùm utique proficiet. Lactantibus autem non ſolùm hîc, verum

rùm etiam in reliquis inquietudinibus, torminibus, vomitibus, diarrhoeis, &c. admodum confert pulvis Antepilepticus Anodynus, è pulveris Bezoardici albi noſtri ʒvj. Succini albi præpar. ʒ iij. Cinnabaris nativæ ℈iv. & Laudani Opiati noſtri ℈j. exactâ mixturâ compoſitus, trimeſtrique ad granum unum, &c. exhibitus. *Pharmacia moderno ſeculo applic. p.* 642. 643. Bezoardicum autem pulverem ita parat. Bezoardicum egregium paratur, dum à Mercurio vitæ communi ſextuplum boni ſpiritus nitri per arenam ad ſiccitatem perfectam abſtrahimus; pulvere reſiduo (citra conſueta hîc cohobia, ulterioreſvè ignitiones, ac citra nimias grati & innocentis acoris elutriationes) ſat valido atque ſecuro. Si nitri ſpiritus levior ſit, oportet addere nitri crudi an. ad Mercurii vitæ pondus. De cætero compendioſiùs adhuc cum Croco metallorum ſimiliter proceditur, ſi pariter boni ſpiritus nitri ſextuplum ad ſiccitatem inde abſtrahatur. Pulvis hinc elegans priori ponderoſior, ſecuriſſimus, & eximiè Diaphoreticus eſt. Elegantiorem adhuc habebit qui ſulphur antimon. auratum ſimili ſextupli abſtractione in albiſſimum pulverem fixârit. Quiſquis ex his quatuor placuerit (cùm coincidant) ſudores quidem ad ℈ſ. hîc locorum per ſe vel cum Conſervis &c. datus egregiè movebit, ibid. pag. 327. 328. Laudanum verò ita paratur. ♃. Extracti Opii partes duas; Extracti Croci, & Cinnabaris nativæ, aut ſaltem Coralliorum ãã partem unam pag. 664.

Præparatio Cranii humani, Cornu Alcis, Cervi, Vnicornu, Eboris & ſimilium ex Cnoëffelio. ℞. Cranii humani in minutiſſimam ra uram beneficio limæ raſpati q. v. Contundatur in mortario lapideo cum aliqua aqua appropriata & deſtillata ad pultis formam; quæ paſta chartæ albæ ſuperextenſa & incluſa, iterum exſiccetur & pulveriſetur, & hoc bis, ter, vel pluries repetatur, donec raſura in pulverem ſubtiliſſimum redigi queat. Plura medicamenta Chymica qui volet conſulat D. Martini Bernhardi de Bernitz Faſciculum Medicamentorum ſingularium Cnoëffelianorum. Amuletum ex frutice ſambuci in ſalice inventi multùm commendatur. Diligenter obſervetur ubinam in ſalicibus, præſertim antiquis, ſubnaſcatur ſambucus, id quod ſæpè fit, præſertim in ſalicetis, ubi non procul ab iiſdem ad hortorum ſepes ſambucus plantata fuerit. Hîc nimirum grana matura ab avibus leguntur, præſertim à pico. Picus nimirum excrementa ſua poſt comeſta grana ſambuci deponens ſuper ſalicem antiquam, (cui interdum innaſci ſolent aliæ plantulæ, vel frutices, nominatim verò amara-dulcis, urtica, chelidonia) exinde quaſi primordia figit & ponit ſambuci exinde naſcentis. Picus autem quia epilepſiâ laborat, hoc nobile periapton ad ſimilem morbum curandum facit. Colligatur frutex quolibet menſe, meliùs tamen in Septembri & Octobri quando maturuerint grana ſambuci, ante plenilunium diebus duobus, & reſervetur uſui, [ſervari poteſt annos 12.] teneriores ſaltem ſurculi ſufficiunt. Vſus talis eſt. Seca ſurculum unum teneriorem in taleolas tenues, quantum fieri poteſt integras. Earum no-

vem redigantur in nodulum, vel ex linteo, vel ex ſerico confectum, & cùm ſimplici filo lineo Amuletum adpenſile collo uſque ad orificium ventriculi pertingens geſta tamdiu donec ſponte ſua citra omnem vehementiam rumpatur filum, & nodulus videatur cadere, quem deinceps neque in ſe patiens, neque ullum animal nudis manibus vel pedibus tangat, ſed mediante aliquo inſtrumento, vel forcipe vel alio ſepeliatur ſubtus terram, eo in loco ubi nec homines nec animalia tranſire poſſint. Secùs ſi tetigerit, morbus Epilepticus denuo invadet eum, vel alios antea morbum non paſſos corrumpit, id quod ſtudioſè eſt evitandum. Hoc amuleto curari poſſunt & ii qui longiſſimo tempore hoc morbo laborarunt. In adultis ſolent quidam ex majoribus ſurculis excavatis facere cannas, per quas tempore geſtationis amuleti omnem ſuum potum hauriunt. *An hæc ſuperſtitioni proxima ſint, nec ne, videat Lector.* Verùm priuſquam medicamenta antepileptica mittamus, non poſſumus non meminiſſe ſpecifici à Domino Stephano Le Clerc Medicinæ Doctore & Reipublicæ Genevenſis olim Senatore, feliciter ſæpius uſurpati. Ille præmiſſis univerſalibus Cochinilliæ pulveriſatæ grana quatuor ex aquis appropriatis, per tres ultimos Lunæ dies manè jejuno ventriculo exhibebat, hocque ſimplici medicamento plures à ſæviſſimo morbo liberabat. Sequens vinum ab eodem etiam commendabatur. ℞. Sem. pœoniæ maris ℥iij. radic. enulæ, ℥jſ. fol. ſabinæ, ruthæ, hyſſopi, ſalviæ minoris, fl. calthæ in medio nigræ, majoranæ, abrotani, anethi, nepethæ, roriſmarini, pedis leonis, ſeminis juniperi an. m. ſ. Theriacæ, Mithridatii an. ℥ij. pyrethri ℥j. Bulliant omnia, exceptis electuariis, in vini albi generoſi ℔xij. in vaſe fictili novo probè lutato, ad conſumptionem duarum tertiarum. Tum colentur, & in Colatura diſſolv. electuar. Doſis ad ℥iij. vel quatuor, pro ratione virium. Ambulet æger poſt aſſumptum hoc vinum, ſpiritum ſubinde contineat, & aures obturet cotone hoc decocto imbuto, nec comedat aut bibat, niſi poſt duas aut tres horas. Decoctum hoc per novem dies continuos manè ſumi debet, ubi morbus non eſt inveteratus. At ſi ante decem annos incepit continuare oportet per dies quadraginta, interpoſitis purgantibus, ex Ellebori nigri, & Pœoniæ extractis paratis. Plures Epilepticos decocto guajaci curaſſe aſſerit Alphonſus Fernus, ipſam ſalivationem à Mercurio excitatam, ut & Thermas, aut Acidulas prodeſſe poſſe putat Williſius, at non expertus eſt. Spiritus cerebri humani ab Hartmanno commendatus ſic paratur. ℞. Cerebrum hominis juvenis integri, benè ſani, [adoleſcentis infra annum 24.]. & bonæ conſtitutionis, violenta morte perempti, collige fruſtulatim cum omnibus membranis, arteriis, venulis, & nervis, cum medulla ſpinæ toſta. Conquaſſa in mortario lapideo, & adde in Cucurbita, vel phio a potiùs capaci, aquarum capitalium, ſc. fl. tiliæ, pœoniæ, betonicæ, ceraſorum, lavendulæ imprimis; adde Diaphoretici in acutis [h. e. Mixturæ ſimplicis vel de Tribus] ad ſupereminentiam 4. vel 5. digitorum,

IX. *Obſervationes.* 1. Nicolaus Hazard. 26. annorum juvenis, Cerebro humidiori, cætera plethoricus, ter, ſępè quinquies de die, idque ſingulis ſeptimanis Paroxyſmos patiebatur fortiſſimos, interdum horâ integrâ, interdum per bihorium, cum ſpuma oris, clamore, ſenſuúmque omnium læſione, ſubſequente diuturno & profundo ſopore. Præter Venæſectionem, peculiares ob rationes, non Epilepſiam, inſtitutam, nullo alio uſus ſum medicamento, quàm Condito ſupraſcripto purgante; ſed non niſi ſeptimo menſe curatus eſt. Obſervabat autem exactiſſimè diætam. Decimo nunc anno à morbo liberatus vivit hilariter Amſtelodami, vultuque ſereno obvium mihi factus me ſalutat.

2 Filia Simonis Gomes de Pas annos circiter viginti nata, integrum per annum laboraverat motibus Epilepticis, non quidem vehementibus, ſed à ſeptimâ matutinâ in horam nonam veſpertinam durantibus, cum ſpumâ oris, ſine loquela, ſenſuúmque manifeſto uſu. Menſtrua nihilominus juſto tempore & modo fluebant, noctuque comedebat, loquebatur, bibebátque, ſed parcè. Pręſcripſi ipſi haſce pilulas unica pro vice.

℞. *Caſtor. Sal. Arthemis, an. gr.* iiij. *Reſinæ Ialapp. gr.* vj. *Aloës ſuccotrin. gr.* IX. *Ol. Majoran. gr.* ij. *M S. F. Pil. Num.* v. deaurentur.

Pro voto illis purgata, uſa eſt bis quotidie hauſtulo ſequenti.

℞. *Saponis Hiſpanic. albiſſ. drachm. ſ. Coq. ex lacte vaccino & Colat. unc.* iij. *Dentur uſui.*

Mira-

tum, [plùs quàm de reliquis ſimplicibus aquis, addunt etiam ſp. Vini] Claudatur hermeticè vas, & relinquatur aliquandiu, per annum 1. 2. 3. &c. poſtea per cohobia deſtilletur ex Balneo roris, ut tota, [*aliquota*] cerebri ſubſtantia ſimul tranſeat. Hanc aquam, abjectis fæcibus curioſè ſerva. Et ex fæcibus poſt ſextuplex cohobium calcinatis elice ſal, quem deinceps cum ſp. facto junge, & totum curioſè ſerva. Doſis à ℈j. ad iij. in vehiculis convenientibus. NB. Si initio non addita eſt Mixtura ſimplex, propter defectum; poſtea phlegmate per B. leniter abſtracto, adde Mixturæ S. partem dimidiam, & procede ut monitum eſt. Doſis à ℈j. ad ʒiij. Hactenus Hartmannus; verùm quoniam hoc medicamentum difficillimè comparari poteſt, ejus loco (ſi remedia ex humano corpore deſumpta excellentiora videantur) Spiritum & ſal volatile cranii, vel quod ſubtiliſſimum eſt, & forſan præſtantius ſanguinis humani, ſive ſolum, ſive cum anodyno, non minori cum effectu propinare licebit.

(x) Vir

Miratu dignum erat hoc remedio aſſumpto Paroxyſmum in dies gradatim, deque horâ in horam ita iviſſe imminutum, ut trigeſimo die pleniſſimè curata exiverit; manſeritque reſtituta. Venæſectionem Phlegmaticæ nullus inſtitui. (x)

Calam. aromatic.

(x) *Vir 45. circiter annorum, melancholicus ferè continuò, imprimis verò circa paroxyſmum; ſingulis ſeptimanis circa plenilunium vertiginem ſolummodò ſentiens, præcidebat; tumque convulſione motibúſque convulſivis quàm maximis afficiebatur, hocque per trium præterpropter horarum ſpatium, biduo tunc triduovè ſequenti æger actorum, præterquam ſolius vertiginis, inſcius; plurimas tum ſequentes noctes inſomnes ducens cum inſomniis ſubindè horrendis, ſemper quaſi ex terrore cum totius corporis concuſſione expergefactus, memoriâ exiſtente læsâ, manibúſque maximè tremulis, decumbebat.*

Sæpiùs in hoc ægro à Medico quodam venæſectio fuit inſtituta, jam ad ſublationem paroxyſmi, jam verò ad morbi ipſius curationem, ſed tamen abſque ullo ſucceſſu; uxor ægrotantis pro ſublatione paroxyſmi maſticatos aut contuſos in os mariti inſpuebat chariophyllos, quo paroxyſmus ſuperabatur, qui ipſâ venæſectione nẽ ſuperari nec tolli poterat.

Ad curam vocatus, ſequentia præſcripſi [omnibus acidis, auſteris, crudiſque, &c. interdictis] primò.

♃ Aq. Beton.
Flor. tiliæ ana. unc. ij.
Fænic.
Vit. Mathiol.
Antepileptic. Langii ana. unc. j.
Spirit. ſalis armoniac. drachm. ſ.
Tinctur. caſtor. gutt. x.
Flor. hyperic. drachm. j.
Laud. opiat. gr. IV.
Ol. ſuccini gutt. V.
Syr. ſtœchad. unc. j.
M.

Cujus ſingulis diebus quater ad minimum cochlear unum atque alterum aſſumebat. Secundò ſingulis ſeptimanis ſemel, quinque pro doſi aſſumebat de ſequẽtibus pilulis, undè ter, quaterve dejecit.

♃. Gumm. ammoniac. aquâ roſar. ſolut. drachm. ſ.
Myrrh. Elect.
Reſin. Jalap.
Scammon.
Vitrioli martis ad albedinem calcinat. ana. ſcrup. j.
Croci ſcrup. ſ.
Ol. ſuccini gutt. viij.
M. F. Pilul. num. 40.

Deauranda pulvereve cinamomi, &c. inſpergendæ. Tertiò, ſequentis pulveris doſin ſingulis veſpertinis cum vino Hyſpanico aſſumpſit.

♃. Corall. rubr. præpar. drachm. j.
Cret. alb. ſcrup. j.
Sacch. cand. drach. iij.
M. F. Pulvis in 6. doſes dividendus.

Nota. Veſperi hoc pulvere aſſumpto, manè bis terve alvum depoſuit. In dictorum medicamentorũ uſurpatione continuavimus per duas circiter ſeptimanas; tuncque quartò præſcripſi ſequens vinum medicatum.

♃. Rad. enul. campan.

Cap.

Valerian. ſylveſtr. ana. drachm. ij.
Viſc. quercin. unc. j.
Fol. ſalv.
Hyſſop. ana. M. j.
Flor. ſtœchad.
Hyperic. ana. p. ij.
Sem. pœon.
Fænic. dulc. ana. drachm. ij.
Cinam. acut. drach. iij.
Nuc. moſch. drachm. j.
Cort. arant. drachm. ij.

Conciſa & Contuſa craſſo modo inſuantur ſacculo, canthароque lapideo indantur, affundanturque vini Hiſpanici (non Gallici, nec Rhenani, quia acidum nimis augent) pint. iv. *poſt juſtam digeſtionem, ter de die unc.* iij. *pro doſi aſſumpſit (inſtillatis ſemper gutt.* xij. *ſpiritus ſalis armoniaci unicuique doſi) ac continuavimus ad finem curationis uſque in uſurpatione dicti vini medicati; repetitis ſubinde pilulis ſupra præſcriptis, ut & circa plenilunium & novilunium mixturâ primò præſcriptâ. Quintò, ſequentis pulveris doſin pridie poſtridiéque novilunii & plenilunii; ipſoque plenilunio ac novilunio cum vino medicato veſperi aſſumpſit.*

℞. *Cinnabar. antimon. gr.* xij.
Ungul. alcis, ſcrup. j.
Magiſt. corall.
Perlar. ana. gr. xviij.
M. F. Pulvis tenuiſſimus pro tribus doſibus.

Hiſce, annuente Deo Optimo Maximo, melancholia ferè tota ſublata fuit; memoria integra reddita; ceſſavitque manuum tremor, nec æger à paroxyſmo amplius infeſtatur.

Hac methodo (paucis mutatis, quibuſdam tantum additis antihyſtericis) duas adhuc puellas, unam melancholicam admodum, 22. annum agentem ſingulis biduis triduiſvè invadente paroxyſmo ſumma cum vehementiâ manuumque clauſurâ, motibúſque convulſivis, & ſuffocatione hypochondriacâ affectam. Alteram 19. ætatis anno pituitoſam, ſuppreſſione menſium ſimul laborantem ſingulis propemodum noctibus epilepticis motibus afflictam, Benedicente Jehova, curavimus; ut & Iuvenem 25. annos natum admodum vertiginoſum (ſingulis ſeptimanis paroxyſmo epileptico convulſivo redeunte) in integrum reſtituimus. Infantes varios motibus convulſivis epilepticis (Belgis ſtuypkens) afflictos; ſequenti mixturâ cochleatim uſurpata ſanavimus.

℞. *Aq. flor. tiliæ.*
Fænic. ana. unc. j.
Syr. ſtœchad.
Diacod. ana. unc. ſ.
Spir. ſal. armon. ſcrup. ſ.
M

Poſteà alvus ſolvatur ſolâ mannâ calabrinâ, nam alvo adſtrictâ laborantes facilè epilepſia motibuſvè epilepticis corripiuntur, ut teſtatur Hippocrates & apud Cl. Riverium in obſervationibus Pet. Pachequus, p. m. 305.

Puella quædam annos circiter quatuordecim nata paroxyſmis epilepticis, ſed per intervalla lõgiora recurrentibus à duobus tentabatur annis, vultus aderat aliquatenus tumidus & rubicundior, dolor pulſativus atque itidem gravativus, caput continuò propè affligebat. Venæſectionem in pede pro revulſione inſtituebam, corpus remediis idoneis exquiſitè purgabam, tandem præſcribebam ſequentia. Primò rotulas uſuales quarum hæc eſt compoſitio.

℞. *Anti-*

♃. *Antimonii diaphoretici albiſſimi,*
Magiſterii martis ſolubilis,
Cornu Cervi Cnoëffeliano modo parati ana. ℨij.
Cuticula citri ℨij.
Sacchari albiſſimi aqua cinnamomi ſoluti q. ſ. ut fiant e. a. rotula.

Sumebat ſæpiùs de die unam aut alteram ſuperbibendo cochlearia aliquot julapii ſubſequentis.

♃. *Aquar. betonica,*
Lilior. convallium.
Flor. tilia ana. ℨiij.
Imperialis ℥j.
Sp. ſal. armoniaci aromat ici facti ℨiij.
Syr. Pœonia.
De cortice citri ana ℥j.
Extracti opii præparationis Joëlis Langelotti gr. IV.
M. F. Julep.

Secundò Pediluvia ex cephalicis & anodynis quotidie præparabantur & plantis pedum exſiccatis apponebantur ſacculi ex cephalicis aromaticis, & ſale armoniaco depurato. Tertiò ſingulis ſeptimanis bis leviter expurgabatur per pilulas ex aloë ſuccot. magiſterio martis ſolubili, cinnabari antimonii, trochiſcis alhandal, &c. Veſcebatur cibis boni ſucci & facilioris digeſtionis; utebatur pro potu decocto ligni juniperini, viſci querni, raſuræ C. C. & cranii humani. Hiſce intra paucas ſeptimanas reſtituta, de cerebri obnubilatione atque dolore pulſativo, non ampliùs conqueſta eſt, aut ulla in ſubſequentibus perſenſit ſymptomata etiam leviſſima. Hæc praxis pauciſſimis immutatis pro ratione temperamenti, & circumſtantiarum in aliis etiam optimè ceſſit. Sed aliam in juvencula itidem quatuordecim circiter annos nata, Ebroduni Helvetiorum ſummo cum fructu inſtitui. Sc. præmiſſis præmittendis, venæſectione & purgantibus, pulverem compoſuiè cranio humano ppt. ungula alcis, corall. rubr. cinnabar. antimon. diaphoretico martiali, croco, camphora, & pauco opio, eumque ad plures dies continuos mane & veſperi exhibendum dedi; ſuperbibebat aliquid emulſionis ad modum propè è Cnoëffelio ſuprà deſcriptum, paratæ; ſubindè potui adjūgebat guttulas aliquot. ſpir. volat. ſanguinis humani; Tandem bis expurgata eſt remedio è ſcammonio, Mercurio vitæ, & Mercurio dulci apprimè loto, ac cū ſpiritu vini conflagrato, confecto. Potus erat decoctum chinæ, viſci quercin. ungulæ alcis, & cranii humani poſt longam ingredientium in rore vitrioli macerationem paratum. De frictionibus aliiſque multis in diæta quàm exquiſitè obſervatis nihil addo. Illa autem jam ab octo menſibus paroxyſmis epilepticis intentata vivit. Rurſus hic adjungo epilepticorum aliquot hiſtorias, & quidem primo hiſtoriam Epilepſiæ Hypochondriacæ curatæ quam ſic deſcribit D. D. Alhardus Hermannus Cummius in Miſcell. Curioſ. A. j. Obſ. 85.

Miles Iuvenis 24. circiter ann. ex iis qui Civitati Hannoveranæ pro præſidio ſunt, Anno 1666. circa autumnum ſentire incipit inſignes in hypochondriis dolores pungentes cum eorundem intumeſcentia; qui tamen mox in diarrhœam feroſam terminabantur. Hanc diarrhœam cùm metu tunc tēporis Hānoveræ Epidemicæ graſſantis dyſenteriæ ſiſteret hypochondria iterū inflantur, hincque halitus tetri adſcendentes

dentes ad cerebrum illud adeò in conſenſum traxerunt, ut miles iſte quotidie vel decies concideret in vehementiſſimos morbi comitialis inſultus. Vorax erat valde, ſed ſtatim poſt paſtum concidebat, referebatque ſe ex hypochondriis auram quandam ſentire aſcendentem à qua temulentus primùm & vertiginoſus evaderet, poſt quaſi vi ad terram dejiceretur, quod à ſpectro fieri exiſtimabat. Iejunus nil niſi dolorem in hypochondriis & anxietatem ſentiebat, ſtatim autem ac quippiam aſſumpſiſſet proſternebatur. Erat cæteroquin boni habitus temperamenti, ut videbatur ſanguinei cum phlegmate temperati. Huic militi ego hoc modo medicinam faciebam. Primùm purgato corpore operam dabam, ut acidum excedens ad ſtatum reduceretur: cui fini ſingulis diebus horis matutinis utebatur pulvere digeſtivo ex Vitriolo Martis, Sale eſſentiali Zvvelferi & Saccharo cantho. Poſt paſtum autem ſemper utebatur pulvere ex ſeminibus coriandri, aniſi, anethi, granis paradyſi cum aliqua portione cranii humani raſi. Aliquando circa novilunium vomitum movebam cum antimoniali aliquo vomitorio: aliquando etiam ſudores movebam cum cinnabari antimonii, tinctura corallorum & ſimilibus, quæ qualitatem cephalicam habent. Tandem cùm corpus ſatis exiſtimarem præparatum, commendabam uſum lactis vaccini, in cujus ℥iij. ʒß. Saponis Hiſpanici albiſſimi ſoluta erat. Hoc lac mane ſemper jejuno bibebat ventriculo, abſtinens poſtmodum per totum diem ab acidis, idque tanto cum fructu ut brevi à moleſto hoſpite liber evaſerit; & hunc uſque in diem ſanus degat.

Singulare eſt ignem aliquando Epilepſiam curaſſe, ut ſcribit D.D. Segerus in Ephemerid. German. Ann. ij. Obſerv. 9. Et rurſus admiranda ejuſdem morbi in canem tranſplantatio, cujus hiſtoriam ex Illuſtriſſimo D. Ioële Langelotto huc tranſcribere non ingratum fuerit Ancilla gynæcii Huſuracenſis ante annos aliquot ſubitò in Epilepſiam inciderat, tanta cum membrorum convulſione & exagitatione, ut adſtantes quoſque commiſeratione afficeret, nihilque ipſa morte certiùs expectaretur, nam & probatiſſima quæque remedia fruſtra adhibebantur: Adſueverat in eodem grabato canicula dormire ex earum genere quæ planè depiles ſunt, atque ſic plumarum valde amantes: hæc itaque paroxyſmis ingraveſcentibus nihil magis quàm ſui & caloris ſecura lectum quærit, & ſe laborantis corpori applicat. Verùm illa, cùm aliquandiu eſſet in lecto commorata, ingenti ululatu noxam invaſiſſe corpus queri videbatur, ad quem ſonum converſi adſtantes productum canem eoſdem illos epilepſiæ motus, eaſdem contractiones repræſentare cum ſtupore vident, & quò magis animal hoc convulſionibus percellitur, hoc minùs affectam ancillam jamque ad ſe redeuntem gratulabundi notant. Continuarunt eæ, uſque dum animam canis efflaret. Ancilla verò inſperato hoc beneficio liberata nunquam ab iſto malo impoſterum tentata fuit, nec quoque puerpera, quando nimirum arcana fermentorum Semina erumpere ſolent, quid-

quam mali ſenſit, vel in liberos transfuſum.

De Epilepſiâ gravi, cauterio actuali curatâ, ſequentem habet hiſtoriam Iobus à Meekeren.

Quotquot mortalibus occurrunt morbi occaſionem ferè præbent ægrotantibus, querelis, ejulatu, ſuſpiriis, adſtantium aures replere; *Epilepſia*, horrendus affectus, non ſolùm Medicorum adſtantium, amicorum, conſanguineorum, ſed & ipſorum parentum Oculos, quod mirè corpora ſua agitent eâ laborantes, graviter adeò afficit, ut ægrotantes, etiam liberos, deſerere cogantur.

De origine miræ hujus miſeræque afflictionis variè inter ſe digladiantur Medicorum varii, rationes pro ſe quiſque adducit varias, aſt hactenus haud occurrit, qui nobis ſatisfacere potuit.

Rejicimus meritò vanas eorum opiniones, qui horrendi hujus affectus curationem aggredi recuſant, priuſquam de Origine ejus, ſede affectâ, periodo, & actionibus omnibus certò conſtiterit, cùm quæ de his omnibus adferuntur, incerta omninò ſint, conjecturiſque variis plena; rem acu ſe tetigiſſe ſibi perſuadent, viaque vera procedere, cùm tamen graviter errent, ab eâque longè recedant, eſt enim Medici ſapientis quæ in epileptico obſervant admirari potius, quam inveſtigare.

Egregiè adeoque *Cl. Tulpius* Epilepſiam ſexies quotidie accedentem deſcribens, variique recurſus cauſam inquirens: *Quod* inquit *in mari eſt æſtus ac receſſus, id in morbis vocatur reciprocus circuitus, quem quo comprehendis minus, eo admiraris magis, latet quippè plerumque ipſius cauſa, & abſconditi ordinis ratio defatigat etiam acutisſima ingenia.*

Juvenis 16. aut 17. annorum, per intervalla miſerè Epilepticis affligebatur motibus, adeò ut etiam parentes cubiculo in quo detinebatur, ſæpiùs exire cogerentur, quod enormes, mirandas, imò horrendas corporis partium agitationes intueri diutius haud valerent. Præcipuum, quod adſpicere arduum, linguæ erat motus indecens, hanc enim, quoties inſultus Epileptici aderant, capitiſque, ac artuum, nec non oculorum variæ perficiebantur motiones, extra os exſerere obſervabatur, adeò etiam ut vel pectori eam imponeret, effluente inſuper inſigni ſpumæ quantitate. Res hæc occaſionem plurimis dedit ſpiritus mali operâ quæcunque ab ægro peragebantur perfici, judicandi.

Media hic varia fruſtra uſurpata, cujus conditionis ſanguis ex alterato homine extractus, pulvis cranii hominis violentâ morte extincti præparatus, aliaque arte chymica, parata, extracta, &c. etiamſi & pretio ſatis magno venirent, & virtutis excellentis in hoc caſu habita fuerint.

☞ Vocatus ego, ut ſetaceum applicarem ægrotanti, aſt, non niſi in conſilium adducto *Clar. Dn. Franciſco van der Schagen.* Medico hujus loci eximio, ad operationem hanc devenire placuit. Conſultatione habitâ, ſetacei loco fonticulum ſuturæ coronalis commendavimus, ſic fore ſperantes ut quicquid halituoſi capite concludebatur, exitum inveniat. Modum

d hunc

hunc evacuandi humores ſuperfluos, excrementitios, variorum malorum variis in partibus corporis, cauſam valdè extollunt *Marcellus Donatus lib. 2. Hiſt, mirab. cap. 4. Marcus Aurel. Severinus pyrot. Chirurg. l. 2. part. 1. c. 6. Lazarus Riverius cent. 2. obſerv. 93.* Videri etiam poſſunt quæ de ſingulari ejus uſu habent *Aquapendens* & *Tulpius.*

Primò deraſis capillis, filum ſericeum duximus ab auris dextræ cavo ad cavum ſiniſtræ per medium capitis, hinc aliud à radice naſi per medium oſſis frontis & verticis ad nucham, ubi concurſus erat filorum habebatur nobis (uti revera eſſe certi ſumus) concurſus ſuturæ ſagittalis & coronariæ. *Aquapendens* altiorem hîc eligit locum *Oper. Chirurg. p. 1. c. 1. Quod ſi enim,* inquit, *concurſus ſuturæ coronalis & ſagittalis loco dicto non daretur, ſagittalis ſutura certò adeſſet.*

Ad locum ſignatum cauterium benè ignitum forti manu applicavimus, ſic ut os ipſum combureretur; parti cauterizatæ plumaceolum eum *Vng. Baſilico* applicavimus cui ſuperimpoſuimus ad refrigerationem *Emplaſtr. Diapalma* diſſolut.

Proximo die, remotum plumaceolum invenimus ex humore quem receperat benè madidum, quod etiam ſequentibus diebus notavimus uſque ad ſextum, quo & eſchara ſeparabatur, & morbus terminabatur, quem tamen, iam à primo tempore quo cauteriſatio inſtituta, ſublatum obſervaveramus.

Foramini quod reliquerat Eſchara ſeparata ſingulis diebus imponebatur piſum, & hac methodo, quo humoribus hîc congregatis exitus daretur, diu ſervabatur apertum, uſque dum tandem carni ſuccreſcenti locum concedere coactum piſum, nec metus ullus recidivæ.

APPENDIX AD CAP. I.

De Epilepſia Infantium.

Infantium motus convulſivi ab Adultorum Epilepſia multùm differre non videntur. Eadem utrique morbo convenire poteſt definitio. Eadem pars primario affecta. Eædem propemodum differentiæ. Sunt tamen qui exiſtiment in Epilepſia puerorum cerebrum Sympathicè duntaxat ut plurimum affici, fomitemque morbi, ſeu cauſam materialem, in ventriculo, inteſtinis, alibique extra cerebri cancellos, hærere. Ac ſanè nullum eſt dubium quin lac corruptum, lumbrici, pituita inteſtinalis acidior, bilis acris & æruginoſa, dum ventriculi aut inteſtinorum fibras teneriores vellicant, motus convulſivos producere apta nata ſint. Eoque facilius in eam adduci patiemur ſententiam, quòd venena ferè omnia, quæ acrimonia ſua ventriculum lancinant & corrodunt, motus epilepticos una eademque opera ciere videamus, & idem à Viro Clar. Ioh. Iac. Wepfero ſumpta occaſione à Cicuta aquatica, ſuper varias Toxicorum ſpecies, imò & ipſa cathartica fortiora, aut in majori doſi exhibita, ante aliquot annos pluribus experimentis obſervatum ſit. Verùm difficultatem non

non levem pariunt aliæ Clariſſ. Williſij Obſervationes, qui cauſam Epilepſiæ intra coctionis viſcera & primas vias, dum infantium hoc morbo donatorum cadavera aperiret, fruſtrà ſemper quæſiviſſe, aſſerit; quin contrà multorum capitibus laticem ſeroſum, intra cavitatem cerebello ſubiectam coniectum & membranam qua medulla oblongata inveſtitur, diſtendentem, nervorum origines inundaſſe; in quibuſdam aliis nulla huius morbi veſtigia apparuiſſe vidit. Adeò, inquit ille, quod ſpiritibus accreſcens eos ad exploſiones irritat interdum imperceptibili prorſus conſtat mole, & originem tam occultam habet, ut vel perſpicaciſſimum viſus ſcrutinium omnino lateat. Hunc nodum ſolvere qui ſataget reſpondere poterit tantam non requiri irritationem, aut corroſionem in tenellis infantium corporibus ad ſpaſmos producendos, quæ viſu dignoſcendam in eorum ventriculo labem inurat; nec neceſſarium eſſe ut humores, arſenici, aut Mercurii ſublimati naturam omnino induant, ut Epilepticos ſubſultus excitent. Nec contrarium evincit lympha in cerebri cavitatibus reſtagnans; Epilepſiæ ſiquidem (quod ipſe Williſius de ſanguine intra cerebrum in Apoplexia extravaſato obſervat) lympha iſthæc potius effectus quàm cauſa eſſe poteſt. Saltem quæ tempore dentitionis accidunt epileptica ſymptomata à nervulorum ad gingivas tendentium fodicatione oriri, nemo inficias iverit. Non negandum tamen cerebrum in hoc affectu primariò quandoque, ſeu idiopathice affici, ut cum v. g. terrore ſubitò perculſi pueruli in eum incidunt. Idem forſan dicendum de modò natis, aut ſaltem nondum bimeſtribus, quos Epilepſiæ maximè obnoxios eſſe exiſtimat Clar. Willis, propter mala ab utero contracta, & ſanguinem ſuccumvè nervoſum originaliter vitioſum. Quanquam id potiùs ita contingere putaremus, quòd tunc temporis ſpiritus animales novos ſibi & inſolitos nervorum calles aperire cogantur, prout nimirum à novis & nondum aſſuetis objectis feriuntur infantes à paucis diebus in lucem editi. Vix enim concipere poſſumus ſpiritus per tot tamque varios nervulorum anfractus ultrò citroque meare nondum inſtitutos, & rudes adhuc, tam difficilibus muniis, ſine tumultu aut confuſione aliqua, ſemper defungi poſſe. Qui mollia Embryonum cerebra tractaverint, cæcos pultaceorum, ut ita dicamus, nervorum poros, ſpiritibus admittendis aptos evadere, ſerumque iners acumen acquirere, ſeu exaltari & volatiliſari, (ut loqui amant Chymici) ſine prævia quadam fermentatione ægrè concedent. Quidni ægro interdum contingat ut ejuſmodi fermentatione ſpiritus tranſverſùm agantur, aut efferentur, fibræque ſenſiles irritatæ, ſpaſmos & contractiones maſculorum violentas producant. Si quis dicat omnes Infantulos hoc morbo in vitæ ingreſſu non tentari, quod utique fieri deberet ſi vera eſſet noſtra ſuppoſitio. Reſpondemus primò tumultuoſum illum ſpirituum motum, ſeu fermentationem omnibus perinde funeſtam non eſſe, ſed corpora excrementis ſcatentia hanc maximè ſubire, ut & alia quæ

ante ſolitum novem menſium terminum in lucem eduntur, & quorum nervi præ teneritate novum ſpirituum impetum ſuſtinere non poſſunt. Et hæc de Epilepſiæ puerorum cauſis dicenda habebamus.

Diagnoſim quod ſpectat, eadem ferè ſunt ſigna quæ in adultis. Diſtinguunt medicaſtræ noſtrates inter Epilepſiam albam & Epilepſiam violaceam, ſeu lividam, primamque ſpeciem periculoſiorem eſſe dicunt; forſan quia faciei lividitas, non tam veneni epileptici malignitatem quàm ſanguinis, & præcipuè in cerebri exterioribus, impeditam circulationem, quæ remediis ſolvi faciliùs poteſt, arguit.

Indicationes è ſupra memoratis cauſis deſumendæ.

Curatio in quibuſdam familiis huic morbo obnoxiis anticipanda, neque expectandum, donec in eum incidant puerufi. Uſurpantur propterea remedia prophylactica, interque ea primas tenet cauterium nuchæ inuſtum tribus aut quatuor diebus à nativitate; *eſtque tam frequens*, teſte Fabricio Hildano, *hujuſmodi chirurgia in quibuſdam regionibus, ut Florentiæ, vel nulli, vel certè pauci ſint pueri qui hanc chirurgiam evadant, quæ, uti tutiſſima eſt, ita ſtrenuè humores pituitoſos ſupervacuos, in cerebro conſiſtentes revellit & expurgat.*

Si infans temperamentum ſanguineum & vultum floridum habeat, ſuadet Clariſſ. Williſius hyrudinum venis jugularibus applicationem, qua ſanguinis ℥iß. vel ℥ii. educantur. Et quandoquidem ventris tormina ſubſultus epileptici non rarò ſequuntur, utrumque præcavere ſolent mulierculæ, dum ſtatim à nativitate quò inteſtina lubricent, butyrum inſulſum cum ſaccharo, oleum amygdal. rec. cum ſyr. capill. vener. ipſis exhibent. Oleo ſæpiùs addo aliquid ſyrupi vel roſar. ſol. ſimpl. vel florum perſicor. non omiſſis, ſi materia viſcoſior minùs cedat, clyſteriis eam diluentibus faciliusque educentibus; poſtea guttulas aliquot vel ſal. volat. aromatici & amari liquidi, vel armoniac. ſimpl. vel ſanguin. hum. &c. aquæ lilior. convall. ſaccharatæ immiſtas ex cochleari per intervalla propino.

Si Epilepſia actu corripiantur infantes, & cauterium nondum inuſtum ſit, quamprimùm inuratur, & quidem candente ferro; hac ſiquidem uſtione ſpiritus efferari compeſcuntur, & potentiſſimè revelluntur. Quod ſi cauſticum jampridem applicatum ſegniùs operetur, ipſi veſicatoria ſuppetias veniant. Clyſteres in paroxyſmo ſummopere conducunt, ut & vomitoria volatilibus & anodynis temperata. Conveniunt & ferè omnia medicamenta in Epilepſia adultorum præſcripta minori doſi exhibita. Pulvis guttetæ ſeu Marchionis præ cæteris commendatur à quibuſdam, ut & fel catelli lactantis ex aqua tiliæ propinatum, Empyricus quidam florem ſecalis pulveriſatum ad ℈i. ex aquis appropriatis pro maximo ſecreto habebat, eoque etiam adultos curaviſſe aſſerebat.

Nutricibus vino interdicatur, eiſque medicamenta appropriata propinentur. Lacticiniorum & pultis uſus, forſan minùs bene, à quibuſdam damnatur, & eorum loco panatellæ, ova,

ova, juſcula, & offulæ, ſubſtituuntur.

Hartmannus pro devitanda Epilepſia prægnanti exhibet aquam vitæ mulierum, ſeu balſamum embryonatum Pharmacop. Auguſtana deſcriptum, poſtque illum maioris ſecuritatis ergo pulverem, è ſpina dorſi muſtelæ vivæ & crudæ, probè mundatę & ſiccatę, cuius ℥j. cum totidem magiſterii corallor. atque perlarum unciis Miſcer. Doſ. quantum cultelli mucro capit in pomo aſſato.

Pueri, idem addit, ab Epilepſia præſervantur, vel prorſus liberantur. Si ipſis modo natis ſequentis pulveris ſemidrachma exhibeatur. ℞. Stercus vaccæ nigræ adhuc calidum. Inde ollæ novæ, & calcina.

Spiritus vitrioli antepileptici puerorum ſequentem habet deſcriptionem idem Hartmannus in notis ad Baſilicam chymicam Crollii. ℞. Vitrioli Hungar. depuratiſſ. ℔iv. adde urinæ ſanorum puerorum recenter collectæ ℔viij. digere vaſe clauſo aliquandiu in balneo marię, poſtea in eodem deſtilla ad ſiccitatem duplex phlegma, quorum primum inſigne eſt paregoricum ad dolores podagricos, alioſque ſuaviter demulcendum, alterum eſt inſigne ophthalmicum, ad quævis oculorum vitia utiliſſimum. Caput mortuum pulveriſatum, ex retorta terrea valida, igne nudo, ſed tamen ab initio valde lento, in excipulum capax urge. Prodeuntibus confertim ſpiritibus liquor emanat pretioſiſſimus ſulphurei odoris & auſteriuſculi ſaporis, qui per retortam ſemel atque iterum rectificatus, ac probè in vitro clauſo reſervatus, omnem puerorum epilepſiam radicitùs tollit. Ejus ℈j. cum aq. rad. pœon. & flor. tiliæ āā ℥j. miſceantur & ſerventur. De hac miſtione exhibe in paroxyſmo, priùs membris contractis & convulſis reductis, cochleare ſemis, & paulò poſt recollectis ſenſibus, ad ſe redibunt, quo animadverſo, denuò aliquid exhibe, atque ita etiam tertiò. Quòd, ſi quidem paroxyſmus rediturus ſit, ut ſæpè fit, eundem proceſſum ter repete, nec diffide quin ſecunda vice hic morbus pueris & infantibus valde familiaris penitùs radicitusque aboleri poſſit, ſi præſertim poſtea cerebrum confortantia adhibita fuerint, ſeu ſunt, magiſterium perlarum, corallorum, cranii humani, &c.

Pulverem antepilepticum puerorum D. D. Pauli Podchoſcinski ſic deſcribitur in faſciculo medicamentorum ſingular. Clar. Cnoëffelii. ℞. C. C. raſpati, & cum decocto ſemin. cinæ & corallinæ ſæpiſſimè inſuccati, rhabarbari, ſacchari mercuriſati āā partes æquales. f. omnium pulvis ſubtiliſſ. qui in expellendis vermibus & lumbricis inſignis eſt, ſi ʒj. in lacte adhibeatur. Iam ℞. pulver. præſcripti ℈j. oſſis triquetri raſpati & in ſubtilem pulverem redacti ℈j. M. F. pulvis in epilepſia infantium ſympathica ex vermibus orta.

Una eademque ſeptimana duos habui curandos infantulos epilepticos annum circiter unum natos, poſt aliquot horas uterque, ex pulſu, aliiſque exterioribus ſignis mortuus ab aſſiſtentibus mulierculis credebatur. Naribus primò admovebam ſpiritus acriores ſc. C. C. viperarum, ſanguin. humani, (omnibus enim iſtis, ut & aliis nunquam careo) iiſdem inſufflabam aliquid pulveris cephalici

d 3 meæ

Cap. II.

De Apoplexia.

I. A*Poplexia* eſt mentis conſternatio cum ſenſuum externorum &motus abolitione.

II. *Pars affecta* eſt Cerebrum cum ſuis nervis.

III. *Differentiæ,* Idiopatica eſt vel ſympathetica, fortis vel levis; vera vel nota.

IV. *Cauſa* eſt Lympha craſſior magna ex parte nervos obſtruens (*a*)

V. *Signa*

meæ compoſitionis, è liliis convall. flor. tiliæ, fol. betonic. roriſmar. ſalv. ocimi, majoran. rad. irid. florent. pauco ellebor. alb. & oleo rutæ & ſuccin. confecti. Eodem tempore clyſterem acriorem injici curabam, ſicque aliquatenus excitato cerebro, redeunteque pulſu, prius omnino ſuppreſſo, ſanguinem ad ℥ij. & circiter tres, per lanceolam è vena brachii ſatis commodè educebam, poſteaque vomitorium pauco purganti infuſo cum volatilibus ſpiritibus admiſtum propinabam; unde diſcuſſis particulis hæterogeneis cerebro & nervis impactis, munia repetebant ſua cum aliqua obnubilatione, & ſubſultuum leviorum per intervalla redeuntium tumultu, quæ ulterius profligabantur continuato ſubindè per dies aliquot uſu aquar. lilior. convall. flor. tiliæ & pœoniæ cum Syr. Stœchad. arabic. & pauxillo ſpir. ſanguin. hum. ad cochleare unum, ut & clyſteriorum, pro exigentia. Sicque ab orci faucibus contra omnium ſpem, quaſi erepti, jam hilares & bene ſani vivunt.

(*a*) *Non tantum lympha craſſior, verum etiam pituita viſcida, nec non ſanguis, ut Platerus aſſerit p. m.22. omniſque materia viſcida in cerebro contenta; nec non à delapſu ex ſublimi, vel concuſſione, vel colapho (ut obſervavit G. Fabr. Hildanus Obſervat.* xiv. *Centur.* vi. *p. m.* 507.) *vel mærore & animi conſternatione ſubita, ut idem probat p.* 508. *vel ex conſueta hæmorrhagia narium ſuppreſſione, ut memoratus expertus refert obſervat.* xi. *Centur.* iii. *p.* 192. *&* 193. *vel ſanguine extravaſato, ex vulnere imprimis ipſius cerebri; Plures qui vult cauſas adeat Doctiſſimum Platerum praxeos p.m.* 22. 23. *&c.*

Optimè hic aſſerit Clariſſimus D.D. Deckers lympham craſſiorem non eſſe unicam Apoplexiæ cauſam, interea tamen dum alias addit, rationem minime reddit, cur delapſus ex ſublimi, vel concuſſio, &c. illam producere queant? Nos credimus ſic vaſa quædam, aut etiam tubulos nerveos, lacerari, vel comprimi, unde repreſſo ſanguinis affluentis regreſſu inundatur cerebrum, & ſpiritus animales, dum vias ſuas impeditas reperiunt variis modis ita reflectuntur, ut ſenſationi perficiendæ & motibus illi inſervien-

V. *Signa Diagnoſtica.* (*b*) Homo ante ſcilicet ſanus, plerumque ſubitò, interdum ſenſim concidit, cum ſenſus, motus & vocis ablatione nunc imminuta, nunc totali, (*c*) ſola reſpiratione eaque difficili, remanente. Dormit profundè, imò ſtertit. Membra laxa elevata concidunt ſuo pondere inſtar mortuorum. Oculi ſuſpenſi ſunt vel clauſi; pulſus interim fortis eſt & plenus, quod multos in Prognoſtico, imò antehac me ipſum decepit. [a] Reſolvitur ani & veſicæ Sphincter.

VI. *Pro-*

ſervientibus continuandis impares evadant. Propterea ſtrangulati pereunt apoplectici, quia compreſſis jugularibus totus impeditur ſanguinis per carotidas & vertebrales in cerebrum delati recurſus, & ſæpiùs canes ligatis jugularibus ita enecavimus, ut priùs apoplectici evaſerint, ſic etiam aliquando ſanguis vino bene epoto excalfactus atque in cerebrum pleno impetu pergens, dum per illud eadem quantitate percolari nequiret, ut in venas procederet, in ejuſdem ſubſtantiam ita effundebatur, ut ſiderationem procrearit. Præterea conſternatio ſubita, & concuſſio, Spiritus animales cerebri incolas ita exagitant, ut animæ imperii obliti motus voluntarios non exequantur, & propter enarratas rationes inſenſibilitatem in toto procreent. Intenditur interim reſpiratio, partim quia ſpiritus tumultuariè tantùm functiones ſuas naturales exercent, partim etiam quia permanente morbo languet cordis motus, nec ea vi ſanguinem è dextro ſuo ventriculo protrudere poteſt in pulmones, qua impeditas viſceris hujus vias, varioſque mæandros libere pertranſire valeat: præterquàm quod itidem arteriarum motus periſtalticus ulteriori ſanguinis expulſioni inſerviens debilis nimium evadat, ſicque minus bene officio fungatur; Propterea ſanguis in pulmonibus aggeritur & reſpirationis vias ita occludit, ut non mirum ſi ea & difficilior & violentior, ut in aſthmaticis, fiat.

(*b*) *Signa* imminentis *ſunt aliquando nulla; ſed hiſce in Regionibus ſæpè lethargus præceſſit aut vertigo, quare apoplexiæ prodromi dicuntur; ſcotomia incubus, tremor totius corporis, ſtridor dentium in ſomno, gravedo capitis; & quod notandum ſemper ferè inter nicotianæ uſum corripiuntur, quod bis terve cum Authore obſervavimus.*

(*c*) *Sic diſtinguitur* à caro, *nam caro affecti ſentiunt, nec tam ſubitaneus quoque morbi inſultus*: à lethargo, *quia eſt ſine febre, & excitatione*: à ſuffocatione hypochondriacâ *vulgò uterinâ dicta &* ſyncope, *quia obſervatur cum membrorum laxitate, pulſus plenitudine, & facie colorem retinente, & abſque ſudore frigido, qui in ſyncope ſemper frigidus & viſcidus obſervatur.*

In illis omnibus apoplecticis quos videre mihi contigit, pulſus incurrente morbo ſatis quidem plenus & fortis

depre-

VI. *Prognoſtica*, Apoplexia malum curatu eſt difficile, ſed faciliùs curatu alterantibus, quam purgantibus vel venæſectione. (*d*) Si à difficili reſpiratione ſudor ſuperveniat, præſertim frigidus, lethale. [b] Febris acuta melior lentâ vel mediocri. Solvitur ſæpè, motu ſc. Critico, in Paralyſin: interdum per ſalivationem, Lymphâ nempe craſſiore ſic purgatâ excretâque vi naturæ. (*e*)

VII. *Indicationes*. Lympha qualitate peccans temperanda & craſſitiem propter incidenda; quantitate noxia evacuanda; (*f*) ſic majori copiâ ſpiritus animales generabuntur, faciliùſque in partes ſenſibus motuique dicatas fluent. [c]

VIII.

deprehendebatur; ſed eodem aliquatenus perdurante impeditus fiebat, intermittens & omnino inæqualis.

(*d*) *Non inſtituitur curandi ipſam apoplexiam, ſed ſanguini immoto & ſtagnanti (ut ſic loquar) motum conciliandi gratiâ.*

Scribit Celſus l. 3. c. ultimo Sanguinis detractio in Apoplexia vel occidit vel liberat, aliud verò curationis genus vix unquam ſanitatem reſtituit, ſæpè mortem tantùm differt, vitam interim infeſtat. *His addit* ſi poſt ſanguinis miſſionem non redeat & motus & mens, nihil ſpei ſupereſſe; ſi redeat, ſanitatem quoque reſpici.

[b] Peſſima eſt Apoplexia in qua non tantum deſtruitur motus voluntarius, ſed etiam pulſus, & reſpiratio aut deficiunt, aut laborioſè peraguntur, & tunc plerumque cum ſpuma oris & ronchis contingit.

Hic adnotat Excellentiſſ. VVilliſius, Qui ſiderati mox pulſu & reſpiratione privantur, & animam exalaſſe videntur, non ſtatim lecto eximantur, aut adminiſtrationibus medicis deſtituantur: Porrò quamvis vitæ ſpes nulla affulſerit, non niſi poſt tres aut quatuor dies ſepulturæ mandentur, quippè tales non nunquam reviviſcunt: non certè propter calorem vitalem denuò in corde exſuſcitatum, (namque hic non penitus diſperiit) ſed quatenus materie morbifica evaporata (*aut ſpiritibus in cerebro ſedatis*) Cordis motus, tanquam horologii ponderibus appenſis, redintegratur.

(*e*) *Per excitatam ſalivationem ipſam apoplexiam, aſt levem curatam vidimus, nullâ remanente paralyſi, aſt pro tempore tantum partium quiſpiam ſtupor, ut ex obſervationibus ſtatim dandis patebit. vid. Hippocratem aphor. 51. & 57. ſect. VI. ut & C. Celſum p. m. 76.*

(*f*) *Imprimis reſpiciendum ad cauſas* §. 4. *datas, quibus conſideratis & cognitis, faciliùs cura inſtitui poteſt.*

[c] Adde ſpiritus etiam ad munia ſua eſſe revocandos & ſanguinis è cerebro regreſſum facilitandum: ſicque complebuntur variæ indicationes quæ ex variis hujus morbi cauſis deducuntur.

(*g*) *Cum*

VIII. *Curatio.* (*g*) Membra, pedes puta atque manus, ob Lympham ad Cor fluentem fricentur moderatè. [d] Tempora oleis deſtillatis inungantur, ut & nucha, medulláque ſpinalis. (*h*) Cucurbitulas, non niſi rariſſimè probo, ut nec venæſectionem. (*i*) Clyſteres, Epicarpia, ſupplantalia, ſuppoſitoria (*k*) concedo, licet non niſi per accidens iuvare poſſint; Purgantia vero ſummè neceſſaria abundantibus turgentibúſque humoribus; ut & alterantia peccantibus iiſdem qualitate. (*l*) Somnus arcendus, ideoque narcotica omnia noxia. (*m*)

(*g*) *Cum prognoſtico inſtituenda, exploratâ primum vitâ vel per candelam accenſam feneſtris clauſis, (ſi ex pulſu dignoſci nequeat) naribus admotam, vel per plumam ſpeculumvè ori appoſitum, an ſcilicet moveatur vel maculetur, hiſce probatis, licet nullum vitæ indicium appareat, ante triduum tamen non ſepeliendi, quia ante illud tempus revixiſſe obſervati ſunt.*

[d] Membra fricentur, non tantum ob lympham ad cor fluentem, ſed etiam ut ſanguinis motus languidus acceleretur, & ſpiritus animales ad partes ſenſui & motui deſtinatas aliquomodo retrahantur, ſicque ut & aliis mediis renovetur relatio inter animam & corpus quæ mediantibus ſpiritibus perficitur, quæque durante perturbatione ſuperius deſcripta quaſi perierat.

(*h*) *Ut ſpecificum ſequens commendamus linimentum.*

℞. *Ol. ſuccin.*
Spic.
Caſtor. ana, ſcrup. ij.
Flor. Hyperic.
Succ. rutæ expreſſ. ana. drachm. iij.
M.

Quo non tantum in apoplexiâ, verum etiam in epilepſiâ, lethargo, &c. cum ſucceſſu fuimus uſi.

[*i*] *Videantur, quæ diximus circa* §. IV. *de venæſectione.*

Venæſectionem cum Celſo facimus dubiam, ſed tamen neceſſariam credimus pro liberando & evacuando, ſi poſſibile cerebro, eum in finem iugulares aperientur venæ; ſectione in pede priùs, vel eodem tempore inſtituta, ut, dum pars affecta evacuatur, derivetur circulatio ſanguinis ad partes inferiores, ſicque illius ad partem oppreſſam novus appulſus præpediatur.

(*k*) *De clyſteribus & ſuppoſitoriis hæc nota, quod in apoplexiâ duplo ferè acriores eſſe debeant quam quidem in aliis non ſoporiferis morbis, juvare poſſunt, quia excitant & pituitoſos eliciunt humores ſtagnantes, à quibus ſæpè apoplexia ortum ducit, ut* §. 4. *probavimus.*

(*l*) *Hoc in caſu obſervandum, purgantia in duplici doſi ſpecificiſque ant' apoplecticis mixta eße exhibenda, ut ita unâ eademque fideliâ humores qualitate, quantitateque peccantes expelli queant.*

(*m*) *Quidam vomitoria maximè*

e lau-

Medicamenta Ant'Apoplectica.

Rad. Angelicæ, Imperatoriæ, (*n*) Ireos noſtrat. & Florent. Galangæ, Pyrethri. Lavendula, roſmarinus, hyſſopus, Iva Arthetica, ruta, ſpica, ſalvia, origanum, majorana, diureticaque & cephalica dicta omnia. Flores liliorum, lavendulæ, arantiorum, ſpicæ, ſtœchados. Baccæ juniperi. Grana-Kermes. Cubebæ, cardamomum. Semina carui, ſinapios. Nux moſchata. Garyophyllum, Cinamomum, zinziber, piper. Balſamum Peruvianum, zibethum; moſchus, caſtoreum, Opobalſamum. Aqua lil. convall. juniperi, petroſelini, ſalviæ, Apoplectica Anhaltina, Crollii, Mynſichtii, Riverii, Quercetani. Spir. ceraſorum nigrorum, formicarum, cranii humani, ſanguinis hum. lilior. convallium. (*o*) Eſſentia ambræ, caſtorei, ſuccini. Elixir. Pœoniæ Mynſichtii. Syr. florum Anthos, Ol. ſuccini, lavendulæ, ſalviæ, ſpicæ, garyophyllorum, ligni heracleotici. Conſerva arantiorum, anthos, menthæ. Confectio Anacardina. Balſamus Apoplecticus, cephalicique omnes. Magiſterium cranii humani, ſuccini; ſal Apoplecticum Mynſichtii ejuſdemque Rotulæ ſmaragdinæ, &c. Elix. Vitæ noſtr. deſcriptionis. [c]

laudant, & inprimis ex antimonio, ut crocum metallorum & inde paratam aquam benedictam, vitrum antimonii, &c. item ex antimonii butyro Mercurium vitæ, de vomitoriis belle diſcurrit Riverius praxeos lib. 1. *cap.* 2. *p. m.* 23. *&* 24. *Attamen rectè VV. Hoeferus in ſuo Hercule medico: cave à vomitoriis, niſi æger ſtatim à cibo fuerit apoplecticus factus, & eodem tempore medicus accerſitus ſit.*

(*n*) *Ex quibus radicibus apophlegmatiſmum paratum expertus commendo, ut videre eſt in obſervationibus ſecuturis.*

(*o*) *Imprimis ſpiritus ſalis armoniaci, ſaliſvè tartari volatilis fœtidus diaphoreticumvè inperacutis ſeu mixtura ſimplex, ex ſpiritus theriacalis camphorati part.* 5.

Tartari rectificati part. 4.

Vitrioli rectificati part. 1.

Invicem mixtis & in digeſtione per aliquot ſeptimanas relictis.

[c] Remedia Apoplectica compoſita eaque ſelectiſſima vide in faſciculo medicamentorum ſingularium, Nobiliſſimo atque Illuſtriſſimo Cnoëffelio præcipuè adſcribendo & A. *6.* & 7. Miſcell. Curioſ. adjecto. Vt & medicamenta varia ſelectiora in Hartmanni Praxi Chimiatrica deſcripta. Electuarium Timæi contra Apoplexiam, Epilepſiam & omnes ſoporoſos affectus, item contra ſuffocationes uteri, hoc eſt. ℞. Sal. volat. ſuccini ʒß. theriac.

Medicamentorum Præparantium Formulæ.

℞. *Aq. Antiparalyt. Prophylactic. an.* unc. j. ſ. *Betonic. unc.* ij. ſ.
Syr. de ſtœchad. drachm. x. *M.* bibat. cochleatim.

Vel

℞. *Elix. vitæ noſtr. deſcription. drachm. i.*
Bibat in vino cereviſiave quater de die guttas 6. vel 8.

Vel

℞. *Sal. Cranii human. ſcrup.* j.
Detur in Vino, bis de die.

Spiritus ſalis dulcis ritè præparatus magnæ eſt efficaciæ, continuò in Vino potuvè aſſueto ad guttas 10. vel 15. aſſumptus. (*p*)

Medicamentorum Purgantium Formulæ.

℞. *Reſinæ Agarici. Extract. catholic. an.* gr. vij. *Sal. Tart. vitriolat.* g. iij.
Ol. roriſmarin. (*q*) gutt. ij. *M. S. F. Pil. Num.* iiij. *deaurent.*

Vel

℞. *Rad. Ireos noſtrat.*
Fol Senn. mund. an. drachm. ij. *Agaric. leviſſ. drachm.* ſ. *Sem. pæon. ſcrup.* j.
Coq. ex aq. betonic. in Colat. unc. ii. ſ. diſſolve.
El. diacartham. drachm. ij. ſ. *Ol. roriſmarin.* g. j. (*r*) *M. S. F.* Hauſtus.

℞. *Sal. Tart. vitriolat. gr. vj. Scordii ſcrup.* j. *Reſinæ agaric. gr. viij.* (*ſ*)
Sacchar. perlat. drachm. ſ. *M. S.*

riac. Androm. ℥jß. pulv. caſtor. ℈ij. olei deſt. rutæ, ſuccin. roriſm. ãã. gr. iii. M. F. Electuarium, diſſolve quantum cuſpis cultelli capit, in aqua quadam Apoplect. vel Epilept. & ægro infundatur, ut deglutiat, ſimulque palatum ac linguam eodem electuario fortiter frica.

(*p*) *Videlicet ad præſervationem, & quidem ad drachm.* ſ. *in potu, vinovè ſalviato, ſerpillato, cephalicovè medicato alio. Ego verò ſpiritum ſalis armoniaci cum aquâ ex ſerpilli & lavendulæ comatibus deſtillatâ aſſumptum præferrem.*

(*q*) *Omnibus purgantibus in affectibus ſoporiferis, ut apoplexiâ, lethargo, &c. addatur caſtorium in ſubſtantia ad ſcrup. j. imò ad ſcrup. ij. cum ſcrup. j. ſcammonii exhibet Trallianus, ut teſtatur Riverius loco citato p. 23.*

[*r*] *Potius adderem oleum ſuccini deſtillatum, vel ſal ejuſdem volatile, nam ab omnibus tanquam experta commendantur: quod quoque hæc efficere poſſint, in apoplexia, epilepſia, lethargo, &c. experti teſtantur Practici.*

(*ſ*) *Experientia certior redditus omni-*

M. S. F. Pulvis tenuis in Vino Gallico vel Rhenano aſſumendus:

IX. *Obſervationes.* 1. Iohannes Abeels Vir quadraginta plus annorum, plethoricus, obeſus, ſed robuſtus, hora decima nocturna, mediocriter cœnatus, inter nicotianæ uſum ſubitò in Apoplexiam cadens, dormiebat altum. Conſilio mei magis vicini Medici vena ipſi ſecta erat antequam ipſi potuerim adeſſe. Præſcripſi externa medicamenta & interna, ſed hora prima eiuſdem noctis ceſſit fatis.

2. Michaël Calvo Hiſpanus ſexagenarius, phlegmaticus, magnæ notæ vir, inſtituta bis conſilio Medici Hebræi, venæſectione, brevi poſt lumine caſſus eſt.

3. Anus ſexaginta quinque annos nata, fit poſt vertiginem apoplectica. Volebant adſtantes ut ipſi ſtatim ab experto Chirurgo Auguſto Meyero ſecaretur vena, quam vocatus ego ut & ille improbavimus. Uſa eſt mixtura & purgantibus ſupraſcriptis, iiſque paucos intra dies convaluit. *(t)*

Cap.

omnibus reſinam colocynthidis ut & extractum ellebori nigri cum caſtoreo pulveriſato mixtum in aqua ſalviæ, vel lavendulæ, vel roriſmarini, aliavè cephalica diſſolutum commendo, purgat enim quàm optimè, maximéque excitat, incidit, atque ex intimis abſconditiſque corporis penetralibus pituitam elicit, pro ſtimulo additur tartarus vitriolatus, maxima incidendi vi præditus.

(t) Mulier quædam 52. annos circiter nata, ex animi mœrore gravi, manè ſurgens, maximo cum clamore ſubitò corruit, cum ani & veſicæ ſphincteris reſolutione, ſtertore, pulſu pleno, attamen aliquouſque celeriori, oculis torvis immotis adſtantes aſpiciens, cum omnium partium motus ablatione, non autem ſenſus, nam puncta membra parum retrahebat; ore ligno aperto primò ſequentis mixturæ ori infundi juſſimus, cochleare unum vel alterum.

♃ *Aq. ſalv.*
Lavendul.
Ant' epileptic. ana unc. j.
Tinctur. caſtor. drachm. ſ.
Spir. ſal. armoniac. ſcrup. j.
Ol. ſuccin. gutt. viii.
Syr. ſtœchad. unc. i.
M.

Nucham & tempora & nares inungi curavimus linimento §. VIII. *p.* 22. *commendato.* 2. *Hoc enema, ut quàm citiſſimè coquatur & iniiciatur præſcriptum fuit.*

♃. *Herb. rut.*
Centaur. min.
Origan.
Salv. ana. M. i.
Rad. ariſtoloch. rot.
Elleb. nigr. ana. drachm. iii.
Cyclam. drachm. ii.
Sem. cartham.

Aga-

Agaric. in petia ligat. an. drachm. ii.

Pulp. colocynth. drachm. ſ.

Coq. ſ. a. in ſ. q. aq. communis, Colatur.

℞. *Unc.* vii. *in quibus diſſolv.*

Elect. hier. picr. cum agar. unc. i.

Sal. rut. drachm. i.

Caſtor. ſcrup. i.

Mellis anthoſ. unc. i.

M. F. Ænema.

Quidam in petia croc. metallor. ſcrup. j. *legari & una cum dictis cephalicis ac purgantibus coqui jubent, maximéque tales clyſteres commendantur ab Authoribus, quo iniecto poſt horam multum pituitæ viſcidæ unà cum excrementis excrevit; interim continuò ferè uſi fuimus mixtura ſupradicta; ſecundo die, ſequentibuſque, deindè diebus radicem Imperatoriæ contuſam linguæ & circa dentes molares imponi curavimus, quo multum tenacis viſcidæque pituitæ elicitum eſt.*

Tertio die, praſcripſimus purgans ſequens, quod

℞. *Extract. elleb. nigr. gr.* xvj.

Reſin. colocynth. gr. iij.

Sp. ſalis armon. gutt. vj.

Caſtor. pulveriſ.

Tartar. vitriolat. an. ſcrup. ſ.

Aq. ſalv. q. ſ.

M. Pro hauſtu.

Quo optimè purgata; nobiſque reſpondit, aſt lingua tremula, quare praſcripſimus ſpiritum aniſi optimum cum ſpiritu ſerpilli mixtum, quo lingua & totum colluebat os, cujus beneficio multum viſcidæ materiæ iterum excrevit, ſenſimque linguæ tremor evanuit, remanente poſt affectum motus ſenſuſque partium imminutione, ſtupore videlicet ut & tremore, non verò paralyſi; pro corroboratione partium omnium, motuſque & ſenſus imminutionis curatione ſequens praſcripſimus vinū medicatum.

℞. *Rad. Angel.*

Irid. florent.

Ariſtol. rotund. ana. drachm. iij.

Fol. Salv.

Origan.

Majoran. nob.

Puleg. ana. M. j.

Senn. mund. unc. i.

Flor. Lavendul.

Hyperic. ana. p. j.

Agar. alb. drachm. iij.

Bacc. junip. unc. j.

Cubeb.

Cardamom.

Nuc. moſchat.

Cinam. ana. drachm. j. ſ.

Sal. tartar. drachm. j.

Conciſa, & craſſo modo contuſa inſuantur ſacculo, & vini Rhenani Gallicivè pint. iiij. *affundantur, huius ter de die bibebat. unc.* ij. *infuſis ſingulis vicibus gut.* x. *ſpiritus ſalis armoriaci; quibus, Deo annuente, curata.*

Duos adhuc vidi, inter nicotianæ uſum, factos apoplecticos, in quibus eadem ferè uſurpata remedia, ut & varia adhuc erthina, quia vix excitari poterant, in utroque etiam venæſectio fuit celebrata, quia illorum pulſus vix aut ne vix quidem obſervabatur, undè concluſum eſt ſanguinem non, aut, vix circulari aut moveri; poſt venæſectionem maior & maior reddebatur pulſus; uterque iam paraplegia laborat.

Faber quidam lignarius ſexaginta annos natus in capite baculo durius petebatur, domum reverſus dolorem partis percuſſæ declarabat, inde poſt

bihorium ſideratus corruebat: accerſitus venæſectionem primò in brachio, poſt in jugulari ſuaſi, enema acrius è decocto purgante admiſta vinô emeticô turbido injici curavi, frictiones & applicationes vellicantes in plantis pedum, nec non cerebri lotiones è ſpiritu vini juniperino adhibui, vomitorium identidem è Gylla Paracelſi, & Syrupo emetico Angeli Salæ propinavi; hiſce liberatum quidem aliquatenus eſt cerebrum, ſed lingua adeò permanſit impedita, ut vix ac ne vix verbulum aliquod balbutiens effutire potuerit, præterea, ad omnia interrogata ſubridebat, geſtibuſque ſuis animi ineptiam & quaſi infantilitatem accuſabat. Pro loquela reſtituenda & linguæ, paralyſi tactæ, motu aliquatenus revocando, conſulente Hartmanno, oleum aniſi inſtillavi, atque pro cerebro recreando ſalem volatilem armoniacum variis aromaticis & aquis ſtillatitiis cephalicis & apoplecticis admiſtum cochleatim, ſæpius & per intervalla brevia exhibui; lingua ſic officium, atque ratio dominium repetebat; ſed brevi hæc omnia terminabantur, ſiquidem poſt biduum recurrente paroxyſmo apoplectico bonus ille vir, nullo è remediis rurſus adhibitis, percepto emolumento, vitam cum morte commutavit.

In pluribus aliis ſideratis eadem methodo, & iiſdem remediis uſus fui, ſicque quidam ita curati ſunt, ut poſtea mediantibus variis præſidiis præſervationis gratia adhibitis, cerebrum corroboratum propria munia per plures annos perfectè exercuerit.

De iis qui caſu facti ſunt Apoplectici, quaſdam rariores curationes deſcribit Clar. Henricus ab Heers, in ſuis Obſervationibus, quas hic vide.

Anglus ſexagenarius virginum Anglarum Leodii agentium, Symphoniæ organiſque præfectus, media quadrageſima ebrius, in penuarium hoſpitii pugilum, in quo potarat, delapſus; occipite contuſo, oſſe tamen calvariæ integro, verâ, & forti apoplexia correptus fuit. Convenimus ad illum quotquot Leodii erant Medici: omnibus qui aderant illum deſperantibus, atque ſoli prognoſtico relinquentibus; rogavi Patres & Virgines Anglas quæ aderant, quibus tum ordinariam medicinam faciebam, paterentur ne me aliquid tentare, remediumque nullomodo anceps experiri? Illis annuentibus, validè concuſſo & agitato clyſterem acerrimum injicio, quo duabus horis ceſſante, & glande acri evocato cum inſigni evacuatione, toti capiti raſo cataplaſma ex fimo columbino, euphorbio, pyrethro, ſinapi applico; hinc multæ magnæque veſicæ cùm ſurrigerent, omnibus forficibus ſectis, aquæ flaviſſimæ plurimum effluxit, ſuperpoſitis rubrorum caulium contuſis foliis, multa jam nocte domum redeo.

Poſtridie ſpecierum hieræ colocynthidos ʒii. caſtor. ʒß. rutæ ℈j. cum aqua antapoplectica propinavi: quæ potio cum ex voto ſucceſſiſſet, cucurbitulas humeris cum ſcarificatione applicui, unde minuto ſtertore, ſalivaque circa os omnino ſiccata, in ſpem erectus, veſicis

veſicis capitis non amplius fluentibus, novas in nucha & vicinia, ſed ſolis cucurbitis excito; quod quando meum inventum eſt, neque quod ſciam ante me cuiquam uſitatum, libenter vobis communico. Capio lati oris cucurbitam vitream, aut vitrum humilius quo Moſellanica, aut Rhenana vina ſorbemus, illa ſtuppa ardente, ut fit, munita, ubi libet applico; cùm per horæ quadrantem hæſerunt detraho, novamque cum flamma quam poſſum maxima, ſtuppam adpono, paulò poſt in junioribus & euſarcis, (in ſenibus, aut denſa cute præditis tardiùs) veſiculæ ſurgunt parvarum acicularum capitella vix æquantes; quibus omnibus horæ ſpatio coëuntibus, ſurgit veſica maxima, & orificio cucurbitæ, aut vitri, par vel major. Tum ſi vas vitreum, quorum multa huic uſui paravi, non habet foramen cera obductum, quo acu perforato, flatu exeunte, ſponte ſua cadit, plerumque vitrum cultro percuſſum frango, alioquin veſicam, dum manu avellitur lacerans, dolorem ſævum excitat. Hinc educta ſemper magna aquæ copia, eſurialibus diebus caulis folia, extra quadrageſimæ tempus macram cruris bovini carnem adligo, tamdiu, dum illa virore & fætore amovendam ſe indicet. Hoc modo innoxiè & intra horarium ſpatium, certo certius ſurgunt veſicæ, cùm omnia alia veſicantia poſt multas horas ſæpè ſpem noſtram eludant, morbumque vel procraſtinent, vel contumacem, aut etiam invictum reddant.

Quarta demum nocte, cùm naturaliter dormiſſe viſus, jamque liberiùs reſpiraret, neque tamen oculos aperire, aut ulla ſenſus vel motus ſigna edere poſſet, alimentis convenientibus, maximè decocto cicerum, & tenui mulſo pro potu præſcripto, totum occiput ſpinæque medullam aqua catarrhari cum oleo remixta perunxi; pleriſque horum remediorum ad vigeſimum diem continuatis, addendo etiam in cibo & potu, balſami Peruviani, aut olei ſuccini aoſmi guttis, aut olei roriſmarini ſalviæque chymica arte educti; cùm interim aliquoties alvus bonis juſculis & melicrato rigata jam ſponte officium faceret. Die vigeſima prima, oculos aperit, caput leviter motat, & jam carpis temporibuſque motus redierat, ita ut de ſalute ejus jam ſecurus, rogarem num loqui poſſet. Ei reſpondit, quod Anglis (ita) ſignificat. Ceterùm, cùm urgerem aliud quid pronunciaret; nec illo, nec altero die, ſyllabam extorquere potui, ipſo quoties aliquid dicere jubebatur, amariſſimè flente. (*Idem ego ſæpiùs vidi in illis qui ex apoplexia redibant, & præcipuè anno proximè præterito in duobus, alio quidem viro circiter ſeptuagenario, alio verò muliere ſexaginta & quinque annos ad minimum nata, illi ſcilicet, vi medicamentorum & exhibitorum & applicatorum recollectis ſpiritibus, in lacrymas quaſi diffluebant. Vterque tamen cum perfectè, poſt aliquam linguæ, alteriuſque corporis partis paralyſim, evaſiſſet, flere deſiit.*) Suſpicatus de paralyſi muſculorum linguæ, aqua antapoplectica, cui infuderam Sinapi, ſtaphidem agriam, baccas lauri, pyrethrum &c. os continuò collueret imperavi, cum liberiorem linguæ motum notarem, dixi

dixi recitaret orationem dominicam, cum ille cancellatis manibus, oculis ſurſum verſis, tantum, quantum ad hanc diem non vidi, lacrymarum imbrem profudit, itaut jam, etſi loquelæ uſum habuiſſet, nimio illum fletu & ſuſpiriis, amiſiſſet. Multo poſt cum lacrymas abſterſiſſet tempore: ſequere, inquam, me dicentem, dic Pater noſter. Ille hianti ore, & tanquam aëris aucupio intentus, ſæpius ut pater diceret ſollicitatus primam tandem protulit ſyllabam, deindè alteram, eodem prorſus modo quo pueri abecedarii: Sic paulatim redeunte quam penitus amiſerat reminiſcentia, & muſicam, & fidium peritiam recuperavit, decimaque demum à caſu ſeptimana, conſueta vitæ munia integrè obivit.

Simili ferè modo mulierem curavi, niſi quòd huic ex octo gradibus delapſæ in occiput, cùm nec concuſſione, nec pilorum vulſione, ſeptem qui aderant Medici ullum ab illa vitæ ſignum extorquerent, aciculam prælongam inter pollicem pedis ſub ungue adegi, (*crudele ſane remedium excitatorium, & forſitan periculo non vacans; ſiquidem ſic, ut plurimum punctis partibus nerveis & tendinoſis, convulſionum non parvus occurrit metus.*) è cujus dolorifico ſenſu excitata, momento citius, magno clamore edito in lecto conſedit, ſed paulò pòſt iterum concidit, at mox ad ſe rediit, antapoplecticisque remediis adjuta intra diem ſeptimum omnino convaluit.

Neutri ſanguinem detraxi, quia plethoræ ſuſpicio nulla, & utrobique cacochymiæ ſigna manifeſtiſſima.

Tertium curavi apoplecticum Anglum, in cujus caput magna porta, cum trabe cui adhærebat, deciderat. Illius capiti raſo, poſt univerſalia impoſui emplaſtrum Alexandri Benedicti, quod etiam Franciſcus Valeriola commendat obſervat. 9. lib. 5. quod quia fidum inveni, hic deſcribam.

℞. Gummi hederæ, ceræ, terebinthinæ, āā ℥iij. reſin. purgat. ℥ß. ſucci corymbor. heder. ℥iv. ammoniaci ℥ij. olei roſati ℥ijß. farinæ fabarum q. ſ. f. cerotum.

Cap. III.

De Paralyſi, Caro, Comate Vigili & ſomnolento, Catalepſi, Incubo, Lethargo, &c. Opiſthotono, Emproſthotono, Tetano.

I. Hiſce de Affectibus non eſt quod multa dicam; tantam enim cum Apoplexia habent affinitatem, ut qui morbos iſtos ex hac neſciat curare, pauci judicii ſit oportet: neque enim eſſentialiter, ſed gradibus ſaltem differunt, eandemque agnoſcunt partem affectam cauſamque. Hoc ut Lector, rerum non verborum, amans meliùs concipiat, has illi meas communico.

II. *Obſer-*

II. *Obſervationes.* Mater D. Iohannis Vincent. Diaconi & Mercatoris Amſtelodamenſis, brachium dextrum impotens movere, periculosè decumbebat anno ætatis ſuæ quinquageſimo octavo; ergò erat *Paralytica*: interdum dormiebat profundè, ergo laborabat *Comate ſomnolento Carovè*; interdum vigilabat, ergò debuit tunc ejus morbus *Coma Vigil* nominari; interdum ſtertebat nullamque edebat vocem, quicquid vociferarentur adſtantes; ergò erat *Apoplectica*; febricitabat continuò, ſupervenientibus Aphtis, ergò aderat *Lethargus*. Omnes hi morbi, quibus extincta, promiſcuè illam affligebant 15. intrà dies. Quorſum ergò nunc *Entium Noxia Multiplicatio*; Quantum ſapimus verba dando!

2. Uxor D. Ludovici Serrarii Vertiginoſa, Paralytica, Comatoſa, Nephritica, Hyſterica, &c. ore tortuoſo vix poterat vocato mihi loqui. Præſcripſi illi pilulas haſce purgantes:

℞. *Reſinæ* Jalapp. *Agaric. Aloës lucid. an. gr.* IV. *Sal. ſuccin. gr.* vj. *Ol. menthæ g.* ij. *M. S. F. Pil. Num.* 5. *deaurent.*

Optimè inde purgata longè habuit meliùs. Altero die aſſumpſit mixturam ſequentem cochleatim:

℞. *Aq. prophylact. noſtr. unc.* j. ſ. *Antiparalyt.* unc. ſ. *Antinephritic. unc.* j. *Meliſſ. unc.* iij. *Syr. de ſtœchad. unc.* j. *M. S. in Phialâ.*

Hacce uſa conquerebatur de nimia ejus acredine, dulciorem autem non admittebat paſſio hyſterica; ſed aquæ liliorum convallium unciâ unâ cum ſemiſſi temperatam ſupraſcriptam mixturam optimè ægra tulit, & optimè novem imò ſeptem intra dies eſt curata; nebat enim quarto die proba hæc & familiæ ſummam curam habens Martha. (*a*)

(a) Vir quadraginta annos natus, pituitoſus, pluvioſa tempeſtate iter faciens, noctu expergefactus, motus ſenſuſque quâdã impotentiâ afficiebatur, imò domum reverſus, intra tres ſeptimanas fit paralyticus; quare juſſu agyrtæ cujuſdã omnibus partibus muriam impoſuêre, quâ caro bubula anteà fuerat condita poſt; cujus applicationẽ maximus exortus dolor; præſcripſi illi ſequentia, quibus etiam convaluit, præterquàm quod tantùm robur partibus non inſit.

℞. *Aq. Card. ben. unc.* ij.
Theriac. ſimp. drachm. vi.
Antipar. Amſt. drachm. iij.
Spir. ſal. armoniac. gutt. 16.
M. Pro hauſtu.

Quo veſperi aſſumpto, pro voto ſudavit. Secundò bis de die calidè inungi ſequenti linimento curavi, nucham,

cervicem, ſpinamque dorſi.

℞. *Unguent. Martiat. unc.* ſ.
Ol. flor. chamom.
Hyperic. an. unc. j.
Bacc. junip.
Caſtor.
Laurin. ana. drachm. ij.
Succ. cochlear. expreſſ. drachm. iij.
Alum. plumoſ. drachm. j.
Spir. ſal. armon. drachm. ij.
Aq. vit. mathiol. unc. ſ.
M. F. Linim.

Tertiò, ſingulis diebus bis, ter, quaterve aſſumpſit, ſequentis decocti pro doſi unc. iv.

℞. *Raſur. lign. guajac. unc.* iij.
Cort. ejuſd. unc. j.
Lign. junip. unc. ij.
Aq. fontan. lib. 7.
Coq. ſ. a. per horas tres, tuncque add.
Bacc. iunip. unc. i.
Rad. angel. unc. ſ.
Fol. majoran. nobil.
Salv.
Roriſmar. ana. M. ſ.
Senn. mundat. unc. j.
Hermodactyl. drachm. vj.
Coq. ulterius, vaſis optimè clauſis, ad colaturæ lib. 4 *quibus add.*
Aq. antiparalyt.
Theriac. ſimpl. an. unc. j. ſ.
Spir. ſal. armon. drachm. j.
M. Deturque in cantharo lapideo optimè clauſo;

Singulis ferè ſeptimanis ſequentes aſſumpſit pilulas, ter quaterque exinde dejecit.

℞. *Maſſ. Pilul. fœtid. maj. drachm.* ſ.
Reſin. jalapp.
Trochiſc. alhand. ana gr. iv.
Olei roriſmar. ſtill. gutt. iij.
M. F. Pilul. num. 7.

Hiſce omnibus per duos circiter menſes uſurpatis, linimento parum aliquandò mutato, additis nimirum ol. ſpic. drachm. ij.
Succ. urtic. urent. min. unc. ſ.

Sequens præſcripſi vinum medicatum,

℞. *Herb. chamædr.*
Chamæpith. ana. m. j.
Fol. primul. ver. m. ſ.
Roriſmar.
Salv.
Flor. anthos ana. p. ij.
Rad. imperator.
Angelic.
Irid. florent.
Elleb. nig.
Sem. cartham. ana. drachm. iij.
Hermodactyl. unc. j.
(Omnium nervoſarum partium anima vocatur, ut crocus pulmonum.)
Agar. albiſſ. drachm. iii.
Cardam.
Cubeb. an. drachm. ii.
Sal. tartar. drachm. i. ſ.

Conciſa & craſsè contuſa inſuantur ſæculo, cum vini Gallici pint. vi.

F. vinum medicatum, cuius poſt iuſtam infuſionem tepidam ter quotidie aſſumpſit unc. iii. *quibus ſemper inſtillavit ſpir. ſal. armon. gutt.* viii. *quibus omnibus quarto menſe curatus.*

Plures adderem de Paralyſi obſervationes, niſi metuerem, quod, mutatis ſaltem ægris, unum idemque propemodum, eſſem dicturus.

De Lethargo.

Vir quidam trigeſimum octavum agens

gens annum, cum aliquot diebus capitis gravitate, febrique continuâ laborasſet, urinâ inſtar iumentorum turbidâ, in conclavi circa fornacem ſe continens, ubi linteamina exſiccanda depoſuerat uxor, adauctâ continuò capitis gravitate fit ſomniculoſus, ac in ſomnum ita propenſus, ut ſemper non niſi dormire cuperet; febri adauctâ deliravit, lecto iam decumbens à ſomno vix excitari poterat, ac excitatus ad interrogata delirans reſpondit, relabiturque in ſomnum, vocatus enema in obſervatione noſtrâ, deſcriptum nonnihil mutatum præſcripſi, moxque naribus cum ſpongiâ ſequens appoſui,

℞. *Acet. rutac. unc.* ii.
Caſtor. pulv. drachm. i.
Spir. ſal. armon. drachm. ſ.
M.

Quo ſubindè excitatus, iterum tamen in ſomnum relabitur, tertio vocationis die haſce præſcripſi pilulas, quia ex relatione uxoris, ſemper non niſi pilulas aſſumi vellet,

℞. *Extract. cathol. ſcrup.* i.
Caſtor. ſcrup. i.
Ol. ſuccin. gutt. ii.
M. F. Pilul. nu. 7.

Quas, excitatus, ſubitò devoravit, ſtatimque uxor cochleare dedit ſequentis mixturæ.

℞. *Aq. puleg.*
Beton. ana. unc. ii.
Prophylact. deſcripta C. 3. *l.* 3 *unc.* i.
Tinctur. caſtor. drachm. i.
Spir. ſal. armon. drachm. ſ.
Syr. ſtœchad. drachm. vi.
M.

Sexies à pilulis deiecit, multumque emolumenti adtulit, febris quinto & ſexto die maior, conqueſtus de capitis dolore gravativo, vix iterum excitari poteſt, quare ſequens errhinum præſcripſi.

℞. *Turbith. mineral. ſcrup.* ſ.
Glyzyrr. pulv. drachm. ſ.
M. F. Pulv. tenuiſſ.

Cujus tantillo naribus indito & inflato excitabatur cum levi ſternutatione; ſeptimo de ſummo capitis dolore gravativo, levique calore conquerebatur; iterum tantillum naribus eſt inflatum; tantaque puris pauco ſanguine mixti copia ſecuta, non tantum ex naribus, verum etiam faucibus, ut niſi oculis meis vidiſſem, credere mihi fuiſſet impoſſibile, dolorque capitis gravativus imminutus, imò brevi evanuit, mixturaque dictâ ad finem uſurpatâ; Divino annuente Numine, brevi convaluit.

De incubo.

Iuvenis vigeſimo ætatis anno, melancholicus, pituitoſus ſingulis propemodum noctibus horrendis inſomniis vexatus, imò aliquandò quid corpori impoſitum cum reſpiratione difficili, anxius & quaſi ſuffocationi proximus, imò quaſi ipſius cor alicujus manu comprimeretur ac conſtringeretur, ſe ſuffocari putat. Qui, uſurpatis pilulis cap. de Epilepſia deſcriptis, vinoque medicato cum ſpiritu ſalis armoniaci in obſervatione noſtra de apoplexia deſcripto, ut & condito ſequenti, convaluit.

℞. *Conſerv. flor. roriſm.*
Salv. an. unc. j.
Spec. diambr.
Diamoſch. dulc. ana. drachm j.
Mithrid. Democr. drachm. ij.

Ol. ſuccin. gutt. vj.
Spir. ſal. armon. drachm. ſ.
Syr. ſtœchad. q. ſ.
M. F. Conditum.

Cujus ſingulis veſpertinis incœnatus ad caſtaneæ magnitudinem aſſumpſit.

APPENDIX
Ad Tractatus
De Morbis Capitis.

QVandoquidem Autor noſter breviùs & conciſius tradit quoſdam Capitis morbos, quales ſunt Paralyſis, Carus, Coma Vigil & Somnolentum, Catalepſis, Incubus, Lethargus & Convulſiones; alios verò prorſus intactos relinquit. Sc. Vertiginem, Tremorem, Phrenitidem, Melancholiam, Maniam & Dolorem Capitis: E re fore credidimus ſi eos hic ordine paucis perſequeremur. Eſto itaque.

Caput I.
De Paralyſi.

I. PAralyſis eſt motûs, aut ſenſûs, vel utriuſque ſimul in una, vel pluribus corporis partibus privatio. Hic autem non eam intelligimus privationem, quæ à toto cerebro affecto progreditur, quæque Apoplexiæ ſuprà jam deſcriptæ, nomine venit.

II. Pars affecta non alia eſt quàm ipſi nervi, fibræque nerveæ, ad quas per obſtructionem, aut compreſſionem, aut continui ſolutionem, impeditur ſpirituum animalium influxus.

III. Variæ autem ſunt Paralyſeos differentiæ, ſi enim omnes corporis partes infra caput ſitæ afficiantur, Paraplegia; ſi verò reſolutio à dextris tantum aut ſiniſtris fiat, Hemiplegia; ſi in parte aliqua in ſpecie, v.g. brachio, lingua, tibia, crure, &c. ſedeat, Paralyſis particularis dicitur. Rurſus aliæ petuntur differentiæ à ratione cauſarum magis aut minùs gravium, alia nempè eſt perfecta, in qua motus & ſenſus, alia imperfecta in qua alteruter tantum perit, vel imminuitur.

IV. Cauſa remota, eſt victus inordinatus, rerumque frigidarum & humidiorum, ut & earum quæ vi narcotica, aut alia peculiari ratione ſpiritibus & nervis infenſæ ſunt, nimius uſus: proxima verò eſt illud omne per quod ſpirituum animalium motui & ſenſui perficiendis dicatorum, infuxus ad partes impeditur; ſive illud fuerit, materia pituitoſa, ſalino-tartarea & fixior obſtructioni pariendæ idonea; ſive alia ſtipticitate ſua nervorum porulos quaſi conſtringens & coarctans; ſive alia ſpiritus irretiens & fixans, quales ſunt plumbi, mercurii, narcoticorumque propè omnium particulæ, aut extus per nervulorum extrema ſe ſe inſinuantes, aut intus cum ſanguine circuitus ſuos peragente ad cerebrum delatæ: ſive quidquam comprimens, v.g. vel tumor, vel luxatio qualis in vertebris cujuſcunque regionis, vel ligatura; ſive exciſio illius nervi, unde ramuli ad partes, aut partem aliquam diſtribuuntur; ſive ejuſdem nervi præſertim tenerioris contorſio, contuſio, atque etiam concuſſio vehementior, unde

de continuitas canaliculorum ſpiritibus devehendis deſtinatorum interrumpitur, quod videmus aliquando in contorſione & concuſſione medullæ ſpinalis paralyſes in partibus ſubjectis faciente.

V. Diagnoſis hujus morbi per ſe ſatis ſuperque patet, ex impotentia ſc. ad motum & ſenſum, vel alterutrius tantum, vel in toto corporis trunco, vel in dimidia ejuſdem parte, vel in quopiam ex artubus, aut muſculis in ſpecie. Circa locum affectum difficilior eſt cognitio, & ad eam requiritur perfectior anatomica ſcientia, de origine nervorum, eorundem plexibus variis, diſtributionibus & ramificationibus; revera ſi cauſa aliqua evidens præceſſerit; luxatio ſc. fractura, compreſſio aut fortior ligatura, ex hac locus affectus innoteſcit; ſin minus illa ex anatomica, ut diximus, ſcientia petenda, per eam autem in hemiplegia mediam ſpinæ dorſalis partem, in paraplegia integram ſpinalem medullam, in reſolutione crurum nervos ex oſſe ſacro exeuntes, in illa brachiorum, nervos per ultimas colli vertebras primaſque thoracis prodeuntes, infarctu, obſtructione, aut aliis ſuperiùs enarratis de cauſis laborare, intelligendum venit.

VI. Omnis paralyſis, ſive univerſalis, ſive particularis, ſive ſubitò, ſive ſenſim facta morbus eſt longus, & curatu difficilis; ſi tamen ætas fuerit juvenilis, cum corporis robore, & ſenſus unà cum motu omnino non perierit, magna ſanitatis recuperandæ ſpes eluceſcit. Quæ verò hominibus provectæ ætatis, cacochymis, aut intemperatis accidit, vix ac ne vix curatur. Tremor paralyſi ſuperveniens bonus, atrophia verò aut frigiditas peſſimi eſt ominis. Paralyſis à cauſa evidenti illata, ſi brevi tempore medicamentis non corrigatur aut cedat plerumque inſanabilis perſtat.

VII. Ad curationem ſtudendum primò, ut ſi quæ adſint cauſæ evidentes illæ tollantur; ſin minus, ſecundò materia nervos obſtruens, conſtringens, aut ſpiritus irretiens, attenuetur, excutiatur, diſſipetur, aut alia ratione corrigatur. Tertiò novorum humorum affluxus præpediatur. Quartò cerebrum totumque genus nervoſum unà cum ipſa parte affecta corroboretur.

VIII. In ipſa curatione, ſi plethora multa adſit, proderit primò venæſectio, ſed præcipuè purgatio per pilulas cochias, extractum panchymagogum cum admiſto mercurio dulci & pauco mercurio vitæ, decoctum ſudorificum, ſuffumigium ex aqua vitæ variis aromaticis & nervalibus imprægnata, proderunt, & varia remedia cephalica ſuperiùs deſcripta, ut & frictiones, cucurbitulæ, thermæ. Interim quàm maximè advertendum unde illa ortum habeat, quiſque ſit locus propriè affectus, ut topica ibidem adhibita, aut impedimenta ablata ſpirituum influxum remediis intus exhibitis provocatum, ulteriùs accelerent, liberioremque faciant. Hiſce ut tolletur cauſa evidens, materia præterea nervos obſtruens, &c. ſi poſſibile, corrigetur & diſſipabitur, novorum humorum affluxus præpedietur, cerebrumque cum toto nervoſo genere corroborabitur, ſicque variis indicationibus mox enarratis abun-

dè ſatisfiet. Paralyſis quæ à nervi præciſione eſt curam non admittit.

Medicamenta antiparalytica.

Folia meliſſæ, roriſmarini, ſalviæ. Flores tiliæ, liliorum convallium, ſpicæ ſtœchados. Radices chinæ, coſti, imperatoriæ, pyrethri. Baccæ juniperi, lauri. Gummi animæ, ſagapen. Balſam. tolutanum, judaicum, Caſtoris axungia, teſticuli & pellis. Oleum ſanguinis humani, viperarum lumbricorum. Formicarum acerv. Aqu. anhalti, imperial. correct. lavendulæ compoſ. Salviæ, compoſ. Balſam. varii apoplectici, nervini & antiparalytici in pharmacopœis deſcripti; item ſpiritus varii antepileptici, antiapoplectici, tartari, formicarum; ut & tincturæ. Antidotus Ζωήφιλος Quercet. Oleum tartari, gagatis, ebeni, elem.

Formulæ Medicamentorum Purgantium.

℞. Maſſæ pilularum cochiar. ʒß.
Extracti catholic. ℈ß.
Cum pauxillo Syr. de ſtœchade, vel aq. alicujus apoplecticæ & granis viij. ſal. volat. cranii humani, vel ſanguinis humani, cornu cervi, aut viperarum f. pilulæ N. vij.

Vel

℞. Extracti panchymagogi. ℈j.
Trochiſcor. alhand. gr. v.
Mercurii dulcis, per repetitas lotiones, atque ſpiritus vini deflagrationes ab omni acrimonia probè liberati. gr. xij.
Mercurii vitæ gr. iij. vel iv.
Cum elixyre proprietatis volatili formentur pilulæ N. ix.

Vel

℞. Rad. jalapp. pulver.
Myrrhæ rubræ.
Florum ſalis armon. è lapide hæmatite elevatorum āā ℈j.
Diaphoretici martialis,
Scammonii puri āā. gr. x.
Cinnabaris nativæ gr. vij.
Olei lavendulæ ſtillat. gutt. iv.
Cum rob. juniperi. & Syr. ſtœchad. Arabicæ āā. ſ. q. fiant boli quos ſumat ex nebulis.

Vel

℞. Folior. ſenn. mundator. ʒiij.
Rhei electi ʒj.
Fibrar. ellebori nigr. ʒß.
Summitat. ſtœchados p. j.
Salis cardui benedicti gr. xv.
Infundantur & leviter bulliant in ſ. q. decocti tenuis rad. chinæ, ſalſæparillæ & ligni ſaſſafr. ad colat. ℥v. aut ℥vj.
Diſſolve Syr. pomorum Regis Sabor & magiſtralis Argenterii āā. ℥j.
Ialapp. pulv. aut ſpecierum benedict. laxat. grana aliquot. M.

Formulæ medicamentorum nervos deobſtruentium, eoſdémque, unà cum cerebro, corroborantium.

℞. Rad. chinæ, acori, petaſitid. ſanicul. āā. ʒvi.
Iridis Florent. ʒiij.
Fol. major. roriſmar. lavend. thymi āā. M. j.
Flor. ſtœchad. ſalviæ āā. M. ß.
Sem. aniſi, carvi āā. ʒjß.
Cardamomi min. ʒj.
Coquantur ex a. in aq. & vini āā. ſ. q. ad colat. ℔iij. Diſſolve ſyr. ſtœchados Arabicæ

Arabicæ & flor. betonic. ãã. ℥iij. M. pro octo doſibus, ſumat manè & veſperi longè à paſtu, cum particula conditi ſubſequentis.

♃. Diaphoretic. martial. albiſſ. ʒij.
Specierum diambræ ʒiij.
Butyri perlarum ʒjß.
Cinnabar. antimonii, vel potius nativæ ℈ij.
Conſervæ anthos, liliot. convall. nucis moſchatæ cond. ãã. ʒvj.
Cum ſyr. ſtœchados & cinnam. ãã. ſ. q. fiat conditum.

VVilliſius ſequens habet Electuarium.

♃. Conſervæ folior. cochleariæ hortenſis & erucæ cum æqua parte Sacch. fact. ãã. ℥iij.
Zinziberis in India cond. ℥ß.
Flavedin. aurant. & limon. cond. ãã. ʒvj.
Pulver. è chelis & oculis cancror. ãã. ℈iv.
Specier. diambræ ʒij.
Cortic. VVinterani ʒiß.
Rad. Zedoar. galang. min. cubebar.
Semin. naſturtii, erucæ ãã. ʒj.
Spir. cochlear. lavendul. ãã. ʒij.
Syr. condit. Zinziber. q. ſ. f. Electuarium.

Capiat quant. nucis juglandis, mane hora octava, & quinta pomerid. ſuperbibendo tincturæ Coffée cum fol. ſalv. incoctis ℥vj. aut vini viperin. ℥iij.

Hartmannus ſequentes commendat Rotulas.

♃. Aq. flor. lilii convall. & lavendul. ãã. ℥iij.
Sacch. albi ℥v.
Coque ad perfectionem, & remotis ab igne adde
Olei ſuccin. rectif. ℈j.
Extracti ſalviæ ʒij. vel olei ejuſdem ʒß.
F. ſ. a. Rotulæ, de quibus aſſumat ſæpius de die.

Idem pulverem ſequentem, tanquam ſingularis in Paralyſi virtutis, ſudoribúſque provocandis aptiſſimum, commendat.

♃. Cinnabar. antimon.
Magiſter. corallor. & perlar. ãã.
M. Doſis à gr. viij. ad gr. xvj.

Et addit. Si ad hanc miſturam æquale pondus magiſter. cranii hum. addatur fit egregium diaphoreticum in Epilepſia.

Formulæ ſuffumigiorum, fomentationum, atque topicorum variorum.

Et 1. Formula ſuffumigii vaporoſi.

♃. Folior. lauri, lavendul. origani ãã. M. ij.
Flor. roriſmar. Salv. Sambuci, ſtœchad. ãã. M. j.
Conos abietum ſucco prægnantes, N. xij.
Baccar. juniper. M. v.

Coque in vini & aceti vini ãã. ſ. q. ut ex hoc decocto ſuper lateres ignitos affuſo elevetur vapor quem excipiat æger per horam circiter integram, ſemel aut bis de die aſſumpta prius conditi ſuperiùs præſcripti doſi cum admiſtis guttis aliquot ſpir. tartari, aut alterius cujuſpiam ſc. viperarum, cranii hum. C. C. &c.

Topicum ſequens laudat Cnoëffelius.

♃. Spir. vin. camph. ℥iij.
Formicar. compoſ.

Lum-

Lumbricor.
Aquæ apoplecticæ āā. ℥ij.
Eſſentiæ trium piper. ℥j. ʒij.
Sem. erucæ ℥ß.
Alum. plumoſi, euphorbii āā ℈j.

Miſceantur in vitro bene clauſo, & poſt peractam ſufficientem digeſtionem filtrentur per chartam.

Partes affectæ priùs pannis calentibus quotidie fricentur, ſed leniter, poſtea illinatur præſcripta tinctura. Vſus ſaltem ad extra eſt.

Spiritus formicarum compoſ. eſt compoſitio.

♃. Formicar. acidum redolent. in olla terrea melle intus inuncta captarum M. vj.
Spir. vin. antholati ℔ iv.
Lilior. convall. ſimpl. ℔j.

Mixta vaſe priùs bene perlutato, ſtent per dies octo in acervo magno formicarum poſtea deſtillentur per M. B. Hoc facto.

♃. Spir. hujus deſtillat. & à phlegmate ſeparat. ℔iii.
Confection. anacardin. ℔ß.
Specier. cephalic. ℥iii.

Et poſt peractam & reiteratam digeſtionem 7. dierum, denuò deſtillentur in M. B. priùs leni igne, in fine verò fortiori. Aqua ſpirituoſa abſtracta adhuc aromatiſetur, olei cinnam. coriandr. āā. gutt. xv. & eſſentiæ ambræ q. v. M. Cerebrum & ejus functiones omnes mirè corroborat, & ab aliis frigidis morbis capitis præſervat, inſuper in venerem armat, & articulis ex Paralyſi debilitatis ſubvenit. Doſ. cochlear. i. ad ii.

Oleum tartari, ut & viperarum volatile, atque præterea gummi ammoniaci & tacamahacæ cum calce deſtillatum, membris reſolutis inunctum ſummè vidi proficuum. Commendat Hartmannus eſſentiam foliorum tabaci viridium factam per ſolam infuſionem in vino malvatico, præſertim ſi præmiſſis ſudoribus membra paralytica hac eſſentia diutiùs fricentur.

Topicum ad membra reſoluta & demortua ex communicatione Clariſſ. Kepleri pro uxore Clar. Cnoëffelii Paralyſi tacta.

♃. Marcaſſ. ſulphur. pulver. ℔ ß.

Indatur alembic. ſuperaffundantur vini optim. ℔xii. ſtent in digeſtione per dies 30. Tandem vino colato adde.

Rad. cardopatiæ ℔iii.

De novo circulentur, poſt exprimantur fortiter, & deſtillentur per retortam, vel, quod melius, filtrentur per chartam ſolum. Hoc peracto deſtilla relictam marcaſſitam cum leontopodio per retortam. Deſtillatum miſce cum ſuperiori filtrata infuſione, & denuò ad dimidium uſque inſtituatur deſtillatio. Ex fæcibus priùs optimè calcinatis extrahe ſalem cum vino deſtillato, hoc conjunge etiam deſtillato, ubi adhuc tandem admiſcebis.

Sevi cervini, ſeu medull. crurum boum ℥vi.
Axung. urſi ℥ii.
viperar. ℥ii.

Miſceantur ſupra ignem. Cum hac mixtura inungantur membra reſoluta ad dies 30. & quidem bis in die calidè. Confert omnibus membris demor-

mortuis, obſtructis, & induratis, ut & nervis reſolutis.

Interea non omittetur uſus Decocti ſiccantis ex lignis & radicibus pro potu ordinario, ut & ſalium volatilium, & potui & medicamentis frequenter admiſcendorum; ac præterea Salis armoniac. è colchotare loto pluries elevati, & ad grana aliquot bis aut ter de die alimento adjuncti, &c.

CAP. II.

De variis Affectibus ſomnolentis. Scilicet

De Lethargo, Caro, Comate ſomnolento & vigili.

I. L*Ethargus* eſt affectus in quo adeſt ſumma ad ſomnum propenſio cum delirio, febre, & oblivione. *Carus* eſt ſomnus ſine febre maximè profundus, & in quo æger compunctus aliquantillum ſæpè membrum contrahit, interim neque clamoribus, neque pilorum vellicationibus, aliiſque mediis excitari poteſt. *Coma ſomnolentum*, ſeu *Cataphora* eſt ſomnus profundus à quo tamen æger excitatur & reſpondet, ſed mox in ſomnum relabitur, idque ſine febre. *Coma vigil* eſt gravis ad ſomnum propenſio cum impotentia ad eundem.

II. Affectuum horumce omnium ſedes eſt cerebrum quod variis humoribus pituitoſis, vel etiam particulis narcoticis variè obſeſſum, variis morborum ſomnolentorum gradibus materiam præbet, dum interim per ſuas membranas à particulis ſalinis alias concomitantibus irritatum in comate vigili cum gravi ad ſomnum propenſione, adeſt ad eundem impotentia. Cerebrum ſpirituum animalium officinam, hic in genere tanquam partem affectam producimus, nec ad corpora ſtriata, medullam oblongatam, aliaſque in ſpecie huiuſce viſceris partes nos reſtringimus, quia quicquid ſuper hac materia tradant Willisius & alii, de earum tamen functionibus particularibus atque læſionibus, cordatis adhuc dum ſatis non conſtat.

III. Differt primò Lethargus ab aliis nominatis affectionibus ſomnolentis quod ille febrem habeat comitem, hæ verò minimè. Secundò differt à Caro, quòd quamvis in illo magna adſit ad ſomnum propenſio, æger tamen clamoribus aliiſque mediis excitari poſſit, & ad interrogata, etiam ſi delirans, & minùs bene, reſpondere; in hoc verò ſomnus, tam ſit profundus, ut nulli vi adhibitæ cedat. Tertiò differt à Comate vigili, ut & alii omnes affectus ſomnolenti, in eo quòd comate vigili tacti, quamvis ſomno capeſcendo quàm apprimè per propriam propenſionem parati videantur, inquieti tamen continuò vigilent. Quartò Carum & Coma ſomnolentum quod ſpectat illi gradibus tantùm, & ſecundum magis & minus differunt: Carus verò in eo ab Apoplexia eſt diverſus quòd ſine ſtertore & quaſi naturaliter eo affectus dormire videatur.

IV. Cauſa horumce omnium affectuum, eſt humor pituitoſus, aut particulæ venenoſæ & narcoticæ, atque etiam ſecundum Sylvium biliosæ ad opii naturam & genium per peculiarem fermentationem & corruptionem exaltatæ, nunc parciùs, nunc abundantiùs, nunc magis, nunc minùs ſe ſe explicantes, & diffundentes, atque ſpirituum actionem præpedientes. Humoribus autem aut particulis prædictis adjungi poſſunt aliæ acriores, quæ dum ſpiritus ex parte irretiuntur, vellicationibus ſuis ſomnum arcent. Febrem Lethargi comitem quod attinet ejus cauſam minimè neceſſe eſt hîc adducamus, quia ipſi communis eſt cum aliis multis febribus, fermentationes inter varios humores, varioſque ſales in ipſis inidulantes, ortas, pro cauſa agnoſcentibus. De quibus omnibus infra dicendi dabitur locus.

V. Diagnoſis ex deſcriptione & differentiis horumce affectuum mox allatis ſatis patet, itaque non opus eſt hîc de ea aliquid repetamus.

VI. Prognoſis varia eſt pro varietate affectuum. Ac primò *Lethargus* per febrem ut plurimùm malignam ipſi adjunctam magis quàm per ſe periculoſus eſt, & præterea propter metum inflammationis in meningibus cerebri, à particulis ſalino acrioribus ipſis quaſi impactis, & à febris foco continuò aſcendentibus, unde phrenitis excitari poteſt. In ſenibus tamen, iiſque quorum vires omnino collapſæ ſunt perículoſior eſt; ut & in iis in quibus à veneno vel intùs aſſumpto, vel extus per ictum ab animali venenato inflictum ſerpente, diutiusque retento procreatus fuit. Ex Hippocr. ſect. 7. Aphor. 21. tremor Lethargo ſuperveniens malum; ut & ex ejuſdem ſect. 2. Aphor. 1. ſomnus laborem multum faciens malum. Si affectus hic ex crapula, ictu, plaga aut narcoticis aſſumptis, iiſque non admodum infeſtis, oriatur, ſpes omnino non excluditur; ut & ſi minùs fortis, atque medicamentorum ope ſtatim aliquid cauſæ morbificæ dimoveri videatur.

Carus prognoſis ut plurimùm eſt ominoſæ, præſertim ſi febrem malignam aliamque non judicatam, aut puerperium conſequatur; ut & ſi morbis aliis cephalicis aut capitis vulneribus ſuccedat. Ille non rarò in apoplexiam citò lethalem abit, & etiamſi aliquando cerebrum ex parte videatur excuſſiſſe materiam morbificam, unde loquela reſtituitur, non ſic tamen minus timendum, ne ſpaſmi ſuperveniant, aliaque quæ ægrum ſubitò tollant.

Coma ſomnolentum dubii omnino eſt eventus, & medicum prudentem inter ſpem & metum continet.

Coma vigil. melancholicis proprium in maniam ſæpè abit, nec periculo vacat.

VII. Indicationes hîc eædem propè ſunt, quas in Apoplexia & Paralyſi diximus, obſervata tantùm graduum varietate. Lethargum quod ſpectat, quandoquidem ut plurimum alterius morbi ſoboles eſt, vel à cauſa aliqua evidenti naſcitur, indicationes ab iiſdem petuntur, quas hîc enumerare pro varietate cauſarum longum foret, minuſque neceſſarium. In Comate vigili, retundenda venit acrimonia illa vitriolica, cerebro & præcipuè ejus membra-

branis impacta, unde ſpiritus efferari atque in motus deduci maniacos poſſunt; hæc autem ad claſſem morborum melancholicorum referenda veniunt.

VIII. De Curatione nihil eſt quod hic addamus, ut ex Indicationibus allatis ſatis patet. Itaque huic capiti finem imponimus.

CAPUT III.

De Catalepſi.

I. CAtalepſis, aliis Catoche, Prehenſio, & Congelatio, eſt affectus in quo ægri rigidi, & quaſi congelati corporis ſitum ſervant in quo erant cùm ipſo corriperentur: immotis autem & apertis plerumque ſunt oculis, motu & ſenſu deſtituti. Affectus hic ita rarus eſt, ut unicam ejus hiſtoriam proponat Galenus, duas verò Fernelius, alii ſc. Skenkius, Foreſtus, Tulpius alias itidem habent. Nos aliquoties hunc affectum vidimus, ſed non legitimum, & ſubitò prehendentem, qualis fuit ille quo corripiebatur Galeni condiſcipulus, dum ſtudiis attentiùs incumberet; ſed febris vel continuæ vel intermittentis peioris notæ ſemper fuit fœtus & proles. Illius à menſibus retentis orti hanc habet hiſtoriam Clar. Diemerbroëkius. Domicella 20. annorum ob menſes parciùs fluentes uterinis ſuffocationibus ſubindè obnoxia, his diebus ſubitò prehenſa omnis ſenſus expers remanſit, & in illo, quo prehenſa fuit, corporis ſitu, obriguit, oculos apertos ac fixos detinens, nihil tamen videns. Si adſtantes brachium illius ſurſum, deorſum, vel ad latus deflecterent, illud in tali ſitu remanebat. Si ægram in pedes deponerent, ſtabat; ſi corpus impellerent, pedem promovebat. Reſpiratio autem libera perſiſtebat. Cùm hic paroxyſmus per horam duraſſet, tandem ad ſe rediit ægra immemor omnium quæ ipſi contigerant. Poſt biduum ſimili paroxyſmo de novo detenta fuit, qui etiam ſponte ceſſavit. Sic unus ex illis quem vidit Fernelius è lectulo ſublatus cum ſpiratione facili ſolus conſiſtebat, quicquid in os inferebatur promptè vorabat, impulſus incedebat, & quocunque vel manus, vel brachium, vel crus inflecteretur, illic quaſi fixum & ſtabile permanebat. Expreſſam quandam addit, dixiſſes larvam, aut arte progredientem ſtatuam.

II. Partem affectam in hocce affectu cerebrum eſſe, ſpiritusque animales ab eo prodeuntes nemo inficias iverit, eô potiſſimùm quòd Galenus illum viderit à nimia attentione, ſpirituumque defatigatione in libris pervolvendis & perlegendis in ſuo condiſcipulo natum. Forſitan aliquando; ut in caſu è Diemerbroëkio allato, ut & in aliis à nobis ipſis obſervatis, fomes morbi alibi innidulans in cerebrum emittit materiam qua ſpiritus torpore corripiantur, & quaſi congelentur; ſed non minùs propterea cerebrum aut ſpiritus ejuſdem incolas affici dicas, aut minùs exigere remedia quibus excitentur, & excutiatur copula illa heterogenea motibus per eoſdem peragendis adeò infenſa, & ipſi cerebro & nervis, ut quibuſdam placet, quaſi impacta.

III. E ſupra dictis ſatis explicatur

morbi iſtius diagnoſis, ut & ejuſdem ab aliis capitis affectibus differentia; unde non opus eſt illis enarrandis ulterius immoremur.

IV. Cauſam quod ſpectat, eam exquirendam cum Galeno non credimus in frigida cerebri intemperie, nervos conſtipante & congelante, talem enim intemperiem in ſubjecto vivente non opinamur poſſibilem. Sennerti ſpiritus congelans verba tantum & voces nihil amplius continet; quamvis exemplo fulminis aut ſpiritus ab eodem profecti, atque homines aliquando congelantis, illum illuſtrare conetur. Sylvii coagulatio, analoga illi quæ è ſpiritu vini & urinæ invicem miſtis oritur, pluribus nominibus non arridet, primò quòd tales humores in cerebro vix, imò nunquam reperiantur, qui tamen pro morbo iſto faciendo per totum hoc viſcus & in omnes nervorum origines ſubitò effundi deberent. Secundò quia etiamſi daretur, ſimiles humores in cerebro naſci, vel in illud aliundè elevari, non ſic omnis ſpirituum animalium vis hebetaretur; nam è miſcella ſpiritus vini & urinæ quod præcipitatur penetrantiſſimum eſt, & ad minimum calorem præ volatilitate ſublimatur, quod verò liquidum perſtat, quamvis corpus miſtum non eſt minus mobile, aut viis ſibi per nervorum canaliculos reſerandis minus aptum. Supereſt igitur, ut miſſis aliis aliorum ſententiis de Catalepſeos cauſa, ad eam quam legitimam credimus continuò veniamus. Morbus autem hic cum melancholicis & iis qui aſſiduo diſciplinarum ſtudio ſe ſe fatigant, potius quàm aliis ſit familiaris, non incongruè pronunciabimus illum de genere exſtaticorum affectuum eſſe. Sic ipſius ideam imitabatur Socrates qui referente Gellio ſe ſe exercens in veſtigiis patientiæ perdius atque pernox, ab altero ſolis ortu ad alterum orientem cogitabundus, & immobilis perſtabat. Si itaque diſpoſitio melancholica in qua ſpiritus pauci dantur, iique ad voluntatem minus mobiles, concomitetur attentionem & contemplationem illam fixam à ſtudiis, vel aliunde ortam, in illa procul dubio parcior ſpirituum copia in cerebro ad motus voluntarios peragendos reſtans tota impendetur; revera animalium ſpirituum pars alia in tota nervorum longitudine, ut & fibris muſcularibus exiſtens motibus naturalibus ad tempus continuandis par eſt, ut & ipſis motibus etiam voluntariis ad externam impulſionem peragendis; ſed ſi diuturnior foret affectus, atque anima unionis cum corpore quaſi oblita ſpiritus in cerebro longiùs detineret, tandem partes auxilio tam benefico defraudatæ, conciderent, ſanguinis circuitus & imminueretur, & periret, unde mors prompta expectanda foret. Quod autem objicietur ex Diemerbroëkio, ſc. quòd anima in hocce affectu omnium oblita, contemplationis cujuſpiam in qua attentionem tam fixam adhibuerit omnino ſit immemor, à noſtra nos ſententia minimè dimovet, nam præterquam quòd illud ex unica tantum hiſtoria ab Autore prænominato allata colligi non poteſt; facillimè eveniet ut ſpiritus poſt longiorem defatigationem, indeque factam abſumptionem attoniti permaneant, meatuſque in cerebro

ad

ad tempus non aperiant per quos memoriam præteritorum refricent, aut præſentis meditationis, ideam imprimant.

V. Prognoſis non æquè periculoſa ac in Apoplexia, in quam, tamen hic affectus, ſi longius protrahatur facillimè degenerat. Si malum non ſit idiopathicum, ſi ejus cauſa in cerebro non naſcatur, ſed eò aliunde feratur, ſi ſpontè & per ſpirituum vitium ſubitò non adveniat, ſi invaſiones ſunt breviores, aut earum recurſus non ſit nimium frequens, facilius diſpellitur: Sin minus periculo eoque etiam graviſſimo non vacat.

VI. Indicationes ſunt cerebri corroboratio, ſpirituum excitatio, attentioniſque & contemplationis nimium defatigantis, & longiùs protractæ, abſtinentia. Duabus prioribus potiſſimum providetur volatilibus aliiſque ſuperiùs in jam deſcriptis capitis morbis enarratis remediis, tertiæ, eique ſanè præcipuæ potiſſimum medetur ratio, quæ hocce in negotio Medicinæ utrique ſc. Galenicæ & Chymicæ prævalet.

Cap. IV.

De Incubo.

I. INcubus & Ephialtes eſt gravis corporis oppreſſio, & nocturna ſuffocatio, vocem intercipiens, & abſurdâ ſuperinjectæ molis ſomniantem deludens. Itaque illius eſſentia in duobus potiſſimum conſiſtit, nempè reſpirandi difficultate, & gravi inanique inſomnio.

II. De loco affecto ſic eleganter ſcribit Clar. Menjotius. Facultates animales in Incubo offenduntur, vel à ſucco aut halitu denſiore, cerebri baſim, à qua ſeptem nervorum conjugationes, ſpinaliſque medullæ truncus enaſcuntur, obſtruente; unde illiberalis ſuccedit τῶν ἐνομόντων ἐπιῤῥοὴ vel etiam à narcotica qualitate, abſque ullis viarum obicibus, ſpiritus animales quodammodo vinciente, ac ex impigris & indeſidibus, inertes ſegneſque reddente. Suſpirioſa verò reſpiratio ſequitur compreſſionem partium thoracicarum, ac præcipuè diaphragmatis, ab humoribus, aut vaporibus copioſis atque craſſis, ſeu infernè evectis, ſeu per ſe intra vaſa ſtabulantibus. Neutra porrò iſtarum noxarum videlicet cerebri atque pectoris, ſeorſim ſufficit creando ephialti; ſed ambas combinari opus eſt. Nam ductuum cerebri obturatio in incubo minùs completa eſt, aut ſpirituum animalium νάρκωσις minùs eximia, quam ut ſpiratui officere queat, cùm ipſimet carotici pro voto aërem ducant. At nec viciſſim ſepti tranſverſi, aliorumve inſtrumentorum ἀναπνευστικῶν conſtrictio ephialtem potis eſt invehere, niſi cerebro coaffecto, vis animalis in nervos exilire prohibeatur, 1. quia unà cum reſpiratione & voce, univerſi corporis motus, & eapropter commune movendi principium oblæditur, 2. quoniam incubus pernicioſorum cerebri affectuum, ut apoplexiæ & epilepſiæ eſt πρόδρομος. Tandem quod ephialtici ſat ægrè expergiſcantur, excitati verò, nec dum penitus diſcuſſa capitis plenitudine in errore τοῦ φάσματος aliquandiu perſeverent. Concludamus ergo incubum eſſe velut

ſut monſtrum δίκρανον, ſeu mixtum πάθημα è pectoris conjunctim & cerebri memorata invaletudine. Verùm de hac aut ſimili, ex parte opinione hæc habet Clar. Williſius. Hæc opinio (haud magis veriſimilis quàm incubati conceptus) aſſenſum non meretur; quippè nec ulla humoris iſtius circa præcordia aggeſti, ante, aut poſt paroxyſmum veſtigia apparent; quin ubi hæc regio plurimum aggravatur, uti in phthiſi, aſthmate, aut hydrope pectoris, incubus non propterea, aut crebrius, aut gravius infeſtat: porrò non conſtat quomodo materies in præcordiis aggeſta, in ſomno tantùm moleſta fuerit. Quapropter affectus hujus ætiologiam longè aliam ſtatuendam eſſe arbitror. Hic itaque arbitratur locum in hoc morbo affectum eſſe nervos è cerebello ortos, & ex parte ad cor tendentes; nam ipſius motu ceſſante, propter ſpirituum influxum pro tempore denegatum, ſanguis in hujus ſinubus, ac in vaſis pneumonicis ſtagnans, ibidemque plurimum anguſtatus, magni quaſi ponderis ſenſu pectoris regionem opprimit; quod item eò gravius videtur, quia unà cum corde, pulmones, diaphragma, & thoracis muſculi, à motibus ſuis impedita, & quaſi constricta, magno ſe ſe exerendi nixu laborant.

III. Differentiæ quæ incubum inter alioſque capitis affectus intercedunt per ſe abundè patent.

IV. Cauſam Clar. Williſius reponit in materia quadam incongrua quæ inter dormiendum unà cum ſucco nerveo cerebello inſtillatur, quæ ſpiritibus in prima ſcaturigine torporem, ſive narcoſin quandam inducens, eos mox à functionum ſuarum muniis paululum ceſſare cogit; proinde ut ab altero velut Lethargo, intra cerebellum excitato, actiones vitales eclipſin brevem patiantur; qua durante, partim à præcordiorum obſtrictorum lucta, partimque à ſanguine in iis plurimum aggeſto, & ſtagnante, gravamen iſtud, ac velut molis incumbentis ſenſus infertur; deinde quoniam cæteræ omnes totius corporis facultates à cordis motu dependent, idcircò hoc impedito & ſuppreſſo, illæ ſtatim deliquia, aut inordinationes ſubeunt; præſertim verò quia ſanguinis in cerebrum, pro ſpirituum animalium fomite, affluxus interrumpitur, propterea mox horum effluxus in ſyſtema nervoſum ſupprimitur, adeò ut laborantes dum molem pectoris imaginariam excutere ſatagunt, nec corpus, nec membrum aliquod movere poſſint; nimirum, quia ſpirituum (donec ſanguinis affluxu deſtituuntur) irradiatio in partes motrices inhibetur: interim qui in cerebro reſident, huc, illuc, lati, phantaſmata confuſa, & ex moleſtia à præcordiis impreſſa, horrenda ſpectrorum inſomnia concipiunt. Paroxyſmus autem citò finitur, quoniam materies cerebello raró, aut nunquam altiùs inſidens, facilè excutitur, aut in ſanguinem reſorbetur. Quòd autem in corde & diaphragmate tremores & vibrationes celerrimæ ſuccedant, ratio eſt, quoniam hæc corpora, quamdiù à motibus ſuis cohibentur, exerendi ſe nixu laborantia, quamprimum reſtituuntur, intra

tra juſtos limites ſe continere nequeunt, quin totas vires ſimul exerentia, & nimis actuoſa, debitum officii munus excedunt. Hæc ex Viro Clar. fuſiùs adduximus, quia ingeniosè & admodum docte naturam hujus morbi, ejuſque cauſam explicant: unde jam cum vulgo lemuribus atque larvis triſtia ephialticorum viſa, ipſis ſoporatis immitti ſtolidè non ſuſpicandum, aut cum Plinio Faunorum in quiete ludibria vocitanda, aut ad alia ſuperſtitionis phantaſmata recurrendum. Cauſa ſiquidem ab extra nullatenus accedit, ſed intus in imi ventris viſceribus, & ipſo ſanguine accumulata, per vices inter dormiendum in cerebrum irrumpit, ibique tragicos parit effectus, jam ex parte memoratos, & ulterius in morbi diagnoſi mox deſcribenda enarrandos.

V. Diagnoſis ex hiſtoria à Clar. Diemerbroëckio allata, hucque jam adducenda, ſatis declaratur. Mulier quinquagenaria, *inquit*, boni habitus, carnoſa, fortis & plethorica; capitis gravitate & catarrhis ad pectus delabentibus hyberno tempore interdum obnoxia, hac hyeme nullis catarrhis infeſtata, interdiu bene ſana, mente ſenſibuſque integris vixit, ſed nocte ad quietem compoſita, frequenter in ſomno nocturnis ludibriis afficitur: interdum enim putat ſe dæmone obrui & detineri, interdum à magno cane, vel latrone corpori incumbente ſuffocari, adeò ut vix loqui, aut reſpirare poſſit; cumque ſe ab hoc onere expedire nititur, quaſi fortiter detenta, non poteſt membra movere, tantaque anxietate premitur, ut ſe jam ſuffocatum iri putet: atque dum in illa lucta eſt, tandem difficulter & cum ſumma perturbatione interdum ſponte evigilat, interdum à marito, obſcuram, inarticulatam & anxiam eius vocem audiente, è ſomno excitatur, moxque ſe in lecto erigens, aliquandiu celeriter reſpirare cogitur. Sæpè etiam contingit, ut poſtea ad ſomnum ſe iterum componens, in idem malum rurſus incidat. Menſes illi ante decennium ętatis ratione defecerunt. Ex hac incubi hiſtoria, integram eius diagnoſim continente, patet illum nihil propriè cum epilepſia habere commune, & malè à quibuſdam minutæ & nocturnæ epilepſiæ titulo inſigniri. Incubus enim expers eſt omnis convulſionis, præter momentaneam illam celerem reſpirationem quæ paroxyſmum finit, cujuſque rationem ex VVilliſio attulimus: iam verò tota epilepſia in convulſione conſiſtit. Rectiùs itaque incubus exiqua apoplexia dici poſſet, quandoquidem eius natura, ſymptomata atque cauſæ morbo ſiderato, quàm comitiali magis reſpondent, in illumque facilè abit, ut in ſequentibus dicetur.

VI. Incubus, ſi ſępiùs recurrit, & ſi diutiùs perſiſtit, in carum, apoplexiam, melancholiam hypochondriacam, imò maniam facilè degenerat; obeſos & pueros nonnunquam ſuffocat; adfertque Aurelianus ex Silimacho contagioſum & epidemicum incubum Romæ graſſantem multos peſtis inſtar iugulaſſe: Itaque periculoſus eſt affectus. Si tamen rarenter occurrat, vel à crapula oriatur, diſcrimine prorſus vacat. Incubus qui vertiginem mentiſque ſtuporem poſt ſe

ſe relinquit, formidabilis eſt, quia cerebri aliquam idiopathiam, aut impreſſionem in nervis & ſpiritibus nimium permanentem denunciat.

VII. Indicationes ſunt cauſæ antecedentis, ſi quæ adſit, ablatio; cerebri, & nervorum inde ortorum corroboratio, ſpirituumque per eoſdem nervos ad cor & præcordia influentium exhilaratio, & excitatio. Quibus omnibus providebitur, tum iis quæ in ſequentibus tradentur, ubi de melancholicis affectibus dicetur, tum iis quæ ſuprà in affectibus ſoporoſis allata ſunt; ſeligendo ſcilicet ab utraque parte quæ magis apta videbuntur.

CAP. V.

De Convulſionibus.

I. Convulſio vel Spaſmus eſt muſculorum ſuam originem verſus præter voluntatem contractio, per quam membra aut partes variè flectuntur, extenduntur, aut in unam alteramque partem contorquentur.

II. Partem affectam, ſeu muſculum ipſum, ſeu fibras motrices, ſeu nervos ſpirituum vectores dixeris, eodem propemodum res redit. Interim minimè dubitandum quin in convulſionibus univerſalibus, aut ſaltem quæ plures corporis partes occupant, particulæ heterogeneæ & exploſivæ è ſanguine unà (ut vult Clar. VVilliſius) cum ſucco nervoſo inſtillentur, quæ poſtea in nervoſum genus detruſæ, inibi ſpiritibus accreſcant, iiſque diathesin convulſivam inferant.

III. Convulſio autem eſt vel *univerſalis*, vel *particularis*. Univerſalis tres ſunt ſpecies; *Tetanos*, ubi totum corpus rigidum, & in neutram partem flexile manet: *Emproſtotonos*, quando antrorſum; *Opiſtotonos*, quando retrorſum cervix, ſpina dorſi, & reliquæ partes incurvantur. Particularis eſt cùm partes quædam, aut membra, ut oculus, os, brachium, pes, ſeorſim convelluntur. Oris ſpaſmus peculiaria ſortitur nomina, & ſi ab una tantùm parte contrahitur, *ſpaſmus cynicus*; ſi ab utraque, *riſus ſardonicus*; ſi mandibulæ quoque convellantur, & dentes invitè concutiantur, *triſmos* dicitur. Convulſio præterea alia eſt dolorifica, alia ſine dolore.

Diſtinguere etiam ſolent Practici *Convulſionem* à *Motu Convulſivo*; ajuntque in vera convulſione retractionem muſculorum eſſe perpetuam, ſeu continuam & indeſinentem, in motu verò convulſivo eſſe interpolatam: præterea in vera convulſione membrum eſſe immobile, in motu convulſivo variè agitari: ut patet in Epilepſia quæ inter motus convulſivos principem locum obtinet. Deinde in vera convulſione ſenſus omnes plerumque integros eſſe, in motu convulſivo ſæpè lædi. Alias itidem diſtinctiones è cauſis petitas afferunt, convulſionemque à *repletione* & *inanitione*, motum verò convulſivum ab *irritatione* fieri volunt. Verùm inanitio & repletio jamdudum exploſæ ſunt. Ad cæteras diſtinctiones quod attinet, non ita magni ad Praxim momenti eſſe videntur, quin uterque affectus à Celebrioribus Practicis ſæpiſſimè confundatur.

IV. Cau-

IV. Cauſa proxima eſt irritatio partium nervoſarum, quæ in convulſione propriè ſic dicta, continua, in motu convulſivo alternans eſt Clariſſ. Willis particulis heterogeneis & valde exploſivis, ſpiritibus animalibus quæ in hac aut illa corporis regione degunt accreſcentibus, atque particularum mineralium iniquas combinationes, exploſionesque violentas imitantibus, convulſiones acceptas refert. Quandoquidem, *inquit ille*, in motu regulari & ordinario, muſculi impetum motivum & vim elaſticam concipere nequimus, niſi ſpirituum animalium exploſio quædam ſupponatur; certè multò magis, pro inſultibus ſaltem epilepticis, aliiſque convulſionibus admirandis quæ paſſim eveniunt, excitandis, eorundem ſpirituum cum aliis particulis valde efferis complicationes, eorundemque ab invicem eliſiones vehementes requiri, aſſerere licebit. Pro hujuſce ſententiæ clariori intelligentia, conſulenda diſſertatio de Motu Muſculari ab ipſo conſcripta, cui tanquam hypotheſi innititur. Alii Archæi, ſeu ſyſtematis nervoſi Præſidis excandeſcentiæ id tribuunt. Verùm θεὸν ἀπὸ μηχανῆς ſine neceſſitate accerſere videntur; poſitis enim, ſive materia irritante ſola, ſalino ſc. acri; ſive VVilliſii exploſionibus, ab ejuſdem materiæ combinationibus ortis; poſita præterea ſpirituum animalium, tùm mobilitate, tum motu per nervos reciproco, nullas videmus inſolubiles ſuper hac re difficultates.

Cauſæ mediatæ Sylvio ſunt humor, halituſvè acidus, aut acris ad ſpinalis medullæ exortum, in convulſione univerſali; ad nervum aut muſculum quempiam peculiarem, in particulari delatus. De halitibus, vide quæ ſupra Cap. de Epilepſia annotavimus. Ad humores quod ſpectat, ſuccos acidos, aut acres & ſalino-ſulphureos, bilem aduſtam, pituitam aceſcentem, & melancholiam hujuſmodi affectum producere poſſe, nemo negaverit. Huc etiam referenda venena omnia, & ipſa fortiora cathartica, morſus animalium venenatorum, aut iratorum, vulnera, ictus, puncturæ, & inflammationes muſculorum, juxta ſuos aut tendines fibrarum nervoſarum.

V. Affectus hic facilè dignoſcitur, nam muſculi præter voluntatem contractio ſignum ejus eſt pathognomonicum.

VI. A ſuperpurgatione, aut immodico ſanguinis profluvio convulſio malum Hippocr. Aphor. 3. & 4. ſect. 5. A Phrenitide convulſio lethalis. Imo in omnibus febribus ardentibus pernicioſiſſimæ ſunt convulſiones; quapropter ex Hippocr. præſtat febrem convulſioni, quam convulſionem febri ſupervenire. Quæ à veneno aſſumpto, aut venenati animalis morſu, aut punctura, peſſimi ſemper ſunt ominis. Datur tamen caſus in quo boni ominis ſunt convulſiones; Sic negabat Dominus Stephanus Le Clerc, dum viveret Medicinæ Doctor & Reip. Genevenſis Senator, ſe ullum unquam è pueris qui ante variolarum eruptionem convulſionibus tentarentur, vidiſſe qui perierit. Idem ſemper & nos obſervavimus, & poſtmodum à Clariſſ. Sydenham diligentiſſimo & accuratiſſimo morborum hiſtoriæ ſcriptore, etiam obſervatum vidimus.

VII. Indicationes quod ſpectat præter illas quæ venenis aſſumptis, veneri immodicæ, aliiſque ſive morbis prægreſſis, ſive cauſis evidentibus, unde ſæpiſſime enaſcuntur convulſiones, debentur: in ſpecie requiritur materiæ heterogeneæ evacuatio & eradicatio, & ſpirituum animalium in motus efferos & inordinatos actorum, ad tranquillitatem motibus naturaliter peragendis neceſſariam reductio.

VIII. Hiſce duabus indicationibus ſatisfieri debet per remedia, tum univerſalia, tum particularia: Inter univerſalia ſunt clyſteres acriores veneſectio, ſi nihil contra indicet, qua ſpiritibus multa conciliatur quies, purgantia paulò fortiora. Particularia ſunt volatilia omnia, caſtoreum, &c. narcoticis etiam cum cautionibus neceſſariis maritata, balneum frigidum ex Hippocrate; illaque tandem omnia de quibus in Epilepſiæ curatione ſuprà fuſè egimus; illuc itaque Lectorem remittentes jam nihil ampliùs addimus.

Caput VI.

De Dolore Capitis.

I. Dolorem capitis ideò aliis in ſequentibus deſcribendis capitis morbis præmittimus, quòd ille in his propè omnibus agmen ducat, ſitque ſymptoma maximè familiare. Variis autem inſignitur nominibus ſc. vel Cephalea, vel Cephalalgia, vel Hemicrania, dicitur. Cephalea eſt dolor inveteratus & habitualis caput totum, aut partem eius maximam quaſi diſcerpens. Cephalalgia eſt idem revera dolor, ſed recentior. Hemicrania verò eſt dolor medium caput afficiens, & periodicè ut plurimùm recurrens.

II. De parte affecta non eſt quòd verba faciamus.

III. Differentiæ, prꝫter illas quas mox recenſuimus ſunt apud Practicos multꝫ. Alius ſcilicet dolor interiora occupat, nempe meninges, alius exteriora tantùm, & rurſus vel in ipſo pericranio, vel in cute ſuperpoſita ſedet. Alius eſt idiopathicus & eſſentialis, ex cerebri vitio depēdens, alius Sympathicus & ſymptomaticus morborum aliorum ſc. conſectaneus; alius eſt pungitivus, acer, erodens, ac perforans, alius diſtendens, alius gravans, & alius pulſans.

IV. Cauſæ ſunt tam multiplices, ut vix omnes enumerari queant. Aliquando ſanguis, aliquando ſerum, aliquando ſuccus nutritius, aliquando liquor nerveus, aliquando plures humores ſimul congreſſi & mutuo effervescentes, ut VVilliſio placet, dolores hos excitant. Rurſus cauſarum remotarum nomine veniunt, quæcunque materiam morbificam aliunde in partem transferre; aut illam in cerebro & capite priùs hoſpitantem commovere aptæ ſunt; aut denique fibris ipſis cerebri membranaceis jam prædiſpoſitis, aliarum partium conſenſu, dolorem imprimunt. Itaque præter ſanguinem &c. recrementa bilioſa, acida, ac aliàs vitioſa vel ab externo aëre, vel à victu inordinato, aliiſque in rebus non naturalibus commiſſis erroribus, commota, affectionem iſtam paſſim afferunt. Sic etiam, obſervante VVilliſio cum aliis Practicis, ſpaſmis in partibus ad aliis inceptis, ab iiſque

ad

ad ἐγκέφαλον continuatis cephalalgiæ non raro atroces ſuccedunt. In ſpecie autem pungitivus interior, effuſionem in cerebri meninges, gravativus in ſubſtantiam cerebri, tenſivus, humoris fermentationem & dilatationem cum ejuſdem effuſione pro cauſa habet.

V. De Diagnoſi pauca habemus dicenda; obſervandum tantùm quòd ubi exteriora & pericranium ipſum dolor occupat, tum capillorum radices inverti non ſinit, & capitis preſſu exacuitur: cùm verò in interioribus verſatur, iiſdem miteſcit. Falſum eſt & à veritate prorſus alienum, ut jam obſervavit Fernelius, interiores ſolos dolores ad oculorum uſque radices pertinere: nam & externi eodem ſæpe pertingunt, quòd & pericranium cui inſident, oculorum cavum ſuccingat. Diagnoſim verò cauſæ quod attinet ea paulò eſt obſcurior, nec ita facilè pronunciari poteſt in dolore perpetuo & indefinenti, an cranii nimia denſitas, meningum exulceratio, vermes in parte, aut humores ſint accuſandi; interim ut plurimum qui ab humoribus procreatur, propenſionem ad ſomnum facit; qui ab exulceratione dolorem atrociſſimum parit, præcipuè dum pars corroditur; qui vermes pro cauſa agnoſcit pungitivus eſt & perforans, ſed hæc omnia per ſolam cranii aperturam perfectè innoteſcunt, quo tempore medicinæ non ampliùs datur locus. Quando verò à plethora, vel ſanguinis acrimonia bilioſa, aut melancholica oritur morbus, ille per ſigna concomitantia ſe commodè patefacit.

VI. Ex Hippocrate, dolores capitis recenter oborti non admodum metuendi ſunt, niſi illis ſine febre accedat tenebricoſa vertigo, tarditas vocis, manuum ſtupor: & tum vel apoplexiam, vel epilepſiam, vel lethargum oportet expectare. Inveterati quoque capitis dolores minùs periculoſi, quàm aliarum partium ſunt: ſi tamen pluribus annis, non ſemper eodem loco fixi perdurēt, cœcitatem minantur. Quibus verò, vel pus, vel aqua, vel ſanguis per nares, os, aut aures effluit, iis morbus non rarò ſolvitur. Sic idem habet Aphor. 51. ſect. 6. Qui valentes capitis doloribus repentè corripiuntur, & protinus muti fiunt & ſtertunt, intra ſeptem dies intereunt, niſi febris eos prehenderit. Qui à levioribus procatarcticis cauſis, inſolatione, ebrietate, aliiſque id genus excitatur dolor, minus eſt periculoſus, ut & qui exteriora afficit.

VII. Indicationes variæ in dolore capitis ſimptomatico, ſeu ſympathico ex variis unde oritur morbis, peti poſſunt, ſed eas hic perſequi eſſet per totam propè medicinam divagari, eas itaque hic tantùm adnotabimus quæ cerebrum ſpectant, ſive illud ſibi ipſi malum cudat, ſive extraneæ officinæ illud acceptum debeat. Sunt autem materiæ morbificæ evacuatio, cum in genere, tum in ſpecie, & in particulari è capite, doloris ſedatio, partis affectæ corroboratio, ut & viſcerum omnium pro impediendo novorum ſalium fixiorum particularumque terreſtriorum, & etiam pituitoſarum alias quaſi irretientium, & cerebro ejuſdemque membranis, ut & pericranio, &c. impingentium, novo proventu.

VIII. Hoſce in fines proderunt

præter univerſalia, venæ ſc. ſectiones, & purgationes, cucurbitulæ partibus, tum ſupernis, tum infernis cum ſcarificatione admotæ, veſicatoria variis partibus, & præcipuè capiti vicinioribus applicata, arteriotomia in temporibus inſtituta, jugularium venarum, & venæ frontis apertio, ſanguinis è naſo per hirudines eductio, cauterium occipiti inuſtum, & ipſum etiam trepanum in caſu aliàs deſperato adhibitum. Topica poterunt itidem concinnari varia, eaque temporibus, vertici, aliiſque capitis regionibus, pro ratione doloris, ejuſdemque ſedis, adaptari, poſſunt autem forma litus, cataplaſmatis, emplaſtri, fotuum, ſacculorum & pulverum applicari, inter ea omnia expertus maximè laudo oleum gummi tacamahacæ ſtillat. & præcipuè volatilibus artificiosè maritatum ad guttas aliquot unguento alabaſtrino, vel butyro recenti & inſulſo, vel oleo nuciſtæ admiſtum & temporibus præcipuè inunctum. De balneo, pediluviis, ut & remediis plantis pedum adligandis non loquimur, ut & neque de potu coffée & herbæ thée variiſque medicamentis interiùs aſſumendis, anodynis ſc. & etiam neceſſitate urgente, nihilque contra indicante, narcoticis, forma emulſionum, julapiorum, ſyruporum, pilularum, & tabellarum exhibendis; verbum tantum dicemus de volatilibus, & in ſpecie de ſale volatili cranii humani, cujus efficaciam in malo, aliis omnibus cedere neſcio, non ſemel admirati ſumus; ejuſce autem exhibendi modum in formulis jam afferendis trademus.

Medicamenta in doloribus capitis.

Præter ea quæ in cerebri affectibus è cephalicis jam adducta ſunt, meritò laudanda veniunt, Fol. ariſtolochiæ longæ & rotundæ, betonicæ, majoran. ſerpill. verbenæ. Flor. caryophyll. hortenſ. roſar. Radic. caryophyllatæ, peucedani, valerianæ. Cortex cinnam. Semen major. nigellæ. Fructus ceraſor. dulc. & nigr. perſic. cardam. juniper. Lign. aloës, ſantal. Gumm. tacamahac. ſagapen. Os tali ſuum, ut quibuſdam creditur, ciconiæ ſtercus, columbæ vivæ, earundemque fimus, pennæ upupæ, cancri, haleces. Aquæ cephal. aromat. damaſcen. odor. imperial. picarum compoſ. ſalviæ compoſ. Balſam. apoplect. Vin. medic. cephal. Pilul. Marocoſtin. de ſuccino. Unguent. narcot. Phlegma vitriol. aliaque id genus in Pharmacopœis paſſim obvia.

Formulæ medicamentorum purgantium.

♃. Folior. ſenn. mundat. ℥iij.
Rhei electi ʒj.
Folior. roriſmar. & ſummitat. lavendul. āā p. ß.
Sal cardui bened. gr. xv.
Infundatur & leviter bulliant in ſ. q. decoct. tenuis radic. bardanæ ad colat. ℥v. diſſolve Syr. magiſtral. Argenter. ʒx. extracti hellebori nigr. ʒß. atque ſi opus eſt, jalapp. pulver. gr. xv. M. F. potio quam ſumat horis matutinis.

Vel

♃. Maſſ. pilular. de ſuccino Craton. ʒiij.
Diaphoretic. mart. ʒj.
Tartar. vitriol. ʒß.
Trochiſcor. alandhal. gr. xviij.

Olei

Olei ſtillat. ſalviæ gutt. iv.

Cum aq. imperial. gutt. aliquot formentur pilulæ minores pro ſex doſibus ſumat tertio quoque die, eundo cubitum, vel etiam ſi placet, matutinis horis.

Formulæ medicamentorum Caput in particulari expurgantium.

℞. Succi betæ, majoran. & betonicæ āā q. v. deſtilla lento igne organis vitreis in arena; aquæ elicitæ adde aquæ reginæ Hungar. æquas partes utatur pro errhino.

Vel

℞. Folior. majoranæ, ſalviæ, roriſmar. āā p. j.
Flor. lilior. conval. M. ß.
Radic. ireos Florent. hellebor. alb. āā ʒij.
Pyretri, angelicæ, imperator. āā ʒiß
Ladani, ſtorac. āā ℈iv.
Oleor. ſtillat. lavendulæ, rutæ, ſuccin. macis. garyophyll. āā gutt. iij.
M. F. Pulvis ſternutatorius, ſæpiùs in nares attrahendus.

Formulæ medicamentorum anodynorum & corroborantium.

℞. Aquar. lilior. convall. flor. tiliæ pæoniæ, imperial. āā ℥j.
Syrup. ſtœchados Arabic. ʒx.
Sal. volat. cornu cervi, vel cranii humani ʒß.
Extracti opii è ſucco cydoniorum per fermentationem ad modum à Langelotto præſcriptum parati gr. ij.
Olei ſtillat. roriſmar. gutt. iij. ſaccharo excepti.
M. F. Iulep. utatur ex cochleari per intervalla, urgentibus doloribus, ſique aliquid contra indicet, abſtineatur ab opio.

Vel

℞. Conſerv. lilior. convall. florum ſalviæ, betonicæ, anthos āā ℥j.
Ungulæ alces, & cranii humani cum rore vitriol. ppt. āā ʒiij.
Pulver. anodyni ex æquis partibus ſuccini alb. corallor. rubr. margar. & opii parati ℈j.
Olei ſtill. lavendul. ſacch. excepti gutt. v.
Cum ſuff. quant. Syr. conditur æ nucis moſchatæ, & de corticibus citri F. opiata mediocris conſiſtentiæ de qua ſumat mane & veſperi ad quant. nuciſtæ; addendo unicuique doſi ſal. volat. cranii human. gr. vj. & ſumendo ex nebulis.

Hartmannus ſequentes habet pilulas capitales confortantes.

℞. Olei camphor. (fact. ejus ſolutione in ſpicæ oleo āā) gutt. vj.
Gummi ladani cum ſpir. vini extracti ℈j.
Moſchi optimi gr. iij.
M. F. Cum aq. major. & mucagine tragacanthæ pilulæ ponder. ſingul. gr. iv. Doſ. pilul. ij. vel iij. ad ſummum, circa veſperam, iteratis vicibus, ſi opus eſt.

Formulas medicamentorum topicorum Clariſſ. Diemerbroëkius has habet.

℞. Olei nucis moſchatæ expreſſi ʒj.
Thymi, roriſmar. anethi ſtill. āā ℈j.
M. F. Linimentum.
Poſt hanc inunctionem ſequens cucupha capiti imponatur.
℞. Folior. roriſmar. major. āā ʒß.
Flor. meliloti, roſar. rubr. lavendulæ

dulæ āā ʒj.
Rad. ireos florent.
Nucis moſcat.
Caryophyli aromat.
Benzoini āā ℈j.

F. Pulvis groſſus pro cucupha, quam per menſem unum aut alterum capiti impoſitam geſtet.

Hartmannus habet ſequent.

℞. Semin. milii part. iv.
Sal toſti part. j.
M. F. Sacculi capiti quotidie ter aut quater calidè applicandi.

Amuletum ex verbena.

Paratur ex verbena tota contuſa capiti impoſita.

Vel

Cum radice ſic è collo ſuſpenſa, ut radix ſurſum vergat. Verbena autem cum terra quæ radici adhæret, eruenda, & mox prehenſa radix ipſa per terram ordine inverſo ducenda (*hæc ſuperſtitionem omnino redolent.*)

Epithema ex Zedoaria.

℞. Zedoar. pulver. q. v.
Irrigetur aq. flor. Sambuc. roſar. beton. vel communi, & nuchæ applicetur debitè.

Miſtura pro applicatione.

℞. Aq. roſar. Sambuc. āā ℥iv.
Camphor. ʒij.
Moſch. opt. gr. iij. ad vj.
Extract. carlin. ʒß.
Olei ſpic. ʒij.

Diſſolve camphor. in oleo ſpicæ, & miſce omnia, & in petiis applica dolenti capiti in magnis caloribus. In febrib. verò ab æſtu ſolis, applica ad tempora & carpum.

Specificum in doloribus frigidis.

℞. Piper. longi ℥iij.
Pulvera craſſiuſculè, & extrahe cum ſpiritu vini & ſerva. Vſus talis eſt.

Fiat ſacculus cum ſuccino alb. pulverato craſſiuſculè: qui interpaſtetur, & in hac eſſentia piperis madefactus calidè applicetur ſuturæ coronali. Prodeſt maximè, ſi præmittatur evacuatio univerſal. per alvum.

Nihil hic adjicimus de gumm. tacamahac. oleo ſtill. &c. de quibus quædam in ſuperioribus attulimus. Nec aliquid præterea de remediis plantis pedum adligandis addimus, quia eorum formulæ paſſim occurrunt, & mulierculis noſtratibus etiam ſunt obviæ.

CAP. VII.

De Phrenitide.

I. Immanes capitis dolores, præcipuè à febribus ortos, aliquando conſequitur Phrenitis, quæ eſt deſipientia, ſeu potius delirium ferox & continuum, ab inflammatione meningum, *ut vulgo creditur*], cum febre ſynocha.

II. Pars affecta, ut ex definitione ſignificatur, vulgo creduntur cerebri meninges, in quas fit inflammatoria effuſio, per arterias ſanguinem bilioſum & acre, aliaſque vitioſum adducentes. Verùm nobis ipſis cum Williſio aliud aliquando conſtitit ex anatomica demonſtratione, ſc. inflammatio prædicta ſine phrenitide viſa, eſt ut & phrenitis ſine inflammatione. Præſtabit itaque cerebrum ejuſque

que meninges in genere, atque ſpiritus efferos, ut Williſio placet, è ſanguine intenſiùs ardeſcente extillatos, cerebri poris ſe ſe inſinuantes, ſpiritusque genuinos quaſi accendentes, & in motus pernicioſiſſimos, ac velut fulguratos cogentes, accuſare.

III. Differt Phrenitis à ſimplici delirio 1. quòd delirium ſit morbi gravioris, v. g. febris ſymptoma; phrenitis verò ipſius febris ſæpè cauſa 2. quòd frequens admodum ſit delirium, phrenitis verò rariſſima. 3. quòd delirium ſit quaſi interpolata deſipientia, eaque multo minus quàm phrenitis, ferox. Nam ut habet Williſius; in delirio ſpirituum cerebri incolarum perturbatio, velut aquarum in fluvio à lapide injecto undulatio, excitata: verùm in phreneſi illorum commotio, quaſi fluctuum à turbine inſanientium æſtus videtur.

IV. Cauſa phreneſeos remota eſt intemperans victus, aliaque, quibus bilioſi ſanguinis, particulis ſc. multis ſulphureis atque acrioribus onuſti, fit aggeſtio. Proxima verò ipſa particularum prænemoratarum cum ſanguine evectarum, in propriam cerebri ſubſtantiam, & aliquando in ejus meninges, effuſio inflammatoria, qua ſpiritus non tantùm in motus aguntur efferos, ſed etiam pars ipſa corrumpi poteſt.

V. Diagnoſis morbi præſentis ex ejus definitione, ſeu potius deſcriptione jam allata, eſt manifeſta. Adventantem autem ſignificant vigiliæ, aut ſaltem ſomni turbulenti, ſermo immodicus, capitis dolor intenſus, oculorum rubor & lachrymatio, urinæ è craſſa & turbida in tenuem & diaphanam immutatio.

VI. Periculi plenam eſſe phrenitidem autores omnes pronunciant. ipſi enim, & apoplexia, & cerebri vera inflãmatio, & ſyncope, & cõvulſiones, & lethargus, & mania &c. non rarò ſuperveniunt. Quæ crebro remittit minus eſt periculoſa quàm quæ eſt indiſcontinua. Ex Hippocr. quæ phrenitis peripneumoniæ ſupervenit omnino mala; ut & quę cum urinis albis, & magna ferocia.

VII. Indicationes ſunt 1. bilioſi ſanguinis copioſiùs ad caput affluentis evacuatio, derivatio & revulſio. 2. humoris correctio. 3. ſpirituum ſedatio.

VIII. Hoſce in fines adhibebuntur venæſectiones variæ, eæque etiam copioſæ, cucurbitulæ ſcarificatæ, veſicatoria, purgationes validæ, julepi anodyni atque emulſiones quibus paregorica tanquam ſacra adjungentur anchora, capitis tandem fotus ex lacte calido & aliis, itemque pediluvia è capitibus papaver. albi, foliis hyoſciami, floribus nympheæ, & papaver. rhæados lacti incoctis, aliaque id genus quorum maxima pars cap. de dolore capitis fuit enarrata.

De medicamentis contra phrenitidem, eorundemque formulis nihil hic addimus; ſufficiat curationem per ſui varias partes, verbo tantùm attigiſſe.

Caput VIII.

De Melancholia & Mania.

I. Melancholia & Mania tam ſunt affines morbi, ut vices ſæpè commutent, alterque in alterum tranſeat, non ineptè itaque eos uno eodem-

eodemque capite complectemur, adnotatis utriuſque differentiis; quas primò ex definitionibus colligere eſt.

Melancholia eſt mentis alienatio qua laborantes cogitant, loquuntur, & efficiunt abſurda, eaque ſine febre, ſed cum metu & triſtitia, abſque ulla cauſa apparente.

Mania verò eſt mentis diuturna remotio, ad melancholicorum quidem deliramenta accedens, ſed cum feroci audacia atque furore.

II. Pars affecta eſt cerebrum, illudque liquet ex imaginatione ſimpliciter læſa in melancholicis cum timore & triſtitia: atque ex furore, vigiliis perpetuis & audacia maniæ familiaribus. Non negamus interim alias etiam compati partes, vix enim ſpirituum animalium, imò & animæ ipſius ſedes affligitur, quin partes eorundem regimini ſubjectæ malè habeant.

III. Cauſa melancholiæ nobis non erit ſpiritus animalis tenebricoſus & niger, unde anima in ſpiritibus tanquam in aqua limpida, aut terſo nitidoque ſpeculo, haud ampliùs rerum imagines ſinceriter ac liquido contueatur, ſed ob caliginem terrore & metu perturbetur; hæc enim ſunt inania omnino verba; ut & ſicca atque calida cerebri intemperies ab humore atrabilario oriunda, cui Galenus maniam tanquam fœtum legitimum accenſet. Præſtat ſanè ad ſpirituum animalium inordinationem, in mania majorem & vehementiorem; in melancholia verò mitiorem recurrere, inordinationi enim illi deliria omnia ſuos debent natales; jam verò inordinationem hanc faciunt, vel gravia infortunia, vel alia cerebrum perturbantia quæ recenſere longum foret. Sanguinis autem conſtitutio cùm in melancholicis ſit craſſa & acida, ſpiritus inde orti naturæ ſunt fixioris, aut ſaltem minùs volatilis, unde non mirum ſi illis quæ ſemel preſſerunt veſtigiis diutiùs immorentur, minuſque facilè ſe ſe extricare valentes animam in eadem cogitatione diu & obſtinatè detineant. In maniacis verò partes ſanguinis ſalino-acidæ ita ſunt exaltatæ, ut ad ſpirituum nitroſorum naturam propè accedant, impetumque facere ſemper ſint paratæ.

IV. Differt melancholia à mania quod hæc furorem comitem habeat, illa verò minimè. Varię præterea dantur melancholicarum affectionum differentiæ, alia enim dicitur idiopathica, quæ indeſinenter affligit, etſi incrementis atque laxamentis ſit diſcriminata, fitque, ut credunt, ab humore intra cerebri limites propriè coërcito; alia ſympathica, quæ fit à materia, unde etiam fit in cerebrum incurſante; alia particularis quæ circa objectum quodpiam in ſpecie verſatur, alia univerſalis quæ eſt amentia ad omnia, aut pleraque propoſita ſe ſe extendens; & rurſus particularem quod ſpectat ea eſt quaſi Protheus variis formis & figuris ſuos ægros ludens, hic enim metuens ne Athlas mundi onere gravatus ipſum excutiat, fugam extra mundi limites meditatur, ille è butyro ſe compaginatum credens, ignis viciniam averſatur, ut & ille qui ſe totum ſtramineum reputat, ille ſe è vitro conſtructum opinatus, corporum durorum viciniam

& alli-

& alliſionem reformidat, ille ſe mortalitatem explevisſe autumans, intra ſepulchrorum clauſtra recondit. Sed quid omnia imaginationis & mentis læſæ in melancholicis ludibria perſequimur, innumera hęc ſunt, inter quæ ſufficiat hæc attigiſſe.

V. Incipientem melancholiam ſignificant demiſſio & hebetudo animi, ſui ſuorumque negligentia, vitæ tanquam acerbæ & amaræ contemptus, metui tamen aſſociatus. Maniam præcedunt vigiliæ, parva deliramenta, multiloquium, aliaque id genus; Cùm verò melancholica atque maniaca ægritudo totam jam acquiſivere vim in eo conveniunt, quod in utraque adſit inſania, ſed dum revera maniaci cogitatione, verbo, aut opere melancholicorum deliramenta imitantur, iracundia, jurgiis, clamoribus & horrendo adſpectu, multò denique majore corporis impetu & perturbatione mentis ab hiſce dignoſcuntur; nam ut habet Fernelius à morbo ita impelluntur, ut quaſi feræ & immanes belluæ, in obvios dentibus, unguibus, & pugnis inuſitata rabie petulanter invadant.

VI. Melancholia quamvis gravis & moleſtus morbus, non eſt tamen lethalis, ſecundum Hippocr. ſanatur à varicibus & hæmorrhoidibus. Si verò in maniam abierit, tunc difficillimè curatur, tum per ſe, tum per ægri inobedientiam. Interim hic morbus ex Hippocr. effato ſolvitur ecſtaſi, dyſenteria, hydrope, varicibus, hæmorrhoidibus.

VII. Indicationes ſunt 1. ut humor melancholicus præparetur, evacuetur, atque fervor ſanguinis & ſpirituum in maniacis extinguatur 2. ut nova humoris generatio impediatur. 3. ut viſcera affecta corroborentur.

VIII. Hiſce indicationibus implendis facient 1. ratione melancholiæ, potius alterantia atque particularia remedia, quàm purgantia validiora, atque univerſalia dicta medicamenta, itaque venæſectiones ſint rariores, eæque inſtituantur vel in pede, vel in venis ſedis per hirudines, vel in vena frontis, idque præcipuè ſi æſtus febris & plethora adſit, nam tunc per plures vias ſanguis etiam largiori copia venit educendus; Clyſteres ſint frequentis uſus vino emetico etiam prægnantes, eos concomitentur variæ decoctiones rad. chinæ, ligni ſaſſaffras, cortic. rad. cappar. & tamariſci, fol. naſturtii, flor. geniſtæ, ſambuci aliorumque; poſt ad purgationem deveniatur, tum per pilulas, tum per pulveres, tum per potiones &c. & tandem ad ſalia volatilia, & fixa, chalybem, aquas minerales & balnea eatur. 2. ratione maniæ primum locum tenet ſanguinis miſſio, & ſæpiùs & copioſiùs repetita, ita ruſticum empiricum vidit Fælix Platerus qui maniacos curare ſolebat ſeptuageſies una ſeptimana venis diverſis in locis apertis. Cucurbitulæ applicentur, clyſteres injiciantur eique acres; purgantia ſint ex reſina jalappæ, elleboro nigro, ſcammonio, mercurio vitæ, criſtallis lunæ aliiſque id genus, interim non omittantur narcotica & anodyna, tum extus, tum intus; quidam tanquam ſecretum commendant pulverem è ſanguine muli menſe Majo educto & deſiccato, ad ʒj. aliquoties exhibi-

tum, alii balneum aquæ frigidæ atque etiam iteratam immerſionem in fluvium, lacum, aut mare, imò etiam in caſu deſperato trepanum.

Medicamenta pro Melancholia & Mania.

Folia meliſſæ, verbenæ, epithymi. Rad. Scorſoneræ. Omentum hirci, pica, ſanguis aſini & muli, anas viva, ſpirit. viperarum, noctuæ caro. Lapis armenus, lazuli. Elixyr vitæ Quercet. pilulæ tartar. ejuſdem, ſulphur vitrioli anodynum, aut ſaltem primum ens veneris ipſi ex parte reſpondens, magiſter. vitrioli, oleum gagatis, pulvis ſtomachicus Quercet. tinctura corall. Baſilii, antimonialiaque omnia.

Formulas quod attinet eas hic non alias adducemus quàm ex Hartmanno petitas pro ſpecificis ipſi habitas, aliæ enim commodè ſatis colligi poſſunt, tum ex iis quæ mox in curatione, tum ex aliis quæ in variis capitis morbis adduximus; ſic itaque ille.

In melancholia præter purgantia inter quæ ſpecificum Paracelſi purgans meritò laudandum, valet 1. eſſentia croci cum aqua vitis deſtillata, ſc. aqua hæc ex vitibus inciſis colligitur, poſteaque conſervationis gratia deſtillatur 2. extractum alkermes cum extracto gummi ladani, adjecta particula ambræ & moſchi in forma pilularum, extractum autem illud Kermes ex ſucco pomorum redolentium paratur, & diutius conſervatur, ſi poſt confectam præparationem ſpiritus vini admiſcetur. 3. extractum lapid. lazuli quod ſic paratur,

♃. Lapid. lazuli q. v.

Candefiat ſexies, vel ſepties, & toties extinguatur in ſpir. vini, tandem in pulverem redigatur, & cum aqua meliſſæ ipſius recrementa terrea eluantur. Pulvis tenuiſſimus cum ſpir. vini digeratur per ſeptimanas tres vel quatuor. Poſtremò per deſtillationem aufer ſpir. vini à toto, & remanentiam diligenter ſerva. Doſ. à ℈ß. ad ℈j.

Melancholicos item pulvis fumariæ ſæpiùs exhibitus liberat, item aqua & conſerva hellenii, ut & eſſentia chelidonii minoris in melancholia hypochondriaca mirè conferunt.

Aqua antihypochondriaca.

♃. Flor. borragin. bugloſſ. ſtœchad. arabic. āā ℥ß.
Fol. roriſmar. major. meliſſ. āā ℥iiß.
Rad. bugloſſ. ʒij. } *forſan melius eſſet pro ʒ. ℥. habere*
Pœoniæ ʒj.
Aq. bugloſſ. borrag. āā ℥iij.
Syr. granat. ℥ijß.
Pulver. cinnam. craſſiuſculè contuſi, galang. caryophyll. croci,
Sem. baſilic. āā ʒj.

Affunde vini Rhenenſis ℔iij. Stent in infuſione per duos treſvè dies; deinde deſtillentur in B.

In mania poſt vomitorium, ſumat per aliquot dies decoctum anagallidis flore purpureo, ſine omni additamento.

Præparetur ſimul & hoc lixivium capitale.

♃. Herbar. cephalic. cum florib. q. v.
Coque in aq. fontana, deinde
♃. Baccar. lauri
Rad. hellebor. nigri āā q. ſ.

Con-

Contundantur ſimul craſſiuſcule & inſuantur ſacculo interpaſſato ac longiori; ſacculum incoque aliquandiu in propoſito lixivio. Tandem per novem dies continuos accipe ſingulis diebus lixivii iſtius ℔ij. calefac & cum linteis in eo madefactis leviterque expreſſis fove caput raſum per integram horam. Poſtea ſacculum iſtum applica ſuturæ coronali (quandiu calet) cum bona ligatura. Patiens recumbat in lecto, & ſi fieri poteſt, quieſcat. Tum mira expurgantur per omnia capitis emunctoria, & alvus ſimul aliquandiu fluit. Vnde colligitur à quibuſdam uſum ellebori apud veteres fuiſſe externum potiùs quàm internum.

CAPUT IX.

De Vertigine.

I. VErtigo eſt affectio cerebrum ſeu ſpiritus ita exagitans, ut objecta circumſtantia propriumque corpus in gyrum agi, exaltari, vel ſubverti videantur, unde laborans ſæpè corruit, niſi propinquis nitatur adminiculis.

II. Hanc affectionem in cerebro fieri manifeſtum eſt, cùm viſionis illa læſio, quæ motum circularem in objectis quieſcentibus obſervat, non procedat à vitio aut oculi, aut medii, aut objecti, ſed à ſpiritibus cerebri incolis volutatim & circulariter, non verò directè nervos percurrentibus, ſicque motus & ſenſationis munia ritè non perficientibus.

III. Cauſa proxima creditur Fernelio tenuis calidusque vapor per arterias in cerebri ventriculos irrepens, qui in plexu choroide ſpiritus & humores exagitans & variè impellens, turbulentos ſenſus motuſque reddit, qui vapor non aſſiduò, ſed circuitibus, & quoties cauſarum evidentium vi cietur, efflari conſuevit, & interdum in cerebro ſæpiùs in ventriculo & præcordiis aliiſvè partibus ſubſidet. Verùm præterquàm quod vaporum doctrina jam exploſa à multis eſt, demonſtratione anatomica conſtat cerebri ventriculos potius hujuſce viſceris eſſe cloacas, quàm ſpirituum animalium officinas aut emporia, plexumque choroidem per multiplices ſibi intertextas glandulas in ventriculorum cavum humorem excrementitium potiùs amandare, quàm ſpiritibus (ſi ita loqui fas eſt) pelicanandis inſervire. Præſtabit itaque obſtructionem in cerebro, aut ſaltem iis quæ ab interioribus ad oculos tendunt viis, agnoſcere, unde ſpiritus in obicem ſibi poſitum quaſi allidentes variè reflectantur, tumultuſque agant. Cauſæ evidentes ſunt auſtrinus mador, repentinus è domicilio concluſo & anguſtiore in apertum locum tranſitus, lux ſplendidior, ſoni ingentes & acuti, acres odores, longior & rigidior inedia, vapida omnia dicta, qualia ſunt legumina, lolium, cicuta, ac præſertim vinum, hypercatharſis, profuſa hæmorrhagia, tuſſis vehemens, fixus oculorum obtutus, vectio, navigatio, balneum, ira vehementior, atque timor; quibus adde capitis colliſionem, ejuſdem continuatam inclinationem, corporis cyclophoriam celeriorem ac centro propiorem, & rerum impetuoſius circumgiratarum,

aquarumvé vorticoſarum aſpectum.

IV. E' ſupra dictis facillimum eſt elicere in quibus & quomodo vertigo differat ab aliis capitis morbis; Ipſam verò affectionem quod ſpectat alia eſt ſimplex, alia tenebricoſa, alia nihil præter girationem objecti realiter exiſtentis, alia verò provolantes culices, ſalientes pulices, innumeraque ſibi minimè objecta, quaſi obverſantia, videt, alia præterea eſt idiopatica in qua cerebrum eſt affectum per obſtructionem in cauſa vertiginis proxima recenſitam, alia ſympathica à quibuſdam ex cauſis evidentibus enarratis, aliiſque id genus orta.

V. Idiopathicam vertiginem arguunt prævius capitis dolor, ſenſuum variorum injuria, & præcipuè aurium tinnitus, ægritudinis aut perennitas, aut contumacia, atque paroxyſmorum levi de cauſa, & ex mentis v. g. tantùm cogitationibus invaſio. Sympathicam verò ſignificant & intermiſſio morbi, & acceſſionum raritas atque brevitas, & morbi atque cauſæ ipſius productivæ extra advenientium conſideratio.

VI. Vertigo ex ſe ſatis eſt tutus morbus, ſed timendum vel à caſu vehementiori ipſi familiari, vel ab epilepſia in quam aliquando degenerat. Quæ à cauſa evidenti oritur, multò minus eſt periculoſa, quàm quæ proprio cerebri vitio fit; illa enim citò evaneſcit, hæc verò in carum & apoplexiam quorum prænuncia eſt, aliquando deſinit. Vertiginem cephalalgia ſolvit.

VII. Indicationes ſunt 1. Cauſæ antecedentis procatarcticæ & continentis ablatio 2. Cerebri & ſpirituum corroboratio.

VIII. In curatione itaque dum attenditur ad omnes cauſas morbum producentes videndum, ſi deficiant ſpiritus, ut ipſi reparentur, ſi laboret ventriculus, vel præ debilitate, vel præ onere, vel præ acrimonia ei impacta, ut ab hiſce liberetur, ſi tabaci fumus, inſolatio, plethora, aliaque id genus accuſanda veniant, eadem tollantur. Si verò ex ipſius cerebri vitio ſc. ex obſtructione, & aliquando meatuum & canaliculorum in nervis excavatorum anguſtia, enaſcatur, tum expurgandum venit caput, ſpiritibuſque vires addendæ, expurgabitur autem per pilulas & pulveres multiplices, ut & alia medicamenta, item per veſicatoria, maſticatoria, apophlegmatiſmos, errhina; ſpiritus recreabuntur & acuentur volatilibus ſæpius aſſumptis quorum tantam in omnibus propè capitis morbis energiam vidi, ut hiſce in caſibus mihi ad inſtar panaceæ ſint, ſed illis diutius inſiſtendum, nec cura ab una aut altera doſi expectanda; laudo præterea remedia chalybeata melioris notæ, & præcipuè crocum martis per volatilia confectum, ut & plura remedia, tum in epilepſia, tum in comate & caro, aliiſque cerebri affectionibus allata.

Medicamenta pro vertigine.

Fol. auricul. urſi, meliſſ. menthæ, pulegii, roriſmar. ſalv. ſerpill. Flor. lilior. convall. matricar. ſalv. ſtœchad. tiliæ. Rad. cyperi, doronic. galangæ, ellebor. nigr. Sem. aquileg. carvi, cumini. Fruct. granator. ceraſor. nigr. Gumm. galban. ſuccinum, tacamahac. Caſtor. teſtic. columbæ fimus, pavon. ſterc. bóbyces. Aq. anhaltina, epileptic. cephal.

cephal. arom. elixyr antepilepticum, elixyr vitæ Quercet. emplaſtrum cephal. Schroderi, pulv. ſtomachic. Quercet. cinnabar. nat. & antimon. magiſterium vitrioli &c. è pharmacopœis, chimiciſque voluminibus depromenda.

CAPUT X.

De Tremore.

TRemor motus eſt depravatus membrum præter voluntatem concutiens.

II. Pars affecta ſunt muſculi & fibræ motrices, ſeu potius animales ſpiritus per illiberalem ſui influentiam. Nam revera datur

III. *Alius* motus tremulus convulſivus, qui aliunde pendet, & de quo hic etiam non agimus, alius verò à debilitate prognatus & ad paralyſim aliquatenus accedens, de quo hic nobis verba ſunt.

IV. Cauſa remota eſt ſanguis craſſior & magis evanidus ſpiritibus animalibus, aut eorundem materiæ cerebro ſufficiendis minus aptus: Cauſa verò proxima eſt ſpirituum imbecillitas, aut obſtructio peculiaris ipſorum irradiationi ad partes ſatis liberali, pro motu ad voluntatis nutum perficiendo, obicem ponens. Si verò ulterius quæratur, unde hæc imbecillitas, unde hæc obſtructio? Priori reſpondemus imbecillitatem ſpirituum, vel materiæ ipſos ſufficienti deberi, vel majori eorundem diſſipationi & conſumptioni, in morbis diuturnis, & præcipuè cerebri, in exercitationibus vehementioribus nimiumque protractis aliiſque id genus; poſteriori verò, obſtructionem hic ab iiſdem pendere cauſis quæ obſtructiones ſuprà in paralyſi aliiſque locis jam explicatas faciunt. Itaque hic nullo modo neceſſarium eſt ut demonſtretur ratio tremoris, cum Nobiliſſ. Philoſopho Renato Des Cartes valvulas in muſculis antagoniſtis partis tremore affectæ imaginemur, quæ valvulæ dum per vices reſerantur liberum faciant commeatum ſpirituum ab uno antagoniſta in alium, unde crebra puſillorum motuum viciſſitudo in ipſis oriatur; gratis enim hæc afferuntur à Viro Clariſſ. & ex ſola debilitate, & obſtructione à nobis productis, res per ſe clara evadit; nam dum pauci ſpiritus iique pigri ad unum è muſculis antagoniſtis devenientes, illius contractionem diutius continuare non valent, alii in antagoniſtam, quamvis parcè etiam influentes, vim ſuam elaſticam & expanſivam exerunt, atque partem retrahunt, illudque motibus alternatis & interciſis faciunt, dum ſc. ſpiritibus jam ab exploſione prægreſſa defatigatis, propatereaque adverſariis ſuis cedere coactis, ſuppetias veniunt alii à cerebro emiſſi, ipſorum vim quaſi oppreſſam ſuſcitantes.

V. De Diagnoſi, Prognoſi, Indicationibus, Curatione & Medicamentis non eſt quòd hic verba faciamus; illa enim aut per ſe ſunt manifeſta, aut ex ſuperioribus abundè colligi poſſunt. Præterea nemo neſcit tremorem illum quem ſenectus inducit aliunde non eſſe ſanabilem, quàm Medeæ artificio, aut etiam ſi diis placet, transfuſione ſanguinis noſtris tem-

temporibus à quibuſdam tantopere decantata, quamvis eventus promiſſi æquè fabulis annumerandi veniant, ac Ovidii poëtica commenta.

CAP IV.

De Catarrhis, eoſque comitante vario Capitis & partium totius corporis Dolore.

I. C*Atarrhus* eſt defluxio humorum (*a*) in omnes corporis partes.

II. *Partes affectæ* ſunt glandulæ totius corporis, ut & Cerebrum, quod VVarthonus non veretur glandulam ſui generis vocare: addo membranas, tendines, nervos.

III. *Cauſa* eſt nunc Lympha acrior (*b*) cui ſeſe ſæpè intermiſcet bilis, undè inflammationes & dolores intenſiores omnes; Ophthalmiæ, Angina, Eryſipelata, Herpetes, Arthritis, Tuſſis, &c. nunc Lympha craſſior, undè dolores gravativi, Laſſitudo ſpontanea, Melancholia, Scorbutus, &c.

IV. *Differentiæ* ex cauſis patent. Legat, qui plura volet, prolixum & doctisſimum Sneiderum.

V. *Signa Diagnoſtica* ægris ipſis & adſtantibus tam manifeſta ſunt, ut doctis illa præſcribere parum ſit neceſſe.

VI. *Prognoſtica.* Catarrhi & dolores interdum facillimè, interdum difficulter curantur; evenit ut ſubitò ægri, imò cæterà ſani illis pereant, hoſque catarrhos ſuffocativos, nominare ſolent. Cauſa hæret in orificio ventriculi, vel in ipſis pulmonibus ob impeditam à Lymphâ craſſâ Sanguinis circulationem.

VII. *Indicationes curativas, ut & Curationem ipſam* (*c*) petere potes ex Capite 1. & 2. de Epilepſiâ & Apoplexiâ; invenies illic ferè omnia huc pertinentia: pauca ſaltè longo mihi uſu comprobata illis hiccè jungo. In

(*a*) *Acrium videlicet, pituitoſorum viſcidorumvè præternaturalis.*

(*b*) *Propter ſtagnationem, particulaſque frigidas, quæ, caput ſudore anteà diffluens, intraverant, (ſemper ferè calor lympham omneſque humores fluidiores reddens, præceſſit, ſuperveniente tum frigore catarrhi, oriuntur, quantum ego ſaltem obſervare potui.) ſicque acrior reddita, ſcilicet lympha, bili acriori juncta, partes nervoſas membranaceaſvè corrodendo, facilè dolores intenſiores excitat.*

(*c*) *Optimè in catarrhis frigidis, pituitoſis, viſcidis, convenit decoctum ex ligno guajaco, ſaſſafras, ſerpillo, & roremarino.*

(*d*) *Lym-*

In aurium ex acriori Lymphâ dolore.

℞. *Lactis Vaccin. q. ſ. Laud. opiat. gr. iij. MS.*

Inde auribus guttas tres quatuorvè & exterius applica micam panis ex furno noviſſimè illatam; id eſt calidam. In dolore ex Lymphâ craſſiore proſunt (*d*) Olea deſtillata calida omnia.

In Ophthalmiâ ex Lymphâ craſſiore.

℞. *Ovum Gallinaceum integrum; (e) Coq. ad mediocrem duritiem, demptaque teſtâ & vitello, cavitati ejus indantur.*

Sacchar. Saturni gr. vj. *Camphoræ gr.* ij. *Vitriol. alb gr.* viij. *Mell. roſar. unc. ſ.*

Fiat expreſſio fortis, & expreſſus liquor inſtilletur guttatim oculis bis vel ter de die.

Aliud omni laude majus.

℞. *Aq. Euphraſiæ. Fœnicul. an. lib.* j. *Salis communis drachm.* vj. *Tutiæ præparat. Vitriol. alb. an. unc. ſ. Ebulliant parum & Colatura detur guttatim uſui.* MS.

In Ophtalmiâ ex Lymphâ acriore (*f*) hocce melius huc uſque nondum ſum expertus:

℞. *Florum Cinci ſcrup.* j. *ſ. Aq. roſar. q. ſ. MS. & guttatim inde oculis.*

Cincum eſt ſpecies puto ſtamni, licet alii ſentiant aliter; optimum ex Angliâ huc defertur: præparatur Chymicè quarto ignis gradu; videtur aliquid Mercurii in ſe continere. (*g*)

In

(d) Lympham craſſiorem optimè eliciunt apophlegmatizantia, inter quæ excellunt laudatæ C. de apoplexia radices imperatoriæ: quibus tantum elicitur lymphæ craſſioris ſ. pituitæ, ut materia catarrhoſa tota auferatur, tumque pilulâ unâ alterâve ex Maſsâ pilulari de cynogloſsâ ſub ingreſſum lecti, aſsumpta, prægreſſo ſubindè purgante, multos & varios catarrhoſos curatos vidimus, item hoc ſuffitu.

℞. Succin. drachm. j.
Maſtich. ſcrup. j.
M. F. Pulvis craſſus.

Cujus parum prunis injectum, fumuſque, pallio ſimilivè tegumento capite prius tecto, naribus attrahatur, brevi coryzâ affecti, curantur.

(e) Potius conſciſſo ovo reliqua ſuperfundantur, poſtque horam unam atque alteram fiat fortis expreſſio; pluſque liquoris, majoriſque efficaciæ accipies; hunc liquorem expreſſum optimo cum ſucceſſu uſurpavimus in panniculo ex genarum inflãmatione neglectâ, orto.

(f) An ex lymphâ acriore videlicet falsâ, ſatis ſuperque conſtare poteſt ex dolore, vel lachrymarum acredine, vel rubore, titillationevè ipſius oculi.

(g) Conveniunt quoque flores cinci in

In principio doloris Arthritici ex Lympha acriore:

℞. Minii. Ceruſſæ. Sapon. Venetæ an. unc. x. Ol. olivar lib. ij. Axungiæ porcinæ unc. j. Coq. ex arte in formam Emplaſtri. (*h*)

Magni quæſo facias hoc Emplaſtrum, ingenioſe Lector.

In declinatione, ut & in *A*rtuum doloribus ex diſlocatione, contuſione, &c.

℞. Minii lib. ſ. Ol. Tartar, fœtid. unc. j. *ſ. Olivarum lib.* j. *Caſtor. Lumbricor. an. unc. iij. Opii crud. drachm.* j. *ſ.* Ceræ *albæ & Labdani q. ſ. M. S. F.* ſ. a. *Emplaſtrum*

In dolore Arthritico ex Lympha craſſiore magnæ ſemper ſum expertus eſſe efficaciæ hoc Emplaſtrum:

℞. Emplaſtr. ſtictici Crollii unc. j. ſ. *Ol. philoſophor. drach.* ij. *Opii crudi ſcrup.* ſ. *MS. F. Emplaſtrum extendendum ſuper aluta.*

I. *Obſervationes.* Pia & chariſſima mihi uxor, ſæpius, præcipuè graviditatis tempore, laboravit catarrhis, & vario, corporis partium dolore; non putem illam 20. intrà annos ter medicamento purgante uſam eſſe; ſed naribus attrahebat, conſilio meo, ſimplex ſuffumigium pulveris maſtiches electi, idque ſexies de die; à quo ſemper & tam ſubitò melius habebat, ut poſtmodum facta quaſi Vice-Medicus (liceat mihi ſic loqui joci ergo) illa, me inſcio, ſibi ipſi illud poſteà præſcripſerat ſæpiſſimè.

II. Catarrhis ex Lympha craſſiore oriundis laborantes tot curavi ſimplici ſuffitu vel vapore aceti, ferro ignito aſperſi, ut neminem hic nominare cogar.

III. In Catarrhis bilioſis itidem multa obſervavi; exempli loco ſit honeſta Matrona Lydia de Rovers; quæ optimè ſemper, purgata prius, habuit ab hujus mixturæ, quam cochleatim aſſumebat, uſu.

℞. Aq. prophylactic. noſtr. vel ejus in defectu aceti rectificat. unc. j. *ſ. Menthæ. Meliſſ. an. unc. ij. Syr. papaver. errat. unc.* j. *Oc.* Cancr. *crud. contuſ. ſcrup. j. ſ. Laud. opiat. gr.* j. M S.

LIB.

in inguinum infantium excoriatione ex urinâ acriore genita, ut & papillarum excoriatione fiſſuriſque. Non admodum difficulter aſcendunt flores; ipſorum præparationem videſis apud Glauberum furnorum philoſophicorũ part. 1. *p. m.* 58.

(*h*) *Optimo cum ſucceſſu uſurpavimus addita nimirum opii aceto diſſoluti unc.* ſ. *videatur Ioh. Loſelus de podagra qui elegantiſſima habet medicamenta.*

De Catarrhis nihil eſt quod addamus, quamvis inde materiam, ſeu potius.

LIBER II.

DE AFFECTIBUS COLLI

CAPUT I.

De Angina.

I. ANGINA eſt faucium inflammatio. (*a*)

II. *Partes affectæ* ſunt Tonſillæ, fauces; Uvula, muſculi Laryngis & Oeſophagæi, imo palatum.

III. *Cauſa* eſt Sanguis, abundantia quidem ſæpè ſua peccans, qua tamen non eouſquè noceret, niſi Lymphâ acriori vitiaretur. (*b*)

IV. *Differentiæ*

potius originem plerorumque morborum, deduxerit Carolus Piſo; atque Clar. Schneiderus hac in parte diffuſus Scriptor, non inutiliter, pluribus verbis & voluminibus Cerebrum, ceu Augiæ aliud ſtabulum expurgaſſe, quibuſdam credatur; nos enim paucioribus contenti Lectorem remittimus ad varias humorum cumulationes cerebro aliquando familiares, atque jam explicatas, ut & ad ea quæ in Anatomia Practica aliiſque hujus voluminis partibus de variis fluxionibus declarantur.

(*a*) *Non tantum eſt faucium inflammatio, verum etiam tumor nunc internus, nunc verò externus.*

(*b*) *Clariſſimus Auctor ſolummodo ſanguinem abundantem lymphamque acriorem pro cauſis agnoſcit; ſed reverà ſanguinem pituitoſum viſcidum primariam & frequentiſſimam eſſe anginæ cauſam ipſa teſtatur experientia, præceſſo quidem calore, exercitatione, motuvè plus ſolitò majori; unde pituita viſcida ſolvitur liquidiorvè redditur, quaque tum ab aëre frigido &c. ambiente, vel ore hauſto coagulatur. Vide ſis apud Hippocratem de victu acutorum tex. 39. p. m. 300. (Nota, me in hoc tractatu editione Lindanâ Lugduni Batavor. apud Gaasbeeckios anno 1665. impreſſâ fuiſſe uſum) ubi expreſſe à fluxione glutinoſâ [viſcidâ] anginam fieri, ait.*

Ex his omnibus non mirum ſi hic morbus eo maximè tempore quod ver atque æſtatem interjacet, juvenes præ cæteris, & temperamento ſanguineo præditos aggrediatur. Addit præterea Illuſtriſſimus Sydenham ſe non ſemel rufos, præ reliquis hoc morbo afflictos vidiſſe.

IV. *Differentiæ.* Dividitur ab omnibus melioris notæ auctoribus in tres ſpecies, (*c*) quos hic non ſequi, temerarium foret, 1. Vocatur *Cynanche*; 2. *Synanche.* 3. *Paraſynanche.* Dividitur porrò in Veram & Spuriam; ſed hæc pauci ſunt momenti.

V. *Signa Diagnoſtica.* Inſtantis Anginæ ſigna ſunt, cum patiens collum more ſolito non movere, difficilius reſpirare, nec aptè poteſt deglutire, ardorémque & dolorem ſenſerit in faucibus.

Præſentis Anginæ ſigna diagnoſtica ſunt reſpiratio ſuffocationi proxima; ſic impedita deglutitio, ut & potus liquidáque omnia rejiciantur per nares; ſummus adeſt dolor, rubedo, tumor, (*d*) febris; lingua arida, vocis languor, &c.

VI. *Prognoſtica.* Angina nulla tuta; quantum minus tumoris, tantum periculi magis. (*e*) Cynanche præcipuè ubi muſculi Laryngis inflammati omni videntur carere tumore: Minus periculoſa eſt Angina dicta Synanche; adhuc minus Paraſynanche, ut & tonſillarum inflammatio. (*f*)

VI. *In-*

(*c*) *In quatuor à plurimis dividitur ſpecies,* 1. *Cynanche,* 2. *Paracynanche,* 3. *Synanche,* 4. *Paraſynanche,* Cynanche *eſt, ut rectè Auctor* §. 6. *hujus capitis ait, ubi muſculi laryngis nimirum interni inflammati, omni* videntur *carere tumore, & ægri canum more hiante ore reſpirant.* Paracynanche, *cum exteriores laryngis muſculi cum parvo tumore ſunt inflammati.* Synanche, *ubi internus adeſt tumor & inflammatio, interioreſque pharyngi muſculos, ut quidam volunt, ſolummodò affligens.* Paraſynanche, *ſi exteriores faucium muſculos cum rubore & tumore invadat.*

(*d*) *Tumor apparet in tribus aliquandò anginæ ſpeciebus, nempè paraſynanche, ſynanche, & paracynanche, non, verò in cynanche, ut Clariſſimus Author quoquè probat paragrapho ſequenti, adeſt quoquè faciei rubor.*

Ægri rigent horrentque mox à primo morbi inſultu, ſequuntur febris atque alia, quibus niſi maturè occurratur, æger ſtatim nec deglutire valet ampliùs, nec ſpiritum per nares ducere, ſed cum ſenſu quodam ſtrangulationis præcluduntur Fauces ab inflammatione & tumore Vvulæ, Tonſillarum, Laryngis, nec non glandularum omnium minorum in faucibus ſitarum, ita ut tantùm non ſuffocetur.

(*e*) *Iuxta Hippocratem Aphor.* 37. *ſect.* 6. *anginâ, inquit, correpto ſi tumor oriatur in collo, bonum: ut & ſect.* 7. *Aphor.* 49.

(*f*) *Varia & inſignia* Senex *habet prognoſtica, ut ſect.* 5. *Aphor.* 10. *quibus ex anginâ liberatis, ad pulmonem mali ſit converſio, ij intra dies ſeptem moriuntur: ſi verò hos effugerint purulenti evadunt, ut Coac. prænotion.* 363.

Tit.

VII. *Indicationes Curativæ.* Lympha atque bilis in ſanguine ipſo temperandæ, (g) hicque revellendus, derivandúſque citiſſime.

VIII. *Curatio.* Inſtituatur igitur quamprimum Venæſectio, (h) vel in corpore non Plethorico, in brachio dextro, reiteretúrque pro neceſſitate, poſteà malo id poſtulante aperiantur venæ ſublinguales raninæ. Proſunt Cucurbitulæ, Veſicatoria, Enemata, Gargariſmata, Topica. (i)

Medi-

Tit. 16. p. m. 300. Totoque illo Titulo præclara habet Hippocrates: Videatur quoque C. Celſus lib. 2. cap. 7. p. m 64. editionis Lindanæ apud I. Elſev. 1657.

(g) *Viſcida pituitoſa incidentia maximè quoque neceſſaria, quibus totum malum aliquandò brevi ſuperatur.*

(h) *De venæſectione meritò dubitatur, an in malignâ conveniat? rectè autem illos ſentire puto, qui non niſi in principio, & primo ſtatim invaſionis die adminiſtrandam illam cenſent, ſin vero malignitas abſit, poteſt ubiquè concedi, modò ſanguis non copiosè mittatur, nec poſt plures quam tres ab invaſione dies, adminiſtretur.*

(i) *Secundo œnema injiciatur, vel ſi fieri poteſt, hauſtus purgans incidentibus mixtus exhibeatur, in principio gargariſmata ex radicibus imperatoriæ, ireos &c proſunt; item ex ſpiritus vini cum ſpiritu ſalis armoniaci mixto gargariſma varias curavit anginas; topica deinde, exhibito prius, (ſi poſſibile) ſudorifero incidente, addito lapide prunellæ, externè applicentur.*

Quidam vomitoria in omni angina, etſi maligna, epidemicave maximè laudant, & quidem aquam benedictam Rulandi: Aſt notandum primo ſtatim die uſurpanda ſunt, altero enim fruſtrà exhibentur, imo plus nocumenti quàm emolumenti efficerent. Quidam laryngotomiam in valdè urgente angina commendant, de qua inſpiciatur M. A. Severinus de efficaci medicina, ut & Th. Fienus libr. Chirurg. XII. p. m. 35. & ſeq.

In Anginæ curatione quandoquidem *Illuſtriſſimi D. Sydenham* methodus nos propè nunquam fefellit, ſed ut plurimum optimè ceſſit, propria ejuſdem verba huc tranſcribemus. Opem laturus, *inquit*, ſanguinem cum primum è brachio copiosè detraho, mox ex ranula utraque; dein ut partes inflammatæ melle roſaceo, ſpiritu ſulphuris ad ſummum acorem permixto, tangantur, author ſum. Mox Gargariſma ſequens præſcribo, non vulgari modo uſurpandum, ſed ita ut in ore ſine ulla agitatione contineatur, donec incaleſcat, dein expuatur & repetatur ſubinde.

℞. Aq. Plantaginis.
Roſar. rubr.
Spermat. ranarum, an. ℥iv.
Album. ovorum in aquam agitando redactorum Num. iij.
Sacchari cand. albi ʒiij.
M. F. Gargariſma.

Iubeo etiam ut de Emulſione ſubſequenti in dies ſumat.

℞. Amygdal. dulc. Num. vij.

Sem.

Medicamenta contra Anginam.

Radices altheæ, liquiritiæ, Ireos. Herbæ Conſolida, Myrrus, Prunella, Taraxacum, Plantago, Scabioſa, Sempervivum majus, ſalvia, Hedera terreſtris, Violaria, Flores, Balauſtiorum, roſarum rubrarum, Crocus, ſemina 4. frigida majora, minora, papaveris. Cortex & ſuccus granatorum, præcipue acidorum. Ficus. Album Græcum. Hirundines uſtæ, illarumque nidus. Alumen uſtum. Syrupus Berberorum, Capillorum Veneris, Violarum, Portulacæ, Iujubinus, Scabioſæ, Tuſſilaginis: Mel roſatum, Rob. Sambuci, Diamori. (*k*)

Repellens (*l*) Gargariſma morbi in principio.

℞. Flor.

Sem. Melonum, pepon. an. ℥ß.
Papaver. albi ʒij.
Contundantur ſimul in mortario marmoreo.
Senſim affundendo aq. Hord. ℔iß.
Aquæ roſar. ʒij. Sacchari cand. ℥ß.
M. F. Emulſio, capiat ſæpius ℥iv.

Sequenti mane, niſi febris & dolor inter deglutiendum perceptus aliquantulum remiſerint, venam in brachio rurſum ferio, Catharſi in diem poſterum rejecta. At ſi utraque hæc minuantur, Catharticum Lenitivum ſtatim exhibeo; quod quidem poſt ſanguinis miſſionem præ omnibus aliis perutile, ac apprimè neceſſarium eſſe multiplici experientia comperii. Si fortean, quod quidem oppido rarum eſt, Febris, aliavè Symptomata, etiam poſt catharſin, bellum minentur, iterata, ut priùs, venæſectione perdomanda ſunt. Per integrum hujuſce morbi decurſum, Enema refrigerans emolliensque omni mane, dempto illo quo Catharſi vacat, iniiciendum, atque ægrum hoc pacto reficiendum quotidie præcipio. Carnes, cujuſcunque demum generis, ut & juſcula ex iis parata, Sacra ſunto; juſculis verò hordeaceis, avenaceis, pomis coctis, ac id genus aliis veſcitor, ptiſana ex hordeo, vel cereviſia tenuiſſima utitor. Lectulo interim per horas aliquot quotidie abſiſtat; cùm hujus tepor tum Febri, tum reliquis ſymptomatis quæ hac methodo expugnare ſatago, vires addat. Hæc fuſiùs & prolixius ab Authore memorato huc tranſcripſiſse Doctiſſ. Lectori tædio minimè futurum arbitrati ſumus, quoniam apprimè faciunt ad medelam morbi hoc capite deſcripti.

(*k*) *Imprimis ſemen ſinapi, leviſtici, bacca lauri, ſpiritus vini, ſalis armoniaci, nitri &c. in principio admiſcenda levia adſtringentia incidentibus.*

Nitrum anodynum, ſeu antimoniale, ex aqua ſcilicet lotionis ceruſſæ antimonii, ſeu diaphoretici mineralis, anginæ prodeſſe compertum eſt, propterea gargariſmis, ut & enematibus admiſceri commodè poteſt loco nitri fixi communis.

(*l*) *Repellentia cautè adhibeantur imprimis in maligna angina; tunc etenim materia peccans repellendo facilè*

te-oc

℞. *Flor. roſ. rubr. balauſtior. an.* P. j. ſ. *Cortic. granator. unc.* ſ. *Fol. quercus* M. j. *Alumin. uſt. ſcrup.* j.

Coq. ex aq. ferrata & Colat. adde Rob. diamor. unc. ii. M S.

Aliud efficacius.

℞. *Fol. Taraxaci* M. j. ſ. *Hederæ terreſtr. Violar. an.* M. ſ.

Coq. ex aq. hordei in Colatur. unc. xx. Diſſolve Mellis roſat. colat. unc. j. ſ. Addendo Spir. vitriol. gutt. xv. M. S. *(m)*

Diſcutiens in morbi declinatione Gargariſma.

℞. *Rad. liquiritiæ. Corticum granator. an. drachm.* ij. *Flor. balauſtior. P.* j. *Iujubar. Num.* xij. *Ficuum Num.* iij. *Paſſular. minor. drachm.* iij. Coq. ex aq. hordei in Colat. unc. xx. Diſſolve Syr. capillor. Ven. Mell. roſ. col. an. unc. j. M. S.

Aliud.

℞. *Rad. Ebuli unc.* ſ. *Ireos noſtrat. Liquiritiæ an. drachm.* ij. *Flor. Chamomillæ P.* j. ſ. *Roſar. rubrar. Hyſſop. an. drachm.* ij. *Dactylor. Num.* iij. *Ficuum Num.* vi. *Alb. græc. drachm.* i. *Sem. Fœnigræc. drachm.* ii.

Coq. ex decocto raparum in Colaturæ lib. ii. diſſolve. Syr. Capillor. Vener. unc. ſ. Iuiubin. Altheæ Fernel. an. drachm. vi. M. S.

Externa Medicamenta contra Anginam.

Ol. nucum, lil. albor. amygdalarum, chamomillæ, anethi, Axungia caponis, porci. Unguent. altheæ. Emplaſtrum de Mucilaginibus. Stercus (*n*) canis, columbarum. Nidus hirundinis.

℞ Rad.

poterit ad cor, vel pulmones, vel cerebrum ipſum propelli, ibique epilepſiam aut maniam cauſare.

(*m*) *Sequentia gargariſmata in principio multum profuiſſe obſervavimus.*

℞. *Flor. roſar. rub.*
Samb. ana M. j.
Coq. in cereviſiæ tenuis q. ſ. *ſub finem addendo.*
Alb. græc. drachm. j. *Colatur. lib.* j. *immiſc.*
Sacch. ſatur. ſcrupl. ſ.
Lapid. prunell. ſcrup. j.
M. pro gargariſmate.

℞. *Aq. flor. ſambuc. roſar. ana unc.* ij.
Rob. ſambuc. diamor. ana drachm. ij.
Succ. taraxac. expreſſ. unc. ſ.
Spir. vini rectif. drachm. vj.
Lap. prunell. ſcrup. ij.
M. F. Gargariſma.

[*n*] *Galenus hiſtoriam narrat, de anginâ à ſe curatâ, quod nimirum, cum aliis remediis deſtitueretur, receperit pueri ſtercus & exſiccarit, idque cum melle commiſcuerit, & prædivitis cujuſdam faucibus anginâ laborantis illiniſſe, intráque horæ ſpatium tu-*

k 3 *morem*

℞. *Rad. althea. Lilior. alb. an. unc.* j. *Nid. hirundinis Num.* j. Ficuum. *Dactylor. an. Num.* IV. *Alb. græc. unc.* ſ. *Cæpar. drachm.* vj.

Coq. ex aq. hordei vel Cereviſia & Colatur. ſ. q. Adde

Farinæ *Tritici. Sem. lini an. unc.* j. Fœnugræc. *Althea an. unc.* ij ſ. *Vitell. Ovi Num* ij *Croc.* Oriental. *drachm* ii. *Ol. Chamomill. unc ii.*

M. S. F. Cataplaſma.

Vel

℞. *Succ cæpar. unc. ii Ol. lilior. alb. Irin. an. unc. i* ſ. *Coq parum, Addendo Nid. hirundin. drachm. ii Picis & Ceræ q* ſ. *M. S.* F. ſ. *a. Emplaſtrum.*

Cataplaſma Maturans.

℞. *Rad Althea unc i Lil albor Rad Liquirit. Ireos noſtr an. drachm. ii. Cæparum unc.* ſ. *Paſſular. enucleatar. unc i. Ficuum Num vi. Sem lini Fœnugræci an drachm. ii.* Fol Malvæ, *braſſica an* M. ſ

Coq ex Vino albo Gallico in formam Cataplaſmatis. M. S.

IX. *Obſervationes.* 1. Æſculapii quidam filius, plethoricus, obeſus, laborabat ſynanche, ſibique ſtatim juſſit venam ſecare, ſtatimque poſt poterat deglutire, & ideo aſſumpſit purgans à quo benè habuit,& per multas horas quievit. Sequenti die recidivam paſſus, iterum inſtituit venæſectionem, iterumque habuit melius, & ambulando loquebatur liberè, dicens ſe varia in proprio morbo obſervaſſe; altero mane, dum ſe putaret ſanum, intra bihorium ſuffocatus periit.

2. Uxor Librarii Leſcaille plethorica intenſiſſimo faucium patiebatur dolores, tonſillæ ita erant tumefactæ, ut ne guttulam potuerit deglutire, aſſumptaque omnia rejiceret per nares. Inſtitui Venæſectionem, uſuſquè ſum Cataplaſmatibus & Gargariſmatibus ſupraſcriptis, quartoque morbi die malum bacillo exploraturus, abſceſſum vidi ſuppuratum; placuit mihi inhumanius cum illa agere, eodem bacillo, obſceſſum rupi unde,cum ſtatim melius haberet,riſit & laudavit probam fraudem. *(o)*

CAP.

morem ruptum fuiſſe, hominémque ſanitati reſtituiſſe. Hunc in finem videatur Joannis Davidis Rulandi Pharmacopæa nova in qua repoſita ſunt ſtercora & urinæ; multa & rariſſima ibi collegit.

[o] *Iuvenis quidam viginti annos natus, pituitoſus, poſt celeriorem deambulationem, avidè hauſit frigidam cereviſiam, undè intra horam deglutitio admodum difficilis, fauciúmque dolor & tumor apparuêre, vocatus Vena-*

Venaſectionem levem institui juſſi; ſequentique gargariſmate curatus.

℞. *Aq. flor. ſamb. unc.* IV.
Myrrh. pulv. drachm. ſ.
Spir. vin. rectif. drachm. iij.
Sal. armon. ſcrup. j.
Succ. taraxac. expreſ. drachm. ij.
M. pro gargariſmate.

Mulier vigeſimo octavo ætatis anno, de nocte infantem lactans, in ſomnum incidit, manè vix collum movere valens, ſummo cum faucium dolore deglutiebat; manè clyſterem inijci curavimus, & circa meridiem venæſectionem celebravimus ad uncias ſex, uſaque decocto deſcripto additis tantum

Sem. ſinap. drachm. j.
Aq. ther. ſimpl. unc. ſ.
M. pro gargariſm.

Tertioque die curata fuit.

Puella viginti circiter annorum, ſubitò in maximam reſpirandi difficultatem incidit, talique cum tumore & dolore, ut ne guttulam quidem liquoris deglutire poterat; vocatus statim Venæſectio celebrata fuit ad uncias ſex, moxque ſequens apozema pro gargariſmate præſcripſi, undè quoque levamen quoddam obſervavit.

℞. *Flor. roſ. rub. unc.* j.
Bacc. laur. excort.
Sem. leviſtic. ana drachm. j. ſ.
Coq. cum aqua communis lib. j. *vaſis optimè clauſis, in colat. diſſolv.*
Mellis roſar. unc. j. *aq. theriac. ſimpl. drachm.* v.
Spir. ſal. armon. ſcrup. j.
M. pro gargariſmate.

Sequenti die clyſterem purgantem iniici curavi, per triduum enim alvus conſtipata fuerat; undè optimè dejecit, eodemque die collo ſequens cataplaſma bis de die renovandum applicari juſſi.

℞. *Nid. hirund. num.* 1. *flor. ſambuc. p.* 3.
Cepar. ſub cineribus coct. numer. 2.
Coq. ex cereviſia tenui contuſis adde.
Alb. græc. drachm. iij.
Ol. olivar. q. ſ.
M. F. Cataplaſma.

Quo quarto die abſceſſus fuit ruptus; ulteriúſque uſa fuit ſolummodò melle roſarum pro linctu.

Plures tales obſervationes exhibere poſſem, ni, mutato ſolummodò ægrorum nomine, unum idemque dicturus, metuerem.

Multas hic addere poſſem obſervationes è propria praxi deſumptas, ſed quoniam omnes propè fundatæ ſunt in methodo Excellent. Sydenham ſuprà deſcripta, additis tantùm quibuſdam topicis exterioribus; ab illis abſtineo, ne pluries repetita diſpliceant. Quæ autem in Angina deſperata facienda veniunt ſc. v. g. Bronchothomia, explicantur in operis hujus parte chirurgica.

CAP.

CAP. II.

De Scrophulis.

I. S*Crophulæ* ſunt tumores præternaturales (*a*) glandularum colli, propria tunica contenti.

II. *Partes affectæ* ſunt glandulæ conglomeratæ colli, ſalivales hodie dictæ. (*b*).

III. *Cauſa* Glandularum totius corporis munus, (quod certiſſimum eſſe puto) eſt Lympham tranſcolare; neceſſe ergo eſt Lympham craſſiorem (*c*) hujus affectus eſſe cauſam, unde illarum primò durities, poſteà ſenſim accreſcens pertináxque tumor.

IV. Diſ-

[*a*] *Duriores renitentes.*

[*b*] *Ut & circa aures parotidis dictæ; ductus ſalivales ex conglomeratis colli glandulis oriundos, Warthonus detexit vulgòque dicuntur ductus Warthoniani; ex parotidibus, Stenoniani, quos Stenonem primum inveniſse prohibent.*

Vulgò credunt primam ſcrophularum ſedem eſſe in glandulis meſenterii, & ex hoc centro quaſi fonte derivari materiam quæ in collo, pone aures, in axillis aliiſque etiam locis aggeritur: Verùm hoc non eſſe perpetuum ſcrophuloſorum diſſectio ſæpiùs demonſtravi; revera ſi hic morbus multùm fuerit inveteratus ita vitiatur tota corporis lympha, ut glandulas propè omnes inferciat, unde non mirum ſi tunc temporis meſentericæ, meſocolicæ, & inteſtinales afficiantur. Aliquando etiam evenit ut in has glandulas, ſi ex ſe fuerint debiliores, prima fiat depoſitio, non tantùm ex lympha, ſed etiam ex chylo, unde non parum perturbatur totius corporis nutricatio cjuus materiam glandulæ memoratæ continuo percolare debent, ſicque variorum tumorum etiam ſcrophuloſorum ac phthiſis quæ ſcrophuloſa dicitur, præcipua fiunt origo, ſed hoc eſt perpetuum, ut ſuprà innuimus.

(*c*) *Aliquid auſteri ſimul peccare certò concludimus; nam in cancrum aliquãdo vergunt, ut Clar. Author teſtatur* §. vj. [*cancrum autem ex acido auſtero produci extrà dubium fere eſt,*] *ut ſatis ſuperque patet ex doloribus lancinantibus, pungentibus; ſempérque propemodum, cancro laborantes ſunt melancholici, alvoque adſtrictâ laborant: In tumoribus duris, ſchirroſis, &c. ſequens omnibus commendo.*

℞. *Gum. galban. pur. unc.* 2.
Opij thebaic. drachm. 2.
Spir. vini aromatic. unc. 6.
[*Ex ſalviâ, rutâ, bacc. junip. ſem. carui, aniſ. fœnic. &c. deſtillati & cohobati*] *mixta digerantur per octiduum, deſtillentúrque leni calore ex retortâ vitreâ, biſque ad minimum cohobentur.*

℞. *Hujus deſtillati, unc.* ij.

Spir.

IV. *Differentiæ.* Interdum mobiles ſunt ; interdum oſſibus adhærent. Interdum glandula ſalivalis inferior, interdum & ſuperior afficitur. Interdum hæreditariæ ſunt ; interdum Epidemicæ.

V. *Signa Diagnoſtica.* Tumor durus & rotundus vel oblongus eſt ; dolorificus rariſſime.

VI. *Prognoſtica.* Quò mobiliores eò curatu faciliores, curatu tamen ſemper difficillimæ. Osſibus adhærentes ferè incurabiles: in hiſce non utor niſi cura palliativa, (*d*) ut & in illis quæ in cancrum vergunt atque dolent.

VII. *Indicationes Curativæ.* Lympha craſſa incidenda, temperanda, (*e*) evacuanda. Glandulæ emolliendę ; humor, ſi poteſt, diſcutiendus, vel maturandus, & tandem eſcharoticis, ubi aliter fieri nequit, abſumendus. (*f*)

VIII. *Curatio.* Purgetur corpus Medicamentis Pituitæ huc uſque dicatis. (*g*) Vitetur Venæſectio. Prodeſt ſudor, & acida intus aſſumpta omnia, [*h*] ut & ſalia volatilia. Topica Chirurgiæ debentur.

Medi-

Spir. ſalis armon. unc. j.
Digerantur iterum, leviſſimóque calore deſtillentur per alembicum humilem, & ſeorſim ſervetur ſal volatile in formâ ſiccâ.
℞. Hujus ſalis volatil. unc. ſ.
Butyr. nõ ſaliti ſ. ſæpius lavati ũc. j.
M. F. Unguentum.

Cancro, tumoribúſque duris illinendum. Nota. *Poſt ſal volatile ſiccum, iterum ſpiritus provenit, (qui cum novo ſpiritu ſalis armoniaci poteſt deſtillari & cohobari.) Quare etiã Veteres à ſucco melancholico ſcrophulas deduxerunt, patetque ex curatione & obſervatione noſtrâ mox ſecuturâ.*

(d) In hunc finem cum ſucceſſu uſurpavimus amalgama ſaturni, ex limatura ſaturni & mercurio paratum; quod in cancro quoque prodeſt, ut & ſequens in cancro palliativum anodynum.

℞. Empl. diapalm.
Diapomphol. ana unc. ſ.
Sacch. Saturn. drachm. ſ.
Opii ſpir. vini diſſol. drachm. j.
Fulig. ſplendent. ſcrup. IV.
Vel
Sal. volatil. armon. ſcrup. ij.
Malax. cum ol. ſolan. expreſſ. q. ſ.
M. F. Empl.

(e) Imprimis auſterum alterandum.

(f) Notarunt quidam medicamenta ad curandas ſcrophulas in ultimâ lunæ quadra majori cum ſucceſſu aſſumi, & in novilunium uſque continuari debere.

(g) Poſt juſtam & ſufficientem videlicet humorum peccantium alterationem

(h) Blanda nempè & temperata, aliàs plus nocuiſſe quàm profuiſſe, obſervarunt accuratiores Practici ; (hoc in caſu tritum illud tenendum: ſat citò, ſat benè.) Ex gr. ſpiritus ſalis, nitri, &c. per ſpiritum vini rectificatum dulces cohobatione redditi ; inter omnia

Medicamente contra Scrophulas.

Rad. Ariſtolochiæ rotundæ, bryoniæ, cyclaminis, filipendulæ, morſus diaboli, iridis, pimpinellę, Pyrethri, ſcillæ, verbenæ, ſcrophulariæ, [a] Folia cupreſſi, apiaſtri, rutæ, ſatureiæ. Flores geniſtæ, [b] Cancri combuſti. Teſtæ ovorum uſtæ. Sal. Gemmæ. Spongia quæ maximè laudatur à Practicis, (*i*)

℞ Cineris ſpongiæ marin. Oſſis ſepiæ. Piperis longi. Cinamom. Salis Gemmæ, Pyrethri. Nucum cupreſſi Gallarum Corticum Quercus. Flor. roſ. rubr. an. unc. ſ. M. S. Pulvis tenuis.

Doſis ſcrup. ii. vel drachm. i.

Vel

℞ Lapid. Spongiæ drachm. iij. Sal. Gemmæ drachm. ij. Tartar. vitriolat. drachm. i.

M. S. F. Pulvis. Doſis ſcrup. j. ſ. vel ſcrup. ii. Localia Chirurgis committo, inter quos novi qui magni faciunt Medicamentum hocce, quod in Epiſt. ſuis Medic. deſcribit Langius, cuius reverà feliciſſimos vidi ſucceſſus.

℞. Olei philoſophorum laterini lib. ſ. Thuris, maſticis, Gummi Arabici, Therebintinæ an. drachm. iij. Piſtata ſimul per Alembicum deſtillentur; tandem deſtillationi addatur ſalis, ex cinere ceni, & iterum diſtilla, & quod diſtillaverit in vitro ſerva.

Sale ceni quia caremus, ſupponi poteſt cinis ſpongiæ. [c]

Obſer-

nia tamen excellit, Salis armoniaci toties meritò laudatus ſpiritus, internè ut & externè juſto vehiculo mixtus.

[a] Radix Vincetoxici ſeu Aſclepiadeos à quibuſdam pro ſpecifico in hoc morbo commendatur, illaque in decoctis & cataplaſmatibus utuntur.

[b] De floribus liguſtri in hoc morbo uſurpandis hæc habet Clariſſ. D. Welſchius in ſuis Mictomimematibus. An. 4. & 5. Ephemer. German. adjectis. Mulier flores liguſtri in vitro Soli exponebat, addito pauco olivo, ne in pvlverem ſiccarentur, colliquati in balſamum vertebantur, quo in Italia magna fama utebatur ad ſcrophulas & ulcera omnia putrida.

[i] *Item pumex, os ſepiæ, galbanum; Empl. de ranis cum & ſine mercurio, magneticum ex magnete arſenicali; balſamus ſulphuris Rulandinus, imprimis quoque Emplaſtrum quod G. Fab. Hildanus deſcribit Chirurg. obſerv. Centur. 3. obſerv. 38. p. m. 221.*

[c] Emplaſtrum ſubſequens miræ eſt effica;

Obſervationes, Virgo nobilis,141bilioſa, macra, ſcrophulis multiplicibus vexata fatis ceſſit, febre continua continuò illam emaciante, id eſt, hectica. Aperto cadavere reperimus mille ultrà glandulas minores, majores, à faucibus ad os pubis uſque. Ejuſdem erant coloris, flavi ſcilicet, quem aperta cute, oculis noſtris objiciebant ſcrophulæ in collo. Medicamenta caute licet applicata, non addo infelicem ob ſucceſſum. (*k*)

Cap.

efficaciæ in tumoribus Scrophuloſis.

℞. Maſſæ Emplaſtri de cicuta modò mox enarrando parati ℥ij.
Gummi elemmi puriſſ. ℥ß.
Præcipitati rubri ʒv.
Florum antimonii, mumiæ an. ℥ß.
Salis armoniaci per ſublimationem è materia apta depurati ʒiii.
M. & cum ſ. q. balſami ſulphuris juniperini F. Emplaſtrum mollius; extendatur ſuper alutam & applicetur parti affectæ.

Hoc Emplaſtrum debet renovari poſt biduum, aſſervatis illis omnibus, non tantùm Emplaſtri particulis poſt tempus memoratum amotis, ſed etiam linteaminibus illis ſuperimpoſitis, quoniam eadem incinerata rurſus debent admiſceri maſſæ cum ulteriori additione balſami ſulphuris juniperini.

Emplaſtrum de Cicuta de quo hic, ſic conficitur.

℞. Olei Sambuci ℔ij.
Succi cicutæ ℔iß.
Lythargirii auri ℔j.

Coquantur ſimul igne lento ad humoris conſumptionem, & Emplaſtri ſpiſſitatem aſſiduè movendo ſpatulâ lignea, deinde addatur ſucci cicutæ ad mellaginem inſpiſſati ℔ß. lentoque igne iterum coquantur ad humoris integram ferè conſumptionem, illisque poſtea jungatur gummi ammoniaci aceto ſcillitico ſoluti, trajecti, & lento igne inſpiſſati, q. ſ. & poſtquam igne lentiſſimo humoris ſuperflui maxima pars conſumpta fuerit, refrigeratū Emplaſtrū ad uſus ſervetur.

(*k*) *Raras & notatu digniſſimas hujus affectus hiſtorias, vide ſis apud Riverium obſerv. 76. centur. 1. p. m. 83. & 84. ut & centur. ij. p. 155. nec non obſerv. communicat. p. 346. & 377. obſerv. 9. ut & apud P. Poterium obſerv. 28. centur. ij. ubi unguentum non contemnendum quoque deſcribitur.*

Puella quatuordecim circiter annorum à teneris unguiculis, variè & miſerè ulceribus nempè digitorum, aurium, &c. labiis admodum tumidis, ſummis aliquando lancinantibus doloribus, utriuſque oculi cataractâ, ſcorbuto, &c. glandulis colli & parotidis quibuſdam exulceratis, reliquis ſchirroſis, tumefactis, ita ut collum vix movere queat vexata fuit; plurima fuere adhibita & tentata remedia; vocatus praſcripſi decoctum ligni guajaci cum incidentibus, aperientibus paratum, cujus quater quotidie ad unc. 3. aſſumpſit, inſtillatis ſpiritus ſalis armoniaci gutt. viij. *ſemelque in ſeptimanâ pulverem ſequentem uſurpavit.*

 ℞. *Rad.*

℞. Rad. jalapp. drachm. ſ.
Tartar. vitriolat. gr. v.
Ol. fœnic. gutt. ij.
M. F. Pulvis.

Cujus beneficio ter quatervè dejecit; externè applicari curavi Emplaſtrum de ranis cum mercurio, oleo rutæ & fuligine malaxatum; verum exulceratis glandulis primo unguentum baſiliconis, deinde balſamum ſulphuris Rulandinum adhibuimus, quibus tertio circiter menſe curata; geſtat adhuc Emplaſtrum ex galbano puro collo circumpoſitum, inter curandum inflammatione genarum correpta, ſudoriferiſque internè exhibitis curata, frigori externo ſe expoſuit, undè recidivam paſſa, noctuque panniculo carnoſo utriuſque oculi affligitur; manè vocatus præſcripſi liquorem ab Authore Cap. IV. *de catarrhis* §. VII. *laudatum, quo intra octiduum panniculus utriuſque oculi ferè totus fuit ablatus; & quod notatu dignum, cataractæ admodum fuere diminutæ, & quidem adeo ut jam omnia accuratè videre valeat.*

Dominæ cuidam tumore dolorifico duro, in collo indies accreſcente à tribus præterpropter annis vexatæ, Emplaſtrum præſcripſimus ſequens.

♃. Empl. de ranis cum mercurio unc. ſ.
Gum. galban. pur. drachm. ij.
Saccar. ſaturn.
Sal. volatil. armon. ana drachm. ſ.
Malax. ol. rut. q. ſ.
Ad Conſiſt. Emplaſtri.

Quo dolor & accretio evanuere, continuoque adhuc collo applicatum geſtat.

Puella quædam decem & ſeptem annos nata, & nondum menſtruata à biennio circa totum propè collum, & ponè aures glandulas permultas variæ magnitudinis, & per intervalla dolorificas gerebat, cum ſe curæ meæ committeret, ſequentes præſcripſi pilulas quas ſemel in ſeptimana per bimeſtre circiter ſpatium uſurpabat.

♃. Maſſæ pilular. de Sagapeno Camilli ℈j.
Trochiſcorum alhandal.
Mercurii dulcis an. gr. VII.
Cinnabaris antimonii gr. vj.
Olei ſuccini rectificatiſſimi q. ſ. pro efformatione pilularum, pro una doſi.

Cùm ex prima doſi expurgatum eſſet corpus ſatis bene utebatur ſingulis diebus cubitum itura. Electuario è conſervis florum roriſmar. ſalviæ, antimonio diaphoretico, pulvere viperino, floribus ſulphuris, ut ſale armoniaco volatili urinoſo cum ſ. q. ſyrupi ſtœchados arabicæ.

Mane duabus horis ante paſtum ſingulis diebus per menſem integrum hauriebat cochleare unum Syr. ex aromaticis variis, aperientibus, martialibus & purgantibus ſecundum methodum Zvvelferianam propè confecti, aquis arthemiſiæ, aſclepiadeos & ſigilli Salomonis admiſtum.

Potus erat ptiſana è ligno juniperino, buxino, radicib. vincetoxici, angelicæ, raphani ruſticani ſeu armoraciæ, antimonio crudo in petia ligato; hæc ptiſana non pura, ſed vino miſta adſumebatur.

Veſcebatur parcè cibis non craſſis, crudis, aut acidis, &c. ſed levioribus & facilioris digeſtionis.

Partibus affectis imponebat Emplaſtrum ſupra deſcriptum quod ſingulo biduo renovabat.

Sex

Sex elapſis ſeptimanis menſtrua adveniebant, & poſt bimeſtre ſpatium ita convaluit, ut nullus recidivæ ſuperſit metus

Alios etiam ſine Syrupo aut Electuario memorato ſubſtitutis pulveribus, ac mediantibus pilulis, ptiſana & emplaſtro deſcriptis eò deduxi, ut diſſipatis & diſſolutis pluribus glandulis, reliquæ mobiles factæ facilè eradicarentur, adhibito oleo arſenicali anodyno peculiaris compoſitionis. Plura tamen de hoc morbo vide in ſequentib. parte ſc. chirurgica hujus operis.

Cap. III.

De Aneuriſmate.

I. A*Neuriſma* eſt Tumor præternaturalis digitis illum comprimentibus facilè cedens, illiſque ablatis, ſtatim rediens, cum forti pulſu.

II. *Pars affecta* ſæpisſimè, imò ferè ſemper ob Arterias Carotides, Collum eſt; obſervavi tamen illud in genubus & brachiis.[a]

III. *Cauſa* eſt humor acris, ſeroſus, bilioſus, internam arteriarum tuni-

[a] Raram aneuriſmatis aortici deſcriptionem exhibet Clar. D. Elſnerus in Ephemer. Germanic. A. j. Obſerv. 18. Aneuriſma, inquit, in ipſa quoque aorta excitari poſſe, licet mirum videatur, experientia tamen docuit, & tale aneuriſma favore Nob. D. Guilelmi Rivæ Anatomici famoſiſſimi videre mihi contigit Romæ in ſuo Muſęo in quo inter multa alia rara anatomica conſervat Cor in certo quodam liquore cum Aneuriſmate aortico ſarcoticis farciminatum involucris, ejuſdem cum arteriæ dilatatione maxima, aliorũque cordis vaſorum cruentoſo ſanguine infarctorum amplitudine, chylifero thoracico ad digiti æquamen turgido ſe deplere vetans. Quod in Lauræ Peronæ Cadavere 31. Martii 1664. in publica adminiſtrata ſectione detexit.

Ut bene dignoſcatur quid ſit aneuriſma, ſciendum, arteriam ejus ſedem triplici conſtare tunica, exteriori ſcil. tenui & molli aliquatenus, ſed minùs ad ſenſum fibroſa cordis exteriori tunicæ continua; media craſſiori, præcipuè in arteriis majoribus propè cor fibras conſpicuas rectas & obliquas obtinente; interiori tenuiſſima, latis aranearum telis perſimili tunicæ ventriculos cordis interiores inveſtienti continua. Per tunicam mediam firmantur arteriæ, unde ſi eadem, vel ab humore acriori à ſanguine advecto, vel ab externo agente erodatur, aut diſrumpatur ſanguis proprios limites excedit, & impetum faciens in tunicam exteriorem illam facilè dilatat; ſicque tumorem pulſantem aneuriſmatis nomine venientem efficit. Sed objicies, ſi ab externo agente arteria fuerit eroſa, aut ſecta, quî fiet ut à ſanguine contento & impetum faciente extendatur & dilatetur tunica exte-

tunicam erodens, imo & externam craſſiorem, imo & viciniora ſibi oſſa. (*a*)

IV. *Differentiæ.* Nunc magnum eſt, nunc parvum; nunc collo adhæret, nunc artubus.

V. *Signa Diagnoſtica.* Petere potes ex ſuprà ſcripta Aneuriſmatis definitione.

VI. *Prognoſtica.* Parva curatu difficillima, magna incurabilia: nec curatum in collo vel unicum vidi. Palliativa cura diu vivere poſſunt. Chirurgi artis propriæ ignari abſceſſum judicant; eoque aperto ſcalpello, moriuntur ægri illico illorum in præſentia.

VII. VIII. *Indicationes Curativæ & Curatio.* (*b*) Tumor ab initio ſtatim comprimendus, humorque acris repellendus: utrumque commodè fit per tenuem laminam plumbeam. Quidam volunt ut ſanguis affluens intercipiatur arteriam ſuprà & infrà Aneuriſma ligando; (*c*] illudque poſtmodum excidendo curare. Sed hoc remedii genus dolorificum nec tutum eſt; mallem ego vitæ conſervandæ ergo brachium vel pedem amputare. [b]

IX. *Obſer-*

exterior; nonne ſic potius via ipſi paratur commoda quâ extra corpus continuò effluat? Reſpondeo illud ſic eventurum, ſi ſectio major eſſet, vel remediis aut faſciis adhibitis exterioris tunicæ conglutinatio per ſe facillima citò non promoveretur, dum media ita conſtringitur, ut ſanguis per illud temporis intervallum in exteriorem pleno curſu procedere minimè valeat.

(*a*) *Cauſa externa eſt, ut obſervationes Practicorum teſtantur: nempè quod loco venæ arteria aliquandò ſecetur.*

(*b*) *In principio ſtatim ſecetur vena in latere oppoſito, partique affectæ lamina plumbea ſuperligetur; quidam Emplaſtrum ad rupturas Auguſtanor. vel Fernelij in principio applicatum commendant, ut & ſequens.*

℞. *Colophon. unc.* ij. ſ.
Therebint. unc. j. ſ.
Flor. balauſtior.
Sang. dracon. ana drachm. j. ſ.
Sacch. ſaturn. ſcrup. ij.
Succ. acac. drachm. j.
Ol. maſtich. q. ſ.
M. F. Emplaſtrum.

Vide ſis apud G. F. Hildanum Chirurg. obſerv. Centur. 3. *obſerv.* 42. 43. *&* 44. *& Epiſtolicam reſponſionem Clariſſ. Michaëlis Doringij p. m.* 224. *&* 225. *& ſeq. & apud L. Riverium obſerv.* 43. *Centur.* 3. *& communicat. obſerv.* 12. *p.* 378.

[*c*] *De ſectione & exciſione arteriæ vide controverſias de chirurgiâ tractat.* VII. *Th. Fieni p. m.* 55. *& ſeq.*

[b] De ratione qua impediatur efformatio aneuriſmatis poſt exſectam arteriam nihil habet Author pauca

ejuſ-

IX. *Obſervationes.* 1. pauperrimi cujuſdam viri (cujus nomen mihi excidit) Aneuriſmate extincti, cadaver diſſecuimus. Videbamus ſanguinem copioſum, tam ſeroſum quam grumoſum; tunicas arteriarum utraſque eroſas, & claviculam ſiniſtram maxima ex parte carie exeſam. Cl. Sylvius ejus erat Anatomicus.

2. Alium pauperem ſupraſcripto modo per laminam plumbeam ita palliativè curavi, ut decimo quinto poſt anno mihi ſanus fuerit loquutus. Tumor erat ſuprà genu dextrum, ovi gallinacei magnitudine,(*d*)

LIB.

ejuſdem Commentator, ego igitur hac in re quædam referam. Bis mihi videre contigit punctionem & lacerationem arteriarum brachii propè cubitum & carpum, quæ adhibitis remediis ſtipticis, arctaque ligatura, ita perſanatæ ſunt, ut aneuriſmatis nequidem veſtigium fuerit relictum; unde patet quomodo juxta mentem plurimorum medicorum Hippocrates arteriotomiam in pluribus corporis partibus, potiùs quam venæſectionem ſine noxa, ſed potius magno ægrorum emolumento inſtituere potuerit: Circa quod aſſerere poſſum Illuſtriſſimam Dom. Comitiſſam à Dona, quæ aneuriſma ex arteriæ punctione habuit, ſæpiùs retuliſſe è ſanguine arterioſo per memoratam punctionem educto multo plus commodi quàm aliàs à venæſectione ordinaria fieret, percepiſſe. Adderem hiſtoriam ejuſdem aneuriſmatis per ligaturam atque exciſionem arteriæ dilatatæ curati, ni à Celeberrimo D. D. Puerario enatrata in Notis ad Burnetum priùs eſſet; unicum tamen doctiſſimæ & accuratiſſimæ deſcriptioni adjicio, ſc. Excellentiſſimæ brachium poſt curam ita extenuatum fuiſſe, ut altero multò gracilius evaſerit, ſicque per plures annos ſubſtiterit.

(*d*) *Juvenis quiſpiam 22. annos natus, melancholicus, tumorem, ſubindè dolorificum, circa genu dextrum mollem ovi magnitudinem æquantem paſſus; in quo notabilis, imò magnus pulſus obſervabatur; quidam impoſuit Emplaſtr. ad rupturas Fernelii ſaccharo ſaturni malaxatum, deindè ſolam plumbi laminam, quâ dolor ſublatus optimèque valuit tumore, aliquouſque minore; ſolummodò remanente; poſt tempus aliquod, circumforaneus quidam curationem tumoris pollicetur, credulus nummorum numerandorum partem dimidiam dedit, aperto tumore, poſt biduum fatis ceſſit.*

(*a*) *Cum*

LIBER III.

DE AFFECTIBUS THORACIS

CAPUT I.

De Pleuritide.

I. PLeuritis *eſt inflammatio* interioris Thoracis duplicatæ Tunicæ, dicta pleura. (*a*)

II. P*ars affecta* eſt Membrana Pleura; plerumque etiam patitur Pulmo, Mediaſtinum, Pericardium, Diaphragma, (*b*)

III. *Cauſa* (*c*) eſt humor ſeroſus, bilioſus, acris, cum ſanguine (*d*) arterioſo ſeſe præternaturaliter effundens in Membranam pleuram, plerumque per anaſtomoſin, interdum diæreſin, raro diapedeſin.

IV. *Diſ-*

(*a*) *Cum tumore, non tantum membrana pleura, ſed & muſculorum quibus adhæret; alii verò ita definiunt, nempè per ſymptomata, & quidem juxta Hippocratem attendendo ad id quod maximè manifeſtum eſt: pleuritis eſt dolor lateris punctorius, cum tuſſi, febre continuâ acutâ, & reſpiratione difficili.*

(*b*) *Ad partem affectam plerique & optimæ notæ Authores referunt muſculos meſopleuriticos: vix enim poſſibile eſt, ut inflammatio membranæ ſuccingentis ipſos contiguos muſculos non corripiat: Pulmonem in graviori pleuritide affici ſatis ſuperque conſtat ex Riverio Cap. 7. lib.* VII. *p. m. 300. ut & Plater. de doloribus Cap. x. nec non ex ipſo Hippocrate lib. de locis in homine text. 24. p. m. 378. ubi altera pulmonum pars inflammata vocatur ab ipſo pleuritis.*

[*c*] *Proxima pleuritidis cauſa plerumque plethora eſt, quâ pleuræ vaſa ſanguinea præternaturaliter diſtenduntur vel rumpuntur; & comprimis quoque obſtructio venæ ἀζύγε vel arteriarum per pleuram perreptantium, undè ſanguinis circulatio impeditur, ſtagnant humores, ſtagnationéque acriores fiunt, ac magis effervеſcunt; acriores jam facti humores membranam internè coſtas ſuccingentem (barbarè dictam pleuram) diſtendunt, reſpirationémque difficilem, dolorémque pungentem ac lancinantem excitant.*

(*d*) *Et quidem acris acidus, ut Helmontius, & poſt illum Jac. van Hadden tractatu primo & ſecundo, Belgico idiomate conſcripto, de pleuritide, pluresque alii; ex dolore pun-*

ctorio

IV. *Differentiæ.* Vera eſt vel Notha. Vera provenit ex ſanguine arterioſo acriori; in Nothâ ſanguini ſeſe miſcet Lympha craſſior. Quidam Scriptores dolorem muſculorum Pleuritidem Notham vocant, quod illis non concedo, hoc malum Catarrhis debetur.

V. *Signa Diagnoſtica* ſunt, 1. Dolor lateris punctorius. 2. Tuſſis. 3. Difficilis reſpiratio. 4. Febris continua. 5. Pulſus durus. (*e*) Hæc ſigna, niſi omnia concurrant, non eſt Pleuritis. Interdum Pleura inflammatur in dorſo circà diaphragma, & ab incautis ſummo ęgrorum damno, pro dolore nephritico habetur.

VI. *Prognoſtica.* Quò citiùs materia peccans ſuppuratur; quò ſputa magis albicantia & leviora, eò citiùs curatur æger. A copioſo ſcreatu tuſſis & reſpirationis difficultas, vel aucta, vel non imminuta, malum. (*f*)

VII. *Indicationes Curativæ*: Fluxus humorum ab initio ſtatim, quantum fieri poteſt, cohibendus, humor ipſe revellendus, derivandus; poſteà ſuppurandus, pars tandem ejus reliqua diſcutienda, parteſque roborandæ.

VIII. *Curatio.* Venæſectio primo morbi die bis terve, cæteris partibus, reiterata maximo ægris eſt auxilio. Sunt qui illam in totum reiiciunt, ſed cum illis non ſentio. Inſtituenda eſt in brachio lateris affecti, quicquid Theoretici contradicant, eaque interdum largiter. Poſtmodum humoribus turgentibus corpus purgandum; ſudor

ctorio, coagulatione ſanguinis, ſedimentóque urinæ, nec non juvantibus & nocentibus quam accuratiſſimè concludendo probarunt.

[*e*] *Hæc collata & ſimul ſumpta, pleuritidis ſignum pathognomonicum conſtituunt, ut Galenus 5. de locis aff. cap. 8. docet.*

[*f*] *Senex noſter Hippocrates varia & inſignia prognoſtica ſuppeditat, Aphor. 8. ſect. v. hac habet; qui pleuritide laborant, niſi intra quatuordecim dies supernè purgentur, iis in empyema fit mali translatio, ſi tuſſiendo nihil, aut lividum nigrumve excernatur ſputum, pernitioſum eſt indicium; lib. 2. Prognoſt. cap. 8. Aphor. 15. ſect. 5. ex pleuritide, inquit, empyici, niſi intra dies quadraginta à ruptione ſurſum purgentur, in tabem tranſeunt; videatur quoque C. Celſus p. m. 62. & 64. nec non Aphor. 16. ſect. 6. alvi profluvium pleuritidi ſuperveniens, malum, ut & Aphor. 12. ſect. 1. & ſect. 7. Aphor. 11. Si pleuriticus dolor cum ſputis bilioſis ſine ratione evanuerit in delirium ægri incidunt. 3. Prorêet. Denſa & laborioſa corpora citius ex pleuritide intereunt:*

dor movendus; expectorantia præſcribenda. (g)

Medicamenta contra Pleuritidem.

Rad. Ariſtolochiæ, bardanæ, millefolii. Herbæ, Taraxacum, Anagallis, braſſica, Card. bened. Cerefolium. Conſolida regalis, Hippogloſſum, pulmonaria, ſcabioſa. Flores buxi, papaver. erratici, ſtœchad. citri, violar. ſemina Card. ben. fraxini, Malvæ, urticæ, aquilegiæ. Thus. Cor Cervi. Dens apri. Lapis Carpionum, percarum, mandibulæ lucii piſcis. Oc. Cancri. Oſſa lupi. Priapus Cervi, Tauri. Sperma Ceti. Vnicornu. Sal. prunellæ, Corallorum. Succus Taraxaci, betulæ, ſtercoris equini. Aqua bardanæ, Card. bened. Scabioſæ, Theriacalis, Prophylactica noſtra. Spiritus tartari. Liquor diaphoreticus Mynſichti. Syr. (h) Card. bened. papaver, rheados, diacodii. Ol. myrtillor. roſaceum, amygdalinum Vnguentum (i) pectorale, Altheæ. Emplaſtrum Ireos, de

in Coac's Tit. XVII. *de pleuritide & peripneumonia. Bis obſervavimus ſequentem Magni Hippocratis prognoſin veram, quam deſcribit coacâ* 388. *p. m.* 334. *quibus in morbo lateris plurimus ex ſputo ſtrepitus in pectore ſonat, & vultus demiſſus eſt, oculuſque aurigine ſuffuſus & caligine obductus, in his mors expectanda eſt.*

(g) *Venæſectio celebranda in principio moderata, ut facilius minorique cum ægri damno, viriumque jactura reiterari poſſit; attenuantia, incidentia, diuretica exhibenda; clyſtereſque maxime proſunt. Sine venæſectione, quocunque in tempore, quaque in pleuritide, vel maligna vel epidemica, curationem inſtitui poſſe, affirmant Practici, inter quos Iacob. van Hadden, qui firmiſſimis rationibus, auctoritate ac experientia edoctus, facilius breviuſque abſque venæſectione, quam celebrata ipſa, etſi eadem uſurpaſſet remedia, pleuritides à ſe curatas teſtatur; modo ſtatim ab initio ſpecifica acidum infringentia, diaphoreticis diureticiſque mixta exhibita fuerint.*

Angelus Sala, I. Hartmannus, P. I. Faber, M. Rulandus, &c. vomitoria in principio, & adhuc tertio, imo quinto morbi die exhibent, & quidem cum ſucceſſu quam benedictam cum aq. card. mariæ vel papav. errat. ut multis variiſque obſervationibus probant.

(h) *Vix datur præſtantius remedium ſyrupo decoctoque nicotianæ in fine videlicet morbi, ſed rite ſit præparatus ſyrupus, & per digeſtionem aliquot diebus depuratus, aliàs graviſſima ſymptomata excitat; hac de re vide notatu digniſſimam obſervationem apud Ferdinandum Epiphanum in ſuis conſiliis hiſtor.* 45. *Flores papaveris rheados à Valeriolâ plurimum commendantur, lib.* V. *obſerv.* 10.

[i] *Vnguentum pectorale Mynſichtii in ſuo*

de Cumino. Pulvis antipleuriticus Mynſichti. Haly. Tragea antipleuritica Hartmanni, Quercetani. Antim. Diaphoretic. bezoardi minerale; Flores Sulphuris. (*k*)

In principio morbi:

♃. Succi Taraxaci. depurat. unc. j. *Aq. plantagin. Roſac. an. unc.* ij. *Prophylactic. noſtr. unc. ſ. Oc. Cancr. crudor. contuſor. drachm. ſ. Syr. papaver. errat.* (*l*) *unc. j. ſ.* M S. in Phiala.

Sumat æger hac de mixtura ſingulis horæ quadrantibus cochleare unum alterumvè, miraberis ejus effectum.

Vel

♃. Syr. altheæ Fernel. unc. j. *Diacodii. Papaver. errat. an. drachm.* vj. *Oc. Cancr. præparat. drachm.* j. *Bezoardic. mineral. ſcrup.* j.

M S F. Linctus continuo aſſumendus (*m*) Secundo, tertiovè die.

♃. Rad. Altheæ unc. j. *Liquiritiæ raſæ drachm.* ij. *Fol. Malvæ M.* j. *Senn. unc.* ſ. *Oc.* C*ancr. crudor. contuſorum & in petiâ ligatorum drachm.* vi. R*hei electi drachm.* iii. *Tamarindor. unc.* ſ. *Iuiubar. Num.* 10. *Sem. urtic. Roman. unc. j. ſ.*

Coq. ex aq. hordei in Colaturæ unc. xxIV. Diſſolve.

Syr. Diacnicn. unc. j. ſ. Salis prunellæ ſcrup. ij.

M S.

i n ſuo armamentario Chimico p. m. 488. *deſcriptum, maxime commendatur.*

(*k*) *Helmontius maxime commendat ſanguinem hirci, ut & Zwelferus, qui p.* 733. *Pharmac. Auguſt. cruorem hirci colligendi veram tradit methodum, cujus drachm. j. omnem confeſtim ſopit & curat pleuritidem: maxime quoque proſunt pimpinella, flores eryng. viſc. querc. ad drachm. j. item ſal. urticæ, Card. bened. volatile Cornu Cervi, ſuccini, urinæ, fuliginis, armoniaci. Spiritus nitri dulcis, ſpir. tartari & nitri compoſitus; item ſpecies pleuriticæ Mynſichtii p.* 128. *laud. opiat. Cujus gr. i. Riverius in morbi principio cum ſucceſſu exhibuit.*

Sanguinem viperarum balſamicum ſæpius maximo cum ſucceſſu in Pleura furente uſurpavimus. Fit autem hic ſanguis balſamicus, ſi cum ſpiritus vini juniperini rectificatiſſimi æquis partibus per digeſtionem uniatur, poſtea lentè in aëre exſiccetur.

Oleum cucurbitarum longiorum ſummè deprædicat Petrus à Caſtro, quâ autem ratione illud paretur videri poteſt in Ephemer. German. A. 1. Obſ. 10.

Qui alia multa medicaméta antipleuritica accuratiſſima voluerit, adeat Faſciculum medicamentorum ſingul. ſuperius jam memoratum & A. vj. & vij. Ephemer. Germanic. adjectum, reperiet illa ſub titulo Pectoralium.

(*l*) *Maiori cum ſucceſſu uſurpatur, ſi ex ſucco florum expreſſo, quam ex ſola infuſione paretur.*

(*m*) *Omnibus commendamus ſequentem*

M.S. Bibat Patiens huius Apozematis Vncia.5. bis terve de die, prout alvus laxa fuerit vel adſtricta.

Medicamenta Topica. [*n*]

Efficaciora hiſce, quantumvis communia, nulla ſum expertus.

℞. Vng. Althea Compos, Pectorales an. unc. ſ Ol. Sem. papaver. Lilior. albor. an. drachm. iij. *Ol myrtillor. Roſac. an drachm.* vi.

MS. in fictili. Hoccè Linimento utor in morbi principio, & materia ſuppurata Emplaſtro de *Cumino*, vel Emplaſtro *Ireos* in affectibus pectoris ſumma laude digno, (*o*)

IX. *Obſervationes.* 1. Dominus N. de Bas Sponſus, conquerebatur mihi de punctorio lateris ſiniſtri dolore, quem Pleuriticum vocabat. Statim refutavi ejus opinionem: hærebat enim malum in muſculis intercoſtalibus, quod, ut ſuprà ſcripſi, quidam Auctores Pleuritidem notham vocant. Reſpirabat difficulter, & conquerebatur ſe non poſſe ob dolorem brachiis amplecti chariſſimam ſibi ſponſam Juſſi imponatur affecto lateri Emplaſtrum Ireos, & indè unica nocte curatus, tertio poſt die nuptias celebravit ſine ulla Sponſæ querela. 2. Lau-

tem tragæam antipleuriticam D. Ausfeld.

℞. Sal. prunell. drachm. ij.
Pulv. flor. papav. rhea.
Corall. rubr. ana drachm. j.
Sacchar. violat. unc. ſ.

Reducantur in pulverem pro tribus doſibus ſuperbibendo aq. papav. vel card. Mariæ parum; ſummo cum ſucceſſu uſurpatur addita adhuc drachma una rad. bardanæ.

[*n*] *Inter topica ſequens Linimentum excellit.*

℞. Unguent. alth. comp. unc. j.
Olei amygd. dulc.
Roſar. ana drachm. ij.
Lilior. alb.
Papav. expreſſ.
Hyoſciam. expreſſ. ana drachm. j. ſ.
Still. chamom.
Cumin.
Philoſoph. an. ſcrup. ſ.
Camphor. drachm. ſ.
M. F. Linimentum.

(*o*) *Hæc Emplaſtra, quia ubique non proſtant, ſequenti modo præſcribi poſſunt; Ex. gr. Empl. ireos.*

℞. Empl. de mucilag. Vel
Diachyl. cum gum. unc. j.
Rad. ireos pulv. drachm. ij.
Ol. ſtill. chamom. vel Amygd. dulc. q. ſ.
M. F. Empl.

De Cumino.

℞. Empl. de mucilag. &c. unc. j.
Sem. cumin. pulveriſ. drachm. ij.
Ol. ſtill. carui q. ſ.
M. F. Empl.

(*p*) *Iuve-*

2. Laurentius Hommers Mercator, qui paucis ante morbum diebus joci ergò mihi dixerat, ſibi in toto mundo omnia perinde eſſe, modo uxor ſua non fieret vidua. Pleuritide corripitur exquiſita in latere ſiniſtro. Detraxi ipſi ſanguinem ter intrà biduum ex brachio & manu lateris affecti, uſuſque eſt medicamentis ſupraſcriptis. Tam bene inde habuit, ut quarto die me inſcio exiverit, comederitque halecem & ſuperbiberit Pintas duas Cereviſiæ craſſæ Roterodamenſis. Altero die, imo illa ipſa nocte, incidit in Pleuritidem lateris oppoſiti, id eſt dextri. Summo mane vocatus dolebam Amicum, cum viderem vires tanto oneri non fore ferendo, cui etiam tertio poſt die ſuccubuit.

3. Illo eodemque tempore Gertruda Evers ſanguinea pituitoſa Virgo, vigeſimo ſecundo ætatis anno ex Pleuritide decumbit. Menſtrua pro voto fluxerant decem antè diebus. Juſſi illi ſanguinem è brachio affecti lateris ad Vncias octo bis detrahere fruſtraneo eventu. Non permittebant proſtratæ vires tertio morbi die, ut amplius de Venæſectione auſus fuerim cogitare, nihil enim niſi mortem expectabam. Præſcripſi ipſi mixturam ſupraſcriptam ex ſucco Taraxaci, &c. Et paucas intra horas ceſſavit dolor, pauciſque poſt diebus totus morbus, (p)

De

(p) *Iuvenis 25. annos natus poſt ſolitò majorem motum & exercitationem incaleſcens, frigori ſe expoſuit, undè in dolorem lateris punctorium levem, tuſſiculam, febrim, difficilémque reſpirationem incidit, quem brevi ſequenti mixturâ curavimus.*

♃. *Aq. hyſſop. unc.* ij.
Fænic. unc. j
Theriac. ſimpl.
Prophylact. ana unc. ſ.
Ocul. cancr. pulv.
Bezoard. mineral. ana ſcrup. j.
Spir. ſalis armon. gutt. xv.
Laud. opiat. gr. ij.
Syr. ex ſucco florum papaveris errat. expreſſ. unc. j.
M.

Hujus ſingulis horis cochleare unum alterumvè aſſumebat.

Vir 45. circiter annorum plethoricus, poſt laborem calorémque maximum, Baccho frigido ſubitò indulgens, in reſpirationem difficillimam dolorem lateris dextri punctorium intolerabilem, tuſſiendi impotentiam febremque acutam incidit; & ob dolorem magnum ad interrogata vix reſpondit, pomeridiano tempore vocatus, illicò vena ſecaretur juſſi, juxtà Hipocratem lib. 1. de morbis text. 25. p. m. 31. inter ſanguinis effluxum dolor aliquantulum diminutus, liberiúſque reſpirare potuit; ſtatim mixturam dictam parùm hoc modo mutatam præſcripſi.

De *Peripneumonia* (*q*) nihil ſcribo, quia nihil in cura differt à cura Pleuritidis. Conſulet qui plura ſcire volet, hoc de affectu, ut & de *Paraphrenitide*, Auctores; nam & hanç eodem modo curari poſſe ſcio.

C A P.

℞. Aq. card. bened.
Hyſſop. an. unc. ij.
Ther. ſin. unc. j.
Prophylact. drach. vj.
Bezoard. miner. drach. ſ.
Ocul. cancr. pulv. drachm. j.
Spermat. ceti ſcrup. j.
Laud. opiat. gr. iij.
Syr. viol. unc. ſ.
Papav. errat. ex ſucco. unc. j.
M.

Hujus ſingulis horæ quadrantibus cochleare aſſumpſit; ſimile quoque topicum. p. 59. laudatum uſurpavit; manè reverſus ſymptomata leviora inveniens, attamen venæſectio moderata celebraretur curavi: ac enema ex decocto carminativo & emolliente, &c. præſcripſi; & circa meridiem ſputa aliquouſque cruenta excrevit, quare linctum ab Auctore p. 58. deſcriptum dedimus; fruſtraneo tamen eventu; nam quinto ab invaſione morbi die periit; hocque in ægro obſervavi, quæ Hippocr. Coac. 388. Tit. 17. de pleuritide habet.

Senex nono à pleuritide curata die ſputa nigricantia ſapore inſtar carbonum fabrorum Ferrariorum prædita excrevit, quare Medicus ipſi balſamum ſulphuris aniſatum præſcripſit; poſtque illius uſum in hæmoptyſin incidit, magnâque ſanguinis copiam tuſſiendo excrevit, accerſitus mixturam ſequentem cochleatim uſurpandam, nec non linctum à Riverio prax. lib. 7. cap. 6. p. 329. deſcriptum, præſcripſi.

℞. Aq. plantag. unc. ij.
Cinam. drachm. vj.
Conf. hyacinth. drachm. i. ſ.
Acet. ſtill. unc. ſ.
Corall. rub. præpar. drachm. ſ.
Flor. balauſtior.
Sang. dracon. pulv. ana ſcrup. ſ.
Laud. opiat. gr. iij.
Syr. myrtin. unc. j.
M.

Hoc remedium, ut & pulverem quendam adſtringentem vulnerarium loco citato p. 331. uſurpavit, aſt fruſtrà; ſingulis enim diebus bis terve ad lib. j. ſ. puri ſanguinis aliquouſque ſpumoſi, tandemque animam cum ſanguine excrevit fatiſque ceſſit.

(q) Spiritum nitri dulcem ſpecificis in pleuritide laudatis medicamentis mixtum in peripneumoniâ & paraphrenitide maximè convenire aſſero.

Vir 45. annos natus à pluribus annis tuſſi laboraverat, nec tamen vini potu largiori abſtinuerat, inter potandum pungente lateris dolore affligitur, adjungitur continuò febris, tuſſiſque crebra magnum adferens cruciatum, excreatio erat tenuis ſanguine intermiſta. Accerſitus poſt triduum; nam per totum illud intervallum neglectus fuerat morbus, ſymptomata omnia graviora reperio, venæſectionem largiorem ſtatim impero in brachio lateris affecti, eandemque die ſubſequenti repeto in altero brachio, ut ſc. ſanguinis inflammationem reprimerem,

merem, & materiam ab eodem in pleuram depoſitam, ſeu impetum facientem, revellerem. Poſt primam venæſectionem utebatur ſępius Emulſione in Angina ex Illuſtriſſ. Sydenham deſcripta; Enema iniiciebatur ex lacte cum ſaccharo. Ungebatur calidè latus affectum Linimento ſequenti.

℞. Unguenti Dialthæas.
Olei capparum an. ℥ß.
Laterini ʒiij.
Juniperini ſtillat. ʒj.
Camphoræ ʒß.
M. F. Linimentum.

Poſt ſecundam venæſectionem febris remittebat, repetebatur Enema, continuabatur Emulſio ut & unctio calida partis affectæ; ſed præterea cochlearia duo per intervalla hauriebat miſturæ ſecundùm methodum Sylvianam propè præſcriptæ, quæ hæc eſt.

℞. Aquar. fœniculi.
Papaveris rhæados; veronicæ an. ℥iß.
Syr. Papaveris rhæados ℥j. è Cortice Citri ʒiij.
Spiritus ſalis armoniaci gutt. I.
Extracti opii gr. ij. M. pro uſu.

Poſtquam bis aut ter de ultimo hoc medicamento aſſumpſiſſet, remittebant ſymptomata omnia, & irrepebat ſomnus. Cumque in iiſdem remediis etiam die ſubſequenti perrexiſſemus, omnia rurſus mitiora facta, & æger multùm exſcreavit materiæ purulentæ, pro qua ulteriùs ſollicitanda Eclegma præſcribebam, quod.

℞. Syr. Capillorum Veneris,
Violarum.
Olei Amygdalarum dulciũ an. ℥ß.
Radicis Ireos Florentinæ,
Antimonii diaphoretici an. ʒß.
Sacchari cand. q. ſ. ut F. e. a. Eclegma.

Sed quandoquidem, ne ſic quidem pulmones ſatis in tuto credebam, qui ſcilicet à tuſſi ab annis aliquot durante malè affecti videbantur, unde periculum erat ne eadem materia quæ exſcreabatur in illis denuò aggereretur, vel eos alia ratione vitiaret, propter debilitatem, ſub finem addebam Eclegmati guttas aliquot Balſami Sulphuris aniſati, qui vi deterſiva, conſolidante & conglutinante dotatur, ut optimè, & experientia in dies comprobante, aſſerit Nobiliſſ. Sylvius. Sic brevi ceſſarunt omnia, ita ut diebus ſex poſtquam primò accerſitus fuiſſem, purgatus æger ſanus omnino poſtea, nec ita ut priùs, tuſſi obnoxius vixerit.

Alias adderem obſervationes. Et præcipuè illorum in quibus uſus fui ſanguine viperino balſamico; ſed hoc minùs neceſſarium, ſiquidem eadem obſervata ſemper eſt methodus quæ mox deſcripta, immutatis tantùm quibusdam pro ratione ſymptomatum, circumſtantiarum, & temperamenti. Sanguinem viperinum quando exhibui, ſemper admiſcui julapio pectorali & anodyno, ſuprà deſcripto. Hic tantùm adjicio hiſtoriam ſatis raram pleuritidis vagantis ab Excellentiſſ. Andrea Cnoëffelio curatæ de qua ſic in Miſcellan. Curioſ. A. IV. Obſerv. 63.

Chirurgus quidam, circa mammillam dextram cum difficultate reſpirandi, & calore præternaturali graves punctiones ſentiens, juſſit me ad ſe vocari. Acceſſi, vidi morbum hunc

Cap. II.

De Phthiſi.

I. P*Hthiſis* eſt *Conſumptio* humoris nutritii.'(*a*)

II. *Pars affecta* interdum quidem Pulmo eſt, ſed non eo quo vulgo

hunc eſſe Pleuriticum, ſed quoniam erat debilitate ſumma confectus, non poteram ſanguinis miſſionem accelerare. Sed diaphoretica erant præſcribenda e. g.

℞. Sanguinis hircini ℈j.
Antimonii diaphoretici gr. xij.
Florum ſulphuris gr. viij.

Miſturam hanc cum aceto calfacto aſſumpſit, & ad ſudorem ſe compoſuit. Quoniam verò punctiones nimis erant graves, cogebat externè etiam auxilium quærere. Præſcripſi ſequẽtia.

℞. Boli Armenæ pptæ ʒj.
Sandali rubri ℈ ß.
Camphoræ ℈j.
M. F. Pulvis.

Quem cum aceto coctum juſſi, quantum fieri poterat, calidè dolenti loco applicare. Non quadrans horæ præterierat, cùm patiens exclamaret, ſentire ſe graves eas punctiones in ſuprema parte axillæ ſiniſtræ, cum difficultate anhelandi, in parte autem antea dolente, nempè mammilla dextra, eas evanuiſſe. Iubeo ſtatim linteamina loco dolenti applicata removeri, novo tepefacto aceto cum pulvere, intingi, & axillæ dolenti imponi, ſed non diu applicata jacebant, cùm iterum patiens exclamaret, ſe circa mammillam eaſdem punctiones ſentire. Proſequor hoſtem, & relictis in loco prioribus linteaminibus, nova, de novo imbuta, & calida mammillæ dolenti applico. Sed ecce, anhelitus fiebat gravior, videbatur ſuffocari patiens; & poſtquam ſentiret, quod quaſi aqua frigida per totum corpus aſpergeretur, in ſiniſtra planta pedis de atrociſſimis conqueſtus eſt punctionibus, cum difficultate reſpirandi. Nec ego ceſſabam hoſtem profligare, & de loco in locum pellere, iteratis iſtis calfactis linteaminibus, continuatiſque per duos dies ſudoriferis. Tandem mitigatæ punctiones, poſt ſe relinquebant lividas & rubeas maculas, quæ ſe contrahebant, & poſt duas ſeptimanas & tres dies, ægro nuncius ſanitatis exiſtebam.'

De ſignis & differentiis inter pleuritidem & paraphrenitidem, ut & peripneumoniam, vide ſis apud Riverium prax. lib. 7. cap. 3. p. 312. & Ioëlem l. 111. p. 16. ut & Platerum Prax. tom. 1. p. m. 90.

De Peripneumonia & Paraphrenitide non opus eſt hic Autori noſtro aliquid adiiciamus; illa enim cum pleuritide, ut ipſe innuit omnino in cura convenit; hæc verò cum phrenitide tantam habet communionem, ut forſitan malè ab ipſa diſtinguatur, atque præcipuè in praxi exercenda.

(*a*) *Ab omnibus ferè & optima no-*

ta

vulgo putatur modo, ut ex cauſis patebit. Primariò plerumque patiuntur Ventriculus, Pancreas, Glandulæ lacteæ, &c. Pulmo *(b)* per Conſenſum.

III. *Cauſa* eſt 1. Ventriculus malè Chylum digerens. 2. Succus pancreaticus malè ſeſe miſcens bili: undè 3. Chylus craſſior malè tranſcolatur per glandulas meſenterii lacteas: evenit indè 4. quod craſſior chyli pars in glandulis lacteis hæreat, non tranſcoletur, illas induret, [a] ſicut non niſi ſeroſior illius pars per ductum Thoracicum

ta Authoribus definitur per ulcus pulmonum & febrim hecticam. Clar. Author hic atrophiam potius quam ipſam phthiſin deſcribere videtur, ut ex ſequentibus patet: hoccè de affectu videatur P. Foreſtus obſerv. lib. 16. imprimis obſerv. 55. & ſeq. lectu quoque dignisſimum eſt conſilium Joannis Petri Merendæ apud Cratonem lib. 5. Conſil. 11. p. m. 44. & ſeq. percommode enim & pulchrè diſcurrit de phthiſi, ejuſque cauſis, ut & Horſt. tom. 3. p. 17.

(b) Pulmonem eſſe partem affectam conſtat ex ulcere Pulmonum malumque in ipſis pulmonibus hæret, ideoque per idiopathiam, non verò per conſenſum afficitur pulmo; aſt à ventriculo, pancreate, glandulis meſenterii lacteis malè affectis malum indies augeri graviúſque reddi concedimus.

[a] Glandularum meſenterii uſus à veteribus non alius eſt, quàm diſtributiones venarum & arteriarum per meſenterium propagatas fulcire; qui ſanè ignobilior videtur, ut unicè his glandulis adſcribi poſſit: præſtat igitur cum recentiorum aliquibus affirmare, glandulas has (ut & alias corporis omnes) aliquid ſubaciduli liquoris fermentacei gignere, quod chylo admiſtum illius perfectioni & fluiditati multum conducat; probationem præbent vaſa lactea per has glandulas viam ſibi ad receptaculum commune conficientia, ut & examen chyli quod ab iis egreſſum, ut in receptaculum pergat tenuior & fluidior reperitur. Præterea, ut clariſſimus advertit Author, ſemper evenit, ut hiſce glandulis obſtructis via chylo præcludatur, indeque emaciatio & maraſmus, nec non cæliacus fluxus aliquando oriantur. Tres obſervationes in hujus affirmationis probationem affert Experientiſſimus Diemerbroekius, quas videre licet in ipſius Anatomes lib. 1. cap. 8. De Meſenterio; Nos duas addere poſſumus. Primam quidem Puelli ſeptenarii filii Conſiliarii cujuſdam in Curia Præſidiali Valentinenſi in Delphinatu die 6. Februarii A. 1678. defuncti. Secundam Puellæ annum circiter decimum agentis à me ipſo in Noſocomio Genevenſi A. 1679. diſſectæ; in utroque ſcvidimus corpus maraſmo ita confectum, ut oſſa cute ſola eaque tenuiſſima obtegerentur, unde Scheleton potius dixiſſes quàm corpus integrum præterea aperto abdomine meſenterii atque inteſtinorum glandulas omnes ita infarctas reperiebamus, ut non

n tantùm

racicum perveniat ad Cor. (*c*) Interim veſiculæ tam orbiculares quam ſinuoſæ pulmonis noviter à Clar. Malpighio inventæ, ex legibus circulationis ſanguinis, replentur lymphâ, quæ in illis craſſior fit, anhelationem cauſat atque tusſim, (*d*) vapores adſcendentes anguſtias intermittentes. Vlcus Pulmonis Tabem eſſe non admitto; niſi longo temporis tractu degeneraverit, vel in Vomicam, vel Empyema; (*e*) diſſectione enim ſemper contrarium reperi in cadaveribus hoc malo extinctis.

IV. *Diffe-*

tantum craſſiores, multò & duriores, ſed etiam numeroſiores quam in ſtatu naturali apparerent. Non tamen inde cum Autho re concludimus tabem omnem & maraſmum ab hiſce glandulis obſtructis originem trahere, ſiquidem alios vidimus in quibus hæ glandulæ nullatenus erant vitiatæ, qui tamen mortui ſunt tabidi, ſolius pulmonis vitio, quem ſc. vomicæ, vel ulcera; vel lapides, vel materiæ ſabuloſæ occupabant. Quomodo autem Pulmones affecti ſuccum nutritium diſſipare & depravare, unde carnibus potius depaſcendis quàm augendis aptus evadat, conſtare poterit ex demonſtratione anatomica & uſibus hujus viſceris de quibus in notis ad Anatomiam Practicam Celeberr. Authoris noſtri.

(*c*) *Hac Clar. Auctoris dicta ſæpè præcedere poße, antequam phthiſis oriatur, aſſentimus; attamen tum nondum phthiſis eſt, ſed quidem anſam dant, acrioreſque indies tum fiunt humores, quâ acredine poſtea vaſa quoque eroduntur. Cauſæ ut plurimum ſunt catarrhi ſalſo-acres, C. Celſus quoque lib. 3. cap. 22. p. 167. catarrhis in pulmones delabentibus adſcribit: quare etiam Hippocrates in coacis prænotionibus in principio, inquit, ſuppurati ſalſuginoſum ſpuunt p. m. 562. (ſæpè poſt gravedinem, non, vel malè curatam) ut quam accuratiſſimè obſervarunt Practici quamplurimi inter quos D. Freitagius, qui fruſtrà curationem phthiſeos aggredi, catarrhis primo non ſublatis putat: ut conſtare quoque poteſt ex G. Fab. Hildano obſerv. 8. Centur. iij. p. m. 220. ut & ex Cratone lib. 3. p. 76. ſic quoque à tuberculo in pulmonibus genito ſuppurato atque diſrupto phthiſin aliquandò generari probat Riverius praxeos lib. 7. c. 7. p. 336. tuberculumque tale pulmonis idem vocat tumorem exiguum in quadam illius particula collectum: in quem finem inſpiciatur Hippocrat. aphor. 41. ſect. 6. ut & lib. 1. de morbis. Non ſemel quoque in cadaveribus phthiſi extinctis ulcus pulmonis obſervavimus.*

[*d*] *Tuſſim ab humorum acredine vellicando & corrodendo excitari putamus, nam acrimoniam temperantibus, ut Maſſ. Pilul. de cynogloßa laud. opiato, &c. exhibitis, unde humores magis adhuc incraſſantur, ſedatur; exindè ſatis ſuperque liquet tuſſim non tam ab humorum craſſitie quam quidem acredine oriri.*

[*e*] *Aliquando in* empyem te *paracentheſis inſtituenda, ut pus. &c.*

præ-

IV. *Differentiæ.* Practicus Tabem in tres ſpecies divido. Prima, eaque præcipua, eſt illa quæ provenit ex glandulis meſenterii lacteis; Lympha craſſa, vel, ut alii loquuntur, pituitâ obſeſſis; quæ ſic in cauſa ſunt, ut minima aſſumptorum ciborum pars perveniat ad Cor, Corporiſque partes reliquas, maxima verò illorum pars pereat per alvum. (*f*) Secunda eſt quæ propter ſanguinem, & in illo Lympham ſeroſiorem, (*g*) Tusſim excitat continuam, dum per pulmones circulatur cum ſucco nutritio ad Cor. Tertia ſpecies illa eſt, quam antiqui ulcus pulmonum vocavere. Procedit ex Lympha craſſa (*h*) in Veſiculis pulmonum ſupradictis diutius hærente, & Circulationem ſanguinis impediente. Sputa primum albicant & levia ſunt, poſtmodùm crasſiora fiunt, tandem aliquo modo fætent, & ſic putreſcunt. Hæc quoad qualitatem, quantitate ſi peccaverit hæc Lympha, Vomicam pulmonum obſervabis, vel Empyema.

V. *Signa*

præter naturam intra thoracem collectum, educatur.

Paracentheſeos inſtituendæ modum, ac inſtitutæ uſum & finem, &c. videſis apud Doct. Thomam Fienum tract. 5. de Chirurgiæ controverſiis cap. 1. 2. & ſeq. p. m. 59. & ſeq. & Riverium obſerv. 79. Centur. 1.

[*f*] *Hæc vocatur à Practicis atrophia inſpiciatur eâ de cauſa Ioël prax. lib. 3. p. m. 39.*

[*g*] *Videtur Clar. Author per ſeroſiorem intelligere ſeroſiorem acrem, nam alias vix tusſim excitat, aſt quidem acria, quatenus ſua acredine corrodunt, pungunt, vellicant.*

(*h*) *Hippocrates lib. de internis affectionibus text. 4. p. 201. ipſam vocat pituitam ſalſam, quæ coacta & compacta in pulmone ſuppuratur: propter lympham craſſam, in capite ſtagnatio humorum fieri poteſt, cujus ſtagnationis maleficio acriores redduntur humores, ſicque catarrhi & quidem imprimis ſalſo-acres generabuntur, qua catarrhorum in pulmones depluentium acredine, tuſſis primùm exoritur, dein ipſa vaſa ſanguinea capillaria corrodendo aperiuntur, extravaſatus ita exſtillanſque ſubinde adhuc ſanguis, jam ſtagnans acriorique defluxioni occurrens, acrior redditus putreſcit, ſicque pulmonum ulcus producit; ut probat Hippocrates lib. 1. de morbis Text. x. p. 12.*

Optimè Clar. Freitagius concludit, non curatis catharris, humorúmque acrimonia, & quidem ſalinâ, non temperata, phthiſin curari eſſe impoſſibile.

Varias tabis ſpecies ſine pulmonum exulceratione contingentes deſcribit Magnus Senex, *ut lib. 6. Epidem. ſect. 8. p. 822. ex gonorrhæâ, lib. 2. de morbis text. 49. p. 75. ex nimio veneris uſui & lib. 5. Popular. text. 2. p. 764. nec non lib. de locis in homine text. 18. p. 373. ex*

 fluxione

V. *Signa Diagnoſtica* (*i*) incipientis phthiſis ſunt Inflatio Ventriculi tumorque totius abdominis; anxietas cordis, & interdum palpitatio, tuſſis ſicca, appetitus proſtratus, macredo, (*k*) febricula continua. Conſummatæ Tabis ſigna ſunt, appetitus major, ſed vagus, (provenit ille puto, ex febre auctâ & majore; quam non ſolum continuam obſervavi, ſed in pleriſque indies ſuam exacerbationem habentem; hancque febrem voco duplicem Tertianam continuam; an illa ex pulmonibus trahere poſſit ortum, judicet judicio pollens Medicus) Tuſſis continua, reſpiratio difficillima, Marcor, cutis arida nigricanſque, ſputum (*l*) viride, craſſum & aquæ puræ immerſum, matulæ fundum petens.

VI. *Progno-*

fluxione in medullam, ut & lib. de glandulis text. 10. p. 420. &c. eſtque vel hæreditaria, vel proprio vitio ac diætâ acquiſita.

(*i*) Imminentis *phthiſeos ſigna proponuntur ab Hippocrate lib. 1. de morbis text. 9. his verbis: ſit autem & ſuppuratus, ſi pituita* [*ſcilicet ſalſa, ut libro de internis affectionibus text. 4. p. 20. habetur*] *ex capite ad pulmonem deſtillet: & primùm quidem latenter defluit, tuſſimque tenuem exhibet, & ſputum paulo amarius ſolito, & aliquando tenuis adeſt calor.* [*febricula.*] *Plerique quoque Practici gravedinem præceſſiſſe obſervarunt quibus Clar. Riverius addit pravam thoracis conformationem & ætatem juvenilem; quare inſpiciatur Hippocr. Aphor. 9. ſect. 5. & Romanus dictus Hippocrates C. Celſus: in cujus ſcripta H.* Fab. *ab Aquapendente, rogatus à ſuis diſcipulis, ut ſecreta quædam in re medicâ ipſis revelaret, ſic commendaſſe fertur:*

----- Vos exemplaria Celſi.
Nocturnâ verſate manu, verſate diurna.

Porrò Magnus ille Senex *de* inci-piente *loco citato: Temporis autem progreſſu, exaſperatur pulmo, & intus exulceratur à pituitâ* [*ſcil. ſalſo-acri*] *inhærente ac putreſcente, & gravitatem exhibet pectori, & dolorem acutum ante & retrò, caloréſque acutiores* (*febres majores, acutiores*)*, in corpus incidunt, & pulmo trahit ad ſe pituitam ex toto corpore, & maximè ex capite: caput verò calefactum ex corpore. Progrediendóque* conſummatæ phthiſeos *ſigna ibidem deſcribit.*

Quanto verò magis tempus progreditur tantò magis pus ſincerum ſpuit, & febres acutiores fiunt, tuſſiſque frequens & fortis, & inedia vexat, & tandem alvus inferne turbatur, hic quum ad hoc pervenerit, perit: quibus adde capillorum defluvium, genarum livorem, inque rubedinem unâ duabuſvè circiter à cibo ſumpto horis cum pulſu majori & celeriori, mutatum: quod certum hecticæ febris ſignum Sennertus de febb. p. 339. putat.

k Quæ in carpis manum primò obſervatur.

(*l*) *Primò ſalſum, dein amarum, poſtià*

VI. *Prognoſtica.* Phthiſin Infantum, imò adultorum in principio facilè curaveris, ſi abdominis (*m*) majorem habueris curam, quam pulmonis, hicce enim tunc non peccat, niſi per accidens. Conſummata ferè ſemper incurábilis; [*n*] ſed Vomicâ pulmonis laborantes curatos vidi varios, ut & alii mecum Practici.

VII. *Indicationes curativæ.* Lympha craſſa incidenda, (*o*) abundans leniter & per epicraſin evacuanda. (*p*) Diæta ſit exquiſita; reficiatur tamen ſæpè Stomachus.

VIII. *Curatio.* Intelligenti ſufficient Indicationes Curativæ. Hoc ſaltem addo, me contrà omnium fortè Scriptorum Prăcticorum ſententiam acidis temperatis feliciſſimè uſum. Ratio patet ex præſcriptis. Dulcia acidis non temperata, cum multis aliis obſervavi, ægris ſemper, ad minimum plerumque obfuiſſe.

Medicamenta Anti-Phthiſica.

Radices Chinæ; Salſæparillæ, Polipodii, Helenii, Symphyti majoris, Ireos. Fol. Capill. Ven. Conſolid. Hedera terreſt. Hyſſopus, Iacea,

ſteà dulce excerni annotavit Hippocrates locis citatis; ſed notandum: *aliquandò pituitam putridam puris æmulam tuſſiendo excerni; pus autem coloris eſt cineritij, & minus album quam pituita, & interdum varii coloris, & in aquam tepidam puram projectum fundum petit, in eâque diſſolvitur, pruniſque vivis impoſitum, fœtet.*

[*m*] *Imprimis quoque catarrhorum ſalſo acrium in pulmones depluentium malum indies augentium.*

(*n*) *Attamen ſpes quædam curationis affulget (modò non hæreditaria) ſi vires robuſtæ ſint, ſputum album, æquale, unius coloris, & facilè expectoretur, catarrhúſque aliò divertatur, febriſque indè minuatur, appetitus vigeat, ſitis abſit; alvum naturaliter deponat, pectus habeat amplum & hirſutum, &c. Quibus verò phthiſicis ſputum graviter oleat, aut capilli defluant, aut alvi fluxus ſuperveniat, aut ſputum ſupprimatur, aut facies Hippocratica appareat, mors in propinquo eſt; docente Hippocrate 1. Prognoſt. & Aphor. 11. & 12. ſect. 5. & ſect. 7. Aphor. 16. Videſis quoque apud Riverium lib. 7. cap. 7. p. 345. & 356.*

Contagioſam quoque eſſe phthiſin Practici obſervarunt, quâ de causâ inſpiciantur obſervationes, imprimis Riverii Centur. 1. obſerv. 35. & 99. &c.

[*o*] *Catarrhique ſiſtendi, eorumque acrimonia blandè temperanda.*

[*p*] *Fortiora enim purgantia, ut & omnia aloëtica maximè phthiſicis nocent; quia facilè hypercatharſis exori-*

 retur,

Iacea, Millefolium, Piloſella, Pimpinella, Taraxacum. Plantago, Prunella, Pulmonaria, Sanicula, Scabioſa, Veronica. Flores Hyperici, Roſarum, Violarum, Aurantiorum. Semina altheæ, malvæ, papaveris, 4. frigid. majora & minora, (Amygdalas non amo) Piſtacia. Santalum citrinum. (*q*) Sulphur vivum præparatúmque. Aq. Anti-phthiſica Mynſichti, Quercetani, Rolfinckii. Spir. Sulphur. per Campanam, ſalis dulcis. Balſamus Sulphuris ſimplex, vel aniſatus. (*r*) Elix. Proprietatis. Syr. (*ſ*) papaveris tam erratici quam albi, diacodii, Altheæ, de Symphyto Fernelii. Loch. de pulmone vulpis, Anti-phthiſic. Mynſichti. Antidotus major Querc. Pulvis Haly, refectivus Mynſ. Spec. Diatragacant. Frig. Oc. Cancr. Tragea anti-phthiſica O. Coffi, Succolata. Antimonium diaphoret. [b] Bez. minerale, flores Sulphuris ejuſque lac. Pil. proprietatis Mynſ. (*t*)

♃. Oc.

retur, vaſorúmque orificia aperirentur aloës maleficio: vitentur quàm maximè animi pathemata.

(*q*) *Item lignum guajacum ejuſque decoctum, quod optimè corrigitur ſantalo rubro & paſſulis; aqua ſanguinis ſuilli deſtillata: decoctum braſſicæ capitatæ rubræ, &c. item laudanum opiatum, quatenus catarrhos ſiſtat humorúmque acrimoniam temperet, aſt parciſſimâ manu exhibitum.*

(*r*) *Quidam ex balſamo ſulphuris tincturam extrahunt per vini ſpiritum ſummè alcoholiſatum, iterumque ad mellis conſiſtentiam leni calore deſtillant, aut evaporant, ac ſummopere in phthiſi commendant.*

Notandum verò; ſulphurea hic non ſemper convenire; quare rectè monet Clar. Sennertus in inſtitutionibus, lac ſulphuris imprimis per ſe, nec ſemper in magnâ quantitate exhibendum; poteſt tamen cum humectantibus (imprimis decocto chinæ cum paſſulis & glyzirrisâ admixtum.) quoque miſceri; & quod obſervandum, ex nimio balſami ſulphuris uſu plurimos in phthiſin incidiſſe, teſtantur Practici.

(*ſ*) *Item ſyrupus de nicotiana ſ. ſucco tabaci, quo ſolo phthiſicos etiam & tabidos quoſdam reſtituiſſe teſtatur Heurnius, de tabaco tractatus Ultrajecti anno 1644. editus, Conſcriptus ab Ægidio Everardo, & Ioanne Neandro, lectu digniſſimus, inſpiciatur, convenit quoque hydromel anti-phthiſicum apud Cl. Riverium lib. 8. c. 7. p. 349.*

[b] Commendatur Antihecticum Poterii quod conficitur ex Regulis Antimonii, Martis & Iovis unitis & cum nitro calcinatis; verùm illud medicamentum, quamvis optimum, non tamen reſpondet promiſſis Authoris ſui; cujus tamen veram componendi methodum nos habemus.

(*t*) *Lac ab omnibus ferè commendatur, imprimis verò lac humanum*

calide

♃. Oc. Cancr. crudor. contuſor. drachm. j. Spec. Diatragacant. frig. Pulv. Haly an. drachm. ſ. Sal. prunell. ſcrup. j. Tartar. vitriolat. g. vj. Confect. Alchermes incompletæ. drachm. j. Sacchar. perlat. unc. ſ. Altheæ unc. ij.

MS. F. ſ. a. Trochiſci omnibus diei horis aſſumendi.

♃. Syr. Altheæ Fernel. unc. ij. Diacodii unc. j. Bezoardic. miner. Salis prunell. Oc. Cancr. præparat. an. ſcrup. j.

MS. F. Linctus. (u) Si materia abundantiâ ſua peccans eſt evacuanda:

♃. Rad. Altheæ unc. j. Ireos unc. ſ. Fol. Malvæ M. j. Senn. mundat. unc. ſ. Rhei elect. drachm. iij. Tamarindor. drachm. vj. Sebeſten. Num. viij. Oc. Cancr. crudor. contuſor. & in petia ligator. unc. ſ. Sem. aquileg. drachm. j. urtic. Rom. drachm. ſ.

Coq. ex aq. hordei in Colaturæ unc. xxv. Diſſolve Syr. diacnic. unc. ij. Sal. nitri ſcrup. ij. M. S. F. Apozema.

Bibat patiens ſemel vel bis de die, prout operabitur, vel ejus ferret conſtitutio, Uncias quinque Spiritus ſalis dulcis, ut & ſimplex liquor Tartari, incomparabilis ſunt efficaciæ, guttatim in cereviſia, juſculo vel vino aſſumpti. (x)

IX. Ob-

calide ſumptum, item caprinum, equinum, aſininum, vaccinum, omnes curationis intentiones, adimplens, teſte Platero; magis tamen proderit, ſi animal ſpecificis fuerit nutritum; in lacte quoque aliquid ſacchari roſati diſſolvi convenit, ne in ventriculo coaguletur ab acido, &c. Commendatur quoque externè, & quidem unguentum, ut & balneum ex lacte dulci; attamen balneum nocere, ſi ex ſanguinis ſputo, teſtatur Telemannus in Aphor. Hippocratis p. 273.

A pleriſque Authoribus conſerva & ſaccharum roſarum omnibus præfertur remediis, & quibus multos curatos teſtatur Riverius ex Avicennâ Meſue, Montano, Platero, Zacuto, Luſitano, Foreſto, &c.

(u) Ad catarrhi ſublationem, acrimoniamque temperandam, (ſine qua catarrhi ſublatione fruſtra curatio aggreditur) ſequens convenit maſſa pilularis.

♃. Maſſ. Pilul. de cynogl. drachm. j.
Laud. opiat. gr. iij.
Croc. optim. ſcrup. ſ.
Succ. glyzirr. in aq. hyſſop. ſoluti & filtrati, blandoque igne ad conſiſtentiam mellis redact. drach. ij.
M. F. Pilul. num. IX.

Quotidie poſt cœnam ſumantur ij. iij. *vel* IV.

(x) Imprimis in decocto ex radice chinæ & ligno ſantalo cum paſſulis & glycirrisâ parato. Incipientes phthiſes ſequenti decocto curatas vidimus, cujus ſubindè hauſtulum aſſumebant:

♃. Rad.

IX. *Obſervationes.* 1. D. Haſenbroeck, Ovium Dei Paſtor, Melancholicus, Macer, Tuſſiens, Febricitans, nec noctu, nec de die ferè poterat dormire; dolebat caput, appetitus, ut & totius corporis vires erant proſtratæ. Juvenis eſt 30. circiter annorum. Præſcripſi illi primò decoctum ſupraſcriptum laxans; deindè hanc mixturam cochleatim aſſumendam:

♃. Aq. Scabioſ. Card. benedict. an. unc. ij. *Prophylact. unc* ſ. *Oc. Cancr. præparat. ſcrup.* j. ſ. *Syr. papaveris errat. unc.* j. *Laud. opiat. gr.* j. M S. F. Mixtura cochleatim ſingulis horis aſſumenda.

Optimè indè habuit. Tandem uſus ſum ſpiritu ſalis dulci. Nunc eouſque benè habet ut hilaris ſit Athleta, biſque interdum de die doctiſſimè ſummaque cum Auditorum laude concionari poſſit.

2. Anna Svvers ſanguinea & novemdecim annorum virgo, tuſſiebat & febricitabat continuò. Macrior inde facta, uſa eſt ope fœminæ cujuſdam circumforaneæ, quæ ipſi per continuas purgationes novem intra dies pollicebatur optatiſſimam ſanitatem. Sed ſucceſſus eouſque fuit infelix, ut vocatus ego nihil ipſi potuerim præter corroborantia præſcribere; brevi autem poſt periit. Tam noxia ſunt hoc in morbo fortiter purgantia. (*y*)

3. In

♃. Rad. apii.
Ireos florent.
Leviſt. an. unc. j.
Raſur. lign. guajac. unc. iij.
Fol. tuſſilag. M. j.
Flor. verbaſc. p. ij.
Paſſul. mai. mund. unc. iv.
Coq. ſ. a. ex aq. purâ, in colatur. unc. xxxiv. *Diſſolve.*
Syr. jujub. unc. ij.
Aq. theriac. ſimpl. drachm. vj.
M.

(*y*) *Iuvenis viginti quinque circiter annos natus, macer admodum, tuſſi, febri continuâ, vigiliiſque nimiis afflictus multa purulenta & ſubindè ſanguinea, excrevit phlegmata, tandem capillorum defluxione, puſtuliſque rubris per totum corpus diſperſis, (ex quibus, digitis ſi comprimerentur, acris quidam exſtillabat ichor) correptus eſt: qui curatus ſequentibus, maſſa videlicet pilulari de cynogloſſa, linctu pectorali, ac decocto braſſicæ rubræ capitata, in quo parum ſacchari roſati diſſolutum erat.*

Iuvenis octodecim annorum poſt varias erraticas febres in phthiſin incidit, qui ſequenti ratione convaluit; ſingulis veſpertinis duas treſvè aſſumpſit pilulas ſuprà deſcriptas, ut & ſequentem pulverem, quem omnibus loco pulveris Haly commendamus:

♃. Sem. papav. alb. unc. ſ.
Portulac.
Melon. ana drachm. iij.

Cum

3. Infantes Tabe laborantes plerosque sic feliciter curavi. Iubeban illis inungeretur bis de die venter hocce Linimento;

♃. *Vnguent. Althea Comp. Arthanitæ an. unc.* ſ. *Ol. Mucagin. unc.* j.

MS. (z) Interdum, id eſt, ter quatervè ſingulis hebdomadibus, illos purgo Syrupo Diacnicu. Interim utuntur Liquore Tartari in ordinario illis potu.

Cap.

Gum. amyl.
Arabic.
Tragacant. an. drach. ij.
Antimon. diaphor. drachm. j. ſ.
Pulv. ireos.
Croc. optim.
Magiſt. corall.
Flor. ſulphur. ana drachm. j.
Sacch. roſar. unc. j.
M. F. Pulvis.

Hujus ter de die à drachm. j. *ad* ij. *cum decocti ex radice china, ſantalo rubro, paßulis, & glycirrisâ parati unciis tribus aßumatur.*

Secundò quoque conſervam roſarum ſpiritu ſalis dulci alteratam; ac deindè ſolum lac bubulum tepidum cum ſaccharo roſato uſurpavit.

(z) *Cum ſucceſſu ſapè uſurpavimus, addito nimirum oleo philoſophorum, ſeu de lateribus ad drachm.* ſ. *& unguent. martiat. drachm.* ij.

Clar. Author. in ſuâ an anatomiâ practicâ ſequentes laudat Rotulas.

♃. *Chalyb, præpar.*
Oc. cancr. præp. ana ſcrup. j.
Tartar. vitriol. drachm. ſ.
Lapid. prunell. gr. xv.
Spec. aromat. roſat. ſcrup. j.
Sacch. alb. unc. ij.
M. F. ſ. a. Rotulæ indies uſurpandæ.

Addimus hic methodum Cnoëffelianam qua multi, ut aſſerunt à Phthiſi ſunt curati.

Primò in morbo nondum confirmato, & abſque excretione ſanguinolenta adhibuit. Pilulas ſuas balſamicas ex aloë, myrrha & croco, cùm balſamo ſulphuris aniſato, ſeu elix. proprietatis helleborino efformatas; doſis erat ℈ß. ante ſomnum. Poſt per octiduum, & quidem ter in die. ſc. mane, à meridie & veſperi has rotulas ſulphureas: quæ

♃. Specierum diaireos
Diatrag. frig. ana. ℈ij.
Antimonii fixi diaphor. ℈vj.
Florum ſulphuris ʒß.
Sacch. albi in aq. tuſſilag. q. ſ, diſſol. ℥vj.
Olei aniſi gutt. xij.
F. Tabulæ ad Scatulam mundam.
Doſ. Num. vj. vij. viij.

Vel

♃. Antimonii fixi diaphor. ℈iß.
Florum ſulphuris ℈ß.
Specierum diatragac. frig.
Diaireos
Succini albi ppti ana. ℈j.
Extracti helenii ℈ß.
Balſami ſulphur aniſati ℈ß.
Sacch. in aq. fæniculiſ. aniſi q. ſ. diſſol. ℥iij.
F. l. a. Rotulæ.

Sequenti ſeptimana loco rotularum præſcripſit pulverem qui talis eſt:

♃. Radic. Farfaræ.

O Ireos

Ireos an. ℥j.
Glycyrrhyzæ ʒj.
Enulæ camp. ʒij.
Folior. Hyſſopi,
Capillor. veneris an. ʒj.
Sem. Aniſi,
Fœniculi an. ʒij.
Florum Sulphuris ℥j.
Sacch. canarii albi ℔j.
M. F. Pulvis ſubtiliſſimus. Doſ. ʒj. ad ʒij.

Uſus hujus pulveris ſit mane & veſperi, tribus vel quatuor horis ante cibum, ſuperbibendo bonum hauſtum ptiſanæ.

Pro nocte autem & ante ſomnum adhibuit Emulſionem ſeq.

℞. Semin. Melonum.
Cucumeris an. ʒij.
Papaver. albi ℥ß.
Nucleor. Perſicor. excort. Num. vj.
Aq. Veronicæ, ſeu Tuſſilag. Fragor. an. ℥iij.
F. Emulſio. Adde Sacch. cant. albi ʒvj. & aliquando, magiſter. perlar. butyracei ℈ij. Eſſentiæ roſar. ver. ſeu ſpir. fragor. ℈j.

Dimidium hujus Emulſionis frigidiſſimè exhibuit, eundo ſcubitum, alterum dimidium ſequenti nocte, tertia & quarta die interdixit.

Poſtea loco Emulſionis ſequens ordinavit Decoctum anti-phthiſic.

℞. Radic Farfaræ,
Polypodij.
Glycyrrhyzæ,
Leviſtici an. ℥ij.
Herbar. Pulmonariæ
Salviæ.
Verbenæ
Scabioſæ.
Florum Hepaticæ Nobilis an. M. j.
Sebeſten
Jujubarum an. ʒij.
Semin. Aniſi ℈vij.
Caricarum Num. x.
Aquæ fontanæ puræ ℔iv.

Inciſa & contuſa craſſiuſculè coquantur in præſcripta menſura aq. ſimpl. uſque ad tertiæ partis conſumptionem.

Decoctum colatum & purificatum dulcoretur cum melle clarificato, q. ſ. Doſ. ℥iv. ad ℥vj. & ℥viij. mane & circa noctem, per octiduum; finito tempore, omnia de novo, in modum præſcriptum incipienda ſunt, uſque ad meliorationem.

Poſt abſolutam curationem, patiens adhuc per unum atque alterum menſem cereviſiam bibit medicatam per ſpecies ſequentes:

℞. Radic. Tuſſilaginis,
Polypodij
Iridis an. ℥iij.
Enulæ
Caryophyllatæ an. ℥iv.
Herbar. Pulmonariæ
Veronicæ,
Scabioſæ,
Hepaticæ Nobilis an. M. iij.
Hyſſopi M. iv.
Florum Hepaticæ Nobilis M. iv.
Raſuræ ligni Iuniperi ℥xvj.

Incidantur & contundantur groſſo modo, indanturque ſacco oblongo.

Sign. Species pro dolio cereviſiæ.

CAP. III.

De Febribus.

I. FEbris eſt aucta Circulatio Sanguinis per Pulmones, Cor, Cerebrum, totiuſque Corporis partes. (*a*)

II. *Partes affectæ* ſunt Ventriculus, Inteſtinum duodenum, Hepar, Pancreas, Glandulæ meſenterii, & interdum Artus, &c.

III. *Cauſa* Interna vel Externa eſt. Internam eamque præcipuam puto, quod poſtquam Ventriculus non bene cibos concoxerit, Succus Pancreaticus (*b*) non benè ſeſe miſceat cum bile Chylóque; ſic bilis præternaturaliter regurgitat per Venam Cavam ad Cor totumque corpus. Pancreas interim Lymphâ craſsâ obſeſſum officium ſuum male agit, unde febres intermittentes omnes. (*c*)

Exter-

(*a*) *Videlicet præternaturalis, functiones quaſdam lædens; ſi enim quiſpiam ſe ſolitò plus moveat, augetur circulatio, non tamen febris eſt; debet ergò eſſe præternaturalis functiones quaſdam lædens.*

Alij per frequentiorem efferveſcentiam: Alij verò per affectum, in quo pulſus præter naturam frequentior obſervatur; definiunt.

[*b*] *Acrior videlicet factus ſtagnatione.*

[*c*] *De continuarum febrium cauſa ſic diſcurrit Clariſſ. Dom.* Franc. de le Boe, Sylvius, *praxeos lib.* 1. *cap.* 27. *p.* 379. Febrium continuarum omnium cauſam *eſſe* bilem *aut* lympham [*ſub quâ ſuccum pancreaticum, ipſamque adeò ſalivam comprehendo, quatenus cum ipſâ deferuntur ad cor*] *aut* utramque vitioſam, *& in dextro cordis ventriculo* fermentationem *excitantem*, *unde* continuò pulſus producatur frequentior, *& p.* 181. *& p.* 382. Febrium intermittentium omnium, ſuccum pancreaticum aliquâ ſui parte in uno pluribuſvè pancreatis ductibus lateralibus obſtructis ſtagnantem, *ac morâ ſuâ ibi* acriorem *factum*, *atque* acrimoniâ iſtâ acidâ *per* pituitam *plus minuſvè viſcidam & notatâ obſtructionis cauſam viâ vi paratâ* penetrantem, ac in tenue inteſtinum effuſum, vitioſamque ibi cum bile atque pituitâ efferveſcentiam excitantem, cauſam eſſe *puto.*

Ioannes Fernelius febrium lentarum errantiúmque in pancreate ſæpiſſimè cauſam latêre affirmat; lib. 6. de patholog. cap. 7. p. m. 303.

Circa Febrium Intermittentium cauſam hæc habet Excell. *Williſius.* Succus nutritius à quotidiano pabulo communicatus, crudus in ſanguinem advenit; illi commixtus, & aliquandiu circulatus aſſimilatur, & in hu-

Externa cauſa eſt Contuſio frigusvè (*d*) partium externarum, quæ Circulationem tàm ſanguinis quàm lymphæ (*e*) (quam veri Anatomici mecum circulari, certò putant ſciuntvè) impedit, ſicque febrem cauſat. Si ad omnia, quæ hic brevi deſcribuntur, attendere volueris, reperies fortè omnia tot voluminibus de tanto morbo deſcripta. De Febribus malignis & contagioſis nihil hic dico, cum in Præfatione promiſerim me ſpeciatim de morbis contagioſis verba facturum.

IV. *Differentiæ*

morem perfectum maturatur: poſtea veteraſcens, in partes abit, & ſeponitur. Dum æquabili hoc ritu ſanguis continuò inſtauratur, & ejus diſpendia reparantur, ſine tumultu, aut immodica efferveſcentia placidè fermenteſcit, & intra vaſa circulatur; ſin verò ſucci nutritii ſupplementum non (uti priùs) maturatur, nec digeſtione perfecta in ſanguinem faceſſit, ejus particulæ cruori confuſæ, velut heterogeneum quoddam, & non exactè congener, in ſanguinis maſſa perſiſtunt; quibus cùm ad plenitudinem ſaturatur, illicò turgeſcit ſanguis, & efferveſcentiam febrilem concipit, qua vel ſubigitur, vel foras detruditur depravati hujus ſucci recens ſupplementum. Dico igitur à primo inſtanti, quod ſuccus nutritius cum ſanguine non aſſimilatur, ejus particulæ, licet commixtæ, adhuc cum eo ſine magno tumultu, aut perturbatione circulantur; atque ita deinceps, donec iis ad turgeſcentiam cruoris maſſa adimpletur; tunc verò protinus ebullit illa & fervorem concipit: ad eundem ferè modum ac cereviſia novella utribus infuſa, quæ ſi ſtrictim occluditur, ut nihil evaporet, primò ſine fervore aut impetu in vaſis illis continetur, poſtea cùm effluviis uſque cohibitis liquoris maſſa turgeſcit, inſigniter fermenteſcit, & propter fermentationis impetum ſæpè vas diſſilire facit. Etiam hoc ſtato tempore contingit, & totidem horarum ſpatio, velut in febre intermittente, liquor ad turgeſcentiæ ἀκμὴν aſſurgit. Qua autem de cauſa ſuccus nutritius à ſanguine non aſſimiletur; cur in paroxyſmo frigus calori ſit præcedaneum; quare intermiſſiones nunc breviores, nunc longiores paroxyſmos ſubſequantur, videri poteſt apud Illuſtriſſimum Authorem prænominatum: qui hæc omnia & fusè & ingenioſiſſimè deſcribit.

(*d*) *Non tantùm contuſio & frigus, verum etiam aëris calor, ut patet ex ephemerâ ab æſtu ſolis, ignis, balnei, &c. ortâ; ut & omnia quæ aſſumuntur ex rebus non naturalibus.*

(*e*) *Dari talem lymphæ circulationem, ſatis ſuperque conſtat ex ligaturâ, valvuliſque vaſorum lymphaticorum: (quas accuratiſſimè deſcripſit & demonſtravit D. Fred. Ruyſch in ſuâ dilucidatione valvularum in vaſis lymphaticis & lacteis.) Deus enim & natura nihil faciunt fruſtrà.*

(*f*) Quo

IV. *Differentiæ.* Febres hiſce in regionibus rarò ob Lympham craſſam ſunt continuæ, ſine nova exacerbatione. Plerumque ſunt Tertianæ ſimplices vel duplices; vel Quartanæ ſimplices, duplices, tripliceſve; Quotidianæ enim mihi in rerum natura non dantur, (*f*) omnes enim tales vel duplices Tertianæ, vel Triplices Quartanæ ſunt.

V. *Signa Diagnoſtica.* Pulſus ſemper eſt celerior, (*g*) ſæpiſſime oppreſſus. Dolor Capitis vel punctorius eſt vel gravativus. (*h*) Conqueruntur ægri de Cordis & præcordiorum anxietate; quam antiqui optime Cardialgiam vocavere; reverà enim non provenit ex Corde, ſed Ventriculo ipſiuſque præſertim orificio. (*i*) Interdum adeſt rigor horrorve, [*k*] interdum non. Vomunt multi in principio, poſtmodum ſunt inquieti, tandem ſudant, & ſic terminatur pro illo tempore febris intermittens, tam ſimplex, quam duplex Tertiana, ut & Quartana.

VI. *Prognoſtica.* Continua vel acuta Febris nulla tuta; ſæpiſſimè enim aliquid ſubeſt, (*l*) quod neſcimus. Quartana Medicorum vocatur opprobrium: curantur tamen ſæpè brevi, exactiſſimè diætam obſervantes ægri. Febres Tertianas duplices (*m*) ſemper continuas obſervavi, & ideò periculoſas, multoſque, niſi leniter tracten-

(*f*) *Quo fundamento, quâve ratione Clar. Author quotidianas neget febres, autoritatique, rationi, ac quotidianæ contradicat experientiæ, non video; dicere enim non eſt probare.*

(*g*) *Imò, ubicunque pulſus* præternaturaliter *frequentior obſervatur, ibi febris eſt.*

(*h*) *Vel* pulſans, *ut in ephemerâ ab æſtu, aëris, ſolis, vigiliis nimiis, potuvè generoſiore ortâ, nec non* diſtendens, rodens *& quaſi* perterebrans, *ut &* ardens; *in febribus, tum continuis, tum intermittentibus obſervatur.*

(*i*) *Nimirum ſuperiori.*

(*k*) *I primis circa regionem lumbarem, ubi ſæpiſſimè dolores intolerabiles, frigus, rigor, horrorvè primùm exoriuntur, maximéque de illis conqueruntur ægri: quod quoque annotavit Hippocrates Aphor. 69. ſect. 5.*

(*l*) *Scilicet malignitatis; quare nonnulli Practici in continuis venæſectionem improbant, imò damnant de intermittentibus ſic Hippocrates Aphor. 43. ſect. 5. febres, inquit, quæ tertio quoque die vehementius affligentes, non intermittunt, periculoſiores: quoquo modo autem intermiſerint, periculum abeſſe ſignificant: quod C. Celſus lib. 2. cap. 3. p. 50. & lib. 3. cap. 12. p. 141. confirmat.*

[*m*] *Vulgò quotidianas continuas.*

tractentur, è medio tollunt. Tertianæ ſimplices (*n*) facilè curantur ab expertis.

VII. *Indicationes Curativæ*: Ventriculi, Pancreatis, Hepatis, Glandularumque Meſenterii major habenda ratio quam Cordis vel Cerebri: artus autem nequaquam negligendi; caleant neceſſe eſt. Bilis acrior temperanda; bilis craſſior (quod ſæpè evenit] incidenda. Humores abundantes leniter evacuandi in tenellioribus; fortiora purgantia, non niſi ruſticis conveniunt. Sudorifera vehementiora obſunt omnia ſemperque; natura enim ducenda, non cogenda. Omnia ſponte fluant, abſit violentia rebus. (*o*)

VIII. *Curatio*. Hippocratis ex lege humores primò præparandi, niſi materia turgeat, quod rarò [hiſcè præſertim in regionibus] evenire ſolet. Non tamen improbo primam vulgo dictam regionem leniter evacuantia, (*p*) In Febribus continuis Venæſectio caute

(*n*) *Exquiſita dicta; facilè curari non mirum, qui ſeptenis adſummum circuitibus judicantur; ut teſtatur Hippocrates Aphor.* 59. *ſect.* 4. 1. *Epidem. ſect.* 3. *p.* 671. 11. *Epidem ſect.* 3. *p.* 700. *& Coac. prænot. ſect.* 1. *p.* 533. *circa finem; tertiana, inquit, exquiſita in quinque aut ſeptem circuitibus, aut ad ſummum in novem judicatur. Multa egregia lectuque dignisſima* Magnus Senex *habet prognoſtica, imprimis ſect.* 4. *ab Aphor.* 29. *ad Aphor.* 72. *ut & Coac. prænot. ſect.* 1. *ad ſecundam uſque, &c.*

(*o*) *Nimium rareſcens & efferveſcens ſanguis condenſandus & compeſcendus, omneque acre temperandum ac auferendum, habituoſo flatulentum diſcutiendum, ortuſque illius præcavendus, humoreſque qualitate peccantes alterandi, corrigendi, quantitatéque jam alterati evacuandi per epicraſin, omneſque obſtructiones tollendæ; univerſalibus omnibus ſpecifica febrifuga admiſcenda.*

(*p*) *Vtrum die paroxyſmi purgans exhibendum ſit, diſputant Medici; Petrus Monavius apud Cratonem lib.* 2. *Epiſtolar. p.* 417. *Si, inquit, in febribus intermittentibus quibuſcunque, apparente aliquâ, etiam non perfecta in urinis coctione, ægro ipſo paroxyſmi die purgans dederis, ita, ut effectum ſuum antè paroxyſmi invaſionem compleat (horis ſcil. quatuor aut quinque antequam paroxyſmum adventurum putas) videbis, febrim poſt illum paroxyſmum non amplius reverti, ſed prorſus tolli, quaſi incantatione quâdam, probavi jam ſæpiùs, in pluribus ſemper eventus reſpondit, in tertianis poſt tertium aut quartum paroxyſmum hoc feci, in quotidianis tardius, in quartanis tardiſſimè, ac ne vix ante triceſimum diem.*

A plurimis quoque maximè commendantur vomitoria, *quibus M. Rulandus, L. Riverius, I. Hartmannus, pluresque alii gloriantur ſe omnes ferè febres curaſſe; ut illorum obſervationes abundè*

te inſtituta convenit: (*q*) ut & in febre Tertiana ſimplici, tertium poſt Paroxyſmum. Quartanariis plerumque nocet; hiſce proſunt frequentes Clyſteres, & interdum purgationes; [*r*] ſemper verò ſudorifera, præcipue ſalia, eaque febricitantibus omnibus.

Medicamenta Febrifuga.

Radic. Contrajervæ, Imperatoriæ, Plantaginis, Taraxaci. (*ſ*) Cortex (*t*) Chinæ Chinæ Indorum. Fol. (*u*) Abſinthii. Card. bened. Centaurii, Fumariæ, Acetoſæ, Verbena, ruta, ſerpillum, ſemina milii Solis, nigellæ. Nux Moſchata, Garyophyllum. piper. Campho-

abundè teſtantur; imò quartanam abſque vomitoriis incurabilem tradiderunt: Contrarium tamen multi nobiſcum obſervarunt Practici.

(*q*) *Et quidem in principio dumvires adhuc conſtant, imprimis hic benè audiunt emulſiones ex hord. mund. ſem. papav. alb. &c.*

Intermittentium vero curatio conſiſtit in obſtructionis à pituitâ viſcida ſolutione, in ſucci pancreatici aliuſvè humoris ſtagnatione acidioris facti alteratione, inque vitioſa bilis, pituitæ, humoriſque acidi, effervesſcentia emendatione, nec non obſtructionem à pituitá viſcida & in ductibus pancreatis lateralibus (ut circa §. 3. *ex Clar.* D. Fr. De le Boe, Sylvio, *allegavimus.) Vel quocunque in loco, coagulata factam ſolvunt omnia attenuantia, incidentia; pituitam viſcidam attenuant inciduntque, tum acida imprimis blanda & temperata, tum ſalia quævis fixa & volatilia hinc & aromatica omnia. Inter acida excellunt; aqua prophylactica Clariſſ. Authoris p. 84. deſcripta, ſpiritus ſalis, nitri, &c. imprimis tamen cohobatione cum ſpiritu vini rectificato dulces redditi; elixir proprietatis Paracelſi, &c. Notandum tamen acida hæc medicamenta non niſi in febribus iſtis ubi leve tantum vel nullum frigus, majorem verò calorem, ſitim, ardorem, &c. percipiunt ægri, eſſe convenientia; & quidem aliis vehiculis, ut ita dicam, admixta.*

Inter ſalia maximè commendantur, ſal. abſinth. Card. bened. rutæ, thymi, Tartar. vitriolat. volatile armoniaci, ſuccini, volatile oleoſum, &c.

(*r*)*Imprimis vero viſcidam pituitam incidentia, nec non acido-auſterum, (ut multi nobiſcum obſervarunt) corrigentia.*

(*ſ*) *Angelica, dictamni albi, petaſitid. Zedoar. ariſtoloch. rotund. gentian. chelidon. major. aſari, filicis, quin queaperientes, ellebori nigri, &c.*

(*t*) *Item ligni guajaci, ligni fraxini.* Cortice Tiliæ quidam utuntur in febribus intermittentibus.

(*u*) *Matricariæ, hujus ſucci expreſſi unc.* ſ. *cum vino abſinth. in quartana ſpecificè, prodeſt, item aſari marrub. ſcord. nicotian. &c.*

x Item

phora. Cornu Cervi. Sal Ammoniacum, (x) Prunellæ, [a] Card. bened. Scordii, Abſinthii, Tart. vitriolati. Aq. febrifuga Mynſichti Quercetani, Hartmanni. Bezoardicum minerale. (y) Sal febrifugum Mynſichti, Riverii, [z) Crollii Spir. Salis dulcis, vitrioli. Extractum Catholicum. Pilulæ Cholagogæ. Aloes, Rheum, Ialappa. Emplaſtrum febrifugum Strobelbergeri. (a)

In Febribus continuis.

℞. *Sal. prunell. gr.* xv. *Tart. vitriolat. gr.* vj. *Oc. Cancr. præparat. ſcrup.* ſ. *Sacchar. perl. drach.* ij.

M. S. F. Pulvis.

Detur bis de die in Iuſculo; interim in cerevifia, potuve aſſueto; (conſueta enim longo tempore inconſuetis minus moleſta eſſe ſolent) utatur guttis 14. vel 15. Spir. Salis dulcis pro temperamento & ætate. Poteſt & hac Corroborante, humoreſque præparante uti mixtura, eaque cochleatim ſingulis diei horis.

℞. *Aq. prophylactic. unc.* j. ſ. *Borrag. Card. bened. an. unc.* ij. *Iulap. roſac. unc.* j. ſ. *Sacchar. perlar. drachm.* ij. M S.

Deſcriptio Aquæ Prophylacticæ quæ Celeberrimis Viris Dom. Fr. Sylvio, Fr. Verſchagen, mihique debetur.

℞. *Rad. Angelicæ. Zedoariæ an. unc.* j. *Petaſitidis unc.* ij. *Fol. Rutæ unc.* IV. *Meliſſæ. Scabioſæ. Flor. Calendulæ an. unc.* ij. *Nucum Iugland. immaturarum conciſarum* ℔ij. *Pom. citr. recent. conciſ. lib.* j.

Con-

(x) *Item eius ſpiritus & ſal volatile.*

[a] E Sale prunellæ alumine uſto, & Santalo rubro remedium febrifugum vidi confectum, quo etiam ipſe aliquando cum ſucceſſu uſus fui.

(y) *Antimonium diaphoreticum. crocus metallorum & ex eo aqua benedicta Rulandi.*

(z) *Videſis apud Riverium obſer.* 100. *Centur.* III. *ac appendicem, ejuſdem hoc Riverii febrifugum perſcribit Doct. Rolfinckius in tractatu ſuo de Chimia in artis formam redacta. lib.* 5. *ſect.* 6. *cap.* 12. *p. m.* 373. *& ex eo Philippus Grulingius in ſuo florilegio Hipp. Galeno Chimico de novo tertium edito, pag.* 461.

Maximè quoque commendat Cornachinus ſuum pulverem cuius deſcriptionem quoque tradidit in peculiari tractatu de hoc pulvere edito: videatur quoque Schroderi pharmacop. lib. 2. *cap.* 7. *cap.* 57. *p. m.* 274.

(a) *Huius deſcriptionem videſis apud Schroderum pharmacop. lib.* 2. *cap.* 53. *p.* 195. *commendantur quoque oculi cancri, teſtæ cochlear. aqua formicarum, mixtura ſimplex, &c.*

(b) *Ma-*

Contundantur omnia ſimul, deinde affunde Aceti vini optimi ad tres quartas partes ex arena in cucurbita vitrea per ſe deſtill. lib.12.

Digerantur per noctem, deinde deſtillentur igne cinerum lento ad ſiccitatem, idque ſine uſtione; & hoc acetum uſui ſerva. (*b*)

Vbi humores præparati evacuandi, præſcribo medicamenta leniora, Auctoribus laxantia dicta. Proprie vocata purgantia vel Catharctica, rarò mihi uſu venere, ſæpius illa obſervavi noxia.

Tertiana duplex eodem modo curatur. In Quartanâ & Tertiana Intermittente.

♃. *Sal. abſinth. Card. bened. an. gr.* xv. *Tart. vitriolat. gr.* vj. *Sacchar. perlar. drachm. ſ.*

M. S. F. Pulvis immediate ante paroxyſmum aſſumendus.

Cortex Indicus China China dictus (*c*) multos curavit, ſed nec tam tutò, nec tam citò, nec tam jucunde quam ſupra dicta ſalia; interim magno conſtat pretio. [b]

Vbi

(*b*) *Maximè quoque convenit in peſte, febribus malignis; expertus commendo extractum ſ.a. ex facibus relictis paratum, magnarum certè virium.*

(*c*) *Hujus loco ſequentem commendamus pulverem.*

♃. *Cort. lign. guaiac.*
Fraxin. an. drachm. j.
Extract. rad. gentian.
Angelic.
Antimon. diaphor.
Sal. volatil. armoniac. ſeu flor. ſalis armoniaci alb. ana ſcrup. j.
Myrrh. ſcrup. ij.
M. F. Pulvis in octo doſes dividendus, vehiculoque convenienti exhibendus.

Multas quotidianas, quartanaſque intermittentes, imprimis tertianas intermittentes tertia, ſecunda, imò prima exhibitione ſequentis hauſtus, præceſſo aliquando purgante, curavimus.

♃. *Aq. Card. bened. unc.* ij.
Theriac. ſimpl. drachm. ij.
Sal. abſinth. drachm. ſ.
Spir. Sal. armon. ſcrup. ſ.
Syr. papav. errat. drachm. iij.
M. pro hauſtu.

Quo multum ſudarunt, & ut plurimum prima vice febris receſſit.

[b] De Cortice Peruviano hæc habet Illuſtriſſ. VVilliſius: Vulgaris exhibendi modus eſt ut hujus corticis in pulverem triti, ʒij. vino aut tenui aut generoſo in vaſe cooperto per duas horas infundantur, ac dein, ingruente paroxyſmo, ægroto intra lectum compoſito liquor cum pulvere propinetur. Hæc potio non rarò acceſſionem imminentem tollit, ſæpè tamen iſthac ſolito more habita, proximè ſuccedentem præcavet, utcunque ſive prima, ſive ſecunda, aut tertia periodo paroxyſmus inhibetur, atque morbus curari viſus ſit, intra viginti, aut triginta dies ſępiſſimè redire ſolet;

dem pulvere hoc rurſus exhibito, pro temporis circiter ejuſdem ſpatio, morbi inſultus denuò protelatur, atque hoc ritu novi plures quartana laborantes, toto autumno, & hieme acceſſiones febriles tantùm rariores pertuliſſe, hoſtemque ita in præcinctu detinuiſſe, donec Vere ineunte, tempeſtatis anni, & alius pharmaciæ ope ſanguinis diatheſis in melius alteraretur, adeoque affectus iſte ſenſim evaneſceret: qui hac ratione crebras inducias quartanæ procurabant, alacres, & vividi ad negotia quævis expediti degebant, cum ſecus, enerves, & pallidi, in languorem, & vitioſum corporis habitum redigerentur: Vix unus è centum, hoc remedium in caſſum tentavit, imò ſi in dimidio, aut minori quantitate, ſc. ad ʒj aut ß. pondus ſumatur, acceſſiones ſæpiſſimè tollit, ac breviori tantùm ſpatio eaſdem ſuſpendit, nec intereſt utrum in vino tenui, aut generoſo propinetur, niſi cum reſpectu ad craſes ægrotantium: quippe in temperie calidiori poterit in aqua deſtillata, aut ſero lactis utiliter ſumi; etiam infuſio ejus clara, ſubſtantia craſſiori rejecta, ſimilem effectum, ſed brevius duraturum producit: quibuſdam hunc pulverem cum mucilagine tragac. in pilulas redactum, cum pari ægrotantium emolumento exhibendum curavi; quocunque modo ſumatur, niſi nauſeabundis, & quamvis pharmaciam horreſcentibus nullam evacuationem manifeſtam infert, & ferè in omnibus paroxyſmos tollit; nec tantùm in febre quartana, verùm in aliis intermittentium ſpeciebus quibuſcunque, nimirum ἀπυρεξία quædam intercedit, cum fructu adhibetur: vulgo præcipitur ut hujus uſui purgatio levis præmittatur; at in quibuſdam valdè imbecillis & lecto affixis, ſine prævia pharmacia hic pulvis ſolitarie ſumptus, effectus laudabiles procuravit: interim ingenuè fatebor me nondum vidiſſe febrem intermittentem hoc cortice exhibito penitus curatam: quinimò non tantùm quartanæ, verùm tertianæ, & quotidianæ febris paroxyſmi, aliis remediis in totum facilè ſuperabiles, hoc pulvere profligari viſi poſt breve tempus conſtanter redibant. Ob hanc rationem qui febres intermittentes, aliàs facilè curabiles, non urgente neceſſitate, hoc pharmaco tantùm brevi ſupprimunt, medicinam doloſam inſtituere videntur, nec in rem ſuam magis, quàm qui ulceri cavo, & mox denuò erupturo cicatricem inducunt. Plura de natura hujus corticis, ut & de operationis rationibus videri poſſunt apud Authorem memoratum, cujus verbis continuò hic adjungimus quæ in eadem materiâ ſcribit Excellentiſſ. Sydenham. Quartanarum curationem, *inquit*, quod attinet nemo eſt ut opinor, in hac arte vel mediocriter verſatus, qui neſciat quàm parum votis reſpondeant methodi iſtæ omnes, quæ huic medicorum opprobrio eluendo hactenus deſtinantur, ſi Corticem Peruvianum excipiamus, qui tamen inducias ſæpiùs impetrat morbo, quàm eundem debellat, cùm poſtquam ad ſeptimanas duas vel tres delituerit, magno cum ægri emolumento, qui ab illo malè multatus paululum interim reſpirat, mox de novo recrudeſcens haud ſegniùs quàm priùs laceſſit; atque ut plurimum, quotieſcunque

cunque demum repetatur illud medicamentum, non niſi longo temporis tractu expugnatur. Referam tamen quicquid de methodo ejuſdem exhibendi habeo compertum.

Curandum eſt ante omnia, ne præmaturè nimis hic Cortex ingeratur, ante ſc. quàm morbus ſuo ſe marte aliquantiſper protriverit (niſi collabeſcentes, & jam fractæ ægri vires eundem temporiùs ſumendum eſſe dictaverint) neque enim illud ſolùm eſt metuendum, ne à præpropero hujus uſu inefficax reddatur, & ſpem ægri fallat, ſed etiam ne de ægri vita agatur, ſi ſanguini omni fermentationis niſu ſe deſpumanti eam derepente iniiciamus remoram. Proximo loco, neque Catharſi, multò minùs Venæſectione, ſubducenda eſt materiæ febrilis pars aliqua, quò liberiùs Cortex ſuo fungatur munere: cùm enim ab utraque labefactetur quadantenus œconomia corporis. eò promptiùs certiusque recrudeſcent paroxyſmi, evaneſcente ſemel pulveris vi. Mihi etiam magis è re fore videtur ut ſanguinem dicto medicamine ſenſim, longioreque à paroxyſmis intervallo, leviter inficiamus, quàm ut uno omnino ictu paroxyſmum jam inſtantem tentemus confodere; hoc enim pacto, & plus temporis remedio conceditur, quo ſuum opus pleniùs abſolvat, & evitatur quicquid id eſt periculi quod ægro poterit oriri ex ſubito iſto atque intempeſtivo nimis ſufflamine, quo paroxyſmum jam invaleſcentem, atque omni ſe ope exerentē conamur opprimere. Poſtremò brevibus iſtis temporis intervallis repetendus eſt pulvis, ut non protinus evaneſcat prioris doſis virtus, antequam altera exhibeatur: crebra enim repetitione iſta ἐνεξία tandem recuperabitur, profligato in ſolidum morbo. His adductus rationibus hanc ego methodum cæteris antepono.

♃. Corticis Peruviani ℥j.

Conſervæ Roſar. rubr. ℥ij.

M.

Æger verò quantitatem nucis moſcatæ majoris mane & ſerò quotidie devoret diebus à genuino paroxyſmo vacuis, donec confectionem omnem abſumpſerit. Repetatur porrò ad tres alias vices interjectis ſemper diebus quatuordecim. Hactenus ille.

Alias eaſque accuratiſſimas hujus corticis præparandi continet methodos Tractatulus Gallicus cujus titulus de Febrium per Corticem Peruvianum curandarum ratione, qui Celeberrimo D. Monginotio adſcribitur; vult autem Præclariſſ. Auctor, ut hujus corticis in quacumque demum uſurpetur præparatione ℥iß. abſumatur, pro tuta febrium cura, præſcribit præterea venæſectionem in pluribus febribus, & prope in omnibus purgationem, ante hujus remedii exhibitionem, ut & diætam accuratam in uſurpatione; addit diebus aliquot poſt febrem profligatam neceſſariò eſſe corpus expurgandum. Quod præcipuas hujus Authoris præparationes attinet, ſunt vel in forma ſolida, vel in forma liquida.

Præparationes Chinę Chinæ in forma ſolida. *Extractum Chinæ Chinæ.* Paratur illud ex ſpiritu vini ſimplici, aut compoſito, qui poſtea abſtrahitur ad mellis conſiſtentiam.

Electuarium Febrifugum è China Chinæ.

♃. Corticis Peruviani pulverati ℥ ß
Rob. Juniperi, vel Syr. tunices ℥ij.
M. Sumat mane & veſperi diebus à paroxyſmo liberis ad quant. nuciſtæ.

Præparationes Corticis Peruviani in Forma liquida. *Tinctura Corticis Peruviani.*

♃. Chinæ Chinæ ℥jß.
Spiritus vini rectificatiſſ. q. ſ. ut fiat virium totalis extractio.

Poſtea abſtrahatur ſpiritus vini ad placitum, quò ſc. operationem tincturæ in majori, vel minori doſi ſitam voles.

Vinum Febrifugum.

♃. Vini albi aut rubri bene maturi & tenuis pintas iiij.
Chinæ Chinæ S. Corticis Peruviani pulverati ℥ ß. v. ℥ij.
Florum Centaurii min M. ß.
Salis ejuſdem ʒj. v. iij.
Tartari albiſſim. ʒiij.
Vel horum ſalium loco Salis Armoniaci depur. ʒiij.
Ligni Saſſafr. vel baccar. juniperi ʒij.

Infundantur hæc omnia hor. xxiv. ſuper ciner. calid. in vaſe optimè clauſo. Coletur infuſum. Sumat mane & veſperi diebus à paroxyſmo liberis ℥iiij.

Vel

♃. Muſti recenter expreſſi pintas v. g. xxiv.
Corticis peruviani pulver. ℥x.
Flor. Centaurii Min. M. vj.
Salis ammoniaci depurati, vel Sal. Centaurii min. ℥ij.
Ligni Saſſafr. vel Baccar. Iuniperi ℥iv.

Infundantur omnia in Doliolo capaci, illud ſubindè per dies aliquot agitando, ut ſic omnia exquiſitiſſimè permiſceantur, atque excitetur fermentatio, quæ non inutilis eſt futura pro totali virium extractione.

Cereviſia Febrifuga eadem etiam ratione parari poterit, ſi tantùm augeatur doſ. Cortic. ut & ſalium atque ligni Saſſafr. vel baccar. juniperi: ut ſc. ſic impediatur quò minùs aceſcat.

Aqua Febrifuga.

♃. Aquar. Petroſel. vel Fœniculi, vel Centaur. min. Pint. ii.
Spir. vini rectificatiſſ. Cochlear. ii.
Corticis Peruviani pulverati ℥ ß.
Flor. Centaurii min. p. ii.
Salis Centaurii min. ʒiij.

M. Omnia atque reponantur in arenæ balneo tepido in vaſe circulatorio bene lutato, ad totalem tincturæ extractionem.

Poteſt etiam in ejuſdem remedii extractionem adhiberi, vel Ptiſana Comm. vel aqua fontana &c. dummodo major Corticis, ut & ſalium aperientium in iis infundatur quantitas; & infuſio ad tempus neceſſarium protrahatur.

Ego ſæpiùs Corticem hunc in febribus profligandis uſurpavi, aliquando ſecundùm methodum Sydenhianam; aliquando modo ſubſequenti.

℞. Rob. juniperini vel Syrupi granor. Kermes ℥ii.
Cortic. peruviani ℥ß.

Salis

Salis Tartari armoniaco fixo adjuncti ℥ij.
Pulveris viperini.
Antimonii diaphoretici an. ℈v.
Conſervæ florAnthos q. ſ.

M. F. Electuarium ſumat poſt expurgatum Corpus mane & veſperi ad quantit. nuciſtæ.

Simili propè Electuario debitè exhibito profligavi quartanam in Excell. atque Illuſtriſſimo Comite à Dona, anno 1680.

Uſurpavi etiam in aliis Vinum Febrifugum ſequens, quod credunt remedium experientiſſ. illius Talbot, famoſiſſ. nuper febrium Lutetiæ Pariſior. Flagelli.

♃. Corticis peruviani ℥j.
Spiritus vini rectificatiſſ. ℥iv.
Olei Sulphuris per campan. ℥j.

M. Digerantur in vaſe bene clauſo ſuper arenæ Balneo tepido per dies aliquot, poſt adde Vini bene maturi & tenuis pintas ij. Infunde rurſus per dies aliquot in eodem Balnei calore, coletur liquor; Sumat febricitans mane & veſperi ℥iv. poſt expurgatum corpus.

Quoniam verò hæ, ut & aliæ omnes Corticis Peruviani præparationes, minùs erant tutæ, & dum in aliquibus cedebant, in plurimis intentum non explebant, niſi ad tempus, aliud remedii genus excogitavi, & per experimenta repetita ita confirmavi, ut de eo aſſerere poſſim.

Primò; Febrim intermittentem qualemcumque in totum omnino ſine ullo recidivæ metu ſupprimere.

Secundò, Die prima qua exhibetur corpus ſatis bene expurgare, ſubſequentibus alvum liberam; utplurimùm facere, urinas in largiſſima quantitate pellere, tranſpirationem promovere, ciborum appetentiam & digeſtionem, etiam in ventriculis debiliſſimis, & cibos maximè averſantibus, reſtituere, vultui colorem, toti corpori vires reddere.

Tertiò; Symptomata plurima febribus aliquando adjuncta profligare; quod inter alia teſtari poſſum de Tuſſi ſicca, hæmoptiſi & totius tumefactione, in juveni 22. annos nato & febre duplici tertiana ſeu quotidiana afflicto. De Doloribus infimi ventris & delirio in Puerpera, tertiana laborante; De Doloribus gravativis & lancinantibus orificii ventriculi ſuperioris; de vomitu perpetuo & totali inappetentia; de doloribus arthriticis; de moroſitate, taciturnitate, &c. in aliis quartana afflictis.

Vnde ſatis patet hoc medicamento œconomicas omnes functiones ad genium revocari, morborum fermenta è latibulis ſuis etiam profundiſſimis erui, plureſque vias ita aperiri, ut pro Archei moderamine variè in totum expellantur.

Forma adaptatur ad cujuſque febricitantis placitum: ſi enim minùs arrideant boli, exhibetur vel in clareto, vel in pilulis.

Atque hæc dicta ſunto per digreſſionem de variis Corticis Peruviani exhibendi modis, de ejuſdem in Febrilibus paroxyſmis aliquando profligandis, ſæpiùs tantum differendis, viribus, ut & de Specifico noſtro Febrifugo.

Ubi Purgandum.

♃. El. Diacartham. Diaprun. ſolut. an. unc. ſ. Tart. vitriolat. ſcrup. i. jalapp. drachm. j.

M.S. F. Conditum. Sumat hujus Conditi ægrotans Intermiſſionis die jejuno ſtomacho, nucis avellanæ magnitudinem.

Vel

♃. Cremor. Tartar. Sal. Scordii an. gr. IX. *Tartar. vitriolat. Diagrid. an. gr. vj.*

M.S. F. Pulvis ſumat intermiſſionis die. Notandum Quartanarios (*d*) fortiora ferre purgantia, quàm Tertianâ, vel Continuâ quacunque laborantibus.

IX. *Obſervationes.* Nobilis Virgo Margaretha van den Heuvel, decimo ſeptimo ætatis anno corripitur febre Quartanâ cum menſtruorum ſuppreſſione. Uſa eſt per tres integras ſeptimanas quotidiè hiſce Rotulis:

♃. Sal. Arthemiſ. Prunell. an. ſcrup. j. Tart. vitriol. gr. xxv. Chalyb. præparat. gr. xv. Oc. Cancr. crudor. contuſorum drachm. j. Sacchar. perlar. unc. ij. ſ.

M.S. F. ſ. a. Trochiſci. Melius hiſce habens, rediit illi, mihi minus citò, proſtratus anteà appetitus; ideoque illam hoc pulvere purgavi:

♃. Sal. Succin. ſcrup. j. Tart. vitriol. Diagrid an. gr. vj.

M. S.F. Pulvis. Hocce pro voto ſuo meoque purgata, rediit menſtruorum fluxus, & valedixit ipſi febris. Venæſectionem Plethoricæ non inſtitui.

Nobiliſſimus Vir Iuvenis P. S. viginti octo annos natus, & febre Quartana per menſes aliquot vexatus, meam imploravit opem. Præſcripſi illi hunc pulverem præcisè in Vino Rhenano aſſumendum antè paroxyſmum:

♃. Sal. Card. benedict. Abſinth. Prunell. an. ſcrup. ſ. Bezoardic. min. gr. v Sacchari perlarum ſcrup. ii.

M. S.

[*d*] Notandum; *quartanam ſæpè comitem habêre ſcorbutum; quæ, niſi febrifugæ antiſcorbuticis mixta ſint, non facilè, imò vix curatur. Singularem febris quartanæ tractandæ modum, videſis apud Cratonem lib.* 5. *Conſil.* 26. *p.* 151. *&* 154. *nec non M. F. D. Glanz. apud W. Hoeferum in ſuo Hercule*

MS. F. Pulvis. Ter eo uſus convaluit ſine recidivâ.

Plures tales obſervationes ſcribere hic poſſem, niſi metuerem quod mutato nomine unum idemque ſim dicturus. (e)

LIB.

cule medico lib. 6. cap. 3. p. 290. & 291. ubi imprimis ſpiritus ſalis armoniaci tanquam ſpecificus commendatur.

[e] Mulier quædam quadraginta annos nata primò febri quotidianâ, poſteà tertianâ intermittente à ſeſquianno circiter afflicta, paroxyſmus cum horrore, pandiculatione & aliquandò totius corporis quaſi concuſſione invadit, levique cum calore, & ſubinde ſudore receſſit, dolorem interim in ſcapulis & regione lumbari obſervavit, appetitu jam aucto, jam diminuto, imò nonnunquam depravato exiſtente, unde admodum melancholica fuit reddita. Cui hæc præſcripſimus:

♃. Aq. menth. unc. ij.
Cort. citr.
Fænic.
Theriac. ſimpl. ana unc. j.
Sal. abſinth. drachm. ſ.
Bezoard. mineral. ſcrup. j.
Spir. ſal. armon. gutt. xxv.
Laud. opiat. gr. iij.
Ol. Menth. ſtill. gutt. ij.
Syr. Card. bened. unc. j.
M. ſubinde huius cochleare unum atque alterum aſſumpſit.

Cujus beneficio ſymptomata indies mitiora reddebantur, ſubinde ſequens aſſumpſit purgans;

♃. Sal. armon.
Diagrid. ana gr. viij.
Ol. Menth. ſtill. gutt. j.
M. F. Pulvis.

Subindè quoque veſperi aſſumpſit doſin pulveris ſuprà deſcripti.

Poſteà tantum uſurpavit ſpiritum ſalis armoniaci in potu ordinario à gutt. x. *ad* xv. *quibus intrà tres ſeptimanas curata.*

Quartanâ quiſpiam laborans, ſibique hydropem ex pedibus tumefactis metuens; ſequentibus convaluit.

♃. Raſur. lign. guajac. unc. iij.
Cort. ejuſd. unc. ſ.
Rad. apij.
Petroſel.
Leviſtic. ana drachm. vj.
Bacc. junip.
Laur. ana unc. j. ſ.
Coq. ſ. a. ex aqua pura, in Colat. unc. xxxvj.
Diſſolve.
Syr. Card. bened. unc. ij.
Spir. ſal. armon. drachm. j.
Aq. Theriac. ſimpl. unc. j.
M.

Ter de die huius hauſtulum aſſumpſit; ſubinde veſperi pulvere ſtatim citato, ut & ſequenti exhibito.

℞. Antimon. diaphor.
Sal. armon.
Abſinth. ana gr. xiij.
M. F. Pulvis.

Sequenti decocto purgatio ter fuit inſtituta.

♃. Rad. polypod.
Petroſel. ana drachm. j. ſ.
Summ. centaur. min. p. j.
Fol. ſenn. elect. drachm. ij.
Rhabarb. elect. drachm. j.
Rad. elleb. nigr.
Tartar. crud. ana drachm. ſ.

Sem

Sem. fœnic. ſcrup. ij.
Macis ſcrup. j.
M. &. Coq. ſ. a. ex aqua pura Colat. unc. ℥v.
Adde.
Mann. unc. ſ.
M. F. Hauſtus.

Quo multa admodum viſcida dejiciebat, ſed non niſi ſecundo menſe curatus.

Duos adhuc quartana intermittente laborantes curavimus, vomitorio ex mercurio vitæ cum conſerva roſarum mixto, purgante catholico, atque hauſtu ſudorifero ſuperiùs laudato ſæpiusque experto.

Ego ipſe tredecim annos natus febri tertiana & duplici tertiana ita pertinaci laborabam, ut per plures menſes in caſſum fuerint adhibita etiam exquiſitisſima remedia, quæ tandem terrore in paroxyſmo ipſo ſuſcitato in totum pulſa eſt: Duplex eiuſdem rei exemplum habet Clariſſ. Germannus Miſcell. Curioſ. A. ij. Obſerv. 150. Nobilis quædam fœmina, *inquit*, Tertiana correpta, & in ipſo paroxyſmo conſtituta, à bombardæ improviſa exploſione ita terrebatur, ut animi deliquio correpta pro mortua haberetur. Vocatus pulſum explorans fortem eundem adhuc invenio. Adhibitis igitur refectivis ad ſe rediit, calore febrili oppido evaneſcente, nec poſtmodum redeunte. Altera Virgo Nobilis per aliquot menſes quartanaria, cum ab aliis invitata cymbam intraret morbi tædium excuſſura, cymba derepente mergebatur, ut omnes aqua & morte ſimul corripi viderentur. Periculo verò ereptæ, quartanaria nullo poſtmodum paroxyſmo tentata convaluit.

Aliam Obſervationem in Miſcell. Curioſ. A. iij. p. 192. exhibet Illuſtr. Commenus De Febre Stercore Suillo curata. Referam jam, *inquit*, quomodo Nobili cuidam Weſtphalo Tremoniæ febris curata ſit. Hic per tres menſes febre tertiana intermittente laborarat; remedia à medicis præſcripta nihil proficiebant: conſulit ergo Monachum quemdam Dominicanum, qui in curatione febrium multum præſtabat. Hic veniens dari ſibi petit lib. ß. ſpir. vini Rhenani, in eoque infundit ſtercus ſuillum, quod in pera attulerat, digerit per horam, inde colat per linteam cum expreſſione forti. Colatum hoc Nobili una vice aſſumendum propinat, qui inde in ſudorem lapſus egregiè ſudat. Hinc abit febris. Factum poſtmodum experimentum in aliis nunquam fefellit, aliqui tamen poſt menſem ab aſſumpto remedio recidivam paſſi. Hæc ille circa quæ adnoto ſtercus ſuillum, ſale ſuo volatili abundantiſſimo in febribus expugnandis operationem exercere, ſed præterquam quod fœdiſſimum eſt hoc remedium, minùs tutum etiam credimus.

LIBER IV.

DE AFFECTIBUS INFIMI VENTRIS.

CAPUT I.

De Nimia Ciborum Appetentia.

I. N*imia Ciborum Appetentia* eſt Fermentatio aucta in Ventriculo: (*a*)

II. *Pars affecta* eſt Ventriculus & Pancreas. (*b*)

III. *Cauſa* vel Interna vel Externa eſt. Interna eſt ſuccus Pancreaticus acidior. (*c*) Externa cauſa eſt aſſumptio ciborum (*d*) vel medicamentorum acidorum nimia, nec ſatis temperata. Motus nimius. Vinum Generoſum, (*e*) Aromata acriora omnia. (*f*)

IV. *Diſ-*

(*a*) *Alii definiunt per continuam ac inſatiabilem vorandi cupiditatem, aliquando cum vomitu, aliquando cum diarrhœâ affligentem.*

[*b*]*Quatenus ſucco ſuo acidiore, ejuſvè halitibus ſolitò acidioribus, vellicando, pungendo, appetitum excitat.*

(*c*) *Ut & glandularum œſophagi; œſophagum glandulis ſcatêre autopſia quoſdam docuit; nec non ſaliva acidior continuò deglutita; chyluſque in ventriculo propter moram ſolitò majorem acidior factus, hujus affectus cauſa exiſtere poteſt.*

(*d*) *Et potuum, imprimis venenatorum, ſic quoque acidum in corpore augent, aër ſerenus frigidior, triſtitia moderata, vigilia nimia, alvus adſtricta, &c.*

(*e*) *Rationi & experientiæ repugnat; eâ de cauſâ videſis apud Hippocratem Aphor.* 21. *& ſect.* II. *famem, inquit, vini potus ſolvit. Contrarium quoque teſtantur Practici: imò Ioël, ut ſpecificum, micam panis vino generoſo imbutam commendat.*

(*f*) *Aromata acriora omnia, nimiam ciborum appetentiam ſuscumque pancreaticum acidiorem, [ut ex ructibus aut vomitu conſtat] excitare, vix concipere valeo; nam aromata acriora omnia bilem quidem, non verò acidum augent.*

A lumbricis hunc affectum quandoque fieri refert Trallianus lib. 7. *cap.* 6. *tumque hiera picra maximè laudatur à Zacuto Luſitano lib.* 2. *hiſt.* 68. *&* 69. *& aliis.*

[*g*] *Si*

IV. *Differentia* ferè nulla eſt, quam quod gradibus ſuis diſtinguatur. (*g*)

V. *Signa Diagnoſtica.* In vomitum valdè proni ſunt alii, & nihil interim ejiciunt præter humoris acidi & pituitoſi pauciſſimam quantitatem. In aliis contrarium evenit, qui voracitate & aviditate nimiâ aſſumpta ſtatim evomunt, & reliqua excernunt per alvum. (*h*) Ructibus vexantur & anxietate cordis.

VI. *Prognoſtica.* Obeſi interdum fiunt, (*i*) non enim niſi ſubtilior pars chyli tranſit propter vomitum ad Cor, illicque in ſanguinem convertitur; ſed hoc malum valde eſt & ſervile & ſumtuoſum: Coguntur enim vel noctu etiam hyberno tempore bis terve ſurgere, & ſic aëris intemperiei eſſe obnoxii. Aliorũ vitæ finis hydrops vel tabes.

VII. *Indicationes Curativæ.* Humor acidus temperandus (*k*) & quantitate peccans evacuandus, (*l*) per Medicamenta dicta laxantia.

VIII. *Cu-*

(*g*) *Si cum vomitu vel diarrhæa vocatur* κυνορεξία *ſeu appetitus caninus; ſi verò abſque vomitu infeſtet, bulimos; quem animi deliquium; ni in tempore aliquid aſſumat, ſtatim aliquando ſubſequitur; ut & nonnunquam extremarum partium refrigeratio.*

(*h*) *Nec tamen inde remittit fames, vel vorandi deſiderium; ſed ità alternatim vorando ac vomendo, ſemper occupati ſunt, veluti canes aut lupi cadaveribus incumbentes.*

(*i*) *Tumque bulimo non verò* κυνορεξίᾳ *afficiuntur ac plethorici evadunt: Aſt ſi vomitu reiiciant aſſumpta vix aliquid alimenti ad cor pervenire poteſt, quia jam jam aſſumpta cruda & nondum cocta evomunt, macilentique evadunt: tumque facilè in cachexiam, lienteriam, marcores, alioſque lethales affectus incidunt.*

(*k*) *Per vinum meracum cui vitellum ovi diſſolutum: aquasque vitæ dictas, inter quas maximè commendatur ſpiritus ſtomachicus Mynſichtii in armam. med. Chimico p. 281. infringendus corallis, margaritis, cancrorum oculis, cornu cervi, maſtiche, ſuccino, bolo, lapide hæmatite, &c. obtandendus, dulcibus, pinguibus, & oleoſis, uſuſque acidorum interdicendus.*

(*l*) *Rectè Clar. D. Fr. De le Boe, Sylvius prax. lib. 1. cap. 2. §. 26. p. 20. monet dicendo, nulla purgantia præſcribo in fame auctâ, quoniam nulla ſunt mihi hactenus notata, quæ humores acidos educant blandè; ſumque præterea edoctus per experientiam multiplicem irritari quidem, non item niſi cum ſummis torminibus & noxâ majore quam fructu evacuari acidos [ut & auſteros] in corpore humores, & imprimis à Medicis de ſuorum ægrotantium dolore ac moleſtiâ*

VIII. *Curatio.* Omnia pinguia & dulcia temperata illis proſunt, & ut leniter purgantia. Nec Vomitum probo,nec Venæſectionem. Præcipua Cura in Diætâ eſt quærenda, de qua conſulantur Auctores. Interdum Narcotica, ſed non niſi leniora proſunt. (*m*)

IX. *Obſervatio.* Celeberrimus quidam ſummuſque mihi amicus Vir, valdè conquerebatur de affectus hujus moleſtia. Præſcripſi illi diætam convenientem, juſſique bibat Cereviſiam Roterodamenſem, Vinique, cui auſſuetus erat, tantillum. Nullo alio uſus ſum medicamento, quam Syr. de Cichoreo cum Rheo & Syr. Diacnicu quem quotidie aſſumebat; nunc pugilicè vivit atque ſobriè. (*n*)

CAP.

ſtiâ parum ſollicitis aut bardis, aut ſaltem huius rei ignaris.

(*m*) *Convenit Theriaca antiqua diaſchordium Fracaſtorij, cum aqua cinamomi; ambra gryſea ad gr.* v. *aut* vi. *cum ovo ſorbili aſſumpta maximè à Riverio lib.* 9. *cap.* 2. *p.* 389. *commendatur: & vinum generoſum ſalviatum à Clar. D. Sennerto tanquam ſpecificum quoddam commendatur; item eſſentia meliſſæ; tinctura cinamomi, oleum macis ſtillatitium, granorum junip. &c.*

Multùm profuere in ſedanda nimia appetentia ſalia volatilia oleoſa & aromatica opio unita; item remedia martialia inter quæ præcipuè laudo magiſſterium martis ſolubile vehiculo convenienti admiſtum. Præterea magnæ efficaciæ expertus ſum oculos cancri pptos. C. C. Cnoëffeliano modo paratum, lapides plures, terras varias, inter quas commendo Terram Catechu, eu Terram Japonicam, cujus variæ extant præparationes & compoſitiones; mihi arrident in præſenti negotio Pilulæ Anodynæ Clariſſ. Hagendornij è Terra Catechu & Pulvere anodyno apud Excellentiſſ. Dan. Ludovici deſcripto. Ex Hippocr. autem Aphor. 21. ſect. 2. Famem vini meracioris potio tollit.

(*n*) *Juvenis viginti quinque plus annorum quartanâ duplici intermittente laborans in maximam incidit ciborum appetentiam, non tamen in principio aſſumpta evomebat, ergo bulimo laborabat; poſteà verò non niſi immatura, cruda, acida poma, pyra, &c. avidè devoravit, vomitúſque brevi ſecutus; quicquid etiam poſteà exhiberetur, evomuit ſtatim, unde quoque febris illa duplex indies gravior imprimis reſpectu frigoris & horroris membrorúmque concuſſionis: Longam fore febrem prædixi, (ut etiam contigit; nam ſequenti anno nondum à febre fuit liber) quare ſequentia fuere præſcripta.*

℞. *Antimon. diaphoret.*
Corall. rub. præpar.
Ocul. cancr.
Cinam. acut. ana drachm. j.
Diaſcord. Fracaſtor. unc. ſ.
Ol. menth. ſtill. gutt. viij.
Syr. abſinth. q. ſ.
M. F. Conditum.

Cujus ter de die aſſumpſit ad nucis moſchatæ quantitatem.

Interim continuò aſſumpſit cum vi-

no generoſiori ſpiritum ſalis armoniaci ſpiritu aromatico mixtum & cohobatione blandâ unitum ad gutt. viij. *tandemque curatus cum febris imminutione, ſed non ſublatione.*

Duo infantes ex febri continuâ (acidis nimium uſurpatis) inciderunt in nimiam ciborum appetentiam, & ni in tempore quid alimenti illis daretur ſtatim animi deliquio corripiebantur; quibus ſequentem præſcripſimus pulverem.

℞. Corall. rub. præpar.
Antimon. diaphor.
Cinam. acut. ana ſcrup. j.
Sacchar. alb. drachm. ij.

M. F. Pulvis, in octo doſes dividendus, aſſumebant cum pomo dulci aſſato; poſteà non niſi vinum generoſius cum vitello ovi, cinamomo & ſaccharo uſurparunt; quibus quoque fuere curati.

CAP. II.

De Vomitu.

I. V*omitus* eſt motus Ventriculi præternaturalis. (*a*)

II. *Pars affecta* fere ſemper eſt Stomachus, interdum per conſenſum Inflammatum Hepar, interdum Diaphragma, interdum Pancreas, quod exactisſime Anatomicus obſervavi. (*b*)

III. *Cauſæ* hic valde differentes ſunt, & exactisſimi judicii Medicum requirunt. (*c*) Peccat ſæpiſſimè pituita tenax rugis ventriculi adhærens (*d*) interdum bilis, (*e*) interdum ſuccus pancreaticus. Ru-

(*a*) *Seu inverſus ejus periſtalticus motus à parte inferiore ſurſum.*

Alij definiunt per materiæ in ventriculo retentæ per ſuperiora ſenſibiliter cum impetu per os rejectionem, ut plurimum Auctores nauſeam *& ἔμετον vel ἐμεσίαν ſ. vomitum conjungunt: quia tantum ſecundum magis & minus differre putant; nauſeámque definiunt per inane vomendi deſiderium cum anxietate circa præcordia, & tenuis ac pellucidi humoris per ſimplicem ſalivationem, excretione.*

(*b*) *Interdum quoque renes inflammati nauſeam & vomitum blioſorum, pituitoſorumque, &c. excitant, ut & vulnus vel ictu vel caſu capiti, &c. inflictum, pars primariò affecta exiſtit.*

(*c*) *Ventriculus aliquandò inflammatur, excoriatur, tumque à quovis aſſumpto facilè oritur vomitus; ſic quoque alimenta quantitate vel qualitate peccantia, ut & venena, acria, ἔμετον excitare valent. Vide ſis apud Clar. D. G. Fab. Hildanum obſerv.* 20. *Centur.* III. *p.* 20.

(*d*) *Et tum non vomunt, niſi ingeſto cibo, citrà cibum nauſea admodum infeſtat, ut putat I. Ionſtonus prax. lib.* 10. *Artic.* IX. *p. m.* 506.

(*e*) *Imprimis volatilis; pravaque pori choledochi conformatio, quando ſci-*

Rugæ ſæpe nimis laxæ, orificium ventriculi non claudunt, interdum excoriantur. Pancreas aliquando patitur abſceſſum, imo & ipſe Stomachus, licet rariſſime; interdum inflammatur Hepar vel Diaphragma. (*f*)

IV. *Differentiæ.* Vomitus aut Idiopathicus eſt, aut Simpatheticus; ex morbo

ſcilicet non in duodenum inteſtinum, ſed in ventriculum implantatur; undè pichrocoli ἄνωιλλι nominantur.

(*f*) *Vel renes vel inteſtina, &c. lumbrici, catarrhique, & quidem acres, quatenus rodant & mordicent, vomitum aliquando excitant; (quâ de cauſâ inſpiciatur Cl. G. F. Hildanus Chirurg. obſervat. Centur. 4. obſerv. 32. ubi de vomitu, ex catarrho, admirando reverà ferèque quotidiano, qui ultrà annos triginta duraverat, agit: p. 312. & 313. Conſiliúmque eum in finem præſcriptum p. 314. 315. 316.) nec non graves fœdique odores & ſapores, horrendáque ſpectacula, motus vehementes, agitatio corporis in orbem, & præcipuè navigatio in mari, quia corpus turbatur: ut Hippocrates Aphor. 14. ſect. 4. probat, ut & compreſſio circa epigaſtrium; ſic quoque obſervavit Clar. Author cartilaginem enſiformem nimis laxatam intuſque reflexam ventriculoque ita incumbentem vomitus cauſam aliquandò exiſtere; ut ipſe teſtatur in ſuâ anatomia practicâ cap. 4. lib. 1. hujus ſigna & curationem ſtatim ex Authore dabimus: ut & calculi in ipſo ventriculo ἔμετον excitant; qualem obſervationem nobis tradit VV. Hœferus in ſuo Hercule med. p. 137. lib. 3. vomitum quoque excitatum ab obſtructo Pyloro meminit G. Fab. Hildanus Chirurg. obſerv. Centur. 6. obſerv. 34. p. 541. & 542. curationémque ibidem tradit; videſis apud Johannem Schenkium obſerv. medicinal. lib. 3. obſerv. 53. & ſeq.*

De vomitu excitato ab obſtructo Piloro inſignem habet hiſtoriam Illuſtriſſ. atque Curioſiſſ. Kerkringius Spicileg. Anatom. Obſervat. 1. Puella quinque ferè annorum, inter ludendum 13. Decembr. Ann. 1667. nummum argenteum exiguum aſſem, ſive ſtuferum, ut vocant, valentem, qui ſeptem colligatas in faſcem ſagittas Provinciarum Belgii unitarum inſigne præſe fert, deglutierat; inde altero tertioque die nullum ſentiebat incommodum, quarto de dolore ventris cœpit queri, locumque doloris manu deſignabat in ſiniſtro latere circa inferiorem partem ventriculi: augeſcente in dies dolore, appetitus perit, & quicquid ciborum ſumit, rurſus ejicitur; vires intra paucos dies collabuntur. Ego vigeſima die menſis advocatus, catharticum medicamentum exhibui, quod ſtatim per vomitũ reddidit: itaque nec infernè, nec supernè ſe prodente nummulo, id, quod erat, ſuſpicatus, cum in ventriculi hærere orificio, fatalem pronunciavi parentibus ſententiam; & quo certiùs ſententiæ meæ veritatem explorarent, author fui, ut vita defunctam puellam, mihi ſecandam permitterent; addicunt & 23. iſtius menſis circa veſperam miſera extinguitur, ſatis præter opinionem meam

morbo oriundus, vel ex cauſis externis; (g) Criticus vel Symptomaticus. (h)

V. *Signa Diagnoſtica.* per ſe patent (i) Cauſarum ſigna ex Auctoribus ſunt petenda, ipſiſve ſuprà infraque deſcriptis, vel deſcribendis morbis. Hæc ſaltem addo, excoriationem, ulcuſvè ſemper comitem habere ſingultum; idem fit ſi Hepar inflammetur. Rugæ laxæ appetitum totum dejiciunt, ventriculuſque inde frigidior calidiora

placido fato. Altero die eam diſſeco; & ecce nummus circulo iſti, qui pylorum undique cingens coarctat, non ſecus ac cooperculum ollæ incumbens omnem alimento ad inteſtina tranſitum prohibebat: reperi ergo inteſtina omnino vacua, cæterùm ſana, nummumque ex parte interiore ventriculi, jam accreſcente illic pinguiore quadam materia firmatum, ex parte inteſtinorum obſeſſum quibuſdam qui facilè diluebantur vaporibus. *Hæc ille.*

Contenta in ventriculo præter naturam vomitum ſæpius cient, ſic memini me vidiſſe fœminam quandam quæ, poſtquam per novem propè menſes diris & enormibus fuiſſet vexata per intervalla vomitibus, tandem per propinatum à marito Chirurgo vehemens medicamentum, per ſuperiora vermem ejecit octo ad minimum pedes longum, & ita intortum ut vix extendi poſſet, quo in integrum ſanata eſt illa. Rarior eſt hiſtoria bufonum in ventriculo contentorum, & per vomitum non una vice, ſed ſæpiùs rejectorum, ab ancilla Altemburgenſi; quam ſcribit Nobiliſſ. atque Famoſiſſ. Bartholinus quamque ulteriùs proſequitur Doctiſſ. Vollgnadus, cum ejuſdem ancillæ poſt obitum diſſectæ anatomica enarratione Miſcell. Carioſ. A. 1. Obſerv. 103. Singularis rurſus, fœtus abortivi per vomitum expulſio quæ deſcribitur Miſcell. Curioſor. A. 1. Obſerv. 108. Singularior etiam Cati ex ore mulieris per vomitum nativitas de qua Miſcell. Curioſ. A. 1. Obſerv. 109.

(g) Idiopathicum, *ut ex gr. ex abceſſu ipſius ſtomachi*; ſympatheticum, *ut ex inflammatione diaphragmatis, epatis, &c.* ex morbo oriundum, *ut è calculo renum ileo, &c. vel* ex cauſis externis, *ut ex ictu, caſu, &c. dignoſcere potes: ſic quoque ſi ex ipſius ventriculi vitio oriatur vomitus, adeſt tum cibi faſtidium, gravitas, tenſio, & inflatio in regione ſtomachi, tarda & difficilis concoctio, ructus acidi, &c.*

(h) *Si poſt vomitum levamen ſequatur criticus eſt, ſi verò major anxietas, &c. ſymptomaticus: eſtque vel* cruentus, *vel* malignus, *vel* ſcorbuticus, *&c. in vomitu ſcorbutico calida & acria maximè nocent, magiſque malum exaſperant; conveniunt contra mitigantia calorem & acrimoniam; imprimis in vomitu ſcorbutico commendatur lac caprillum cum ſucco naſturtii vel cochleariæ.*

(i) *Cauſarum ſigna ſatis innoteſcunt ex annotationibus circa §. II. & III. ut & ex hoc §. 5. circaque eum adhuc dicendis.*

lidiora amat fere omnia. Bilis ſuâ ſe prodit amaritudine, ſuccus Pancreaticus, aciditate. (*k*)

VI. *Prognoſtica.* Vomitus criticus bonus, (*l*) ut & ille qui fit à reple-

(*k*) *Et ſic de cateris excretis: ſi ab aliis verò partibus confluxerit cauſa, tum aderunt ſigna aliqua partis mandantis.*

Circa §. III. *mentionem fecimus de nimiâ Cartilaginis enſiformis laxitate; cujus ſigna & curationem ità proponit Clar. Author loco citato; Cartilago, inquit, enſiformis maleficio quarundam humiditatum ſæpiùs ità relaxatur, ut internè flectatur, ventriculóque incumbens cibi inappetentiam, aſſumptorúmque rejectionem (vomitum) excitet; quo ventriculus non tantum valdè dolorificus redditur, verùm etiam totum corpus labefactatur; quod Anatomici ſtatim ſentire, & paucas intrà horas curare ſciunt, ubi aliàs miſeri ægri per integros annos langueant, languoréque tabeſcant, ſi cucurbitula notha (ſine flammâ) magno prædita orificio modò imponatur cuti, ſub quâ cartilago latet, & poſtquam tamdiu traxerit, ut æger non ſatis liberè reſpirare poterit, ſubitò tum cucurbitulam abſtrahe; quod ſi cartilago enſiformis in naturalem locum primâ vice non ſit redacta; reiteranda bis tervè cucurbitulæ applicatio: locoque oleo roſarum & myrtillor. inuncto ſequens per aliquot dies imponatur Emplaſtrum.*

♃. *Rad. biſtort.*
Nuc. cupreſſ. ana drachm. j.
Maſtich.
Thuris ana. drachm. ſ.
Flor. balauſtior.
Ol. nuciſt. expreſſ. drachm. j. ſ.
Picis navalis & Therebint. q. ſ.
M. F. ſ. a. Emplaſtrum.

De Cholera morbo in vomitus diagnoſi nihil ſcribit Author; cùm tamen ſui peculiarem velit cognitionem; in illo autem adſunt vomitus enormes, ac corruptorum humorum cum ſumma anxietate atque torminibus ejectio; Ventriculi atque inteſtinorum dolor intenſus, inflatio, & diſtentio; Cardialgia, ſitis, pulſus celer, ac frequens cum æſtu & anxietate, non rarò etiam parvus & inæqualis; inſuper & nauſea moleſtiſſima, ſudor in extremis interdum & ipſo trunco, ſæpiùs frigidus, crurum & brachiorum contractura, animi deliquium, partium extremarum frigiditas & id genus alia quæ non ſemel ægrum 24. aut 30. horarum ſpatio jugulent. Eſt etiam ut advertit Excell. Sydenham Cholera alia ſicca à ſpiritu flatuoſo ſuprà & infrà erumpente, idque ſine vomitu, vel ſeceſſu; cujus unicum duntaxat exemplum ſe vidiſſe credit tempore autumnali, quo prior ſpecies creberrimè & facto quaſi agmine ſe ſe obtulerat,

(*l*) *Ut patet ex Hippocrate Aphor.* 15. *ſect.* 6. *longo, inquit, alvi profluvio (forti, ut lib.* 1. *de morbis Text.* 6. *ait) laboranti ſpontè vomitus ſuperveniens, ſolvit alvi profluvium; quod confirmat C. Celſus lib.* 2. *cap.* 8. *p.* 69. *dicendo, longas dejectiones ſupprimit vomitus; humerorum dolores, qui ad ſcapulas*

à repletione. Symptomaticus ſemper malus; (*m*) præſertim qui cauſatur à partium vicinarum inflammatione, venenis, excoriatione, ulcere. (*n*)

VII. *Indicationes curativæ.* Vomitus criticus non eſt compeſcendus; Symptomaticus quamprimum fieri poteſt. Pituita tenax incidenda, reliqui humores evacuandi, idque leniter. [*o*]

VIII. *Curatio.* (*p*) Vomitui nimio conveniunt purgantia, & revellentia, Clyſteres, puta, ſuppoſitoria, artuum frictiones, ut & calefactiones. Ventriculo ipſo Topica imponantur. Venæſectio in partium inflammatione neceſſario inſtituenda, cætera nocetn. [a]

Medi-

ſcapulas vel manus tendunt, vomitu atræ bilis ſolvuntur.

(*m*) *Hippocr. Lib. Prænot. Text. 12. in fine p. 48. celerrimam autem mortem ſignificat lividus vomitus, ſi graveolens fuerit: omnes verò ſupputridi ac fœtidi odores in omnibus vomitionibus mali ſunt; vomitus commodiſſimus eſt ex pituitâ & bile, quàm maximè permixtus, & non craſſus valdè neque multus; & Aphor. 3. ſect. 7. à vomitu ſingultus & oculorum rubor, malum, ſic quoque teſtatur C. Celſus lib. 2. c. 4. p. 51.*

[*n*] *Vomituum bonorum & malorum differentias videſis apud Hippocratem Coac. Prænot. Tit. 4. ad finem ferè uſque p. 578. & 579.*

Hyeme Vomitus malus; unde Hippocr. Aphor. 4. ſect. 4. Æſtate quidem ſuperiorem magis ventrem, hyeme autem inferiorem purgare convenit. Nocet tabidis, itaque Aphor. 8. ejuſdem ſection. Tabe obnoxios ſuprà ne purgato. Ab Ileo malus eſt vomitus propterea Dictator Aphor. 10. ſect. 7. Ab Ileo vomitus, vel ſingultus, vel deſipientia, vel convulſio, malum. Atræ bilis lethalis; ſic Aphor. 22. ſect. 4. Morbis quibuſvis incipientibus, ſi atra bilis ſuprà infravè exierit pernicioſum.

(*o*) *Conſideratis* [*quæ paragrapho quarto & annotationibus noſtris circa ipſum dicta ſunt*] *omnibus, facilè indicationes curativæ innoteſcent: humores videlicet acres temperandos, catarrhos ſiſtendos, alteratoſque jam humores evacuandos, &c. eſſe; quis non videt?*

(*p*) *Potius alterantia primò uſurparem, nam purgantibus facilè ventriculus irritatur, ſicque ad ſui contractionem expulſionémque excitatur: poſt ſufficientem humorum alterationem blanda purgantia, vulgò laxantia dicta, in uſum reduci poſſunt.*

Nota, *in omnibus vomitionibus p. n. maximè procurandum eſt, ne alvus ſit adſtricta, ſed alternis adminimum diebus vel arte vel natura deiectio alvi procuranda.*

[a] Sæpiùs magno cum ſucceſſu exhibui in vomitione, eaque pertinaci, oxyſaccharum vomitivum in infuſo ſennæ diſſolutum, addito opio & Syr. aliquo confortante & cordiali: poſtea pulverem viperinum aromatizatum & am-

ambratum addito opio. Sic etiam aliquando hoc in caſu ceſſere remedia martialia. Semel tamen videre contigit vomitum qui neque medicamentis memoratis, nec quibuslibet confortantibus aut anodynis, ſed ſoli lacti vaccino cederet. Quod Choleræ curationem attinet, hanc habet Illuſtriſſ. Sydenham multiplici experientia à me ipſo firmatam.

Si hinc, *inquit*, iſtos humores, fomitem morbi, Catharticis expellere conarer, idem agerem atque is qui ignem oleo extinguere ſatagit, cùm Cathartici, vel leviſſimi operatio omnia magis perturbaret & novos inſuper excitaret tumultus: Et ſi ex adverſo medicamentis narcoticis aliiſque adſtringentibus in ipſo ſtatim limine primum humoris impetum compeſcerem, dum naturali evacuationi obſiſterem, & invitum humorem detinerem, æger inimico viſceribus incluſo bello inteſtino indubie conficeretur. Has, inquam, ob cauſas media mihi via inſiſtendum eſſe duxi, ut partim ſc. humorem evacuarem, partim etiam diluerem: morbum itaque hac arte, mihi à multis retrò annis comperta, & comprobata, toties quoties in ordinem coëgi.

Pullus tenerior in tribus circiter aquæ fontanæ congiis elixatur, adeò ut carnis ſaporem vix perceptibilem liquor referat, huius decocti [vel defectu eius liquoris poſſetici] capaciores aliquot cyathos, æger tepidè exhaurire iubetur; eodemque tempore bona eius quantitas pluribus Enematis ſucceſſivè injiciendis inſervit, donec quà per ſuperiora, quà per inferiora, tandem omne juſculum abſumptum ac denuò rejectum fuerit. Hiſce hauſtibus, pariter ac clyſteribus, Syrupor. lactucæ, violarum, portulacæ, nympheæ, eorumvè alicuius unica ſubindè admiſcetur uncia; quanquam & citra ejuſmodi additamenta, juſculum ipſum per ſe rem ſatis commodè exequatur. Ita ventriculo inſigni liquoris quantitate ſæpius onerato, atque, ut ſic dicam, ſubverſo, ac reiterata Enematum iniectione, humores acres, vel foras eliminantur, vel retuſa acrimonia ad debitam temperiem revocantur. Exantlato hoc eluvionis penſo, quod tres vel quatuor horas ſibi vendicat, medicamentum aliquod Paregoricum curationi coronidem imponit: mihi hoc crebro in uſu eſt.

℞. Aquæ Paralyſeos ℥j.
Mirab. ʒj.
Laudani liquidi gutt. xiv.
M.

Huius loco Narcoticum quodvis officinale ſuccenturiari poterit. Atque hæc, quam propoſui diluendi humores via, multò tutius, ac expeditius, quam quæ, vel per evacuantia, vel per aſtringentia vulgò inſtituitur, periculoſiſſimo affectui occurrit, quippè cùm ab illis, tumultus concitatior & ferocior evadat, ac omnia ſuſque deque vertantur; hæc è contra hoſtem in mediis viſceribus detineant, ac ex advena reddant planè inquilinum, ut taceam protracto in longitudinem morbo præter periculum ex ejuſmodi mora, qua in maſſam ſanguinis tandem humores vitioſi irrepunt, atque mali moris febrem facilè accendunt, etiam ægris graviſſimi mali tædium procreari

At verò diligenter eſt animadver-

Medicamenta ſtomachica.

Rad. Cyperi, Calam. arom. Galangæ, Chinæ, Zedoariæ, Cichorii. Fol. abſinth. Calamentæ, Lauri, Majoranæ, Meliſſæ, mentæ, (*q*) ſalviæ; Acetoſæ, portulacæ, Taraxaci. Flor. roſar. balauſtior. Sem. anethi, aniſi, fœniculi, cumini, leviſtici, cardamomi, coriandri, citri, frigida 4. majora & minora. Garyophylli, cinnamomum, piper, zinziber, (*r*) Lignum Guajacum, ſaſſafras, Aloë. Vina omnis generis & nominis, & ex illis præparati Spiritus & aceta. Aq. Anhaltina, Imperialis Quercetani, Sennerti. Elix. citr. (*ſ*) Aq. vitæ Mathioli, Aniſi, &c. Syr. cinamomi; (*t*) Rob. Berberorum Ribiumque, Caro Cydoneorum. Ol. deſtillata menthæ, (*u*) majoranæ, roriſmarini, ſuccini. Conſerva Menthæ. roſ. rubrarum Antidotus Stomachica Querc. Diaſcordium. Sal. abſinthii, Tart. vitriolat. Spec. aromatic. roſat. diatrion pipereon, diarrhodonis, Pil. Aloëphanginæ, Maſtichinæ, Aſaireth Avicennæ, cochiæ.

Formulæ Medicamentorum Purgantium in Pituita craſſa: [*x*] ♃. *Reſinæ*

tendum, quod ſi non acceſſerit medicus, niſi poſtquam æger vomitu, ac dejectionibus ad horas aliquam multas continuatis, puta 10. vel 12. fuerit exhauſtus, & jam frigeſcant extrema membrorum, hoc inquam, caſu, omiſſis aliis quibuſcunque auxiliis, recto curſu ad Sacram hujus morbi anchoram, Laudanum intelligo, confugiendum eſt, quod non tantum exhibendum eſt urgentibus ſymptomatis, ſed etiam ceſſantibus vomitu ac diarrhæa, mane & ſerò quotidie repetendum donec priſtinas vires æger, ac ſanitatem tandem receperit.

(*q*) *Maximè laudantur ab Hippocrate contra vomitum lib.* 11. *de diæta Text.* 26. *pag.* 226.

(*r*) *Item nux moſchata, cortices arantiorum, citri, &c.*

(*ſ*) *Vt & elixir proprietatis Paracelſi & vitrioli Mynſichtii in armam. med. Chym. p.* 271.

(*t*) *Ejuſdem aqua & oleum. Item ſyrupus corallorum, myrtinus, confectio hyacinthorum, theriaca antiqua, laudanum opiatum, maſtix, ejuſque ſpiritus & oleum; item myrrha, &c.*

(*u*) *Maximè laudatur à Putmanno in ſuo enchiridio cap.* 11. *p.* 24. *omneſque ferè ventriculi affectus hujus beneficio curaſſe aſſerit. Convenit quoque oleum macis ſtillat. nec non balſamus peruvianus ad* 4. *gutt. in ovo ſorbili cum cinamomo pulveriſato & ſaccharo in formam pilularem redactus.*

[*x*] *Clar. L. Riverius in vomitu vehementiſſimo exhibet maſſ. pilul. cochiar*

♃. *Reſinæ Agaric. gr. iiij. Extract. catholi. gr. xij. Tart. vitriolat. gr. iij. Ol. roriſmarin. gr. ij.*

M. S. F. Pilulæ Num. iiij. Deaurent. Vel

♃. *Sal. abſinth. ſcrup.* j. *Tart. vitriolat. gr. vj. Troch. alhand. gr.* j. *Sacchar. alb. ſcrup. ij.*

M. S. F. Pulvis. In Inflammationibus & acredine humorum.

♃. *Succi taraxac. depurat. Syr. de Chicor. cum Rheo. Roſ. ſol. cum ſenn. an. unc.* j. *Crem. Tart. ſcrup.* j. *Aq. borrag. q. ſ.*

M. S. F. Hauſtus.

Vel

♃. *Mannæ Calabrinæ. unc.* j. *ſ. Crem. Tartar. drachm. ſ.*

M. S. & diſſolvantur in Iuſculo vel Cerevifia calidè. Formulæ medicamentorum Purgantium in Pituita craſſa.

♃. *Sal. Ammoniac. ſcrup.* j. *Card. bened. ſcrup. ſ. Tart. vitr. gr. v.*

M. S. F. Pulvis.

Vel

♃. *Spir. Salis dulcis unc. ſ.*

Detur in Phialâ. Vtatur quotieſcunque bibit guttis 8. vel 10. in potu aſſueto.

In executione tunicæ interioris ventriculi vel inflammationibus partium ſingultúque. (*y*)

♃. Muci-

chiar. ſcrup. ij. *ſ. cum laud. opiat. gr.* iij.

Sedabitur, inquit, vomitus & quinque poſt horas purgatio fiet per inferiora; ſatis magna ponitur purgantium quantitas, quia infringatur à laudano. quod ideò miſcendum eſt cum diagrydiatis & colocynthiatis lib. 9. cap. 7. *p.* 414 *&* 415. *Præſcribatur potiùs primò tonum ventriculi aliquouſque reſtituens, pituitam viſcidam incidens, flatuſque diſcutiens, nec non humorum acrimoniam temperans, ut mixtura ſequens eſt vel ſimilis cochleatim uſurpanda.*

♃. *Aq. menth. unc.* ij. ſ.
Spir. maſtich. drachm. j.
Tinctur. cinam. drachm. ij.
Confect. hyacinthor. drachm. j.
Laud. opiat. gr. ij.
Ol. menth. ſtill. gutt. iij.
Syr. menth.
Myrtin. ana drachm. iij.
M.

Ad vomitum mox compeſcendum, quidam hunc bolum præſcribunt.

♃. *Conſerv. menth. criſp. drachm.* j.
Theriac. optim. ſcrup. ij.
Cinam. acut. pulv. ſcrup. ſ.
Balſam. peruvian. gutt. ij.
M. F. Bolus.

(*y*) *In vomitu cruento à ſanguine ex ventriculi, inteſtinorumvè, &c. vaſis*

℞. Mucilag. ſemin. pſyllii. Cydoneor. Gumm. Tragac. aq. roſ. extr. an. unc. ſ. *Syr. Violar. Roſar. ſal. ſimpl. an. unc. j.*

M. S. F. Linctus. Urgente dolore.

℞. Specier. aromat. roſ. gr. viij. *Laud. opiat. gr.* j.

M. S. F. Pulvis detur bis de die in Iuſculo. Emulſiones vulgares hic benè quoque audiunt.

Medicamenta Topica. *(z)*

℞. Specier. aromat. roſat. Maſtiches elect. Ol. nuciſt. expreß. an. drachm. j. *Macis ſtillatit. Citr. an. ſcrup.* ſ. *Gummi Carannæ q. ſ.*

M.S. F. ſ. a. Emplaſtrum ſtomacho imponendum.

Vel

℞. Ol. menthæ drachm. ſ. *Carui deſtillat. ſcrup.* j. *Nuciſtæ expreſſ. drachm.* ij.

M. S. Inungatur hiſce oleis bis de die Ventriculus.

IX. *Obſervationes.* 1. David de Potter, Mercator & Antiſtes, quinquagenarius aſſumpſerat loco balſami Sulphuris, Oleum vitrioli. Vnde Oeſophagus & Ventriculus cum ſuo orificio excoriatus in cauſa fuit, ut dies noctesque vexaretur moleſtiſſimo ſingultu. Perfectiſſimè tamen idque brevi eſt curatus ſupra ſcriptis medicamentis, tam laxantibus, quam alterantibus. Optimè quoque habuit ab hac mixturâ:

℞. Succi ſemperviv. maj. depurat. unc. j. *Aq. roſac. plantag. an unc.* ij. *Vitell. Ovi. Num.* j. *Syr. de portulac. unc.* j. *Laud. opiat. gr.* ij.

M. S. bibat cochleatim.

2. Sartor quidam in plateâ dicta regia, nihil retinebat aſſumptorum ciborum potuumve, evomebat verò continuò pituitam vel Lympham quandam craſſam. Vſus ſum propter affectus violentiam urgentem-

ruptis eroſiſvè prodeſt mixtura lib. 3. c. 1. de Pleuritide p. 62. deſcripta cui camphora gr. 8. addantur, & miraberis effectum: ſi verò ſanguinis coagulati metus ſit loco florum balauſtiorum, oeul. cancri, antimon. diaphor. ana drach. ſ. *addatur.*

[z] *Inter topica quoque maximè commendatur Emplaſtrum de cruſtâ panis; oleum maſtich. myrtillor. menth. &c. item Emplaſtr. Cl. Authoris hoc ipſo capite deſcriptum; item*

℞. Pulv. menth.
Roſar. rub. ana unc. j.
Maſtich. drachm. j.
Nuc. moſcat. Num. iij.
Caryophillor.
Macis.
Cinam. ana drachm. ij.
Ferment. acerrim. unc. vj.

Cum

temque neceſſitatem omnis generis medicamentis, tam internis quàm externis; ſed evanido eventu, brevi enim periit. Aperto cadavere reperi Pancreas totum corruptum, imò Sphacelatum. (*a*)

Cum ſ. q. aceti roſat.
F. Emplaſtrum.

[*a*] *Vir annos circiter* 42. *natus pituitoſus, per viginti quidem annos jam inappetentiâ, jam anxietate præcordiorum, jam nauſeâ & quandoque omnium aſſumptorum vomitu, imprimis poſt cereviſiam frigidam hauſtam, vexatus; multa uſurpavit remedia, aſt non tantum fruſtraneo eventu, verum etiam majori cum detrimento; nam indies magis magiſque ad vomendum, medicamentorum maleficio, reddebatur pronus; ita ut vix aliquid aſſumptorum retinêre amplius poſſet.*

Ad curam vocatus, ſequentia [interdictis omnibus frigidis, crudis &c.] preſcripſi.

♃. *Aq. menth. unc.* ij.
Fœnic. unc. j.
Vit. Mathiol. unc. ſ.
Tinctur. cinam. drachm. ij.
Spir. maſtich. drachm. j.
Diaſcord. fracaſtor. drachm. j. ſ.
Ol. menth. ſtill. gutt. vj.
Laud. opiat. gr. iij.
Syr. menth. unc. j. *M.*

Subindè hujus cochleare unum alterumvè aſſumatur.

Singulis veſpertinis uſurpavit unam ex ſequentibus tabellis.

♃. *Spec. diarrhod. abb.*
Aromat. roſat. ana drachm. ij.
Cinam. acut.
Cort. arantior. ana drachm. j.
Laud. opiat. gr. v.
Sacch. alb. unc. IV.
Cum ſ. q. aq. cinam.
F. ſ. a. Tabella Num. XVI.

Poſt ſufficientem humorum peccantium alterationem ſubindè purgatio fuit inſtituta ſequentibus pilulis.

♃. *Extract. cathol. ſcrup.* j.
Ol. menth. ſtill. gutt. iij.
M. F. Pilul. Num. v. *pulvere cinamomi inſpergendæ.*

Quibus multum profecit, & propemodum curatus; uſurpato poſteà ſolummodò hoc vino medicato, planè convaluit.

♃. *Rad. galang.*
Angelic.
Zedoar. ana drachm. ij.
Fol. menth. criſp.
Majoran. nobil.
Calamint. mont. ana m. j.
Sem. aniſ.
Cinam. acut. ana drachm. ij.
Cort. arant.
Cardamom.
Nuc. moſchat. ana drachm. j.

Conciſa & craſsè contuſa, concludantur ſacculo, cui in vaſe vitreo, lapideo aliovè ſolido affundantur.

Vin. gallic. pint. 4. *Poſt juſtam infuſionem & extractionem ter de die aſſumpſit unc.* 3. *addendo elix. propriet. Paracelſ. gutt.* viij.

Soror dicti Ægri, puella 18. *circiter annorum pus aliquando vomitu excrevit cum ſummâ anxietate atque dolore circa præcordia, nauſeâ ferè continuò laboravit, imò aliquando ſingultu, menſtrua ipſi ante tres circiter men-*

ſes fuerant ſuppreſſa, unde macilenta reddita, quia parum aut vix aliquid alimenti aſſumebat; & ſæpiſſimè aſſumpta ſtatim iterum vomitu rejiciebat; vocatus ulcus ipſius ventriculi judicavi; atque ſequentem ipſi dedimus mixturam.

℞. *Aq. menth.* unc. ij.
Cinam. drachm. v.
Antimon. diaphor.
Ocul. cancr. ana ſcrup. j.
Acet. ſtill. drachm. iij.
Tinctur. flor. hyperic. ad ſyrupi liquidioris conſiſtentiam evaporat. drachm. ſ.
Sang. dracon. ſcrup. ſ.
Laud. opiat. gr. iij.
Syr. ſymphyt. Fernel. unc. j.
M. Subinde mixturæ tepidæ cochleare unum atque alterum uſurpavit.

Vitentur animi & corporis motus.

Ter quoque de die uſa fuit cum ſyrup. ſymphyt. Fernelij & confect. hyacinthor. drachm. j ſequentis balſami, gutt. v.

℞. *Balſam. ſulphur. aniſ.*
Peruvian. an. ſcrup. j.
Tinctur. flor. hyperic. ad ſyrupi liquidioris conſiſtentiam evaporat. drachm. ſ.
M.

Bis terve leve purgans uſa eſt in fine morbi, & intra menſem pleniſſimè fuit curata.

Obſervationes non eſt quod addam, plures jam videre licuit, & præterea integram in ſuperioribus exhibuimus materiam earum omnium quas annectere poſſemus curationum. De vomitu ſanguinis, de quo nihil Autor, quædam dicenda ſupereſſe videbuntur, ſed hic non alia remedia quàm in aliis hæmorrhagiis, exquiruntur; imò quæ intus adhibentur, hic locum affectum, ventriculum ſcil. proximiùs, viribusque ſuis minùs deperditis petunt.

Inter remedia ſanguinem ſiſtentia primum ſanè locum meretur radix Hipuacuanha, quam propterea, ſed cum maxima cautione, propter vim, quâ pollet, emeticam, in ſanguineis vomitibus etiam profuſiſſimis, fructuoſiſſimè propinamus.

CAP. III.

De Scorbuto & Affectione Hypochondriaca, malè vulgò dicta Hyſterica.

Scorbutum & affectionem Hypochondriacam unico capite complectitur Autor, quia iis in locis ubi Scorbutus eſt familiaris, ſæpiùs affectioni Hypochondriacæ adjungitur; unde Clariſſ. Highmorus. Affectioni Hypochondriacæ ſæpiſſimè ſupervenit Vterinus Affectus, & Scorbutus his ſæpè jungitur. Nos autem in Notis ad Celeberr. Autorem inter utrumque Affectum diſtinctionem neceſſariam, ad majorem intelligentiam inſtituemus.

I. S*Corbutus* eſt prava totius corporis nutritio, (*a*) ejuſque mater *affectio Hypochondriaca.*

II. *Pars*

(*a*) *Alij definiunt per cacochymiam ſeu ſanguinem ſalſiorem & crudiorem: Alij verò per cachexiam ab humore melancholico peculiariter corrupto (ut probant*

II. *Pars affecta* non eſt Lien, imò nec propriè, in conſenſum licet tractum Hepar; ſed Ventriculus,[a] & Glandulæ meſenterii tam conglobatæ lacteæ, quàm conglomerata Pancreatica.

III. *Cau-*

probant ex contagio) ortam, cum crurum debilitate, maculis, gingivarum laxitate, rubore & tumore; dentibus vacillantibus, & aliis ſymptomatibus affligentem.

[a] Clar. Highmorus in Ventriculo affectionis Hypochondriacæ ſedem ponit. Dum in ventriculo, *inquit*, affectionis Hypochondriacæ ſedem ponimus, volumus in eo fibrarum nimiam relaxationem & debilitatem præcipuè peccare: unde ingeſti cibi, nec comprehendi, nec debito calore foveri, comminui & in inteſtina propelli poſſunt, ſed partes tenuiores & ſpirituoſæ, à debili fibrarum compreſſione in inteſtina protruſæ à viſceribus avidiſſimè per vaſa rapiuntur lactea: neglectis, aut ſaltem non ſeparatis craſſis, mitioribus & fibroſis particulis, nondum à ventriculo concoctis & diſſolutis. Atque inde ſanguis tenuior, flatulentus, ac nimium ſpirituoſus fermentationi perpetuæ obnoxius, ob fibrarum, partiumque virium inopiam, aſſimilationi ineptus generatur. Sed in hæc Excellentiſſ. Williſius. Licet Egregio huic Authori eatenus conſentiam, ut ventriculum in hoc affectu ſæpe graviter laborare concedam, cujus ſiquidem tonus ſi laxus, & robur præfractum, propter alimenti indigeſtionem, pituitæ viſcoſæ ſaburra uſque in ſinu ejus progignitur; cui ob particulas ſalinas diutina in fluorem evectas ſæpe acor inſignis, aut auſteritas accedunt; dein quia vitium in prima coctione, haud emendatur in ſecunda ἀπεψίαν iſtam ſanguinis diſcraſiæ & inordinationes excipiunt: Veruntamen in illam opinionem haud adducar ventriculum ſemper eſſe primum in culpa, aut cætera morbi hypochondriaci ſymptomata, tantùm à vitioſa illius conſtitutione pendere: Novi enim plures ægritudine iſta immaniter afflictos, qui ſtomacho ſatis valebant: etenim de pulſatione in ſiniſtro hypochondrio, de pectoris anguſtia, & dolore vago in eo excitato, necnon de cordis tremore & expreſſione, cum metu continuo & imaginatione perturbata, plurimum queſti ſunt: Interim cibos copioſè appetere, ac ingeſta quævis ſine ventriculi moleſtia, aut gravamine etiam abſque ſputatione, aut ructu acido digerere ſolebant. Quinimo obſervavi alios bibaces & mala victus ratione utentes, ſtomachi flacciditatem cum dyſpepſia, & crebra vomitione contraxiſſe, qui circa præcordia & facultates animales ſatis ſani pro hypochondriacis haud omnino habebantur: præterea in hoc affectu ſæpe ventriculus potius aliarum partium aut ſanguinis vitio, quàm propria culpa laborat: quippe uſitatum eſt, ejuſmodi ægrotos, quandiu in lecto compoſiti multùm perſpirant, circa ſtomachum rectè habere: cum verò excitantur, poris occluſis, & maſſæ ſanguineæ fæculentia intus reſtagnante, ſtatim cardialgia, flatuum aggeſtione, & crebro vomendi nixu affici. In ſequentibus conclu-

di

III. *Cauſa* eſt Pituita vel Lympha craſſa Ventriculum & modò dictas glandulas obſidens. Succus item Pancreaticus, (*b*) unde Chylus indies depravatur. [b]

IV. *Differentiæ* (*c*) Scorbuti quidem ab Auctoribus variæ dantur differen-

dit idem Lienem eſſe hujus morbi ſedem; Qua de re multa videri poſſunt apud Excellentiſſ. Authorem de Morb. Convulſiv. cap. 11. Nos credimus minimè neceſſarium affectionis ſedem in viſcere aliquo anxie multum exquirere, ſiquidem ſæpius multa atque prope omnia afficiuntur in ſuis functionibus à ſanguine & humoribus vitiatis, acrimonia ſcil. & acida, & lixivioſa peccantibus; utraque autem prædicta acrimonia debetur ſpirituum ſanguinem & humores, variaque in iis admiſta ſalia edulcorantium deperditioni; quam exercitia immoderata, vigiliæ, medicationes protractæ, venus nimia, hæmorrhagiæ abundantiores &c. id genus non parum promovent.

Scorbutum quod attinet ejus ſedes, ut & itidem cauſa per totum corpus diffuſa atque inhærens reperiri poteſt.

[*b*] *Et quidem ſtagnatione acidior auſteriorque factus; adde bilem acriorem craſſioremve, ut & ſalivam ſalſiorem continuò deglutitam; acredinem humorum peccare, conſtat ex gingivarum corroſione, ſanguinis dilutione, hemorrhagia: macularum eruptione: doloribuſque corrodentibus & contorquentibus: imò obſervarunt nonnulli ſerum adeò corroſivum ex naribus ſcorbuticorum effluxiſſe, ut linteamina intincta eroſerit: ſex quoque res* non naturales *dictæ, quid poſſint, judicet judicio pollens.*

[b] Cauſam Hypochondriacæ affectionis mox vidimus cùm ejuſdem ſedem paulò accuratiùs ex Highmoro, Williſio proprioque penu inquireremus.

Scorbuti cauſa ex VVilliſio poſita eſt in ſanguinis dyſcraſia ſulphureo-ſalina, cumque eo convenimus, dum pronunciamus hunc morbum originem debere ſuam ſalium acidorum & lixivioſorum in Affectione Hypochondriaca peccantium, ulteriori exaltationi, unde partibus non tantùm vellicandis & variè affligendis; ſed etiam erodendis pares evadant. Illi autem acrimoniæ in humores inducendæ multùm conferunt, non tantùm ea de quibus in Affectione hypochondriaca, ſed etiam aër locorum maritimorum, & lacuſtrium, febres diuturnæ, contagium, triſtitia & ſtudia immodica, &c.

[*c*] *Deſumuntur illa vel* à modo generationis, *vel* à tempore invaſionis, *vel* ſymptomatibus. A modo generationis; *quatenus eſt vel* connatus *vel* hæreditarius *ſcorbutus, vel* communicatus; *contagio, &c. vel proprio vitio ac diatâ* acquiſitus.

A tempore invaſionis; *eſtque vel* recens, *tumque facilioris eſt curationis: vel* inveteratus; *tumque difficilioris curationis, quia altas jam egit radices.*

A ſymptomatibus: *undè ſcorbutus alius eſt cum gangrana, exculcerationibus,*

differentiæ, quarum præcipua, quod hunc calidum, illum vocent frigidum. Sed reverà omnis provenit ab unica cauſa, Lympha vel pituita nempè craſſa; (*d*) propter quam chylus glandulas lacteas non niſi ſeroſiore ſua parte poteſt tranſire; hinc tot Symptomata, pro temperamentorum & locorum diverſitate. Bilem tamen, ſed itidem crasſiorem, ſi quis addere voluerit, illi non contradicam.[c]

V. *Signa Diagnoſtica* benè multa ſunt, ſed nunquam illa omnia vidi concurrere in uno eodemque corpore. Conqueruntur Scorbutici de dolore interdum punctorio, plerumque gravativo capitis; de cordis palpitatione, anguſtia; inflatione ventriculi, (*e*) tenſione ventris, præcipuè in latere ſiniſtro; Tusſiunt, putant ſe interdum ſuffocari, difficulter reſpirant, vomunt, febricitant; Appetitum proſtratum excitatum vellent. Singultu, Ructibus, Flatibus, convulſionibus vexantur. Tremunt, laſſi ſunt artus, maculiſque

bus, hydrope, atrophia, diarrhæa, arthritide vaga, pleuritide notha, lypothymia, dolore capitis, colica, ventris dolore diverſo, epilepſia, convulſione, membrorum contractione, ſtupore, paralyſi, apoplexia, &c. alius non.

(*d*) *Unde variæ obſtructiones: humorum ſtagnationes, ſtagnationeque acriores fiunt omnes humores, ſpiritibus nempe animalibus avolantibus; aquæ enim ſtagnantes facilè putreſcunt: Cl. D. Severinus Eugalenus quadraginta novem diverſa deſcribit ſymptomata, in tractatu ſuo de ſcorbuto, lectu dignisſimo.*

[c] Affectionis Hypochondriacę differentiæ [de quibus nihil Author] peti poſſunt à variis partibus quibus labem ſuam imprimit ſanguinis & humorum intemperies, ſeu potius ſalium in illis ſtabulantium vitium; ſic aliquos vidi in quibus Ventriculus, alios in quibus inteſtina, alios rurſus in quibus hepar, alios in quibus pulmones, alios in quibus cerebrum, alios denique in quibus omnes hæ partes magis, aut minùs, pro varia prædictorum ſalium effuſione, afficerentur.

[*e*] *Imprimis poſt cibum; adeſt quoque ſubindè nauſea, oris pruritus, gingivarum eroſio cum ſanguinis effuſione, dentiumque vacillatione atque nigredine: halitus obſervatur gravis, imo cum teterrimo aliquando odore: & ſalivatio adeſt multa: urina cruda, tenuis, jam verò craſſa & rubra, imò ferè nigra, [ut bis obſervavimus] pulſus ſemper inæqualis, ac debilis ut plurimum: [magnum obſervavi & robuſtum, ſed tamen inæqualem.] Iam pleuritidem æmulatur, jam colicam bilioſam ſcorbutus: jam veram paralyſin, jamque arthritidem [quæ vocatur arthritis vaga ſcorbutica, quam*

S optimè

liſque rubris vel purpureis (*f*) aſperſi. Valdè ſunt melancholici. [d]

VI. *Pro-*

optimè hanc deſcripſit Val. Andr. Mollenbroccius in peculiari tractatu, [lectu revera digniſſimo.] Varii quoque obſervantur dolores valdè ſcorbuticis moleſti; ut dentium, nuchæ, aliarumque partium externarum; imprimis verò crurum veſpertino atque nocturno tempore ingraveſcentes; ut & manuum pedumque circa talos & plantas, hypochondriorum incircumſcripti, plerumque gravativi: ulcera maligna, ſicca, tubercula dura, eryſipelata, tumores utplurimum ædematoſi; ſudores copioſi, atrophiæ prodromo, ipſa atrophia, viriumque defectus; nec non carus & ſopor profundus, hydrops, &c.

(*f*) *Lividiſque & malo ingraveſcente, ſæpè hæ maculæ in totas tibias ità diffunduntur, quaſi unica eſſet macula nigra, tetra & aſpectu horrenda cum tumore ad elephantiaſin accedente; ut obſervavit Cl. D. S. Eugalenus p. m. 7. Fœminis menſes aut deficiunt, aut in fluorem album degenerant.*

Quidam exiſtimant Hippocratem ſub titulo volvuli hæmatitis & morbi lienis ſcorbutum deſcripſiſſe, Lib. de internis affectionibus Text. 49. p. 256. & Text. 34. p. 239. venter, inquit, inflatur, poſtea verò etiam ſplen intumeſcit, & durus eſt, & dolores acuti in ſplenem incidunt, color autem mutatur, & conſpicitur niger, pallidus, malicorii ſpeciem referens, & ex aure malè olet, & gingivæ malè olent & à dentibus diſcedunt; & ex tibiis, ulcera erumpunt, velut puſtulæ nocturnæ:

membra verò attenuantur, & ſtercus non ſecedit.

[d] Circa Scorbuti Diagnoſim rurſus hæc ex VVilliſio obſervaſſe non inutile fuerit. Si accidens quoddam inuſitatum, nec priùs auditum in corpore humano eveniat, cum ad aliud certum morbi genus referri nequit, ſine dubio ſtatim illud Scorbuticum pronunciatur: adeò hic morbus, quaſi mali nominis, & damnati inſtar pathemata aliena luit: interim huic à proprio lare plurima exſtant ſymptomata, in ſingulis fere partibus humani corporis excitari ſolita: aliquando adſunt vigiliæ pertinaces, crebræ vertignes, ac ſcotomiæ, paralyſis, ſputatio copioſa, gingivarum ulcera, dentium vacillatio, oris fætor, crebra ſpirituum deliquia, frequens lipothymia, ejuſque metus fere continuus, colica frequens & dolores moleſtiſſimi huc illuc diſcurrentes, diarrhæa fere conſtans, interdum dyſenteria, aut teneſmus; atrophia, ac interdum aſcitis: Urina ſæpiſſime rubicunda & lixivialis, cum cruſta innatante, aut vitri parietibus affixa: interdum verò per vices quaſdam eadem pallida, & aquoſa copioſè excernitur; In artubus dolores vagi, aliquando ſummè atroces & noctu potiſſimum ingraveſcentes, laſſitudo ſpontanea, carnium intabeſcentia, lumbago, debilitas & enervatio; in cute maculæ varii coloris, tumores, tubercula, & non raro ulcera cacoëthea erumpunt: Circa muſculos ſtupor, formicatio, ac ve-

ac velut frigidæ auræ aſcenſus, item contracturæ ac tendinum ſubſultus; præterea ſanguinis inordinationes, efferveſcentiæ incertæ, vagæ intemperies, ac febres erraticę; & hæmorrhagiæ paſſim contingunt. *Hæc ille.*

In hiſce regionibus non reperitur Scorbutus verus & perfectus, ſed tantùm occurrunt Affectiones quædam Scorbuticæ; propterea pauca tantùm è Symptomatibus deſcriptis videre contigit. Advertendum autem, illa non omnia ſimul unum eundemque ægrum affligere, ſed nunc hæc, nunc illa, nunc plura, nunc pauciora.

Affectionis Hypochondriacæ ſigna ſunt ſequentia, non omnia, ut in Scorbuto dictum ſimul, ſed rurſus nunc hæc, nunc illa, nunc plura, nunc pauciora.

Ventriculus aliquando ſe malè habet, cibos ingeſtos malè coquit & in materiam aqueam, acidam, acerbam, ponticam, viſcidam immutat, quæ ſurſum in os repentes, aut per idem rejectæ variè affligunt; humorum in hac parte ſæpè excitatur ebullitio, quam conſequitur flatuum copia qui miro quodam boatu eructantur, & partes ſub hypochondriis contentas ita diſtendunt, ut diaphragma compreſſum motus ſuos pro reſpiratione abſolvenda vix perficere queat, unde ſuffocatio; anxietates torquent, ut aliquando ægri in lipothymiam incidant: quæ omnia non primò demulcentur, quàm materia morbifica ſurſum, vel deorſum reijciatur, & quod tenuius in venis reperitur per poros diſcutiatur; quod interdum cum horrore febrili accidit, quem calor cum ſudore viſcido evaneſcens ſequitur. Dolores in abdomine interdum etiam à cœna moleſtant, aliquando cum nauſea & vomendi deſiderio. Alvus diſtricta eſt & pigra, fæces plerunque nigræ, terreſtres, limoſæ, & quaſi argilloſæ, pituita viſcoſa & tenaci permixtæ: Æſtus Hypochondrium ſiniſtrum, minus ſæpe dextrum, aliquando utrumque affligit, qui ſe magis exſerit, cum ab ingeſtis agitantur humores, tunc etiam malæ accenduntur, & tota facies rubore ſuffunditur. Urina nunc tenuis eſt, paroxyſmi inſtantis indicium, ſine ſedimento & inconcocta; aliquando turbida, craſſa, rubra, acris, interdum fætida, cum arenulis rubris matulæ lateribus adhæreſcentibus. Pulſus nunc durus, nunc tardior, nunc concitatior, frequenter intermittens; Cor palpitans. Dolores capitis ita vexant, ut cerebrum è cranio avelli videatur. Vertigo & Mania aliquando ſuccedunt, aliquando etiam Epilepſia, Convulſiones & ipſa Apoplexia. Memoria aboletur, caligo circa oculos obverſatur; aliis aurium fit ſonitus, loquela deficit, & lingua quaſi rigere ſentitur. In nonnullis metus, triſtitia, falſa imaginatio excruciat, ut ſe faſcinatos, aliiſve morbis afflictos facilè credant. In membris laſſitudines ſpontaneæ, dolores in extremis digitis ac formicationis ſenſus, & ſtupor excitantur. Vigiliæ moleſtæ, ſomnus perturbatus cum inſomniis terrore plenis, præſertim poſt mediam noctem. Horum ſymptomatum præcipua in unico ægro curæ meæ com-

VI. *Prognoſtica.* (*g*) Curatur quidem difficulter; difficilis enim morbus eſt, curatur tamen indies. Hiſce regionibus adeò familiaris eſt, ut nullus ferè reperiatur morbus cui non aliquid ſcorbutici ſubſit. (*h*) Pulſus debilis non æquè, ac in aliis quibuſdam affectibus periculoſus eſt, ſimplices enim vapores flatuſve illum cauſant. Exactiſſima diæta Medicamentis præſtat, ſine qua ſenſim fiunt incurabiles. Dyſenteriâ rariſſimè laborant, plerumque Diarrhæa vel Lienteria, quæ difficulter curantur, & longo temporis tractu ægros necant, ſequitur enim illas vel Hydrops vel Tabes. Reſpiratio difficilis non tam periculoſum malum eſt quàm vulgò putatur, æque enim ac palpitatio cordis provenit non niſi à vaporibus. (*i*) Maculas non multi facio, niſi degeneraverint in ulcera, (*k*) vel elevatæ ſint. Tumores partium externarum paralyſin minantur; proveniuntque à circulatione Lymphæ impedita. (*l*)

VII. *In-*

miſſo, ſed variis temporibus occurrêre.

[g] *Scorbutus Vere & Autumno maximè infeſtat; ſenibus gravior eſt ut & adultis & puerperis: in ratione victus negligentioribus frequentior; pueris* στομακακὴ *crebrius* σκελετόρβη *rarius accidit inveteratus & hæreditarius (totas aliquando familias inficiens & invadens) difficillimè curatur; non item recens, contagiove adeptus: quo graviora jam adſunt ſymptomata, eò difficilius ſuperatur: ſolvitur aliquando, vel per alvum, vel per hæmorrhoides, vel per urinam: vel aliquando in alios degenerat morbos, ſcilicet hydropem, atrophiam, apoplexiam, epilepſiam, ſtuporem, convulſionem, paralyſin, &c. ſubitò quoque ſubinde moriuntur.*

Scorbutum aliquando & antecedunt & conſequuntur febres: quandoque antecedunt ardentes, malignæ, duplices tertianæ & quartanæ. Conſequuntur febres quartanæ; ſicut & febres quartanæ terminentur in ſcorbutum, & viciſſim ſcorbuto ſuperveniant aut complicentur febres: ut obſervavit Cl. D. B. Brunnerus.

(*h*) *Quare etiam nonnulli Practici exiſtiment omnibus medicamentis, hiſce videlicet in Regionibus, antiſcorbutica eſſe admiſcenda; & felicius faciliuſque hac ratione curari ægros.*

(*i*) *Acribus atque flatibus.*

(*k*) *Quæ ad eam quandoque deveniunt malignitatem, ut partibus corruptis, ſenſum aboleant.*

(*l*) *Livor faucium in ſcorbuto ſignum lethale à D. B. Brunnero dicitur.*

Morientibus ex hoc malo maculæ conduntur & evaneſcunt, nonnullis verò à morte rurſus erumpunt, ut idem obſervavit; quod optimè notandum tempore peſtis.

In Scorbuto judicia non ſint temeraria, plures enim pro deſperatis habiti, & Symptomatibus graviſſimis & urgentiſſimis affecti, convaluerunt.

Scor-

Scorbutus uti non ſtatim jugulat aut in ſtatum inſanabilem deducit, ita nec citò, nec facilè curatur.

Febribus, aut morbis chronicis malè curatis, vel conſtitutioni valetudinariæ ſuperveniens, difficilior habetur, ut & qui crapulæ & malæ victus rationi ſuccedit.

Recens facilè in totum, inveteratus verò cum motibus convulſivis & exanthematis, gingivarum & dentium eroſione, aliiſque, vix unquam radicitus extirpatur.

Qui medicè vivere recuſant, aut in remediis ſumendis moroſi ſunt, non curantur.

Medicamentis quibuſdam non proficientibus, ad alia eſt confugiendum. Etenim non eadem omnibus, neque ſemper eidem perſonæ conveniunt.

Scorbutus in deteriorem ſtatum indies evectus hydropem, vel Phthiſim inducit.

De Affectionis Hypochondriacæ Prognoſi hæc habeo dicenda.

Affectus difficilis eſt in quo, ſi in quopiam alio, & urgentia & numeroſa adſunt ſymptomata.

Alvi laxitas moderata, vomitus cum εὐφορία, narium hæmorrhagia, hæmorroidum apertio, varices menſium profluvium & urinæ nigræ ſæpe illam ſolvunt.

In fæminis rarior, ſed multò difficilior quàm in viris.

De hoc morbo Illuſtriſſ. Tachenius de Morbor. Principe. p. m. 121. quædam habet quæ omnino digna ſunt quæ hic legantur.

Quibus acuti, acres & æruginoſi humores inſtant, quinam furores, & viſcerum & thoracis lancinationes, animique abjectio inde oriantur? neque priùs hæc quieſcunt, quam evacuati, dejecti, & aliis permixti fuerint. Hoc autem productum medicinis purgantibus non auſcultare, multoque minùs producti fabrum, ſive fermentum quilibet medicinæ ingenuus practicus mecum ſine dubio fatebitur; hinc natum eſt illud tritum inter medicos. Ab Hypochondriacis non ſolventibus, libera nos Domine: quotieſcunque enim, etiam dato, quod productum æruginoſum excrementum, evacuatione foras pellatur, illico novum fabro relicto regenerante ſuccenturiatur, eò quòd latens hæc aciditas unius ſpeciei non eſt, ſed multiplicis: quot enim in hypochondriis membranæ muſculique, totidem etiam digeſtionum officinas ibidem eſſe neceſſe eſt, cùm omnis muſculus proprium ventriculum habeat. Hinc itaque multiplicis hujus acidi labefactati varietas, ac inter ſe ſe confuſio cauſant ſanando, & ſananti difficultatem, maximè quia hæ aciditates ſpirituales ſunt, ideoque, ait Senex: Oculorum conſpectum effugiunt, ita ut ſolùm ab effectu & mentis oculo cognoſci poſſint. Sic optimè inſinuat *hic Author* qualis quantaque ſit difficultas in Hypochondriaco Affectu curando, forſitan aliquo modo ipſi contradici poſſet, dum in totidem membranis & muſculis hypochondriorum, officinas ponit pro hoc morbo continuando; ſiquidem ſalibus, propter cauſas prædictas in qualitatibus excedentibus, potiùs debetur & ejus creatio, & continuatio: (de quibus vide quæ ſuprà.) Sed ab omni contradictione hic abſtineo; quoniam hæc in

VII. *Indicationes Curativæ.* Partium læſarum minor habenda ratio, quam peccantium humorum, hiſce enim plus gravantur quam ſupprimuntur, Humores craſſi incidendi & poſteà irritatis vicibus evacuandi, (*m*)

VIII. *Curatio.* Venæſectio non prodeſt, hæmorrhoides interdum; quæ ſi aſſuetis ſupprimantur ſunt aperiendæ. Purgantia fortiora hiſce ægris ſemper noxia obſervavimus; ſufficient ſuo tempore leniora. Præparandi verò humores incidentibus, inter quæ ſalia volatilia quæcunque primarium obtinent locum. Enemata conveniunt interdum. (*n*)

Medi-

Doctiſſ. Lectoris majus commodum minimè cederet, & præterea Illuſtriſſ. de quo agitur non ſolùm propter accuratiſſimā in Chymicis ἐγχείρησιν, ſed etiam ſolidiſſimam, ingenioſiſſimam in principiis ponendis, ut & labore inſtituendo & edocendo methodum, dignus eſt qui ab omnibus Æſculapii filiis ſummo in honore habeatur.

(*m*) *Acidi, auſteri, ſalſique humores alterandi ſpecificis jam ſæpius laudatis anti-ſcorbuticis ſint mixta.*

(*n*) *Conveniunt quammaximè diaphoretica & diuretica.*

Nota; *nulla alimenta medicamentavè [etſi alterantia vel purgantia, ſpecificavè vel generalia) eſſe porrigenda in ſcorbuto, niſi ſpecificis anti ſcorbuticis ſint mixta.*

De Salibus Volatilibus in Scorbuto uſurpandis Nobiliſſ. Franciſcus De le Boe Sylvius ait. Quòd ſi Affectus in Medicina ullus reperiatur, qui Salium Volatilium efficaciam & neceſſitatem clamet, atque omnes ipſa temerè ac imperitè ridentes confundat, & ridiculos teſtetur, Scorbutus eſt nullis remediis æquè cedens, atque Salibus Volatilibus, adeoque plantis Sale Volatili manifeſtæ abundantibus; Cochleariæ, Eriſimo, Naſturtio cuivis, Raphano utrique, Sinapi & ſimilibus; ad quorum exemplum exhibui jam multis annis cum felici ſucceſſu in curando Scorbuto Salia Volatilia, ex quibuſvis animalium partibus facilè parabilia, ideoque à perito Artifice multifariè paranda. Præter quæ Salia Volatilia obſervantur quoque in Scorbuto curando Acida, ſed Spirituoſa, prodeſſe, tum à natura nobis ſubminiſtrata, tum Arte Chymica ingenioſè parata; Succus Citri, Arantiorum, Granatorum, Acetoſa, Acetoſella, Trifolium Aquaticum, Spiritus Salis & Nitri dulcis &c.

Affectionis Hypochondriacæ curationem generalem quod ſpectat, credimus Venæſectionem minimè neceſſariam; (niſi Capite maximè affecto) quoniam cauſæ ſic non occurritur de qua ſuperiùs: Revera tamen ſi poſſibilis eſſet transfuſio ſanguinis unius animalis in alterius venas, ſeu potiùs ſi Authorum promiſſis reſponderet hæc operatio, quam aliquoties exercuimus, illam in hoc morbo, ſi in quopiam alio, conſuleremus; Sed illa bo-

no

Medicamenta Anti-Scorbutica.

Radic. Raphani, Armoraciæ, 5 aperitivæ, Petaſitidis, Sçorzoneræ

no publico non eſt inventa, nec commoda promiſſa præbet, ut ratione, & experimentis conſtat; Unde inventorum tantùm ſedulam in bono publico ab omni parte exquirendo, (quod ipſi credebant.) operam, ut & etiam induſtriam, commendat. Alvus libera eſt tenenda quod per Elixyr proprietatis purgans, maximo ægrorum emolumento ſemper obtinui, ſic enim præterquàm quòd primæ viæ ſenſim & ſine ſenſu expurgabãtur, & corroborabãtur ſæpiùs etiam tumebãt hæmorrhoidales venæ, unde applicitis ſanguiſugis podici inverſo ſanguis fæculentus, & particulis morbificis vi medicamenti præcipitatis onuſtus, evacuabatur. Enemata commendo non è refrigerantibus & emollientibus, unde decoctum commune, ſed potius è corroborantibus, carminantibus, & deterſivis validioribus, hoc enim morbo ſæpius debilitantur inteſtinorum fibræ per importunam à flatibus contentis diſtenſionem, & ſeri à principio acido in dictis fibris & adjacentibus partibus, congelationem, unde ſpirituum animalium, vigorem & robur in partes omnes inducentium, liberior præpeditur commeatus. Sanguini præterea & humoribus, ſeu ſalibus contentis edulcorandis apprimè conducunt ſalia volatilia aromatica, pręcipuè præparationibus martialibus idoneis maritata, & in vehiculo convenienti exhibita. Obſtructionibus inductis expediendis conducunt præter ſalia volatilia memorata, ſpiritus etiam acido-dulces, qualis ſpiritus nitri, ſpiritu vini adhibito edulcoratus. Chalybis varias præparationes hoc in caſu admodum uſuales, quod attinet, expertus pronuncio minùs accuratas ſtomachum gravare, dum pituitam contentam non incidunt, ſed illi potius inviſcantur, nec in praxi & toto labore occurriſſe quæ votis magis reſponderet, quam magiſterium martis quoddam ad inſtar Sacchari ſolubile, & omnino dulce, è quo tincturæ facillimè parantur. Acidulæ minerales magni etiam fiunt, attamen non omnes proſunt.

Quidam aliis non cedentibus ad Mercurii inunctionem confugiunt & ſputum proliciunt, qua via, inquit Williſius, Cap. De Cephalalgia cruoris latex venenatus, cùm alibi non facilè poſſit, exitum inveniet. Quamobrem ſputo oris concitato, ſanguis diu fermenteſcens, quicquid extranei & non congeneris, aut in ſinu ſuo fovet, aut aliunde viſceribus, aut partibus ſolidis, vel ab aliis humoribus abſorbere, & excipere poteſt, inſtar vini, aut cereviſiæ deſpumantis, per ductus ſalivales, & meatus innumeros ubique in os dehiſcentes, ejicit. Itaque ſalivatio per Mercurium inducta, ſi forſan rectè ſuccedat, morbos nonnunquam difficiles, & planè herculeos, aliiſque remediis omnino ſurdos tollit, quatenus nempè opera-

re. (*o*) Fol. becabungę, Naſturtii aquatici, Trifolii, Cochlearię, Acetoſæ, Virgæ aureæ, Scordii. Malum Aranticorum acidorum, Poma Citri. Bacca Iuniperi. Gummi Ammoniacum. (*p*) Cremor Tartari, Chalybs præparat. Aqua Anti-Scorbutica Mynſichti. (*q*) Spirit. Cochlearię per ſe præparat. (*r*) Salis rectificatus, dulcis, &c. Sulphuris, Tartari, Vitrioli, Vrinæ, Ammoniaci. Electuarium Anti-Scorb. Schrœderi. (*ſ*)

Formulæ Medicamentorum Purgantium. (*t*)

℞. Extr.

operatio hæc ſanguinem, & ſuccum nerveum, alioſque humores, longa ἐκκαθάρσει penitiùs expurgat, fermenta quævis exotica deſtruit, ſalium, ac ſulphurum enormitates ſubigit, quin & materiam morbificam ubivis impactam, aut ſtagnantem exagitat, ac ſæpè foras educit. Verùm præterquam quod, ut optimè exclamat Celeberr. Helmontius, horrendum eſt remedium ſalivatio; Videri etiam poteſt hiſtoria de ea in Illuſtriſſimo quopiam Hypochondriaco adhibita, ut & de morte ejuſdem miſera cum omnibus ſuis circumſtantiis fusè enarrata Miſcell. Curioſ. A. 1. p. 185.

(*o*) *Item taraxaci, zedoariæ, angelicæ, filicis, polypodii, helenii; lignum guajacum; ſemen ſinapi, erucæ, &c. ruta muraria, piperitis ſ. perſicariæ, ſedum minimum, &c. ſpecificè quoque commendantur.*

(*p*) *Item gummi lacca, cujus tinctura maximè commendatur in gingivarum pruritu, tumore & putrefactione; item tinctura flor. aquileg. nicotianæ: elixyr proprietatis Paracelſi (& juxta quorundam opinionem non amaricans nec præcipitans, deſtillatione videlicet paratum) imprimis ſi loco ſpiritus vini ſumatur cochleariæ ſpiritus ter novis cochleariæ foliis reaffuſus & abſtractus: item eſſentia pini, tinctura tartari antimoniata; mixtura ſimplex; acidulæ artificiales, &c.*

(*q*) *Item anti-ſcorbutica D. Dornerellii.*

(*r*) *Sine fermentatione; nam ex herbis anti-ſcorbuticis ſpiritum elicere per fermentationem non convenit, quia ſal volatile avolat; imò obſervarunt nonnulli, quod ſuccus cochleariæ, ſi per diem & noctem ſteterit, virtutem ſuam amiſerit.*

(*ſ*) *In ſua pharmacop. p. 185. & 186. deſcriptum.*

Quidam Lac omniaque lacticinia rejiciunt; quidam verò experientiâ & ratione freti laudant; lac enim, ajunt, acrimoniam temperat & humectat, optimèque aſſumitur duabus horis ante cibum, inſtillatis nimirum ſpiritus cujuſdam ſpecifici guttis aliquot ex. gr. cochleariæ, chelidoniæ, armoraciæ, ſalis armoniaci, &c.

Remedia anti-hypochondriaca hîc non attingo, quoniam præterquam quòd plura, in ejus affectionis curatione à nobis ſuperiùs enarrata fuere etiam illa in multis cum Anti-ſcorbuticis, de quibus hîc, conveniunt.

(*t*) *Nonnulli maximè laudant pilulas*

℞: *Extract. rhei. Catholic an gr.* v. *Reſinæ Ialapp. Agarac an gr* iij. *Sal. Ammoniac gr.* iv. *Ol Succin. g.* j

M.S.F. Pil. Num. 5 deaurentur.

Vel.

♃. *Cremor. Tartar. Sal. prunell. Abſinth. an ſcrup.* ſ *Tartar. vitriolat. Diagrid. an gr.* vj.

M.S F. Pulvis. Formulæ Medicamentorum Præparantium.

♃. *Oc. Cancr. præparat. drach.* j. *Tart. vitriol. ſcrup.* ſ. *Sal. prunellæ drachm.* ſ *Conf Alkermes incompletæ drachm.* j. ſ *Sacchar. alb* (*u*) *unc.* ij.

M. S. F. ſ. a Trochiſci.

Vel

♃. *Rad Raphan drachm.* iij. *Filicis unc* j *Fol Becabung. Naſturt. aq. Cochlear. an P.*1. *Tamarindor. unc.* j. *Sem apij drach* j. ſ.

Coq. (*x*) ex Aq. hordei vel Vino Rhenano in Colaturæ unc. xxiv. Diſſolvantur ...

lulas anti-ſcorbuticas Doctiſſ. D. Timæi, quæ tales ſunt.

♃. *Maß. Pilul. melanag. Querc. drachm.* j. ſ.
Extract. fol. ſenn. drachm. ſ.
Reſin. jalapp. drachm. j. *gr.* vj.
Tartar. vitriolat. gr. xiij.
Sal. ſuccin. volat. ſcrup. j.
Sem. naſturt.
Cochlear.
Sinap. ana ſcrup. ſ.

M. & cum aquâ anti-ſcorbuticâ vel elix. propriet. Paracelſi F. Maſſa doſ. eſt à ſcrup. j. *ad drachm.* ſ.

Item vinum medicatum ſequens.

♃. *Herb. cochlear.*
Naſturt. aquat.
Rut. murar. an. m. j.
Rad. armorac.
Polypod. an. drachm. ij.
Elleb. nigr.
Ialapp. an. drachm. v.
Fol. ſenn. elect. unc. j.
Flaved. cort. arant. drachm. ij.
Cinam. morſu elect. drachm. j. ſ.
Tartar. crud. drachm. iij.

Conciſa & craſſè contuſa inſuantur ſacculo, vaſique lapideo imponantur & affundantur vini gallici vel rhenani pint. iv. *ſumatur manè hauſtus.*

(*u*) *Saccharum & ſaccharata omnia ſcorbuticis nocere abundè probat Dorncrellius in præfatione diſpenſatorij & Mollenbroccius in tractatu ſuo de arthritide vagâ ſcorbuticâ.*

[*x*] Nota: *Medicamenta anti-ſcorbutica coctionem non ſuſtinent, ſiquidem virtus ipſorum in volatilitate conſiſtit, quæ in coctione exhalat & perit.*

Inter preparantia laudatur pulvis ſequens.

♃. *Aloës.*
Myrrh. ana drachm. j. ſ.
Croci drachm. j.
Sem. cochlear.
Naſturt. ana ſcrup. ij.
M. F. Pulvis.

Si verò quis non tantùm laxantem, ſed

quoque aliquouſque purgantem vellet, huic pulveri add.

Reſin. jalapp.
Diagrid. ana ſcrup. j.
M. Dividatur in 14. doſes, aſſumatur veſperi ante cœnam doſis, cum vehiculo convenienti, blandéque alvum movebit.

Inter externa topica, ut in arthritide vagâ, doloribus nuchæ, crurum, pedum circa plantas & talos, &c. ſequens tinctura balſamica maximè commendatur.

♃. *Spir. lumbric. terreſt. unc.* v.
Sal. armon. unc. ſ.
Cochlear. drachm. ij.
In quibus diſſolve
Sapon. venet. unc. ij.
Camphor. drachm. vj.
Opij ſcrup. ij.
Croc. ſcrup. j.
M. digere per aliquot dies & noctes, poſteà filtra & in vitro optimè clauſo uſui ſerva: poteſt eum linteo prius calefacto parti affectæ applicari.

Singulorum ſymptomatum curam peculiarem videſis apud C. Eugalenum in tractatu ſuo de ſcorbuto. Cujus hæc ſumma eſt, quod omnibus ſpecificis parti affectæ dicatis admiſcenda ſint antiſcorbutica. ex. gr.

In reſpiratione difficili *ſpiritus ſalis armoniaci (qui ſpecificè in aſthmate quoque convenit) cum tincturâ croci, & aquâ cochleariæ ſpecificè prodeſt.*

In gingivarum tumore, pruritu & putrefactione: *imprimis prodeſt ſequens:*

♃. *Tinctur. gum. lacc. unc.* ſ.
Flor. aquileg. drachm. j.
Spir. cochlear. drachm. ij.
M. os, gingiváſque hocce colluito

In maculis; *internè.*

♃. *Tinctur. flor. aquileg.*
Perſicar. an. unc. ſ.
Cinam. drachm. j.
Spir. ſalis armon. drachm. ſ.
M. doſ. ad ſcrup. j. *cum cereviſiâ, vino, &c.*

In dolore crurum, manuum, pedum, *&c.*

♃. *Flor. chamom.*
Sambuc.
Fol. naſturt. aquat. vel becabung. ana m. j.
Bacc. junip. m. j. ſ.
Conciſa & craſſe contuſa.
Coq. vaſis optimè clauſis in ſ. q. ſeri lactis pro fotu, ſ. cataplaſmate calidè apponendo.

In ventris doloribus: *dolores ventris ſcorbutici omnes ſuperant dolores colicos; exempla duo rupturæ peritonæi ex hiſce doloribus videſis apud Cl. Eugalenum Et.* 17. *p.* 86.

♃. *Fol. cochlear.*
Hyoſcyam.
Flor. chamom. rom.
Sambuc. ana m. ſ.
Summit. abſinth. m. ſ.
Rad. elen. unc. j. ſ.
Bacc. junip.
Laur. ana drachm. v.
Coq. ſ. a. in ſ. q. ſeri lactis vaſis quàm optimè clauſis. Colat.
♃. *Unc.* viij. *vel* x.
Add.
Ol. cochlear.
Elect. lenitiv.
De bacc. laur. ana drachm. v.
Vitell. ovor. Num. j.
M. F. Clyſter.

Externè convenit cataplaſma in dolore

lore crurum laudatum addito ſolūmodo.

Sem. cumin.
Carui an. drachm. iij.

Internè convenit ſpiritus ſalis armoniaci corticibus aurantiorum infuſus, cumque ſpiritu baccarum junip. vel ſem. aniſi mixtus, atque exhibitus.

In doloribus hypochondriorum incircumſcriptis; *eandem quæ in dolore ventris laudata conveniunt, ut & hoc linimētum calide hypochondriis inunctū.*

♃. *Ol. lumbric. terreſtr.*
Chamom. rom.
Cochlear. an. drachm. iij.
M. pro Linimento.

G. F. Hildanus maximè commendat oleum cochleariæ bis terve foliis cochleariæ infuſum, ſit modo recens.

In dolore capitis; *ſequens linimentum temporibus applicatum maximè juvat;*

♃. *Ol. Hyoſcyam.*
Papav. expreſſ. an. drachm. j.
Chamom. ſcrup. j.
Aneth. ſtill. gutt. vj.
M.

Interna cephalica ſcorbuticis mixta ſimul exhibenda.

In arthritide; *Externè applicata tinctura balſamica ſuprà deſcripta plurimum iuvat; internè eſſentia pini & abſinth. item ſpiritus lumbricorum compoſitus ſequens, à Clar. D. Mollenbroccio in tractatu de arthritide vagâ ſcorbuticâ cap.* 13. *q.* 140. *deſcriptus.*

♃. *Rad. angel. unc.* ſ.
Ireos illyr. unc. j. ſ.
Peucedan. unc. j.
Herb. puleg.
Chamæpith. an. m. iij.
Salv. m. ij.
Serpil. m. j.
Flor. primul. veris.
Chamom. ana. m. iij.
Hyperic. m. ij.
Anthos.
Lavendul. ana. m. ſ.
Raſur. lign. ſaſſafr. unc. ij.
Caſtor. drachm. ij.
Bacc. laur. unc. ſ.

Hiſcè Conciſis atque contuſis ſuperfunde ſpiritum lumbricorum terreſtrium ſimplicem & deſtilla, habebiſque ſpiritum lumbricorum terreſtrium compoſitum; doſ. à gutt. 30. *ad* 40. *aut* 50. *in convenienti vehiculo.* Nota: *ex lumbricis per diuturnam fermentationem putrefactionemque in liquorem reſolutis, ſal quoddam volatile paratur magnarum in arthritide virium; hæc eadem quoque.*

In paralyſi-ſcorbuticâ *conveniunt ut & hoc linimentum.*

♃. *Ol. lumbric. terreſtr. unc.* j.
Cochlear.
Flor. hyperic. an. unc. ſ.
Still. ſalv.
Rut.
Roriſmar. an. gutt. v.
M. F. Linimentum.

In convulſione & contractione: [*mirè invadit ægrotos, ita ut adſtantes ſæpiùs exiſtiment à veneficiis per incantationem hunc morbum decumbentibus eſſe conciliatum*] internè *convenit ſpiritus ſalis armoniaci corticibus arantiorum ſalv. & roriſmarino affuſus,* externè *maximè commendatur unguentum fidum Valeriolæ deſcriptum in ſuis obſervationibus & apud Clar. D. Sennertum de febribus: oleo florum hypericonis & cochleariæ mixtum pro inunctione tendinum.*

In caro & ſopore profundo; *vide*

lib.

Diſſolve. *Syr. 5. radic. unc. ii. Addendo Spir. Vitriol. gutt. viij.*

M. S. F. Apozema. Spiritus Salis dulcis, Ammoniaci, Cochleariæ, omnibus reliquis præſtant Medicamentis.

IX. *Obſervationes.* 1. Ionathan Syndorp, Iuvenis triginta plus annorum, nec per cubiculum meare, nec pedibus incedere valens, ſimplici hoc utitur medicamento:

♃. *Rad. Armoraciæ unc. iij. Coq. ex ſero lactis. Colaturæ lib. ij. dentur uſui.*

M. S. Septimo poſt die, pro ſuavi cura, in ædibus meis gratas mihi egit gratias.

2. H. V. B. Mercator dives, urbanus, pius, maculas lividas copioſè videns in brachiis & pedibus, auxilium meum implorat, ſibi metuens à neſcio qua malignitate. Iſtæ maculæ valdè erant elatæ, imò puſtulis proximæ. Spiritu Salis Ammoniaci paucas intra ſepti-

lib. 1. cap. 3. obſervationem noſtram de lethargo, p. 29. & 30. ſed Nota: ſemper ſpecifica anti-ſcorbutica admiſcenda eſſe; aliàs enim incaßum laborares; eadem dicta ſunto de medicamentis.

In cordis palpitatione & lypothymiâ; vomitu, ſputatione nimiâ; alvi fluxu. (*in quibus duobus poſterioribus ſymptomatibus exſiccantia, ut decoctum ligni guajaci cum anti-ſcorbuticis paratum ac eßentiæ abſinth. ſpirituique maſtichis &c. admixtum maximè convenit*) febribus; (*ſic ſpiritus & flores ſalis armoniaci dupliciter proſunt, ratione videlicet febris & ſcorbuti.*) Hydrope.

In Eryſipelate; *præter externa exhibeantur quoque ſudorifera, ut rob. ſambuci, aqua, ſpiritus florum ſambuci, bezoardicum minerale, ſpiritus ſalis armoniaci, cochlearia, &c. (valdè periculoſum eſt in hoc affectu, ideoque cautè admodum tractari debet, ne degeneret in ulcus malignum.)*

In ulceribus; *Conveniunt internè ſcorbutica humorum acredinem temperantibus mixta; externè verò unguentum diapompholyg. cum ſucco becabungæ; ſola becabungâ in cereviſiâ coctâ biſque de die applicata ulcus cruris ingens totam ferè tibiam occupans & ad os uſque profundum, curatum fuiſſe, teſtatur Clariſſ. D. Sennertus lib. 3. part. 5. ſect. 2. cap. 7. p. an. 285. [facillimo negotio hæc ulcera in gangrænam degenerant, inprimis ſi partes ulceroſæ vix ſentiant, ac difficillimè curantur, quia humorum acredo partes corrodit.] Quidam maximè commendant decoctum calcis vivæ ſpecificis anti-ſcorbuticis mixtum & applicatum; item phlegma vitrioli.*

In tuberculis duris;

♃. *Emplaſtr. diaphor. Mynſicht. (in ſuo armamentario med. Chymico p. 509. & 510. deſcript.) unc. j. ſ.*

Rad. conſolid. major.

Succ. inſpiſſ. becabung.

Rad. ſymphyt. ana drachm. j.

Malax. ol. ſtill. aneth. q. ſ.

M. F.

manas perfectiſſimè curatus eſt; obſervabat autem exactam diætam. (γ)

CAP.

M. F. Emplaſtrum.

In Atrophia: *hoc in caſu non datur præſtantius remedium lacte caprillo ſpiritu aliquo anti-ſcorbutico prius ipſi inſtillato.*

(γ) *Plures hiſce adjungere obſervationes, niſi crambem biſcoctam apponere eſſet, quia in præcedentibus noſtras obſervationes hinc indè curationibus ſymptomatum inſervimus; addimus tamen ſequentem.*

Juvenis quidam, pituitoſus, melancholicus, maximè conquerebatur de corporis gravitate, crurumque imbecillitate, nec non appetitu proſtrato: & poſt alimentorum aſſumptionem de præcordiorum anxietate & dolore; maculiſque ſubindè rubeſcentibus in cruribus & facilè evaneſcentibus; ut & de gingivâ flaccidâ & oris fœtore; qui hiſce paucis convaluit aſſumendo nimirum ſpiritus ſalis armoniaci gutt. XIV. *quater quinquieſque de die in vino radicibus armoraciæ prius infuſo.*

Oris fœtor ſublatus fuit ſequenti pulvere, cujus veſperi & manè doſin cum prædicto vino aſſumpſit.

℞. *Cinamom.*
Rad. ireos florent.
Nuc. moſchat. ana ſcrup. ij.
Cort. aurantior. ſcrup. j.
Lapid. prunell. ſcrup. ſ.
Sacchar. roſar. unc. ſ.
Ol. ſtill. menth.
Caryophyl. an. gutt. IV.
M. F. Pulvis in octo doſes dividendus.

Pro gingivæ laxitate ſequens uſurpavit.

℞. *Rad. ireos flor.*
Gumm. lacc. ana drachm. j.
Alumin. uſti ſcrup. j.
F. Pulvis tenuiſſ. cui admiſce
Mellis roſar. unc. j.
Spir. ſalis q. ſ. pro grato acore.
M.

Poſt oris collutionem gingivas hocce inunxit.

Practicus quidam feliciſſimus, omnibus ſuis medicamentis admiſcet ſequentem ſpiritum anti-ſcorbuticum.

℞. *Cort. fraxin.*
Rad. tamariſc.
Rad. fraxinell.
Capp. an. unc. j. ſ.
Polypod. querc. unc. ij.
Raphan. ſylveſt. ſ. *armorac. unc.* iij.
Herb. cochlear. m. IV.
Naſturt. hyemal.
Becabung.
Acetoſ.
Scolopendr. ana m. iij.
Bacc. laur.
Junip. an. drachm. vj.
Summit. centaur. min. p. IV.
Stercor. anſer. unc. j.
Sem. citri.
Sinap.
Card. bened. ana unc. ſ.
Caryophyll.
Zinziber.
Cinam.
Nuc. moſchat. ana drachm. iij.
Conciſa & contuſa digerantur in a-

renâ tepidâ cum vini gallic. lib. viij. *& ſpir. vini vulgar. lib.* iij. *per triduum, deinde deſtillentur ex arenâ per alembicum.*

Diutius huic affectui incubui, quia adeo hiſce in regionibus familiaris eſt, ut nullus ferè, inquit Cl. Autor. p. 117. *reperiatur morbus, cui aliquid ſcorbuti non ſubſit: æqui bonique ergo, ingenioſe Lector, conſule.*

Scorbuticorum hiſtorias non addo, ſed hic tantùm adjungo, & aliquatenus extra proprium ordinem deſcriptionem præcellentiæ vermicularis herbæ in hoc morbo debellando, qualis à D. Bernhardo Belovv præbetur Miſcell. Curioſ. A. 6. Obſervat. 22.

Vermicularis herbæ, *inquit*, in Scorbuto virtutes tam inſignes deprehendi, ut illam, ſi non omnibus, nonnullis ſaltem adeò decantatis anti-ſcorbuticis palmam præripere, certus ſim, dummodò ab uſu ejus vomitus, quem excitare in diſpoſitis ſolet, ſequatur. Magnum enim morbo iſto laborantium, & diverſorum graviſſimorum ſymptomatum ſyndrome ferè peſſundatorum militum numerum, per Dei gratiam, feliciter reſtitui, paucis admodum, quos, ante meum adventum, per totam hyemem miſerè afflictos, & morti vicinos, ipſa ſalus, ut Comici verbis utar, quamvis maximè ſervare voluiſſet, non potuiſſet, amiſſis.

Curabam autem herbę ejus, mundatæ & lotæ M. viij. in Cerevisiæ veteris ℔. viij. vaſe tecto, ad medietatis conſumptionem, ebullire, & ſingulis, vel, ſi vires id non ferrent, alternis diebus, jejuno ventriculo; decocti ejus tepidi hauſtum (trium quatuorve unciarum) exhiberi, ac optatum ſemper eventum deprehendebam, hoc ſaltem obſervato diſcrimine, quòd faciliùs & copioſiùs vomentes reliquis citiùs ſanitatem recuperarent.

Quibus gingivæ corruptæ erant; aut dentes vacillabant, quod omnibus adeò erat commune, ut nonnullis ſeptem, novem, imò undecim dentes, decidiſſent, decocto hoc calido, in quo alumen crudum, & mel roſatum, arbitraria quantitate, & pro affectus exigentia, ſoluta erant, ſæpè in die os collui jubebam.

Quinquaginta, & plures, genuum contracturas fortiſſimas, & talorum ad poplitem retractiones, paſſi, decocto hoc ſimplici, aliquoties propinato, herbâ cocta, ac expreſſa, rigidis in poplite nervis calidè ſæpius applicata, faſciiſque, ne decidere poſſet, alligata, Deo benedicente, brevi convaleſcebant.

Vlcera tibiarum ſicca, difficulter aliàs curabilia, poſt uſum ejus internum, ſimplici decocto elota, iteratâ herbæ in cereviſia coctæ, applicatione, nullo negotio ſanabantur.

Reliqua etiam accidentia præmiſſa ῥιζοτόμȣ hujus exhibitione convenientibus remediis facilè cedebant.

Hypochondriaca affectione laborantium Obſervationes plures facilè eſſet annectere, ſed nihil prope circa ſymptomatum enarrationem, aut morbi curam occurreret quod jam dictum in ſuperioribus non fuerit: unde ab illis abſtineo.

CAP.

Cap. IV.

De Hydrope.

I. Hydrops eſt Collectio Præternaturalis Lymphæ ſeroſioris. (a)

II. *Pars affecta* eſt Abdomen & ſæpè totum Corpus, omnéſque ejus partes [a]

III. *Cauſa proxima* eſt Lympha ſeroſior, (b) quę tenellula ſua vaſa erodens, & ſic extravaſata graviſſimum hunc morbum ægris infert. [b]

Re-

(a) *Alii definiunt per tumorem corporis vel partis ejus præter naturam, ob humoris aquoſi, & ſeroſi vel flatus collectionem, exortum: Hujus affectus deſcriptionem accuratiſſimam videſis apud Hippocratem lib.* 4. *de Morbis Text.* 33. *&* 34. *p.* 158. *ad finem hujus libri uſque.*

[a] Pars affecta aut eſt corporis habitus, aut abdominis, aut pectoris, aut capitis, aut ſcroti cavitates; unde variæ hydropis differentiæ; qui enim totum corporis habitum afficit vocatur pro humoris tenuitate majore vel minore, Anaſarca, vel Leucophlegmatia; qui caput, Hydrocephalus, qui Pectus ſimpliciter, Pectoris Hydrops, qui Abdomen, ſi fuerit humidus, Aſcites, ſi ſiccus [*qui impropriè hydrops*] Tympanites, qui Scrotum, Hydrocele dicitur.

[b] *Et acrior; nam ſeroſiora quà ſeroſiora non tamen erodunt, aſt quidem diſtendunt; diſtentioneque nimiâ vaſa illa tenellula lymphatica rumpuntur: præceſſâ prius (quantum ego obſervare potui) glandularum vaſorum lymphaticorum obſtructione, ſicque nimis copiosè effluit lympha, hydropemque excitat.*

[b] Plures ſunt Hydropis cauſæ, prout variant ejuſdem ſpecies: Sic Anaſarca producitur à ſero tenuiori, ni maſſam ſanguineam à primæ coctionis ſede demandato, vel in eadem maſſa, ſanguificationis defectu, continuò efformato, & ex arteriarum finibus in majori copia profuſo, quàm ut per venas, & lymphæ ductus excipi, & reduci; vel per renes & poros cutis, aliaque ſeroſi laticis emiſſaria, amandari queat. Leucoplegmatia procedit à ſero viſcoſiori circulationi minus apto, & carnibus (quaſi liquorum partes craſſiores filtro) facilè adhærens.

Hydrocephalus, Pectoris Hydrops, Aſcites & Hydrocele forſan aliquando à vaporibus certa de cauſa condenſatis, ut habet Illuſtriſſ. Williſius; vel à ſero ſuperfluò, à ſanguinis debilioris & aquoſioris compage dimiſſo; vel à vaſis lymphaticis, (ut & in Abdomine, Thorace, chyliferis) vel eroſis, vel poſt obſtructionem dilatatis & perruptis, undè lympha, vel chylus, in cavitates memoratas continuò effunditur, originem ſuam trahunt. Tympanites efformatur aliquando à flatibus è pituita viſcida dila-

dilatata, in inteſtinis; & ipſa abdominis cavitate, ſuſcitatis; aliquando, & etiam frequentiùs (ſecundum Williſii ſententiam quæ admodum probabilis) à ſpiritibus animalibus inordinatione ſua partes abdominis membranaceas inflantibus, quod ex obſervatione anatomica per viviſectionem facta apertiſſimè demõſtratur; in quantum ſc. truncus nervorum octavi paris, per cervicem utrinque deſcendens, ſi filo ligetur, totus illico ventriculus, tanquam à vento inflatus extumeſcit; quod certè à nulla præterea cauſa procedere poteſt, quàm quòd ſpiritus fibrarum iſtius viſceris inſui, aliique per ductus nerveos influxi (quatenus à fonte ſuo præſciſſi, in confuſionem aguntur) partes illas tumultuariè ſubeunt inflantque. Inſuper ad hypotheſim hanc adhuc ampliùs illuſtrandam, libet hic hiſtoriam à Clar Smetio citatam referre, de Tympanite (uti appellat) univerſali in juvene quodam Leodienſi; qui cùm in conflictu, ſubter axilla dextra vulnus punctim factum, in pectoris cavitatem penetrans accepiſſet, poſtridie toto corpore, poſt unicam noctem, mane turgidus apparebat, non ſolùm pectore, ſed & dorſo, ventre, lumbis, imò ſcroto quoque, præterea & brachiis, humeris, collo vultuque, ut ne palpebras quidem diducere poſſet, quinetiam in vertice ipſo, cute ubique diſtenta, & tumefacta, tumor ubique erat tenſus, & cum dolore non pauco. Cujus ſtupendi affectus cauſa procul dubio hæc eſt; In pectore, propè axillas, magni extant nervorum plexus, per quos nervi totius corporis inter ſe communicant. Quapropter plexu iſtoc nerveo, per gladii puncturam fortè transfixo, primò ſpiritus ibidem hoſpitantes irritati, ἀταξίας ineunt, dein conſenſu per nervos tot eximios ſtatim facto, & quaquaverſus huc illuc tranſmiſſo, ſpiritus alii, & ſubindè alii, pares inordinationes concipiunt, atque membranas, fibraſque nerveas (quas ubique tumultuariè ſubeunt) inflantes, totius corporis Affectionem, quaſi Tympaniticam inducunt; Propter ſimilem furorem, ſive œſtrum virulentum ſpiritibus alicubi impreſſum, & inde mox longè lateque diffuſum, toxica quædam epota, telorum aut ferarum ictus, vel morſus venenoſus, ſæpènumero partium unà plurium, aut totius corporis intumeſcentiam inducunt. Ὄγκος autem ille Tympaniticus, quanquam à ſpiritibus animalibus irrequietis & mobilibus efformatur, fixus tamen, & permanens eſt, propter ſuccum nerveum qui ſpiritibus ubique pro vehiculo, ſimulque pro retinaculo eſt: Nam ſi quando latex iſte, viſcerum in abdomine contentorum fibras, ut & ventris illius partes membranaceas irrigans, vel ex ſe tenax & viſcidus fuerit, vel iiſdem fæculentia plures impingat, propterea quidem accidet, ſpiritus animales, ſi quando in has fibras quadantenus obſtructas impetuosè adigantur, exindè non omnes facilè redire: cumque ita ſæpiùs plenior eorum incurſus, & parcior reditus fiat, tandem eveniet magnas ſpirituum copias in fibras iſtas magis indies magiſque impactas manere, eaſque diſtentas uſque & plurimùm inflatas tenere, demùmq; propter ituum & redituum in fibris iſtis vias occluſas,

Remotæ cauſæ variæ ſunt, *(c)* ut apud Auctores eſt videre.

IV. *Differentiæ.* Optimè ab Auctoribus dividitur Hydrops in tres ſpecies; 1. *Aſcitem* in qua totus venter, interdum & pedes tument: *(d)* 2. *Tympanitidem* flatuoſam; *(e)* 3. *Anaſarcam*, ubi totum corpus tumet.

V. *Signa Diagnoſtica.* Tumet vel venter, vel pedes, vel facies tunc pallida,

ibidem prorſus immobiles fieri, atque partes continentes ſemper extenſas & rigidas ſervare: interea quoniam hi ſpiritus ibidẽ intra ductus nerveos impacti, ac denſim ſtipari, cum aliis ad illorũ antra influxis commercium habẽt, idcirco pars affecta quamvis rigida, & ferè immobilis, uſque tamen ſenſu potitur. *Hæc de Tympanitidis cauſa* ingenioſiſſima fuſiùs deſcribere neceſſarium fore credidimus, ne ſi breviùs & compendioſiùs enarraſſemus, non ſatis conſtitiſſet de Illuſtr. ſententia quæ Tympanitidem ad Affectiones Spaſmodicas refert.

(c) Inter quas ſæpiſſimè occurrit nimius ſpiritus vini uſus, imprimis matutino tempore aſſumptus: unde plerumque primò leucophlegmatici *fiunt, deinde* aſcitici: *hocque fieri puto, quatenus vini ſpiritus famem [acidum, ventriculi fermentum, ſuâ volatilitate & oleoſitate ſ. pinguedine, ut patet ex flammâ quam concipit ſpiritus vini, obtundendo & infringendo] aufert: fermento acido ità obtuſo alimenta in ventriculo fermentari atque ab invicem ſufficienter ſegregari nequeunt, undè crudus atque corruptus chylus neceſſariò producitur: adde, quod illi* Lenæi *heroës matutino tempore hoc ſpiritu vitæ [potius tum mortis) ita ingravati, propter fermentum obtuſum vel extinctum nihil ferè nec appetant nec comedant, ſicque cum* Cerere *divortium faciant: ſed ratione acrimoniæ ſalſæ quæ eſt in vino aduſto [ut patet ex ſiti ſubſequente) vehementer ſitiunt; unde jugiter ad tollendam illam acrimoniam bibere coguntur, ſicque toto pomeridiano tempore non* Cerealia, *ſed* Bacchanalia *celebrant, quo fermentum forſan in ventriculo, relictum, diluitur abluiturque continuo illo potu nimio, ſicque flaccidior ineptiorque ad concoctionem redditur ſtomachus; deinde cruditates augentur, nullus laudabilis generatur chylus, non poteſt non inde generari ſanguis crudus, ſeroſus, pituitoſus aliâve qualitate vitioſus; unde nutritio læditur, obſtructiones oriũtur, &c. ſicque illi Bacchi heroës* Charonti *aliquando traduntur, hydrops quoque ſæpè febres, male nec ex rationis præſcripto curatas, ſequitur.*

[*d*] *Item ſcrotum;* Nota. *tumorem pedum veſperi & poſt corporis exercitationem augeri; reliquas verò corporis partes graciliores evadere ac contabeſcere.*

[*e*] *Ab Hippocrate Tympanites vocatur hydrops ſiccus, ut ſect. 4. Aphor. 11. Quibus, inquit, tormina adſunt & circà umbilicum cruciatus & lumborum dolor, qui neque medicamento, neque aliter ſolvatur, in ſiccum hydropem firmatur.*

Notandum; *raro flatus tympanitem efficien-*

V

pallida, vel totum corpus; *(f)* in fœminis Ventris Tumor accuratè diſtinguendus & examinandus.

VI. *Prognoſtica.* *(g)* Ab initio facilè curatur, & non obſervatâ diætâ facilè redit. Cachectici rariſſime perfectam adipiſcuntur ſanitatem. Infantes Anaſarca laborantes ſæpè facili negotio curavi.

VII. *In-*

efficientes ſolummodò in abdomine contineri: ſed plerumque aquæ permixtos: quibus adde, quod obſervavit Cl. Platerus, flatus (abdomen inſtar tympani diſtendentes) non ſemper in abdominis civitate, verùm etiam aliquando in inteſtinis ſolummodò contineri.

[*f*] Signa Diagnoſtica Aſcitis *ſunt intumeſcentia ventris (gravioris jam aquâ) pedum, & ut plurimum quoque ſcroti; ægro circumvoluto de latere in latus, murmurantis & fluctuantis aquæ ſonitus obſervatur; urinæ paucæ ſunt & craſſæ, interdum & rubræ: ſitis adeſt magna, tuſſis ſicca, tandemque reſpiratio difficilis, cæterarum partium extenuatio & contabeſcentia, atque febris.*

Tympanitis; *venter percuſſus inſtar tympani ſonum edit: ægro ſupino jacente venter diſtentus ac durus manet, neque dum ſe convertit æger, ad latera devolvitur; fluctuantiſque aquæ ſonus non obſervatur; nec facies ita à naturali habitu, quàm quidem in duabus aliis hydropis ſpeciebus, recedit.*

Major quoque eſt ventris inflatio, ſed minor gravitas; tormina præceſſerunt circa umbilicum & lumborum dolor; ut ex Hipp. ſect. 4. Aphor. 11. conſtat: ructus & crepitus crebrò prorumpunt, borborygmi & rugitus obmurmurant. [*diſtinguenda eſt* à thoracis poſt vulnera diſtentione, *quæ pectus, dorſum, lumbos, ſcrotum, brachia, collum, imò totum corpus interdum occupat; quod ſemel obſervavimus in bruto poſt vulnus pectori inflictum.*)

Anaſarcæ verò; *totum corpus quaſi enervatum languet & intumeſcit; veſtigium impreſſi digiti aliquandiu remanet; reſpiratio ſemper difficilis, potiſſimum tamen poſt aſſumpta alimenta; carnes emortuo corpori perſimiles, molles enim laxæ, & pallidæ redduntur; urinæ tenues & albæ, febriſque continua [quantum ego obſervare potui] cùm pulſu debili & inæquali adeſt.*

Pectoris Hydrops dignoſcetur, ſi aquarum fluctuatio & ſonitus in hac parte percipiatur, corpore variis modis reclinato: Tuſſis ſicca, & dyſpnæa, affligit præcipuè inter aſcendendum; adeſt ſitis & febricula, noctu poſt primum ſomnum magna inquietudo & jactatio; accedit quandoque cordis palpitatio, pulſus intermittens & perturbatus, & crebra animi deliquia, imò dolor brachii unius aut alterius.

(g) *Magnus* SENEX *ſequentia habet prognoſtica; ut Lib. 7. Popular. Titul. 13. p. 838. & 839. nec non Coac. Prænotion. Titul. 452. hydrops, inquit, febri ardenti ſuperveniens, malus, quod confirmat C. Celſus Lib. 2. cap. 8. p. 71. & Aphor. 55. ſect. 7. Quibus jecur aquâ refertum eruperit in omentum, his venter aquâ repletur atque moriuntur, vide quoque Aphor. 11. ſect. 4. & ſect. 6.*

Aphor.

VII. *Indicationes Curativæ.* Venæſectionem hydropicis omnibus noxiam expertus dico. Lympha ſeroſior temperanda; (*h*) quod fieri non poteſt, niſi pituita viſcidior incidatur. Poſtmodum per Epicraſin evacuandus. Sudores movendi pro viribus. Poſſet Vomitus hic fortè convenire; ſed metuo ejus violentiam; non etenim ſolum aſſumpto Medicamento ventriculum turbat, ægrumque reddit anxium; ſed & illum, ſcilicet ventriculum, ita debilitat, ut nunquam poſteà cibos pro voto ægri concoquat quod ſæpius obſervavi. Vtatur quiſque hic ſuo ſenſu, ego illum nec amo nec inſtituo.

VIII. *Curatio.* Quotquot Hydropicorum ſunt curati, plerumque factum tribus hiſce medicamentis, obſervatâ ſcilicet diæta, 1. Per Epicraſin purgantibus, (*i*) quibus neceſſariò miſceri debent corroborantia

Aphor. 35. hydropicis tuſſis ſi ſuperveniat, malum: tuſſim omnem curationis ſpem tollere conſtat ex C. Celſo Lib. 2. cap. 8. p. 72. imò Aphor. 47. ſect. 7. ait Hippocrates; hydropicum ſi tuſſis vexet deſperatus eſt: hujus curationem proponit SENEX *Lib. 2. Popular. ſect. 5. p. 707. alvus valdè fluida hydropi ſuperveniens, citiſſimè moritur & ſentiens & loquens, ut ex Lib. 4. de Morbis Text. 34. p. 161. conſtat, & Prænotion. Coac. 456. aquâ inter cutem laboranti cum febre, urina pauca & conturbata, perniciem denotat: & Coaca ſequenti ait, aqua intercutem initio aquoſum alvi profluvium* abſque cruditate (*nota*) *exortum, morbum ſolvit, & Coaca 460. aqua inter cutem, quæ curationi ceſſit, ubi recurrit, ſpem tollit.* de ulceribus *ita Magnus ille Hippocrates, Aphor. 8. ſect. 6. aqua inter cutem laborantibus, exorta in corpore ulcera non facilè ſanantur, quod C. Celſus confirmat. Lib. 3. cap. 21. p. 161. Lectu digniſſimum totum illud caput, de hydropicis, eſt.*

Hydrops Tympanites ita malè audit etiam apud Vulgus, ut eo affecti omnino inſanabiles credantur. Revera tamen hic morbus non ſæpè per ſe interficit, & niſi poſt longum tempus ubi Hydropem Aſcitem ſibi fecit comitem.

(*h*) *Et quidem ſalſa; humores namque peccantes præter quantitatem peccare quoque acrimoniâ ſalinâ conſtat ex urinâ rubrâ ſiti, &c. maximè hic proſunt* diuretica *corroborantibus mixta; ut ulterior affectus generatio præcaveatur; ut &* exſiccantia. *Quidam notarunt medicamenta meliori cum ſucceſſu, luna decreſcente, adminiſtrari quam quidem alio tempore.*

In Tympanitide non tantùm attendendum ad flatuum eorumque cauſæ materialis expulſionem, quæ praxis vulgaris; ſed præterea ex Williſio Spiritus Animales ab Affectione τετανώδει revocandi, & materia fibris & partibus membranaceis infimi ventris impacta ibidemque ſpiritus detinens, ſi poſſibile fundenda & educenda.

(*i*) *Poſt juſtam videlicet humorum*

rantia.[c] 2. Sudoriferis. 3. Paracenteſi, novo quod in Chirurgia mea deſcripſi inſtrumento (*k*) inſtituendâ.

Medica-

peccantium alterationem conveniunt quoque diuretica (*aſt non in principio uſurpata*) *&* exſiccantia, *parteſque laſas corroborantia*, potuſque abſtinentia, *uti conſtat ex Cl. D. G. Fab. Hildano Centur.* IV. *obſerv.* 41 *p.* 319. *ubi Nobilis quidam aſcite confirmatâ jam laborans & ab omni remediorum genere abhorrens, perque menſem nihil prorſus liquidi hauriens, ſanus evaſit.*

Conveniunt quoque clyſteres, emplaſtra, linimenta, cataplaſmata, ſacculi, balneaque ſicca, *&c.*

[c] In hunc finem maximè laudo Elixyr proprietatis purgans quod ex Aloë, Myrrha, Croco, Senna, Rhabarbaro & Extracto radic. Hellebori nigri cum ſpiritu ſulphuris per quadruplum ſpiritus vini edulcorato, igne convenienti digeſtis, componitur. Præterea commendo Vinum Chalybeatum, Aromaticum & purgans, è variis tum radicibus, tum foliis, floribus, ſeminibus, baccis, corticibus, lignis, aromaticis, corroborantibus, ut & quibuſdam purgantibus lenioribus, addito magiſterio martis ſolubili ſalibus volatilibus unito per debitam infuſionem paratum; ſic enim non tantum funditur pituita inteſtinalis aliaque in variis corporis partibus ſtagnans, ſed etiam corroborantur ventriculus & inteſtina, flatus diſcutiuntur, obſtructiones ſolvuntur, viæ urinariæ reſerantur, ſalia in lympha, humoribus in genere, glandulis & viſceribus collecta, atque multiplici ſua acrimonia vaſa erodentia & ſpiritus animales in ſpaſmos variaſque agitationes concitantia, temperantur & blandè educuntur, ita ut vix reperire liceat remedium quod citiùs, tutiùs, & jucundiùs, omnibus propè Hydropis ſpeciebus occurrat. Interim è re fuerit per intervalla ſc. ſemel in ſeptimana purgans generoſius uſurpare, quale ſc. Electuarium Hydragogum Nobiliſſ. Med. Franciſci De le Boe Sylvii ad ℥ß. in aquis fœniculi, petroſelini, paucaque cinnamomi diſſolutum. Potus ordinarius eſto Vinum tenue & bene maturum, cui admiſce aquam ſalibus ligni juniperini, ſarmentorum vitis, & ſtipitum fabarum, extractis, imprægnatam.

(*k*) *Lib.* I. *cap.* 13. *inſpiciatúrque eâ de cauſâ Clariſſ. Authoris Anatomiæ practica Lib.* 4. *cap.* 2. *Vide ſis apud Thom. Fienum tract.* 6. *Chirurgicarum controverſiarum cap.* I. 2. *& ſeq. p.* 46. *& ſeq.*

Nota; *Cave ne inſtituas in* debilibus, [*nam certò nihil aliàs quàm aperto marte vires jam anteà debilitatas prorſus deſtrueres ac infringeres.*] *vel* in iis quorum interna viſcera nec ſana nec illæſa exiſtunt, *vel quorum* abdomen flatibus *eſt* diſtentum *antequam in uſum trahas, inſtituatur primum optima victus ratio, purgatio levis ſubinde repetita, partiumque internarum corroboratio: intruſo jam inſtrumento, aquam parcâ, ut extrahas manu neceſſum eſt, bíſque ſolummodò in die, vulnuſque poſt ſufficientem aqua detractionem claudendum eſt: interim corroborantia continuò uſurpentur: fœminam*

per

Medicamenta contra Hydropem.

Rad. Ireos noſtrat. 5. aperitivæ, Vincetoxici. Fol. Geniſtæ Imperatoriæ, Agrimoniæ. Gummi Gottæ. Aſarum. Flores Cortexque medius Sambuci. Lixivium benedictum & diureticum Mynſichti, ejuſdemque Aqua anti-hydropica. Spiritus aperitivus Penoti. Decoctum Chinæ, Salſæ, Guajaci. Eſſentia Martis aperitiva. Spiritus Salis, (*l*) Sulphuris. [d] Fœculæ Aronis.

per paracenteſin curatam vidimus Lugduni Batavorum.

Cl. D.C. Fab. Hildanus Chirurg. obſerv. Centur. IV. *obſerv.* 42. *p.* 320. *paracenteſin in aſcite per punctionem umbilici minori cum periculo inſtitui poſſe, putat: imprimis ſi umbilicus intumuerit propenderítque; per ipſum enim ſpontè apertum hydropem curatum idem teſtatur Centur.* 1. *obſerv.* 47. *p.* 42. *varioſque hydropicos ità arte curatos probat Cent.* 2. *obſerv.* 58. *p.* 133. *& ſeq.*

Admirandum lectuque digniſſimum eſt, quod idem Centur. 1. *obſer.* 48. *p.* 43. *refert de hydrope per ſcrotum evacuato; libet hiſtoriæ ſumman hiſce inſerere; in aſcitici cujuſdam, fruſtrà internis externiſque adhibitis, in ſcrotum adeo copioſè delapſus eſt humor ſeroſus, ut gangrana ſecuta ſit; convenientibus adhibitis remediis, decidit ſcrotum; ità ut teſticuli nudi conſpicerentur, tantaque humoris ſeroſi copia effluxit, ut à morbo liberatus ſit æger, ſanuſque ſupervixerit diu, nec non liberos aliquot poſtea procreârit: natura calloſâ quâdam ſubſtantiâ contrà injuriam externam teſtes obduxerat.*

Quid non natura efficit?

(l) Imprimis coagulatus Mynſichtij. in ſuo armamentario Med. Chymic. p. 26.

[d] Spiritus nitri dulcis maximæ eſt efficaciæ in diſſolvenda pituita viſcoſa, flatuum cauſa materiali, ut & iiſdem flatibus efformatis diſcutiendis; adhibetur ille quotidie ad guttas aliquot in potu ordinario; advertendum tamen ne tunc temporis remedia uſurpentur martialia, quibuſcum vel fermentari vel concreſcere poſſet; itaque ejus uſurpatio remittatur ad finem exhibitionis chalybeatorum.

Aſelli, ſeu Millepedes in hoc affectu etiam multùm proſunt; ſale enim ſuo non tantùm obſtructiones reſerant & urinas cient, ſed etiam humorum acrimoniam aliquatenus demulcent, in eum autem finem præſtant Emulſiones ex iis confectæ quam Pulvis, ſiquidem inter exſiccandum pars volatilior cum humido ſuo vehiculo auras petit, & relinquuntur tantum ſalia craſſiora, quæ etiamſi urinas ſatis bene moveant, acrimoniam humorum itidem non temperant. Emulſio hæc commodè elicitur, adhibito vino, vel potius aqua juniperina & ſucco naſturtii.

Urinæ etiam variæ commendantur; unde Petrus à Caſtro Practicus feliciſſimus, urinam puerorum in Clyſterib. pro Hydropicis adhibebat; Exemplum

nis. (*m*) Sal. abſinthii, (*n*) ſaliaque omnia volatilia. Cineres bufonum; concharum, Oſtrearum, Pulvis mandibularum lucii piſcis.

Purgans:

♃. *Rad. Ireos noſtrat. unc.* j. ſ. *Petroſelin. unc.* ſ. *Fol. Agrimon.* M. j. *Sennæ mund. unc.* j. *Rhei elect. unc.* ſ. *Agaric. leviſſ. drachm.* iij. *Cinnamom. acut. drachm.* ij. *Garyophyllor. drachm.* j.

M. S. F. Nodulus infundendus in Vini Gallici vel Rhenani generoſioris lib. 4 (*o*)

Bibat per paucos dies urinam hirci bibiſſet, magno juvamine vidi hydropem declinaſſe A. 1655. Hinc patet excreta quoque naturæ benignitate fæcunda eſſe, & hircinam urinam ſale ſuo copioſo ſimul ac urinam humanam ſeroſos & excrementitios humores educere, quæ ſimpliciora, interdum tutiora, quàm quæ vel Indus, vel Arabs corrupta & effæta mittit.

Clariſſ. Author Sal Abſinthii reponit remedia anti-hydropica; Hæc autem qualitas ſali hujus plantæ non tantùm eſt propria, ſed etiam illius ſucco, quo per decem dies exhibito Aſcitem aliquando ſanavit Clariſſ. Roeslerus, ut ipſe teſtatur Miſcellan. Curioſ. A. 3. p. 518. Addit Axungiam Caninam pro Dyſpnæa adjuncta uſurpatam. Idem etiam habet ibidem p. 551. Viduam quandam tumorem hydropicum repreſſiſſe, mediante decocto cotulæ fætidæ, & raporum aridorum, quo in dies uſa eſt.

emplum Enematis pro puero hydropico à prædicto Celeberr. viro. Hoc eſt.

♃ Juris pulli ℥iv.
Urinæ pueri ℥iij.
Fermenti ʒj.
Salis ℈j. M.

Idem in Tympanitide.

♃ Decocti Carmin. Lenitivi.
Urinæ pueri ana ℥iij.
Hieræ Picræ Galeni ℥j.
Electuarii Lenitivi ʒiij.
Mellis roſati,
Olei communis ana ℥j.
Salis ʒj.
M. F. Enema.

Quod imitatus Excell. Joh. Michael. valde ad Hydropem commendat Clyſteres ex ſola urina puerorum.

Verùm non tantùm commendatur urina in Clyſteriis, ſed etiam ore aſſumpta; De urina hirci, in ſpecie, ſic uſurpata habet hiſtoriam Clar. Reiſelius Miſcellan. Curioſor. A. 2. Obſerv. 219. quæ hæc eſt. Novi, *inquit*, puellam ſexennem Aſcite, aut veriùs Anaſarca, prætumido quidem ventre, ſed & facie artubuſque præ tumore translucidis, correptam; poſt biennium rediit affectus cũ orthopnæa deſperata: huic adhibui hydragoga, diuretica, & diaphoretica tandem ex alieno conſilio, cùm

(*m*) *Item rad. ireos & eſulæ.*

(*n*) *Nec non ſal geniſtæ, ſtipitum fabarum, ſambuci, fimi columbini; efficaciora redduntur illa ſalia cum ſpiritu nitri juncta & coagulata: maximè commendatur ſpiritus & ſal volatile urinæ.*

(*o*) *Quia ægri aliquando bolum,*

pul-

Bibat ejus ſingulis manè frigidè uncias quinque vel ſex. Gratum eſt Medicamentum, gratiuſque reddi poteſt Saccharo.

Sudoriferum:

♃. *Rad. Ireos Florentin. unc.* j. *Rad. Salſæ parillæ. Chinæ an. unc. iij. Lign. Guajac.* j. ſ.

Infuſa tepidè in ſ. q. aq. communis horis 24. coquantur parum, & Colatura evaporetur lento igne ad unc. iii. quæ rurſus diſſolvantur in

Aq. petroſelin. unc. XVI. *Elix. citr. ex deſcript. Ang. Salæ lib.* j.

Filtrentur per Manicam Hippocratis. Addendo Colaturæ Iulapii roſacei q.ſ. ad mediocrem edulcorationem. M. S.

Doſis bis de die unc. ſ. frigidè. (*p*)

Para-

pulverem, pilulaſvè aſſumere mallent, haſce tres ſequentes adjunximus formulas.

♃. *Extract. elater. gr.* viij.
Magiſt. gummi gottæ.
Reſin. jalapp. an. gr. v.
Fæcul. rad. ireos noſt. gr. vj.
Ol. macis ſtill. gutt. ij.
M. F. Pilul. Num. vij.

Deauranda pulverevè cinamomi, &c. inſpergendæ.

Conveniunt quoque pilulæ hydroticæ à Cl. D. Zvvelfero in pharmacop. Auguſtan. p. m. 213. *deſcriptæ.*

♃. *Rob. baccar. ſambuc. drachm.* j.
Extract. elater. gr. viij.
Magiſt. gummi gottæ gr. vj.
Ol. ſtill. cinamom. gutt. ij.
M. F. Bolus.

♃. *Rad. mechoacann. drachm.* ſ.
Ialapp. ſcrup. j.
Magiſt. tartar. vitriolat.
Sal. ſambuc. ana gr. vij.
Ol. garyophyll.
Iunip. an. gutt. ii.
M. F. Pulvis.

(*p*) *In curatione mentionem fecimus de clyſteribus, emplaſtris, cataplaſmatibus, &c. dabimus ergò ſingulorum formulam:*

♃. *Herb. gratiol.*
Soldanell.
Flor. geniſt.
Sambuc. ana M. j.
Rad. ireos noſtr.
Bryon. ana drachm. vj.
Cort. inter. Sambuc.
Frangul. an. p. ij.
Bacc. laur. drachm. iij.
Sem. Cumin.
Carui an. drachm. ii.

Coq. ſ. a. in ſ. q. ſeri lactis, vaſis clauſis ad Colatur. unc. viii.
In quibus diſſolv.
Elect. hier. diacolocynth.
De bacc. laur. ana unc. ſ.
Vitell. ovor. num. i.
M. F. Clyſma.

♃. *Emplaſtr. de bacc. laur. q. ſ. ex gr. unc.* iii.
Sterc. vaccin.
Columbin. exſicc. an. drachm. x.

Flor.

Paracenteſis, prout illam inſtitutam volo, typis Belgicis deſcripta eſt in mea Chirurgia.

IX. *Obſervationes.* 1. Pauperrimæ cujuſdam fœminæ pluſquam quinquagenariæ cadaver hydropicum diſſecui, præſentibus magno Anatomico Fr. Sylvio, Fr. Verſchagen felici Practico, variiſque Chirurgis. Iucundum mihi erat in abdomine videre primò Lympham tenuem & fluidam, deinde gelatinam, tertiò concretam, tandem duram & Steatomaticam. Licebat enim mihi certius judicare de Hydropis vera cauſa. Plures tales tibi deſcribere poſſum obſervationes; unica enim nec mihi nec tibi ſufficit, ſed illas alibi.

2. Oenopola Iohannes la Four Hydropicus, poſtquam multis uſus fuiſſet medicamentis, & ſe moriturum prævideret, ultimum tentari voluit remedium, puta paracenteſin. Inſtituimus illam noſtro modo, & per multos dies inde levatus, ſe ferè putabat ſanum, ſed nihilominus obiit. Non licuit nobis abdomen aperire, quod dolebam: procul dubio enim craſſior Lymphæ pars ibi relicta mortis ejus fuit cauſa. Multi curari poſſent, ſi citius Paracenteſin admitterent. [q]

Hoc

Flor. roſar. rub. unc. j.
Sem. cumin.
Carui an. drachm. v.
Ol. rutac.
Therebint. an. q. ſ.
M. F. Emplaſtrum.

Vel ſolummodò imponatur Emplaſtrum ad hydropem Auguſtanorum à D. Zwelfero p. 661. correctum.

Contaplaſmata tria egregia habet F. O. Grembs in ſuâ arbore integrâ & ruinosâ hominis p. m. 120. ex ſtercore vaccino, columbino, ſulphure vivo, radicibus aſari, bryoniæ, ireos, baccis lauri & oleo ſcorpionum, &c.

(q). *Vir quadraginta quinque circiter annorum, bilioſus, caſtra Bacchi ſæpè diuque ſecutus, in appetitum proſtratum omniſque cibi faſtidium incidit; facto jam cum Cerere divortio, Baccho eò magis indulſit, quia intolerabili affligebatur ſiti: unde primò pedum tumefactio, hinc venter ſcrotúmque tandem intumeſcere, parteſque reliquæ contabeſcere incipiebant; urina paucæ fuêre & intentè rubræ: reſpirandi aderat difficultas, imò circa veſperam tanta, ut continuò tum erectus manêre aut ſedêre cogeretur:*

Multa licet variaque fuerint uſurpata: ut purgantia, diaphoretica, diuretica, corroborantia, & linimenta, indies tamen adaugebatur malum, donec tuſſi diurnâ atque nocturna per tres circiter ſeptimanas correptus, inciderit in alvi profluvium (quod nullis opiatis ſiſti potuit) cum ſummâ virium debilitate, octavo poſt alvi fluxum

Hoc modo omnes morbos Hepatis & Lienis curabiles ex causâ frigidâ oriundos poteris curare; de cauſa calida ſupra ſcripſi.

Aſcites.

CAP.

xum die, fatis ceſſit; ſcroto ſolummodò cum ſucceſſu applicatus fuit ſacculus ex floribus roſar. rubr. cortic. lign. quercin. ſemine cumini & carui aquâ vitæ Mathioli irroratus.

Puella octodecim annos nata, ex febri tertianâ intermittente malè curata (nimirum per nimis acida,) incidit in pedum tumorem & ventris maximam cum gravitate diſtenſionem, reſpirandique difficultatem, ut nullo modo decumbere, verùm ſemper erecta ſedêre coacta fuerit: accerſitus brevi diureticis nempè, corroborantibus & purgantibus ipſam curavimus.

℞. *Rad. ireos noſtrat.*
Petroſel.
Enul. campan. ana drachm. iij.
Cort. median. ſamb.
Fol. eupator. cannabin. ana M. j.
Soldanell. M. ſ.
Bacc. junip. unc. j.
Sem. fœnic. dulc.
Cinam. acut.
Cort. citri ana drachm. j. ſ.

Conciſa & Contuſa inſuantur ſacculo & cum pint. IV. *vini rhenani per quatriduum infundantur.*

Hujus ter de die ad unc. iij. *inſtillatis ſpirit. ſalis armoniaci gutt.* vj. *aſſumere juſſi.*

Poſt octiduum circiter purgatio fuit inſtituta hauſtu purgante ſimulque diuretico, & ſubinde pulvere p. 141. *deſcripto parum diminuto.*

Item corroborans ſimulque diureticum conditum ſubinde ad nucis moſchatæ quantitatem fuit uſurpatum.

℞. *Conſerv. abſinth. menth. ana unc.* j.
Cort. citr. condit. unc. j. ſ.
Spec. diacalaminth. drachm. ij.
Sal. ſambuc. drachm. j.
Spir. nitri ſcrup. ſ.
Ol. ſtill. cinam. gutt. v.
Macis. gutt. x.
M. F. Conditum.

Anaſarca.

Virgo ſeptuagenaria ex mœrore [quantum ego intelligere potui] in hydropis ſpeciem anaſarcam dictam incidit; ſumma aderat reſpirandi difficultas, totumque corpus ita intumuit, ut albus oculorum protuberaret, pupillæ verò in cavitate quaſi eſſent concluſæ; nulloque modo decumbere; ſtare pedibúſque meare poſſet; quocunque etiam in loco corpus digitis premeretur, veſtigia diu fuere relicta: paucam reddebat urinam eamque crudam, pulſum aliquouſque celeriorem debilémque ſemper invenimus, ſequentia parum mutata, aſt nullo cum ſucceſſu praeſcripſimus.

℞. *Rad. apij.*
Enul. campan.
Ireos noſtrat. an. drachm. vj.
Flor. centaur. min. p. ij.
Raſur. lign. guajac. unc. iij.
Bacc. laur. unc. ſ.
Junip. unc. ij.
Sem. urtic. roman. drachm. ij.
Coq. ex aq. pura ad Colat. unc. xxx.

Add.

Syr. Card. bened. unc. iij.
Spir. ſal. armon. ſcrup. ii.
Aq. theriac. ſimpl. unc. ij.
M.

Doſis erat hauſtulus quater de die aſſumendus.

Admodum erat debilis, imò ſemper conquerebatur de cordis aquæ innatatione, quare ſequentes præſcripſimus tabellas, ſimul aliquouſque laxantes.

℞. *Spec. diacalaminth.*
Aromat. roſat. ana drachm. ii.
Rhabarb. optim. pulv. drachm. j.
Sacch. optim. unc. iv.
Aq. cinam. & petroſ. ana q. ſ.
F. ſ. a. Tabella ad pondus drachm. ij.

Subindè unam aſſumpſit. Porrò.

℞. *Fol. eupator. cannab.*
Menth. criſp.
Majoran.
Flor. centaur. min. an. M. ſ.
Bacc. junip. unc. ſ.
Rad. jalapp.
Mechoacann. an. unc. j.
Spic. nardi drachm. j.
Cinam. drachm. iij.
Macis drachm. ij.

Conciſa & craſſo modo contuſa ſacculóque incluſa affundantur vini pint. vj.

Sed omnia fruſtrà fuere adhibita, poſtque mensem è lachrymarum hoc labyrintho diſceſſit.

Hydrocephali incipientis cura reperitur in Miſcellan. Curioſ. A. 1. Obſerv. 46. à Cl. Hermanno Cummio deſcripta, ſic autem ille. A. 1667. curæ meæ ſubmittebatur puer ſex annos natus, huic in tantum caput auctum erat, ut mole vel juvenis octodecim annorum caput æquaret: totam verò cum naſo faciem occultaret, artus è contra & venter tabeſcebant.

Ego primò omnium ſuadeo, ut quantùm fieri poſſet, baculo in os immiſſo, illud apertum tenerent: hinc capite raſo, ſingulis diebus, bis, aut ter, caput oleo camomelino in quo ſtæchas arabica, ſpica, lavendula, &c. per aliquot dies infuſa erant inungo, inde aqua vitæ Anhaltina abluo. Nonnunquam quoque Aquam S^t^ę. Elizabethæ Reginæ Hungariæ applico, linteiſque madefactis frequenter foveo. Vtrique cruri cauterium applico, corpus quater ſingulis ſeptimanis cum Syrupo Diacnici purgo, in potu ſemper aliquid de oleo tartari per deliquium facti exhibeo; in cibo ſæpiùs aniſo, cumino, anetho ut utatur, ſuadeo. Hoc modo ſenſim caput detumuit, venter & artus nutritionem ſuam recipiunt, adeò ut intra duos menſes puer integræ ſanitati fuerit reſtitutus. *Sic ille.*

Ego Anaſarcas, Leucophlegmatias, Aſcitem & Tympanitidem remediis ſuprà memoratis aliquando profligavi, additis tantùm quibuſdam minoris momenti; ut & topicis pluribus, pro circumſtantiis variatis.

CAP. V.

De Dyſenteria.

I. **D***Yſenteria* eſt cruentus & interdum purulentus alvi fluxus, cum tunicæ vel tunicarum inteſtinalium eroſione. (*a*)

II. *Partes affectæ* ſunt inteſtina, tam tenuia quàm craſſa. Ventriculus ſæpe in conſenſum trahitur, imò fluxui anſam dat.

III. *Cauſæ* ſunt bilis acrior, (*b*) & ſuccus Pancreaticus acidior.

IV. *Differentiæ.* (*c*) Interdum unica ſaltem tunica eſt eroſa, interdum omnes. Interdum ſanguis purus effluit, interdum concretus vel purulentus; ſed hìc dantur gradus.

V. *Signa Diagnoſtica* ex differentiis petenda. (*d*)

VI. *Pro-*

(*a*) *Alij definiunt; per frequentem alvi cruentam aut purulentam dejectionem, cum ventris torminibus, lancinationibus, & inteſtinorum exulceratione, teneſmo & febre à materiâ acri & erodente affligentem.*

(*b*) *Nempe acrimoniâ ſalinâ acrior, item ſanguinis tenuitas, inter* externas cauſas *ſunt ea quæ humores reddere acriores apta nata ſunt, ut* ſex res non naturales *dictæ, item certa venena, ut auripigmentum, arſenicum, mercurius ſublimatus corroſivus, colocynthis incautè videlicet uſurpata, &c. plura vide ſis apud G. Fab. Hildanum de dyſenteriâ p. 666. & ſeq. qui accuratiſſimè hunc morbum pertractavit.*

(*c*) *Aliquando* tenuia *afficiuntur* inteſtina, *aliquando* craſſa, *aliquando etiam* utraque.

Aliquando dyſenteria eſt continua, *aliquando* intermittens *& per periodos affligens, ut teſtatur Clar. D. Sennertus Practic. Lib. 3. part. 2. cap. 7. ex Diomede Coronario Conſil. 2. alia eſt* epidemica, *alia* maligna, *aut è contra.*

Tres dyſenteriæ gradus G. F. Hildanus loco citato ſtatuit; primus ubi *excrementa ſunt pinguia ſpumoſa alba, limoſa ac viſcoſa:* ſecundus, *ubi unà cum excrementis fibræ pelliculæque interioris tunicæ, ſanguis, &c. excernuntur,* tertius, *ubi fruſtula ſubſtantiæ carnoſæ de propriâ inteſtinorum tunicæ ſubſtantiâ deciſæ cum ramentis membranoſis, cruore plurimo, pureque deponuntur; diciturque tum ab Hipp. Sect. 4. Aphor. 26. lethalis: ſi dyſenteria laboranti veluti carunculæ dejiciantur, mortiferum.*

(*d*) *Quia ex differentiis non conſtat quænam inteſtina ſint affecta; hæc damus ſigna, ſi inteſtina tenuia ſint affecta, dolor erit acutiſſimus, nec ſtatim poſt dolorem excrementa deponuntur, & depoſita jam magis cum ſanguine pureve ſunt permixta, quàm quidem evenit ubi craſſa ſolummodò ſint affe-*

 cta

VI. *Prognoſtica.* (*e*) Vlcus profundum difficillime curatur, (*f*) cura-

cta inteſtina; nam tum dolor obtuſior, ſtatimque poſt dolorem excrementa excernuntur, nec ita cum ſanguine pureque permixta erunt, ſi verò utraque inteſtina ſint affecta primò dolor acutiſſimus, deinde obtuſior erit; excrementa, cum ſanguine purevè erunt permixta, & ſimul excrementis cruor & materia purulenta ſupernatabit, cætera ex prædictis colligenda.

Pro majori hujus morbi cognitione, ut & omnium ſymptomatum ipſi adjunctorum, non abs re fuerit hic addere. Illum nunc cum rigore horroreque aggredi, quos totius ſequitur calor, atque hunc, ventris tormina, & dejectiones: ſæpè ſine febre adſunt tantùm, 1o. ventris tormina, quæ ſubſequuntur alvi dejectiones.

Frequentes ſunt alvi dejectiones, non tamen ut plurimùm copioſæ, ingens in iis vexat inteſtinorum cruciatus, depreſſio, & quaſi omnium viſcerum deſcenſus. Materia dejecta eſt aliquando tota mucoſa; aliquando intermiſcentur illi tantùm quædam ſanguinis filamenta, aliquando verò eſt magis ſanguinea, prout ſc. ab humoris acrimonia vaſa majora, vel minora, magis rurſus, aut minùs fuerint eroſa. Permanente & durante morbo, ſi æger ætate floreat febricitat, & linguam gerit ſubalbidam mucagine multa obſitam, &, ſi vehementer etiam fuerit excalfactus per remedia, nigram etiam atque ſiccam; Vires omnino dejiciuntur, diſſipatis ſpiritibus, aliaque adſunt febrium malè moratarum ſigna. Exeunte morbo Aphthæ oris interna fauceſque ſæpènumero occupant, præſertim ſi corpus fuerit excalfactum, & materiæ peccantis evacuatio medicamentis adſtringentibus impedita, non exacto priùs per cathartica morbi fomite. Si morbus in longum trahatur, tandem inteſtina ordine quæque ſuo deorſum verſus affici videntur, donec in rectum inteſtinum malum omne detrudatur, & in Teneſmum deſinat; quo facto, longè ſecus atque in Dyſenteriis dejectiones ſtercoroſæ vehementiſſimum inteſtinis dolorem inferunt, alvi ſc. fæcibus teneriora adhuc inteſtina, inter deſcendendum, radentibus; cùm dejectiones mucoſæ eo tempore inferiori tantùm inteſtino, Recto nempe, moleſtias creent, quo materia in eo ſolo conficitur, atque inde excernitur.

(*e*) *Sequentia habet Hippocrates Aphor.* 24. *&* 26. *ſect.* 4. *dyſenteria, inquit, ſi ab atra bile incipiat, lethalis eſt, quod à C. Celſo affirmatur lib.* 2. *cap.* 8. *his verbis. Quinetiam tormina ab atra bile orta mortifera ſunt: p.* 74. *item tabe affecto ſuperveniens, Aphor.* 14. *ſect.* 5. *&* 6. *Popular. ſect.* 8. *p.* 818. *in longis dyſenteriis cibi faſtidium malum & cum febre pejus, quod ex Aphor.* 3. *ſect.* 6. *quoque conſtat, Lienoſis, ait Hippocrates ſect.* 6. *Aphor.* 48. *difficultatem inteſtinorum ſupervenientem, bono eſſe; & Aphor.* 43. *ejuſdem ſectionis; qui, inquit, lienoſi difficultate inteſtinorum corripiuntur, iis ſuper-*

(*f*) curabile tamen eſt. Interioris tunicæ ſimplex eroſio, cæteris paribus, ferè ſemper & facillimè admittit curam.

VII. *Indicationes Curativæ.* Dyſenteria, quà Dyſenteria, Veneſectio-

ſupervenientem longam dyſenteriam aqua inter cutem, aut inteſtinorum lævitas excipit, & moriuntur: qua de re inſpiciatur C. Celſus loco ſtatim citato.

Aphor. 23. ſect. 7. à ſincerâ dejectione, dyſenteria malum: item Aphor. 75. & 76. Omnibon. Ferrarius de morbis infant. p. 227. & 228. Qui habet, inquit, dyſenteriam, & apparet poſt ejus aurem ſiniſtram, veluti res nigra, ſimilis corbo, cum vehementi ſiti, moritur in decimo, & non tardat, nec evadit. Vigiliæ immodicæ, dejectiones ſynceræ, nigræ, fætidæ, ſanguinis copioſa excretio, ſingultus, vomitus, præcordiorum dolor ſitiſque, &c. lethalem plerumque dyſenteriam prænuntiant, Teſte L. Riverio prax. Lib. 10. cap. 6. p. m. 476. inſpiciatur quoque Hipp. Lib. de victus ratione in morbis acutis & Coac. Tit. XXI.

(*f*) *Imprimis ſi in tenuibus hæreat inteſtinis, (ut patet ex Aëtio Tetr. 3. ſerm. 12. cap. 43. medicamenta tam facilè eò devenire nequeunt.) Curatum tamen vide ſis apud F. Hildanum loco ſtatim citato: & Joannem Schenkium obſerv. medicinal. Lib. 3. obſerv. 141. & ſeq. p. m. 632. & ſeq.*

Circa Dyſenteriæ prognoſim hæc ſuperſunt dicenda.

Si ſanguis ſincerus, ne minimo quidem muco admiſtus, ſingulis ejiciatur conatibus, corroſionem majorum aliquot vaſorum quæ inteſtina perreptant denotat, ægroque interitum minatur.

Manuum ac Pedum frigore ſuperveniente, in maximo erit æger periculo.

Aphthæ exeunte morbo advenientes mortem imminentem ut plurimum denunciant.

Dyſenteria Infantibus ſæpius perbenigna reperitur; illa enim ad menſes aliquot quandoque afficiuntur, ſine quovis incommodo, modò res naturæ permittatur.

Si eroſis portionibus, cruſtæ villoſæ (Williſio Tunicæ glanduloſæ dictæ) eroſio penetret ad plures partes tunicæ nerveæ, in qua implantantur venarum lactearum orificia, illaque omnia mala ſuperet æger, periculum eſt, ne callo in partibus memoratis efformato, ſicque obliteratis pluribus orificiis, impediatur ex parte progreſſus chyli ex inteſtinis in vaſa lactea, unde hoc ſucco nutritio plurimùm defraudatus ſanguis, parteſque propterea corporis omnes, non mirum ſi tabes paulatim ſubſequatur mortemque tandem accerſat. Quod mihi ipſi videre contigit in Juveni quopiam 15. circiter annos nato, qui Dyſenteria eaque longa & moleſtiſſima afflictus, morbo tandem ſuperato, in alium deducebatur, chyloſum ſc. fluxum cum maraſmo; Per biennium propè cùm duraſſent hæc omnia, mortem tandem obiit; aperto cadavere & inteſtinis luſtratis, illa multis in locis quaſi calloſa, reperiebantur.

 (*g*) *Va-*

næſectionem nunquam indicat. Humor peccans temperandus & evacuandus; (g) ſic optimè roborantur partes. [a]

VIII. *Curatio.* (h) In tanto hoc morbo vix pluribus, quam tribus utor medicamentis; purgantibus, alterantibus, Topicis, illiſque in parvâ quantitate; copiam enim vel potus, vel ciborum, vel medicamentorum vix unquam tales ferunt ægri. [b]

Medi-

(g) *Vaſorum apertio conſolidanda, ulcuſque mundandum, ipſiuſque conſolidatio promovenda, alvuſque laxa blandè adſtringenda; nec non uſus medicamentorum convenientium aliquandiu continuandus; ne æger facilè recidivam patiatur.*

[a] In Dyſenteria haſce ſibi proponit Indicationes Illuſtr. Sidenham. Primùm acres humores in inteſtina depoſitos, ſecta vena revellendos; Secundò reliquam ſanguinis maſſam contemperandam, tum etiam dictos humores per cathartica ſubducendos.

(h) Nota. *Dyſenteriæ curationem aliquando ſecundum ſymptomata ſua & differentias, graduſque deſcriptos, mutandam eſſe.*

[b] Curatio Dyſenteriæ ex Illuſtriſſ. Sidenham quæ reſpondet Indicationibus mox ex ipſo memoratis, hæc eſt. Quo primùm accerſor de, *inquit*, venam cubiti tundendam ſuadeo, eadem nocte & paregoricum propino; ſequenti Aurora Potionem hanc Catharticam Lenitivam mihi familiarem.

℞. Tamarindor. ℥ß.
Folior. Sennæ ʒij.
Rhei ʒiß.
Coquantur in ſ.q. aquæ in Colaturæ ℥iij. diſſolve.
Mannæ Calabrinæ
Syr. Roſar. ſolut. ana ℥j.
M. F. Potio ſumenda ſummo mane.

Quandoquidem verò ſatis eſt obvium Medicamenta Cathartica etiam leniſſima & tantùm Εκκοπρωτικὰ, ventris tormina intendere, ſpirituum etiam dejectionem atque ἀταξίαν univerſalem ægro inferre, adventitio nempè illa tumultu quo ſanguinem ac humores commovent inter operandum; eapropter ſolenne mihi eſt.

Paregoricum temporiùs aliquantò ſubjicere, quàm poſt Cathartica conſuevimus, hora ſc. pomeridiana quacunque, modò Catharticum ſuo defunctum munere videatur; quo ſc. quem concitavi motum denuò ſufflaminare valeam. Deinceps ad duas adhuc vices dictum Catharticum præſcribo, alternis ſc. diebus hauriendum; Paregoricum etiam poſt ſingulas purgationes, quo ſuprà monuimus tempore. Hoc inſuper diebus à Purgatione vacuis, tam manè quàm ſerò exhibendum curo, quo ſc. ſymptomatum ferociam debellem, atque inducias impetrem, dum cum humore peccante exterminando mihi res eſt. Anodyno autem utebar maximè Laudano liquido, guttis nempè 14. vel 15. in

Aqua

Aqua qualibet Cardiaca pro Doſi una: Poſt Venæſectionem & Catharſin ſemel celebratam, Aquam Cardiacam è temperatioribus ſubinde deguſtandam concedo: Aquam ſc. Epidemicam, Aquam Scordii compoſitam, aut ſimilem, (idque imprimis in Senioribus ac Phlegmaticis,) quo nempè ſpiritus magna dejectionum vi, quod in hoc morbo uſu venit, proſtratos erigam quadantenus & reſarciam: Potus eſto Lac coctum cum aquæ triplo, aliquando etiam Lac Cereviſiatum, vel Cereviſia cum panis cortice & maci incoctis; Panatella item nonnunquam veſcitor, nonnunquam juſculo è carnibus ovinis macilentioribus. Grandæviores lectulo magis addico; Aquam item Cardiacam illis familiarem liberaliùs indulgeo, quàm infantibus aut junioribus par eſt. Laudata methodus omnibus, quæ mihi hactenus innotuêre, in hoc morbo vincendo facilè palmam præripuit, qui perrarò ultra tertiam purgationem duravit.

Quòd ſi morbus præfractior his non cederet, dictum Paregoricum ægro exhibeo ſingulis diebus mane & hora ſomni, donec omnino convaleſcat; nec vel minimum quidem incommodi à tam frequenti Medicamenti Narcotici repetitione mihi adhuc videre contigit, [quantamlibet noxam inde ſequuturam comminiſcantur inexperti,) licet plures noverim qui in morbo contumaciori idem ad ſeptimanas aliquot continuas quotidie uſurpaverint.

Infantes hoc morbo correpti, eodem planè modo ſunt tractandi; ſanguinis tamen extrahendi quantitate, tum etiam medicamentorum tam cathartici, quàm anodyni, viribus pro annorum ratione imminutis; ita ut v.g. Narcotici guttæ duæ infanti unius anni ſuffecerint.

Laudanum. Liquidum, quod in quotidiano, ut dictum, uſu mihi erat, hanc ad normam ſimpliciorem præparo.

♃. Vini Hſpanici ℔j.
Opii Thebaici ℥ij.
Croci ℥j.
Cinnamomi,
Garyophyllor. aromat. pulveratorum ana ʒj.

Infundantur ſimul in B. M. per duos vel tres dies, donec liquor debitam conſiſtentiam acquirat. Colatura ſervetur pro uſu.

Hanc præparationem Laudano Officinarum ſolido anteferendam virtutibus quidem non cenſeo, ſed ob formam ſaltem commodiorem & majorem doſis certitudinem, eidem antepono; cum ſc. Vino, Aquæ Diſtillatę, aut liquori alii cuicunque inſtillari poſſit. Si Dyſenteria fuerit aliquatenus ſicca, humorem poſt Venæſectionem diluo ea ratione quæ priùs deſcripta eſt, dum de Cholera morbo, ſubſtituto tantùm juſculo pullorum, Lactis ſero; Per quatuor dies ſolo lacte crudo tepefacto, hoc in caſu veſcitor Æger. *Hactenus ille.*

Remediis deſcriptis addi poſſunt varia inteſtina corroborantia, & vaſa ab humore acri eroſa conſolidantia, ut & præter remedia interiora varia topica de quibus in ſequentibus. Inter remedia etiam interiora,

Enema-

Medicamenta Anti-Dyſenterica.

Radices biſtortæ, tormentillæ, plantaginis, verbaſci, ſymphyti majoris. Folia burſæ paſtoris, Equiſeti, Myrti, Quercus, Saniculæ. Flor. balauſtior. roſ. rubrarum. Semina papaveris; ſophiæ Chirurgorum; Baccæ myrti. Meſpila. Nuces cupreſſi, moſchata. Lignum ſantalum. Acacia, Hypocyſtis; Sanguis draconis, ejuſque imprimis Lachrymæ; Maſtyx, Tragacantha. Coagulum ſanguinis leporini. Cornu Cervi. (*i*) Cochleæ oſtrearum calcinatæ; Oſſa bovina itidem calcinata. Bolus Armena, Corallia, Margaritæ. Lapis hæmatites, Terra ſigillata. Succus agreſtæ, granatorum, cydoniorum. Vinum rubrum ſtipticum, ſed non dulce. Syrupus cinamomi, de mentha, myrtinus, granatorum. Miva Cydoniorum. Narcotica omnia. (*k*)

Enemata humorum acrimoniam demulcent[...] maximè proſunt, præſertim malo in inteſtina craſſiora devoluto, quò ſane tota & integra illorum virtus pervenit. Sed nihil prorſus ad energiam celebratiſſimi jam illius radicis Hipocacuanhæ, de aquâ ſuprà in vomitu ſanguineo accedit.

(*i*) *Ut & ejus gelatina, maximè quoque commendantur lumbrici terreſtres à F. Hildano p. 676. quod à Cl. Sennerto, Wiero, &c. confirmatur, ſic quoque ab Hildano maximè extollitur lapis bezoar. Convenit quoque crocus martis adſtringens, terra vitrioli dulcis; vitelli ovorum cum lacte & cinamomo: ſyrupus roſarum ſolutivus; item Panthalionum, cujus hæc eſt deſcriptio.*

℞. Myrobal. cheb. unc. j. ſ.
Citrinor. drachm. vj.
Paſſul. cum arillis contrit. unc. ij.
Coq. in lib. iij. ſ. *Aq. chalybeatæ ad Conſumpt. mediet. in colat. diſſolv. ℞. Lac. Sacc. q. v. aromatiZetur.*
Pulv. cinam. groſſ. mod. contuſ. drachm. vj.
M. Purgat. & adſtringit.

(*k*) *Ut theriaca, diaſcordium Fracaſtorij, &c. item ſequentes tabellæ.*

℞. Spec. diarrhod. abbat. drachm. j.
Cornu cervi uſt. & pulv.
Croc. martis adſtrin. ana drachm. ii.
Cinam. elect. & pulv. ſcrup. ii.
Lapid. beZoar.
Confect. alkerm. an. ſcrup. i.
Sacch. in aq. plantag. & cinam. ana q. ſ. diſſol.
M. F. ſ. a. Tabellæ.

Item ſequens Electuarium.

℞. Conſerv. roſar. rubr. unc. ii.
Diaſcord. Fracaſt. drachm. iii.
Confect. hyacinth. drachm. i.
Balſam. ſulphur. therebint. Vel Peruvian. ſcrup. ſ.
Priap. ceti raſ. drachm. ſ.
Cinam. acut. pulv. ſcrup. ii.
Syr. myrtin. q. ſ.

M. F.

℞. *Lachrymarum Sanguinis draconis*, *gr. xxv. Aq. menthæ unc.* j. *Plantagin. unc.* ij. *ſ. Cinamom. unc. ſ. Syr. de Symphyt. Fern. unc.* j. *Laudan. opiat. gr. ij.*

M. S. Bibat cochleatim.

Vel

℞. *Conſerv. roſar. rubrar. Menthæ an. unc.* j. *Cortic. Arant. condit. drachm.* vj. *Oſſ. bovinor. calcinator. drachm.* j. ſ. *Corall. rubr. præparat. drachm.* ſ. *Diaſcord. Frac. drachm.* ij. *Succi Acaciæ ſcrup.* ij. *Syr. myrtin. par.*

MS. F. Conditum molle. Sumat ejus æger ſæpè drachm. j.

Vel

℞. *Laud. opiat. gr.* iij *F. Pilulæ Num.* vj.

Deaurentur. Vnicâ ſingulis utatur horis, donec ceſſet fluxus. Topica. (*l*)

℞. *Therebint. Argentinenſis cum Vitello ovi diſſolutæ drachm.* ij. *Pulv. roſar. rubr. ſcrup.* j. *Diaſcord. Fracaſt. drachm.* j. ſ. *Lactis Vaccini unc.* viij.

M.S. F. Enema, ter interdum de die reiterandum.

℞. *Ol. nuciſt. expreſſ. drachm.* j. ſ. *Macis ſtillatit. ſcrup.* j. *Sem. papaver. Hyoſcyam. Myrtillor. an. unc.* ſ.

MS. F. Linimentum Epigaſtrio inungendum. Vbi purgandum:

℞. Pulv

M. F. Conditum, doſis hujus ad nucis moſchatæ quantitatem.

Item ſpecies, diaplant. diamartis Mynſichtij in ſuo armam. chym. med. p. 120. *&* 121.

Hepata Viperarum in Dyſenteria maximè commendat D. D. Michaelis in MSS. Pract. & ex eo Clar. D. Wedelius, qui ſic habet: Feci periculum aliquoties, & ob vim morbi quidem fruſtra hepar illud in aliquibus adhibui, ubi ſc. urgentia affectus & copioſiſſimæ ſedes aliud poſtularent; virgo tamen quædam dyſenterica, cùm nullis aliis juvaretur, adhibito hepate hoc, cum aliis permiſto, manifeſtum ſenſit levamen. Debet autem tunc eſſe à fellea veſicula ſeparatum, cùm fella ſtimulent.

(*l*) *Inter topica laudant unguentum Comitiſſæ; & D. Agricola in ſuis commentariis in Poppium Tom. 2. p. m.* 886. *ſequens Emplaſtrum ſupra alutam extenſum, & umbilico puerorum impoſitum maximè laudat.*

℞. *Theriac. andromach. unc.* j.
Terr. ſigillat. drachm. ij.
Croc. mart. drachm. j.
Extract. tormentill. drachm. ſ.
M. F. Emplaſtr.

Add. poteſt anſerin. ſ. argentin. pulv. drachm. j.

Y (*m*) Et

℞. *Pulv. rhei elect.* (*m*) *ſcrup.* ij. *vel drachm.* j.

Notum quidem, ſed optimum tutumque hiſce in oris eſt Medicamentum. Regionibus calidioribus minus favet.

Vel

℞. *Extract. Rhei gr.* xvj. *Laud. op. gr.* j. *Ol. menthæ. g.* j.

M S. F. Pilulæ Num. iiij. Deaurentur.

IX. *Obſervationes.* I. Obſtetrix charæ mihi uxoris quinquagenaria non uſa eſt niſi ſemel pulvere rhabarbari; ſæpè verò pilulis ex laudano opiato, ut & Enemate ſupraſcripto. Intrà dies 14. perfectiſſimè curata eſt. Febricitabat interim continuò, & plus quam vigeſies quotidiè dejiciebat, tampus, quam ſanguinem. Sanguinea autem eſt & erat.

2. Ancilla Capitanei N. N. Plethorica, ſexaginta quotidie habebat ſedes cruentas. Vſa eſt iiſdem Medicamentis, & duodecimo poſt die ſana rerum domeſticarum habuit curam.

3. Filius viduæ van Aſperen, aſſuetus bibere Spiritum vini, patiebatur dyſenteriam ſummo cum dolore; reiiciebat ſanguinem concretum pulcherrimi coloris, id eſt arterioſum, eumque ſæpe ad librarum duarum pondus. Aperto cadavere reperi inteſtina tenuia hac illac ſphacelata, (*n*)tunicas eroſas & in 4. locis perforatas. (*o*)

CAP.

m) *Et parum toſt. addit. nuc. moſchat. pulv. ſcr. ſ. ea de re inſpiciatur Avicenn. lib.* 2. *tract.* 2. *p. m.* 91. *& Hildan. p.* 686.

(*n*) *Tale quoque exemplum videſis apud. Cl. G. Fab. Hildanum.*

(*o*) *Mulier quinquagenaria, melancholica, nephritica; incidit in dyſenteriam; continuò propemodum alvum deponebat; excrementa pure ſanguineque quarto die jam mixta erant, ſummis afficiebatur ventris doloribus, vigiliis nimiis, febri, præſcripſimus hunc in finem mixturam ſequentem humorum acrimoniam temperantem, dolorem ſedantem, leviterque adſtringentem.*

℞ *Aq. plantag. unc.* ij. ſ.
Cinam. drachm. vj.
Confect. hyacinth. drachm. j.
Diaſcord. fracaſt. drachm. j. ſ.
Sang. dracon. ſcrup. ſ.
Laud. opiat. gr. iij.
Syr. myrtin. unc. j.
M.

Hujus ſingulis horis cochleare unum alterumvè aſſumebat: ſed pauco cum levamine; dein aſſumpſit purgans ex rhabarb. toſt. ſcrup. ij. *nuc. moſchat. ſcrup.* ſ. *hujus poſt uſum toties non dejecit; dolores tamen nondum fuere ſublati; ſequentem injici clyſterem curavimus.*

℞. *Lact. bubuli chalybeati unc.* viij.
Therebint. venet. in ovi vitello diſſol. unc. ſ.
Mell. roſar. unc. j.

Balſan.

Balſam. ſulphur. therebint. ſcrup. ſ.
M. F. Clyſter.

Hoc enemate diu in corpore retento multùm dolores fuere diminuti; ſingulis veſpertinis aſsumpſit laud. opiat. gr. j.

Uſurpabat indies lac bubulum coctum cum cinamomo acuto; quibus omnibus intra octiduum fuit curata.

Alia quadraginta circiter annos nata, incidit in alvi profluvium, neglecto hoc, tertio, ni fallor, poſt alvi profluvij invaſionem die, dyſenteriâ corripitur, dies noctesq; ob dolores ſummos inſomnes duxit; poſt purgantis dicti uſurpationem aſſumpſit ad nucis moſchatæ magnitudinem de ſequenti condito.

♃. Diaſcord. fracaſt. drachm. iij.
Confect. hyacinth. drachm. j. ſ.
Corn. Cervi. uſt. ſcrup. j.
Cinam. acut.
Nuc. moſchat. ana ſcrup. ſ.
Syr. myrtin. q. ſ.
M. F. Conditum.

Uſurpavit quoque lac bubulum cum cort. quercin. & cinam. acuto coctum & percolatum, in quo vitellum ovi unum atque alterum erat diſſolutum, atque hiſce intrà ſeptimanam pleniſſimè fuit curata.

Si ulcus in inteſtinis tenuibus hæreat, ſequens proderit apozema vulnerarium.

♃. Rad conſolid. maj.
Tormentill. an. unc. ſ.
Fol. alchimill.
Argentin. ſ. anſerin.
Pyrol.
Heder. terreſtr. ana M. j. ſ.
Flor. roſar. rub.
Summit. hiperic. ana M. ſ.
Raſur. priap. ceti drachm. j.
Raſur. Cornu Cervi drachm. ij.
Coq. ex vino rubro ad Colat. unc. xxv. in quibus diſſolv.
Syr. de ſymph. Fern.
Myrtin. ana unc. j. ſ.
Tinct. cinam. unc. ſ.
M. pro Apozemate.

Hujus ter quatervè aſſumat æger ad unc. iij. cum gut. iij. aut iv. ſequentis balſami.

♃. Balſam. ſulphur. aniſ.
Peruvian.
Tinctur. flor. ad conſiſt. extr. evapor. ana ſcrup. j.
M.

Aſt ſi in inteſtinis craſſis ulcus delitescat, convenit clyſter ex lacte bubulo, therebintinâ, &c. paratus p. 156. deſcriptus.

Illuſtriſſima quædam A. 1680. Menſe Julio, poſtquam per dies aliquot ventris torminibus, capitis dolore, febricula, &c. afflicta fuiſſet, tandem Dejectiones alvi & frequentiſſimas & doloroſiſſimas cum totali virium deperditione, & appetentiæ abſoluta proſtratione, patiebatur; Ego advocatus Dyſenteriam incruentam eſſe judico de qua ſic Excellentiſſ. Williſius, in altera Dyſenteriæ ſpecie ſedes aquoſæ, & quaſi limpidæ cum ſubita virium proſtratione exiſtunt, dejectiones interim bilioſæ & phlegmaticæ rarius eveniunt, & morbum non ita mali moris eſſe denotant: addit in ſequentibus ulteriorem hujus morbi deſcriptionem, ut & curationem idem Author. Illuſtriſſ. Sidenham etiam de eo his verbis. Quandoque ne minimum quidem ſanguinis per omnem morbi dyſenterici decurſum dejectionibus admiſcetur; quo non obſtante, (modò

 dò

dò frequentes ſint dejectiones, cum ventris torminibus & colluvie mucoſa,) morbus haud minùs rectè dyſenteria vocabitur, quàm ſi unà manaret ſanguis; ſic Clar. Author in Dyſent. definitione dicit fluxum in illa eſſe vel cruentum vel purulentum tantùm; adde quòd tunc temporis ibidem loci alios viderim Dyſenteria cruenta afflictos. Primò cùm advocarer, fluebant menſtrua à diebus duabus, propterea à venæſectione pro revellenda materia acri in inteſtina depoſita abſtinebam, & julapiis quibuſdam anodynis atque paululum cordiacis, ut & Enematibus appropriatis inſiſtebam. Elapſa die una atque altera ceſſabant menſtrua, fluxus interim alvi augebatur, & quoad frequentiam, & quoad tormina, afficiebantur præterea aures difficili auditu, oculi obnubilatione, fauces inflammatione & tumore, totum cerebrum effuſione humoris acris vigilias perpetuas & delirium procreantis. Unde patebat materiam morbificam & abundantiſſimam, & peſſimæ ſortis in partes omnes impetū facere. Venæſectionem, quam primò non auſus fueram, propter rationem enarratam, tunc tandem celebravi, hauſtulumque anodinum & confortans propinavi; Die ſubſequenti remedium purgans ex rhabarbaro, pauciſſima ſenna, manna, & Syr. de cichorio cum rheo exhibeo, veſperi julapium anodynum continuò repeto; ſic ex parte rejecta materia peccante, remittebat quidem aliquatenus malum, ſed brevi recrudeſcebat, & quaſi vires acquireret eundo, magis ac magis Illuſtriſſimam vexabat. Enemata injici curo è decoctione flor. camæmeli, nymphEæ, papaveris rhæados, herbæ paralyſeos, tapſi barbati, roſar. rubr. &c. in juſculo tenui, & poſt alterum à prima purgatione diem, eandem repeto, ut & die ſubſequenti rhabarbarum pulveratum Syr. abſinthii admiſtum exhibeo, continuatis itidem ſingulis diebus julapiis anodynis; varia præterea fronti, temporibus, plantis pedum ſunt applicita, pro profligandis vigiliis; ſed in caſſum omnia, nam ſic hoc ſymptoma, non minùs quàm alia ſemper infeſtabat; propterea ad Laudanum Opiatum confugio, illiuſque valde compoſiti grana duo exhibeo, unde ſomnus ex parte accerſebatur, & Dejectiones fiebant minùs frequentes, & minùs moleſtæ, ſed interim major accendebatur febris cerebrumque magis afficiebatur, quæ rurſus omnia per injectum clyſterium, purgantibus admiſtis, minuebantur, revocato in integrum fluxu, ſed minùs doloroſo. Morbi pertinaciam, malumque morem miratus, alium Clariſſ. atque Doctiſſ. Medicum accerſiri curo, unàque conſilium inimus de tundenda ſalvatella, pro revulſione iteranda, ſic ſanè febris omniaque alia ſymptomata, momento quaſi minuebantur; ſed dum die ſubſequenti in colloquiis verſaretur longioribus Illuſtriſſ. omnia rurſus invadunt. Rhabarbarum, Julapia anodyna atque Enemata deſcripta addita tantùm vel Theriaca Andr. vel Diaſcordio, Fracaſtor. ut prius repeto, ſed cùm parum inde emolumenti, morbuſque his omnibus ſurdus foret; Lac Aſininum propono ſperans humorum acrimoniam acidam quæ prioribus remediis minimè auſcultarat remedio, iſti forſitan obtemperaturam

meoque

meoque in propoſito confirmor, dum video illuſtriſſ. Sidenham non reformidare lac etiam vaccinum aquæ admiſtum pro potu ordinario Dyſentericis propinare, & in Dyſenteria apud ipſum ſicca dicta, non alio quàm lacte crudo tepefacto per quatuor dies ægros nutrire; Obſervaremque præterea celeberrimos practicos Lacte prædicto tanquam remedio in Dyſenteria uti: Interim Celeberr. atque Clariſſ. alterius Medici conſilium pro hujuſmodi uſu exquiro, cumque ille in meam ſententiam deſcenderet, eo confidentius, illud hauriendum cum Saccharo perlato & ſuccinato præbeo, ventris tormina ſic prorſus evaneſcebant, humorumque acrimonia temperabatur; attamen vigiliæ aliaque multa ſemper vexabant, itaque poſt quartum à primo lactis aſinini uſu diem, conſilio cum tribus Clariſſ. atque Celeberr. Medicis inito, Enema injici curo ex Decocto ſuprà memorato, addita Philonii Romani largiori doſi; Linimento è Cerato Santalino, unguento Comitiſſæ, Oleo cidoniorum, macis ſtillatitio & pulveribus quibuſdam aromaticis confecto totum Abdomen calidè inungo. Quibus peractis, dormiebat Illuſtriſſima per duodecim circiter horas nullo per totum id tempus urgente fluxu, expergefacta omnia bene procedebant quandoquidem præcipua ex parte evanuerant ſymptomata, Delirium ſc. Alvi fluxus, Oculorum obnubilatio & difficilis Auditus; unde patebat acrimonia humorum, lacte adhibito, temperata, ſicque ut & aliis mediis evacuata non impoſſibile jam eſſe, aut ſaltem ut priùs tam periculoſum ejus ulteriorem curſum inhibere, itaque in Enematum exhibitione pergo, ut & poſtea Pilulas Cathecu Anodinas è Clar. Hagendhornio ſuprà deſcriptas ſingulis diebus vesperi devorandas trado. Superveniente etiam tuſſi ſicca, à ſola faucium irritatione per ſalia peccantia nondum in totum correcta illuc depoſita, adjicio Tabellas terræ Catechu anodynas & corroborantes è Terra Catechu, Confectione Alkermes, Pulvere Anodyno Illuſtriſſ. Daniel. Ludovici in pauca quantitate, & Saccharo in aqua fæniculi diſſoluto. Sic in totum brevi convaleſcebat Illuſtriſſima à morbo deſperatiſſimo, omnibuſque remediis propè majori. Per totum morbi decurſum potus fuit primùm aqua pullorum additis ſem. frigidis major. poſtea tinctura roſarum rubr. & flor. papaveris rhæados, admiſtis ſyrupis idoneis. Cibus erat juſculum avenaceum vel ſimplex è carnibus, vel panatella tenuis, aliquando condita quæpiam, & gelatinæ. Hic non addo pulverem Pannonicum & alios, gelatinam cornu cervi compoſitam aliaque multa per uſum medicamentorum memoratorum exhibita, ſufficiat præcipua & indicationibus morbi maximè accommoda attigiſſe.

Cap. VI.

De Fluxu Hepatico.

I. F*Luxum Hepaticum* vix nomino, quia falſus eſt, deceptique, prout illum deſcripſere, Veteres. Nihil enim aliud eſt quàm apertio arteriarum ſplenicarum, id eſt mihi, hæmorrhoïdalium ſuperiorum. (*a*)

II. In regionibus frigidis rarò periculoſus, in calidis ſemper.

III. *Curatur* medicamentis Anti-Dyſentericis. *(b)*

IV. *Obſervatio.* D. Johannes Provooſt, vir probus & honeſtus, nunc Mercator, antea Machaonis filius, patiebatur ſanguinis copioſum fluxum; dolebat illi regio umbilicalis aliquo modo. Præſcripſi ipſi mixturam narcoticam; deinde hauſtulum hunc laxantem:

℞. Rhei elect. drachm. ij. ſ. Sem. aniſ. ſcrup. i.

Coq. ex aq. borr. in Col. unc. ij. ſ. Diſſolve.

Syr.

(a) Liquor qui exit inſtar carnium lotura eſt; ſine mordicatione, non tamen abſque dolore gravante, cum palpebrarum inflatione, pedum tumefactione, excrementiſque crudis excernitur: vigiliæ nimiæ ſapè ægris hoc fluxu laborantibus urgent: à ſero copioſo ſanguini admiſto vaſaque relaxante deducunt plurimi.

Si verò ſanguis purior ſine dolore & exulceratione excernatur, ut ex obſervatione Cl. Authoris conſtat; nothus ſeu ſpurius dicitur, vocaturque tum fluxus alvi ſanguineus: oriturque ſæpiſſimè, vel ob plethoram, vel ob vaſa ſanguinea rupta.

(b) Quia à ſero copioſo ſanguini admixto vaſaque relaxante hunc affectum ut plurimum deducunt, ſatis ſuperque patet ſerum eſſe minuendum, nempè per ſudorifera & diuretica roborantibus auſteris mixta; nimio aqueorum potu prius interdicto, ut copioſum ſerum minuatur ortuſque illius novus praecaveatur, nec non partes jam affectæ corroborentur: tumque ad narcotica deveniendum; ſed nota; *levibus adſtringentibus, corroborantibus mixta.*

Sennertus valdè commendat decoctum cydoniorum; imprimis verò conveniet, ſi cum paſſulis agrimoniâ (vide Poterium ſpagyr. pharmacop. p. 328.) ſemine plantaginis & urticæ præparatum ſit.

Maximè quoque commendatur Tinctura martis adſtringens, corallorum ſulphuris vitrioli, &c. item ſal corallorum quod ab Hartmanno in praxi chimiatricâ, p. 118. cap. 150. omnibus aliis

Syr. roſ. ſol. cum Senna unc. i.

M. S. F. Hauſtus. Tres intrà dies melius habuit, & multis abhinc annis alacriter vixit vivitque. [*e*]

CAP.

aliis præfertur remediis.

(*e*) *Practicus quidam feliciſſimus hoc in affectu poſt ſudoriferum unum alterumvè (ex mente Varandæi) exhibitum, ſequentes uſurpat tabellas.*

♃. *Spec. diatrion. ſantal.*
Corall. rubr. præpar.
Sem. plantag. ana drachm. j.
Rhabar. optim. pulv. drachm. ij.
Sacc. roſat. unc. IV.
Aq. cinam.
Plantag. an. q. ſ.
F. ſ. a. Tabellæ num. XVI.

Harum tres de die exhibet; aliquando ſequens electuarium.

♃. *Rob. paſſular.*
Miv. cydonior.
Conſerv. roſar. rub. antiq. an. unc. j.
Diaſcord. Fracaſtor. drachm. v.
Spec. diatrion. ſantal. drachm. j. ſ.
Cornu cervi præpar. drachm. j.
Croci martis adſtrin. ſcrup. ij.
Syr. myrtin.
Cydon. an. q. ſ.
M. F. Electuarium.

De hoc electuario uſurpent ægri ad caſtaneæ magnitudinem, ter quatervè de die.

Adoleſcentula quædam, dum hæc ſcribo, à duobus ad minimum annis *fluxum* patitur perpetuum, falſo ut bene advertit Clar. Author *hepaticum* dictum, ſine ulla tamen virium deperditione aut carnium diminutione ſenſibili. Sæpius ipſi exhibui medicamenta hæmorrhagias ſiſtentia, opiatas corroborantes & adſtringentes, purgantia è rhabarbaro, &c. cumque omnia in caſſum adhiberentur pro ſiſtendo hoc fluxu, ſemper poſt aliquot dies recurrente, minusque etiam malè ex eo haberet morbum ſibi ipſi naturæque permiſi.

CAP. VII.

De Ileo.

I. ILeos (*a*) eſt retentio Chyli & fęcum in inteſtinis, tam tenuibus quam craſſis. (*b*)

II. *Partes affectas* dixi (*c*)

III. *Cauſa*

[*a*] *Latinis* volvulus, *vulgo* miſerere mei; *quibuſdam etiam* χορδαψὸς *quia chordam quaſi tenſam inteſtina repræſentant.*

(*b*) *Summis cum cruciatibus, & quandoque vomitu affligens.*

Meliùs Ileum definiret Clar. Author. Motum inteſtinorum inverſum in quo poſtquam fæces in inteſtinis fuerint retentæ, tandem illæ per os unà cum chylo rejiciuntur.

(*c*) *Sic G. Fab. Hildanus Centur.* 1. *ob-*

III. *Cauſa* [*d*] fere ſemper bilis eſt, quæ nunc acrior dolorem cauſat [a] atque inflammationem motumque inteſtinorum inverſum; nunc craſſior alvum non movet, unde fæces indurate. [b]

IV. *Dif-*

obſerv. 61. p. 49. obſervavit principium & originem hujus affectus fuiße circa inteſtinum cæcum: ſicque ibidem diſcurrit: Quamobrem exiſtimo valvulam (quam in principio inteſtini coli Cl. D. Bauhinus invenit) primum ex inteſtini cæci inflammatione adeò contrahi & conſtringi, ut planè nihil excrementorum permeare poſſit: ſicque accreſcere inflammationem, ut tandem totum inteſtinum ileum, ut & circumjacentes partes, gangræn â & ſphacelo corripiantur: ut obſervavi in omnibus quos hactenus diſſecui.

[*d*] *In omnibus ferè hoc affectu extinctis cadaveribus diſſectis Accuratiores invenerunt, vel inteſtini gangrænam (ut teſtatur quoque Riverius Centur. 3. obſerv. 26. p. m. 227.) vel inteſtini tenuis coarctati ingreſſum in partem proximam* flatu *prius turgidulam.*

Sic aliquando pituitam, [ut Hippocrates Lib. de glandulis Text. [illegible] p. 420. probat] exulcerationes grandes, humoreſvè acriores, flatuſvè, &c. miſerabilis hujus affectus cauſas exiſtere poſſe, quis non videt?

Inter cauſas externas *numerant imprimis aërem nimis calidum exſiccantem, quatenus bilem copioſiorem acrioremque reddere valeat. Item lethalia medicamenta & venena; nec non fabarum, piſorum, cydoniorum, meſpilorúmque, &c. immoderatum uſum.*

[a] Cauſa doloris exquiſitiſſimi huic morbo ſupervenientis aliquando procedit ab inflammatione partis alicujus inteſtinorum quæ inter cauſas morbi recenſetur; aliquando & ſæpius oritur ille ex præpoſtero & inverſo inteſtinorum motu; quod ut pateat, advertendum ſinus atque cellulas plures in inteſtinis efformari, mediantibus valvulis ab Illuſtr. Kerkringio demonſtratis, ut & in inteſtino Colo ope fræni per totam ipſius longitudinem protracti: advertendum præterea valvulas, ut & rugoſitates ſinus memoratos conſtituentes ejus eſſe ſortis, ut ad deſceſſum fæcum quàm aptiſſimè conducant, regreſſum impediant; itaque recurrentibus illis fecibus, per inverſionem motus periſtaltici ſeu vermicularis inteſtinorum vis magna infertur illorum valvulis & rugoſitatibus, unde intolerandus dolor; Ille uni parti inſtar terebelli aliquando infigitur, cùm princeps, ut ita dicam, aliqua valvula præcipuè afficitur, qualis illa quæ ad initium Coli appoſita excrementorum ad Ileon regreſſum impedit.

[b] Cauſa inverſionis motus inteſtinorum periſtaltici ut plurimùm hæc eſt; A Pancreate, Ductibus bilariis, Glandulis per totam inteſtinorum fiſtulam poſitis, in tenuibus quidem racematim, in aliis aliter, ex hiſce, inquam omnibus partibus poteſt in inteſtinorum cavum deduci ſeu expui liquor varia acrimonia peccans, prout illius materia varia à ſanguine illuc devecta fuerit, ſic vellicantur inte-

IV. *Differentiæ.* Hic provenit ab inflammatione ; ille à fecibus induratis ; (*e*) tertius à motu inteſtinorum inverſo. (*f*)

V. *Signa Diagnoſtica. Inflammationis* ſigna ſunt febris continua, (*g*) Vomitus, (*h*) Calor circà umbilicum, dejectio nulla : *Excrementorum induratorum* ; [*i*] Ventris dolor gravativus ; vomitus minus frequens, præſertim ab initio ; anxietas præcordiorum ; febris mitior,

inteſtina ſpirituſque in fibris contenti efferantur, & in motus prorſus inordinatos cientur. Præterea, ut habet Illuſtr. Sydenham, ex tumultuante ſanguine in febre nuper concepta, in ventriculum aliquando & proxima inteſtina deponuntur humores acres & maligni, ex quibus ventriculus primò motum ſuum invertere ac violento impetu materiam moleſtam in eo contentam per os rejicere cogitur : Ventriculi tandem motui validiori, inteſtina tenuia ipſi continua jam debilitata cedunt, & cum his demum majora in conſenſum trahuntur, vomituriente ventriculo quaſi choream ducente. Atque hæc dicta ſunto de cauſis veri, atque exquiſiti Ilei, non verò de Ileo Notho qui originem ſuam trahit, ut habet Clar. Author & ejus Commentator, vel à pituita inteſtina obſtruente, vel à fæcibus induratis idem malum efformantibus, vel ab intruſione portionis alicujus inteſtini in cavum alterius flatibus dilatatum, vel ab hernia, &c.

(*e*) *Fæces induratas, ut & inflammationem, gangrænámque aliquando ab herniâ inteſtinali* (*enterocele*) *proveniſſe teſtantur Practici plurimi ; cujus rei exemplum videſis apud* G. *Fab. Hildanum Centur.* 6. *obſerv.* 27. *p. m.* 545.

(*f*) *Alius à* ſtranguriâ ; [*ut teſtatur Hippocrates Aphor.*44. *ſect.*6.] herniâ [*ut ex Clar. D.Hildano ſtatim allegavimus*] *alius ab* ulcere *&* aliis tumoribus duris *inteſtinum quoddam comprimentibus, fæcumque tranſitum ſanguiniſque in illis partibus motum prohibentibus ; alius à* flatibus, *ut conſtat ex Hippocrate Lib. de flatibus Text.* 14. *p.* 407. *& Cl. D. Th. Fieno tractat. de flatibus.*

Præcipua differentia & in praxi maximè neceſſaria, in eo conſtituitur, quod Ileus alius ſit verus ſeu à totali motus inteſtinorum periſtaltici per cauſas memoratas inverſione, alius nothus à cauſis pluribus itidem deſcriptis productus.

[*g*] *Intenſa, dolor vehementiſſimus.*

[*h*] *Et quidem bilioſi pituitoſique humoris præſertim in principio brevique tum fæcum per os rejectio ut plurimum conſequitur.*

(*i*) *Alvi adſtrictio præceſſit per plures dies perſeverans ;* (*ut conſtare quoque poteſt ex obſervatione Cl. Auctoris* §. IX.) *dolor in principio nullus ; in progreſſu gravativus, ut teſtatur Auctor, & obtuſior quàm ſi ab inflammatione. Vide ſis apud Hippocratem Lib.* 3. *de morbis Text.* 15. *p.* 105. *& Lib. de internis affectionibus Text.* 47. *p.* 245.

 (*k*) *Imò*

mitior, (*k*) excretio nulla. *Motus inteſtinorum inverſi*; Vomitus continuus aſſumptorum ciborum, potuum, medicamentorum, imò Enematum, ſuppoſitoriorum, fecum. (*l*)

VI. *Prognoſtica.* Omnis ileos periculoſus morbus eſt, ſed à fæcibus cauſatus induratis, reliquis curatu facilior. (*m*)

VII. *Indicationes curativæ.* (*n*) Dolor mitigandus, ſed narcoticis nequaquam; niſi fortè in inflam matione, quæ melius corrigitur refrigerantibus & ſudoriferis. Inteſtina inverſa priſtino loco reſtituenda. (*o*) Fæces induratæ emolliendæ, &

(*k*) *Imò aliquando nulla.*

(*l*) *Ut & extremorum totiuſque corporis frigiditas* [*ut conſtat* III. *Popular. ex ægroto nono*] *& urinæ ſuppreſſio, podiciſque introrſum retractio, &c.*

Si gangręna *jam aderit, cognoſcitur ex eo, quod dolor ſtatim ceſſet.*

Si à flatibus, *ſigna doloris colici præceſſêre; ſi ab* herniâ, ulcere, *aliiſque* tumoribus duris: *propria tum uniuſcujuſque affectus ſigna prægreſſa fuere.*

In ſignis Diagnoſticis præſertim videndum quænam denotent Ileum verum, quænam verò nothum, quoniam Ilei veri alia prorſus eſt cura quàm variarum nothi ſpecierum; ſignum autem evidens & demonſtrativum Ilei veri hoc eſt, quod enemata per ſuperiora, ſtatim propè ac injecta, rejiciantur aliaque adſint quæ optimè explicat Clar. Author. Signa variarum ſpecierum Ilei Nothi fusè deſcribuntur à Clariſſ. Authore & Doctiſſ. ejuſdem Commentatore illis itaque nihil eſt quòd addam.

(*m*) *Ut & ille qui à flatibus ortus; aſt ſi ſit cum vomitu biliosi & pituitoſi in principio, lethalis à Galeno lib. 6. de Locis affectis cap. 3. p. m.* 770. *dicitur, ab ulceribus & tumoribus vix curabilis, imò incurabilis ille ileos exiſtit.*

Hippocrates Aphor. 44. *ſect.* 6. *ajt; Quibus à ſtranguriâ volvulus ſupervenerit, intrà ſeptem dies moriuntur, niſi febre ſuperveniente copioſa urina fluxerit: quod ipſemet adhuc confirmat Coac. Pranot. Tit.* III. 314. *p. m.* 568. *teſtaturque hoc idem C. Celſus Lib.* 2. *cap.* 8. *p.* 70. *&* 74. *& Aphor.* 10. *ſect.* 7. *ab ileo, inquit, vomitus, vel ſingultus, vel convulſio, vel delirium, malum: quibus Coac. Pranot. L. C.* 303. *ſurditatem adjungit Hippocrates, inſpiciatur quoque* 1. *Prædictor. Text.* 22. *p.* 485. *& Lib.* 3. *de morbis Text.* 15. *circa finem, quod ſi volvulo ameto, febris ipſum corripiat, deſperatus eſt: fiunt ut plurimum autumno, teſte Hippocrate, Aphor.* 22. *ſect.* III.

[*n*] *Iudicio pollentibus ſufficient cauſa & differentiæ.*

[*o*] *Videatur quoque L. Riverius Prax. Lib.* 10. *cap.* 2. *p.* 456. *& Clar. D. Fr. De le Boe, Sylvius praxeos Lib.* 1. *cap.* 15. Quoties autem, *inquit*, pars inteſtini inferior ſubit ſuperiorem, toties aut ſpontè per aſſumpta alimenta, aut arte per pilulas plumbeas,

& quamprimum fieri poteſt educendæ. [c]

VIII. *Curatio.* (*p*) In inflammatione prodeſt Venæſectio, cætera ſummè nocet. In fæcibus induratis vix novi morbum qui fortia fert purgantia. Proſunt inunctiones, (*q*) balnea. In motu inteſtinorum inverſo hæc eadem conveniunt medicamenta. [d] Cucurbitulæ magnæ non ſcarificatæ umbilico impoſitæ quibuſdam dicun-

as, aureaſvè (*cum oleo olivarum vel amygdalar. dulcium*) deglutitas, curationis ſpes ſupereſt, non item, quando pars inteſtini ſuperior ingreditur inferiorem, quoniam ſenſim ulterius pergit pars concluſa, unde augetur magis magiſque anguſtia, omniſque præcluditur contentis deſcenſus; *ultimo hoc in caſu, ut & in facibus induratis, convenire poſſet follis fabrilis ano adaptatus, cujus beneficio ſuperior inteſtini pars ingreſſa, flatus immittendo, inteſtináque diſtendendo, in naturalem locum reſtitui, extractóque folle clyſter adhiberi poßet; ut docet Hippocrates Lib. 3. de morbis Text. 15. circa medium p. 106. & Zacutus Luſitanus Lib. 2. Admirand. Prax. obſervat. 28. p. m. 199. 200. & 201. Qui ibidem quoque plurimorum Authorum judicia de hâc curationis methodo collegit: maximè hoc remedii genus Aurelianus improbat ob frigiditatem aëris: ſed facilè hoc incommodum evitare eſt, ſi juxta ignem, ut Riverius ſuadet, follis aëre impleatur.*

[c] In Ileo verô haſce ſibi proponit Indicationes Illuſtriſſ. Sydenham. Primò ut contrarius Ventriculi motus, qui ſimilem motum in inteſtinis efficit, impediatur. Secundò ut inteſtina acri humore debilitata, corroborentur. Tertiò ut ventriculus ac inteſtina ab iſtis humoribus liberentur.

(*p*) *Item curationem vide ſis apud Hippocratem Lib. 3. de morbis. Text. 15. L. C.*

(*q*) *Quæ ſequenti vel ſimili modo praſcribi poßunt:*

℞. *Unguent. de arthanit. unc. j.*
Dialth.
Ol. chamomill. ana drachm. vj.
Angel. dulc.
Lilior. alb.
Diacolocynth. Querc. ana unc. ſ.
Butyr. recent.
axung. human. ana drachm. vj.
M. F. Linimentum, ventri inungendum.

Quidam omentum & inteſtina calidiſſima ex vivo animali ante ægri cubiculum mactato extracta imponunt abdomini cum linteis calidis; & ſi dolor non remittat, reiterant poſt horam.

Ventris dolorem ex ileo curavit M. Rulandus. Centur. VII. obſerv. 74. p. m. 538. ſacculo ex ſtercore ſuillo aceto decocto confecto ventrique impoſito. Cui ſi ſtercus caprillum (vide I. Rulandi pharmacop. novam in quâ repoſita ſunt ſtercora & urinæ p. 8. 39. 64. 101. 128. &c. addatur, efficacius, imprimis ſi umbilicus primo inungatur Zibethâ, operabitur.

[d] Ileum verum ſic curat Illuſtriſſ. Syden-

dicuntur profeciſſe. Non audeo hic de ſectione, quæ multos forſitan ſalvaret, loqui. (r) Clyſteres ubique proſunt. (ſ)

Inte-

Sydenham. Primò, *inquit*, ſalis abſinthii ℈j. ex cochleari uno ſucci limonum mane, & ſero ſumendum præſcribo, intermediis verò temporibus aquæ menthæ ſtillatitiæ ſine Saccharo, aliovè quovis additamento cochlearia aliquot bis quaque hora propino, cujus vel ſolius repetito uſu, & vomitus & dolor ex eo natus ſubito evaneſcent. Dum hæc fiunt catulum viventem nudo ventri indeſinenter accumbere jubeo. Poſtquam verò dolor cum vomitu per ſpatium diei unius, vel alterius omnino ceſſaverit, tum pil. coch. maj. ʒj. in aqua menthæ diſſolutam exhibeo, quam etiam aquam (quo certiùs vomitus recurſum præcaveam) toto catharſeos tempore ſæpius ſumendam injungo. Neque Catulus removendus, antequam uſum pilularum æger aggrediatur.

Obſervavi fruſtra pilulas iſtas, vel quodvis aliud Catharticum, utcunque forte propinari, donec ventriculo corroborato, atque adeò ad motum naturalem reducto, inteſtina etiam ad proprium motum æquè reducta fuerint. Aliàs enim Cathartica omnia intus aſſumpta Emetica evadent, & plus damni quàm commodi inferent. Inde eſt quòd remediis purgantibus viam facere non aggredior, donec per ſpatium quoddam medicamentis iſtis ventriculum reſpicientibus uſus fuerim.

Victum valde tenuem ægro præſcribo, ita ut non niſi cochlearia aliquot juſculi ex pullo gallinaceo parati ſorbenda bis vel ter in die permittam. Interim verò ut per totam ægrotationem in lecto decumbat jubeo, donec perfectæ ſanationis ſigna appareant, ac etiam poſt ſanationem per longum tempus in prædictæ aquæ uſu perſiſtere, & laneis duplicatis ventrem à frigore bene defendere impero, quò minùs recidiva fiat, cui hic affectus præ omnibus aliis eſt obnoxius.

Pauca hæc univerſam meam in curando hoc affectu methodum exhauriunt, quam à nemine conſultô ob ſimplicitatem ſuam & ſplendidioris, ſive verborum, ſive pharmacorum apparatus defectum, aſpernatum iri confido.

Hæc ille accuratiſſima ſanè & in praxi maximè comprobata.

Circa curam variarum Iliacæ Affectionis Nothæ ſpecierum, vide Clar. Authorem, ut & Doctiſſ. Commentatorem, qui multa præſcribunt exquiſitiſſima remedia.

(r) *Qua de re inſpiciatur Clar. Authoris anatomia practica.*

(ſ) *Ex. gr.*

℞. *Rad. alth.* &
Malv. cum toto ana unc. j. ſ.
Flor. chamom.
Nymph.
Sambuc. ana p. ij.
Sem. cumin. unc. ſ.
Lini.
Fœnugr.
Lumbricor. terreſtr. contuſ. [*ex mente D. Wieri*

Inteſtinis inflammatis:

♃. Fol. Semperviv. major. Taraxaci an. P. ij. Tartar. rhenan. drachm. v. Tamarindor. unc. j. Sem. melon. drachm. iij.

Coq. ex aq. hord. in Colatur. lib. j. ſ. Diſſolve.

Syr. roſ. ſol. ſimpl. unc. ij. ſ. M. S.

Vel

♃. Aq. prophylactic. unc. j. ſ. roſac. unc. ſ. Card. bened. unc. iij. ſ. Succ. ſemperviv. major. depurat. unc. j. Bezoardic. miner ſcrup. j. Syr. de portulac. drachm. xij.

M. S. Bibat cochleatim, ſudetque. Fæcibus induratis:

♃. Trochiſcor. alband. gr. iv. Diagrid. gr. xv. Tart. vitriolat. gr. vj. Sal prunell. Crem. Tart. an. ſcrup. j.

M. S. F. Pulvis pro una doſi. (*t*)

Vel

♃. Rad. Altheæ unc. j. Fol. Malvæ M. j. Sennæ drachm. x. Agaric. trochiſcat. Rhei elect. an. unc. ſ. Tamarindor. Tartar. crud. an. drachm. vj. Sem.

D. Wieri, Hildani, & Tielemanni) ana unc. j. Decoquantur ex aquâ hordei Colaturâ podex foveri poteſt: vel ex ejuſdem unc. viij. add.

Ol. diacolocynth. Q. unc. ſ.
Lilior. alb. unc. j.
Salis nitri drachm. ſ.
M. F. Clyſter ſæpius reiterandus.

Addi adhuc poteſt trochiſc. alband. ſcrup. ſ. vel pulp. colocynth. in petiâ ligat. ſcrup. ij. & unà cum ſuperioribus decoqui, ſi neceſſitas urgeat, admodum convenit.

Vel

♃. Ol. lini.
Rapar. ana unc. v.
F. Enema tepidè injiciendum.

In curatione hujus periculoſiſſimi affectus primas omninò tenet mercurius crudus benè depuratus: Apud L. Riverium Franciſcus Chomel in obſervat. communic. obſerv. 1. p. m. 316. eundem cum ſulphure extinctum, & in formam pulveris redactum, ad unciam unam in globulo ceræ incluſum cum ſucceſſu exhibuit: Ab Avicennâ, A. Paræo, Zacuto Luſitano, L. Riverio, &c. maximè commendatur mercurius crudus ad uncias duas. Conveniunt quoque globuli ex regulo antimonii. Fr. Joël Prax. Lib. 4. ſect. 2. cap. 6. p. m. 175. & Ioh. Jonſtonus Lib. 8. Prax. cap. 2. artic. 1. p. m. 517. aliique ſanguinem veſpertilionis commendant; qui mirificè conducere creditur, ad inflammationem doloremque ilei ſedandum.

Ab Hartmanno cap. 147. p. 185. maximè commendatur oleum ſaturni ad gutt. 5. aut 6. cum vino generoſo exhibitum; ut & ejuſdem balſamum, paratum ex olei illius partibus duabus & roſacei parte unâ ſimul mixtis in marmore, ventri inunctum.

(*t*) *F. Joël L. C. & alii à violentis vehe-*

Sem. lini drachm. ij.

Coq. ex aq. hordei, in Colaturæ unc. xxv. Diſſolve.

Syr. Diacnic. unc. j. ſ. El. è ſucco roſar. drachm. vj.

M. S. F. Apozema. (*u*)

Bibat æger ſingulis bihoriis Vncias ſex, donec alvus reſponderit. Interim aſſumat iura pinguia, inungatúrque venter Vnguentis vel oleis emollientibus; Altheæ ſcilicet, de mucilaginibus, &c.

Pilulæ Iliacæ Rhaſis, quarum deſcriptio ex Valerio Cordo & Dedonæo legere eſt, magnæ hìc ſunt efficaciæ.

Iiſdem medicamentis curatur Volvulus, id eſt, motus inteſtinorum inverſus; præterquam globuli plumbei, argentei, aurei, laborantibus ore deglutiendi exhibentur.

IX. *Obſervationes.* Honeſta Matrona N. le Roux ſanguinea, & plus quam quinquaginta annos nata, Groeningam inter & Amſtelodanum procellis agitata, ſeptem integris diebus nihil deiecerat. Domum reverſa petiit à me purgans, quod præſcripſi; præeunte Clyſtere; ſed vomitu reiecit purgans, nihilque effecit enema. Altero, octavo nempe die ſubſequentibúſque, varia aſſumpſit medicamenta per Epicraſin purgantia, eaque fortiora; ſed triſti eventu. Morbi vigeſimo primo die, dicebat inteſtinum aliquod crepaſſe, mens nihilominus optimè conſtabat. Vigeſimoſecundo fatis ceſſit. Vigeſimotertio diſſecui cadaver, nec quicquam vel circà ventriculum vel in inteſtinis tenuibus poteram reperire, quod morbi cauſam indicaret, & mirabar. Cum obſtetricis præſentis ergò uterum voluerim explorare, vidi inteſtinum colon non procul ab inteſtino recto ſphacelatum tunicaſque diſruptas.

2. Pauperrimus quidam Walo morbo hoc Miſerere mei dicto, ſummo cum dolore periit. Aperto cadavere ſeptem diverſis in locis inteſtinum ileon vidimus ita convolutum, ut cibis, potui,

vehementérque purgantibus in hoc malo omninò abſtinendum eſſe judicant, quia flatus excitant malumque augent.

(*u*) *Sequens potio laxans, emolliens, doloremque ſedans à nonnullis maximè laudatur.*

℞. *Ol. amygd. dulc. unc.* j. ſ.
Pulv. caſſ. recenter extract. unc. j.
Syr. papav. errat. unc. ſ.
Seri lactis caprin. unc. iij.
M.

(*a*) *Potius*

tui, fecibus, omnis ne ceſſe fuerit denegari tranſitus.

3 Vxor Mercatoris N. Muys à fæcibus induratis undecim continuis diebus alvum habebat adſtrictam; purgavi illam ſuprà dicto Apozemate, & illo ipſo die eſt curata. Idem evenit virgini cuidam, quæ fruſtula aliquot panni deglutiverat. Laborabat menſtruorum ſuppreſſione.

CAP. VIII.

De Dolore Nephritico.

I. D*olor Nephriticus* eſt ſolutio continui renum membranarum (*a*)

II. *Partes affectæ* ſunt membranæ in conſenſum trahentes totam ſubſtantiam renum, tubercula, pelvim, ureteres & veſicam, imo ventriculum & inteſtina. [a]

III. *Cauſa* eſt Lympha acrior & ſeroſior, interdum craſſior, exque illâ cauſatus ſæpè calculus; (*b*) nihil enim in tota rerum natura facilius concreſcit, quam materia ſeroſa, id eſt ſalina. [b]

IV. *Dif-*

(*a*) *Potius dolor nephriticus oritur à ſolutione continui renum membranarum: nam dolor non eſt ipſa ſolutio, ſed dolor à ſolutione oritur.*

Alij definiunt per lumborum dolorem cum vomitu nauſeâve affligentem ex ſolutione continui, vel diſtractione contigui renum membranarum, earumvè corroſione à materiâ acriori ſalsâ, &c. ortum.

[a] Inteſtina & ventriculus in conſenſum trahuntur in doloribus nephriticis propter connexionem quæ intercedit inter Renes & inteſtina, Ren dexter ſc. Inteſtino Colo, Siniſter verò Cæco connectitur, ea de cauſa difficillimum eſt dignoſcere dolores nephriticos à doloribus colicis, de quibus tamen vide in ſequent. Clar. Deckers doctiſſimè differentem.

(*b*) *De generatione calculi videatur Helmontius, Untzerus; Franc. Collutius, Beverovicius, &c.*

Hippocrates adſcribit faci (tartaro) ſanguinis ut materiæ, pituitæ viſcidæ, ut glutini; calori ut cauſæ efficienti: Lib. 4. de morbis Text. 28. *p.* 153. 154. *& ſeq. & Lib. de naturâ humanâ Text.* 24. *p.* 278. *circa medium.*

[b] Cauſa doloris nephritici aliquando eſt in renum inflammatione, quæ ſanè rarò accenditur per ſe, poteſt tamen aliquando ex caſu vel ictu fieri; textura ſc. renum ſic vel lacerata, vel alia ratione alterata, unde perturbata ſanguinis per illud viſcus diſtributione, ut & ſeri in illius glandulis ſeparati per propriam ſubſtantiam tubulatam in pelvim, ureteres, & veſicam rejectione aggeruntur illa & fermenteſcunt.

(*c*) *Ipſi*

IV. *Differentiæ.* Nunc provenit à Lymphâ acriore, nunc à calculo.

V. *Signa Diagnoſtica.* Calculum à Lymphâ diſtinguere vel experientiſſimo Practico difficile eſt, (*c*) ſigna enim ſibi valde ſunt ſimilia. Conqueruntur de lumborum dolore & ardore, vomunt craſſa & bilioſa, ſi ventriculus malè ſit conſtitutus; ſi benè, nauſeam patiuntur & inanes evomendi conatus, quod notandum. Plerumque illum comitatur Colica Paſſio, quam Galli *Colique Graveleuſe* vocant. Sæpè mingunt urinam cruentam, æſtate præſertim, vel poſt motum vehementiorem: quidam non niſi guttatim mingunt, quibuſdam urina eſt ſuppreſſa. [e]

VI. *Prognoſtica.* Dolor nephriticus à calculo difficilior eſt curatu,

(*c*) *Ipſi Galeno contigit, ut ipſemet fatetur Lib. 2. de locis affectis cap. 5.*

Colicus dolor à nephritico diſtinguitur ſequentibus: Primò, *dolor gravativus in lumbis conſtans & perpetuò affligens (ſi nempè ex calculo) acerbius tamẽ corpore inclinato, vel pede fortius in terram alliſo: teſticulique lateris affecti retractio: colicus verò dolor magis vagus eſt.* Secundò, *decubitus in partem affectam intolerabilis eſt in nephritico; non item in colico.*

Tertiò, *colicus dolor poſt paſtum augetur, nephriticus verò minuitur.*

Quartò, *in dolore colico, majus levamen emergit ab excretionibus per alvum & vomitum, quam quidem in nephritico dolore.*

Quintò, *urina primum clara tenuis, & pauca, cruentavè, poſteà verò aliquid fundum petit & tandem arenulæ aut lapilli excernuntur in dolore nephritico: in colicis verò urinæ ab initio craſſiores excernuntur, fiuntque.*

Sextò *ſtupor cruris è directo renis laborantis: de quo ſtupore videatur Cl. Riverius Lib. 14. cap. 1. p. m. 106. videſis quoque apud Galenum Lib. 6. cap. 2. p. 769. & 770. & apud Hippocratem Lib. 4. de morbis Text. 29. p. 155. nec non 6. Epidem. ſect. 1. p. 796. Aphor. 34. 35. & 36. ſect. 7. item ſect. 4. Aphor. 75. 76. & 78. ut & C. Celſum Lib. 2. cap. 7. p. 60. & 61.*

[e] Signa Renis inflammati hæc ſunt; Primò ut plurimùm præceſſit cauſa aliqua evidens, ſc. caſus, ictus &c. Secundò adeſt ardor ingens, dolor gravis ac pulſans in ea inanitate quæ eſt inter extremam coſtam & coxendicem. Hic & vicinas partes quæ circum præcordia ſunt, circum lumbos, circum coxendicem & pubem, atque partes obſcænas diſtentione convellit; extremorum frigus perſentitur, mictio cum ardore atque labore frequens, principio tenuis & cruda, deinde craſſa atque mucoſa: alvus impedita & pigra. Hinc ventris diſtenſio, febris aſſidua, nauſea, ructatio crebraque vomitio.

(*d*) *Ex*

tu, (*d*) quam qui provenit à Lympha acriori. Vrinam cruentam ſi mingant, timent quidem ſibi & debilitantur, ſed levantur. Vrina craſſa melior eſt tenui. Hæreditarius vix curatur, in ſenibus difficulter, (*e*) in infantibus facilè curationem admittit ille, qui ulcere renum caret

VII. *Indicationes Curativæ* (*f*) Dolor mitigandus, Lympha ſeroſior temperanda; craſſior incidenda; calculus ſi ſit friabilis comminuendus eſt & expellendus, (*g*) magnus non movendus. [d]

VIII. *Curatio.* Corpus cacochymicum purgetur. (*h*) Venæſectio in dolore à Lympha acriore oriundo mirè convenit, præſertim in Plethoricis. Alterantibus & narcoticis plus profeci quàm

(*d*) *Et ni tempeſtivè cruciatibus à calculo excitatis ſuccurratur dolor ille continuus vires proſternit, vigilias infert, febres, urinæ ſuppreſſiones, vomitioneſque bilioſorum pituitoſorúmque, &c. excitat, maximúmque in periculum ægros conjicit.*

Inſpiciatur Hippocrates Coac. Prænot. art. 5. 71. & 72. p. 383. nec non 11. Epidem. ſect. 2. p. 690. circa medium, nephriticis hæmorrhoides ſupervenientes, bono ſunt: teſte Coac. Aphor. 11. ſect. 6.

(*e*) *Teſte Hippocrate Aphor. 6. ſect. 6. renum, & veſicæ vitia in ſenibus difficulter curantur, & 6. Popular. ſect. 8. p. 118. renum, inquit, affectiones non vidi ſanatas ſupra quinquageſimum annum.*

(*f*) *Alvus imprimis ſervetur laxa caſſiâ recenter extractâ, &c. vel clyſtere emolliente, anodyno, carminativo, ſtatim alvus ſubducenda.*

(*g*) *Poſt juſtam videlicet emollientium, laxantium, anodynorum, viaſque dilatantium, tam internorum quam externorum, uſurpationem.*

Maximè tum commendatur ſequens pulvis cum aquâ petroſelini, aliâve ſpecificâ exhibitus.

℞. *Sem. thlaſp. minim.*
Tartar. vitriol. ana drachm. j. ſ.
Ocul. cancr.
Sal. ſtipit. fabar.
Geniſt.
Ononid.
Stercor. columb. ana drachm. ſ.
M. F. Pulvis doſ. ad ſcrup. j. imò aliquando ad drachm. ſ.

[d] Inflammatio ſi adſit, illaque ex ſignis ſupra deſcriptis denotetur, remediis idoneis erit curanda.

(*h*) *Potius laxantia Authoribus dicta, quam propriè dicta cathartica, ut putat Cl. D. G. Rolfinckius in epitome methodi cognoſcendi & curandi corporis affectus: hæc enim cruciatus augêre calculúmque tantum commovêre, nihilque emolumenti ægris afferre, Lib. 3. cap. 19. de calculo renum & veſicæ affirmat.*

Nota; *aliquando calculus in ureteribus hæret comprimitque nervos muſculi pſoas, unde cruris ſtupor (ut ſuprà annotavimus) quo in caſu oſſi ilio circa iſtum locum magna imponitur cu-*

quam ullis aliis medicamentis. Clyſteres optimè hiç audiunt. Diæta ſit exacta. [e]

curbitula cum flammâ, unde calculus in veſicam truditur & ſtupor curatur.

[e] *De Signis calculi renalis, item de indicationibus, curationéque ipſis innixa hac habet Clariſſ. Groëvevelt.*

Signa calculi renalis pathognomonica, licet propriè nulla dentur, ſed æquivoca ſint, aliiſque morbis communia, illa tamen quæ majori ex parte diagnoſin ejus faciunt, ex praxi ſequentia obſervantur.

1 Dolor circa regionem lumbarem fixus omnino & ſtabilis, obtuſus quidem, & gravantis ponderis ſenſum inferens, cum in ipſo renum parenchymate, obtuſiore utpote ſenſu donato, calculus ſtabulatur, at ubi in caput ureteris ſeſe inſinuavit, acutus, lancinans, omniumque crudeliſſimus.

Quinque jam annis circumcirca elapſis ægrotus quidam Iſchuria laborans, conſilium noſtrum imploravit (urinam nullam emittebat) niſi quod vomitu ſurſum excernebatur, [urinalem quoque odorem expiratio præ ſe ferebat] quo continuato maximè debilitatus fuit, conſultis aliis non imæ notæ Medicis, multis remediis uſi fuimus, ſed fruſtra, vitam tandem cum morte mutavit; corpus ejus cum diſſectum fuerit, pelvis renis dextri majori calculo fuit oppleta, cujus pars inferior, papillæ in modum protuberans, ureterem omninò obſtruebat; capiti ureteris ſiniſtri acutus calculus adeò exactè erat infixus, ut renes utrique ſuo officio fungi neutiquam potuerint, atque adeò expiravit.

2. Spinam inflectendi difficultas, compreſſis ſcilicet diſtentiſque ejus nervis aut muſculis.

3. Calor lumborum moleſtus prorſum.

4. Stupor femoris cruriſque è directo, ob compreſſionem [à calculi grandioris pondere] muſculi, ψόα dicti, vel nervi in omnes crurum muſculos divaricati.

5. Teſticuli retractio è regione affecti renis, ob vaſorum [quæ à renibus ad teſtes vergunt] verſus ſuperiora adductionem.

6. Nauſea & vomitus, propter conſenſum ſcilicet renum cum ventriculo, qui fit, non tam mediante, ut volunt, peritonæo, cujus membranam utrumque viſcus participat, quàm quidem ob communem illum nervulum, à ſtomachico ſexti paris ramo, in propriam & interiorem renum tunicam implantatum.

7. Urina plerumque cruenta, laceratis apertiſque à calculi aſperioris attritione, venulis, per renis ſubſtantiam diſperſis, quin & quandoque, præſertim circa initia, tenuis, aquoſa, & parvâ copiâ prodiens, propter renis à calculo obſtructionem, quoties verò per ureteres in veſicam demittitur, urinæ craſſæ, turbidæ & aquoſæ ut plurimum excernuntur.

8. Calculos per urinas excretos, ut &

ut & arenas [non quæ vaſorum lateribus adhærent, ſed quæ ſtatim matulæ fundum petunt] unde ægroti notabile levamen ſentiunt, inter præcipua ſigna recenſeri vellem.

Sed quia tanta eſt ſimilitudo nephritidis cum dolore colico, ut non ſolùm ſæpiſſimè empiricum, ſed & Medicum rationalem falli contingat, diſtinctionis ergò hæc ſigna notari vellem.

Si ſupra renes ſit dolor, non ad renes, ſed ad inteſtina pertinet.

Dolor Nephriticus extrorſum vergit, nec ab eo loco unquam diſcedit, niſi cùm tophus, è nido ſuo excuſſus, delabitur in ureterem:

Colicus verò ſæpiſſimè peregrinatur, locum mutat, & per omnem inteſtinorum circuitum oberrat, inque pectinem declinat.

Nephritici à ſumpto alimento melius, colici verò pejus habent.

Hiſce nunc, ad calculi theoricam facientibus, propoſitis & præmiſſis, pergimus ad illa, quæ ex praxi, curationis nempe fonte, tam ad imminentem hoſtem avertendum, quam præſentem extirpandum afferri poſſunt.

In iis methodicè peragendis, triplex nobis occurrit ſollicitudo.

Prima ut cauſæ, ad calculi generationem quovis modo efficaces, tollantur, atque ità ejus generatio & augmentum diruatur.

Altera, ut calculus jam genitus deturbetur.

Tertia denique ut ſymptomata, dolor ille immanis demulceatur, & mingendi difficultas, quæ ſocia hic adeſſe ſolet, propulſetur.

Hæc procurabuntur medicamentis ſelectiſſimis ex fonte diætetico, pharmaceutico & chirurgico deſumptis.

In præcautione laborandum primò, ut materia remota, diætâ ſc. artic. 11. 12. inter cauſas dicta, ſedulò vitetur, & è contra *victus ratio conveniens in uſum trahatur.* Utendum igitur cibis qui ſunt facilis digeſtionis, parumque excrementi ſuppeditant, & attenuandi & incidendi vim habent.

Huic ſcopo accommodata ſunt juſcula vervecum aut caponum cum cherefolio, acetoſâ, hordeo & ſimilibus, præſertim vere decocta. *

Et ſi in morbo aliquo ſumma ſobrietas & moderatio, in hoc, adhibenda eſt,

Illud quod medium eſt, atque
inter utrumque probatur.

Quin & animi pathemata ſic moderanda, ut nullum ex illis exceſſu ſuo corpori noceat.

Progredimur jam ad materiam proximam, crudorum ſcilicet craſſorumque humorum ſaburram, ex inordinata diæta, aut aliâ quavis causâ imprudenter in corpore genitam, quæ, ne ad renes delabatur, revellenda & evacuanda, quem in uſum catharctica exhibere utile erit, ut ſunt Manna, caſſia, diaprunum, *&c.*

* *Aſſumant prandium, ſed non cœnam, hauſtum cereviſiæ alicujus tenuioris liberaliorem ſibi indulgeant, concretio enim calculi à liquore ejuſmodi hoc tempore hauſto multùm impeditur, refrigeratis ſcilicet ab eo renibus prolutiſque. Sunt verba* Sydenhamij.

Calculi enim Materia quò diutius ſanguine tepefacto circulatur, eò magis ad cohaſionem tendit. Liſter de Fontibus Medicatis Angliæ.

Vomitus quoque ſæpiùs iteratus conducit (maximè in iis qui comparati ſunt ad vomendum, quinque magnas primæ coctionis cruditates perſentiunt) qui ſi * *ſponte obvius*, medicamentis ad hanc rem accommodatis utendum.

Eo enim mediante noxius in corpore collectus humor feliciſſimo ſæpè cum ſucceſſu educitur, & ne ad renes irruat, protinus revellitur.

Si tamen quid iſtiuſmodi materiæ ad renes irrepſerit, confeſtim diureticorum ope excutienda erit.

* *Vomitus in Nephritide ab arenulis vel calculo nihil tantum flagitat quàm prælargam revulſionem per phlebotomiam, item Enemata, Emollientia, Diuretica & Lithontriptica.* Sydenham.

Huic autem ſcopo prævalet Therebintina, & ex ea parata Medicamenta. Amatus Luſitanus refert de Monacho quodam, Nephritide & Arthritide maximè afflicto, qui ejus uſu ab hiſce morbis liber evaſit. Egregium ejus præparandi modum ex Lev. Lemnio adfert Clariſſimus Beverovicius in ſuo de Calculo Tractatu.

Vinum album gallicum generoſum ignitis ſilicibus ſæpiùs affuſum, maximè materiam tartaream, antequam concreſcat in lapidem, è renibus expellit.

Quin & aquæ minerales, hîc apud Anglos Tunbrigienſes, apud Noſtrates Spadanæ plurimùm conferunt, quia incidente, diſſolvente, & abſtergente virtute ſunt præditæ.

Balneum aquæ fluvialis, corpore ad ultra lumbos uſque ei immiſſo, arenularum evacuationem, antequam litheſcant, promovet, maximè ſi pridie præmittatur catharticum aliquod appropriatum, & eâdem balnei die ſpecificum aliquod diureticum ſuſceptum fuerit.

Alter in curando ſcopus eſt, ut calculus jam genitus deturbetur.

Proſpiciendum tamen hîc benè, quòd ſi calculus major in renibus hæreat, protrudendus omninò non ſit, ſin minor & in ſinu potiſſimum, excludendus quantocyùs.

Protruſus enim grandior calculus in ureteres, atrociſſimo illo, qui comes ſequitur, dolore, motus ſæpè convulſivos & animi deliquia parit, adeò ut niſi dolor tam per intrinſeca remedia, quàm fomenta externa citò mitigetur, æger quandoque pereat.

Antequam verò minor calculus deturbetur, præmittenda enemata, quæ vias, per quas ipſi tranſeundum eſt, emolliunt & lubricas reddunt.

Quem in finem HENRICUS IV. Galliarum Rex ſæpiùs bolum aſſumpſit ex butyro recenti non ſalito, & ſaccharo cando mixtis, ſuperbibendo hauſtum vini oligophori.

Alii laudant ol. amygd. dulc. vel olivar. caſſ. ex fiſtula ſuctam, & juſcula pinguia largiori hauſtu ſumpta, &c.

Clyſmata, malactica dicta (quæ vel ex herbis, vel radicibus emollientibus parantur,) additis quandoque diureticis (vel ex puris oleis fiunt, ut ol. chamomill, lilior. amygd. dulc. &c.)

Medicamenta Anti-Nephritica.

Rad. Ireos, Eringii, gravaminis, liquiritiæ, ononidis, petroſelini, filipendulæ, Altheæ. Fol. Malvæ, Capillorum Ven. Cerefolii, petroſelini, Chamædrios, Chamæpiteos, leviſtici, naſturtii, ſaxifra-

&c.) ſummo cum levamine præſcribunt Medici: unde repetita injectione renalem dolorem mitigari voluit Avicenna.

Externè cataplaſmata, etiam ex emollientibus confecta, applicant, ut & varia fomenta ex ſimilibus parata, quibus refrigerantia connectunt, ne dolores intendantur.

Item ol. amygd. dulc. & ſcorp. cum ung. Alth. pro linimento adhibent.

Balneum quoque aq. dulc. cum herb. emol. additis iis, quæ calculum frangere dicuntur, efficaciſſimum ad vias relaxandas eſſe remedium, plurimis conſtat.

Hiſce peractis ulteriùs medicamenta præſcribuntur lapidis motum juvantia, qualia ſunt omnia, quæ urinam movent, & propriè diuretica dicuntur, quorum ingentem catalogum cùm apud Authores reperire ſit, ejus recenſione ſuperſedere libet.

Addere tamen & his, metu doloris, anodyna ſolemus, atque etiam, nequid incoctum in primis viis hærens ad renes deferatur, alviduca brevi antea porrigimus.

Quòd ſi hæc methodus calculum jam genitum non deturbet, utpotè in cæteris, ſic quoque in hoc caſu, extrema remedia erunt utenda, vomitorium nempe præſcribendum.

Hac enim ratione inferiora omnia quam maximè premuntur, quæ nullis medicamentis antea ſumptis, expelli poterant; notandum tamen ſpecifica diuretica vomitoriis eſſe addenda.

In grandiori calculo, cùm protrudi eum non licere, ſupra dictum, quid faciendum ſit, dictu reſtat.

An in rerum natura dentur remedia quæ lapidem durum perfectè diſſolvant, multi diſputant, totiſque viribus ſtrenuè inter ſe digladiantur.

Si calculus ſit friabilis, laxioris & mollioris ſubſtantiæ, ex muco & arenulis coagulatus, multiplici conſtat experientiâ quod talis conteri atque diminui poteſt.

Matthiolus atque Dodonæus virgam auream hunc in finem maximè commendant, chymici ſua ſalia, ut ononidis; milii ſolis, cortic. fabar. ut & ſal ex ovorum corticibus, ſal urinæ, calculi humani, lign. junip. fraxin. ſal ſuccin. volat. *&c.*

Palmam omnibus præripere videtur illud quod ex millepedibus conflatur medicamentum de quo vide Hartmannum.

Spiritum nitri calculos humanos extra humanum corpus exiſtentes, facilè ad multorum admirationem comminuere, certiſſimum atque nobis experientiâ comprobatum eſt.

Si in ipſo ſemine & ſanguine menſtruo calculoſa diſpoſitio latitârit, præter diætam, cura non eſt ſuſcipienda pharmacis ullis. Totius enim.

fragiæ, Sabinæ, Virgæ aureæ. [f] Schœnantum, ſpica. Flores Sambuci. Lupulus. Semina [*i*] 4. frigida majora, papaveris, mihi ſolis, aniſi, fœniculi, dauci, carui, ſeſeleos. Fructus Alkekengi. Fraga. Ficus. Hordeum. Lignum Heracleoticum, Nephriticum [*k*] Guajacum, Saſſafras. Caſſia lignea, Cinamomum. Therebinthina. Balſamus Sulphuris, ſimplex & aniſatus vel juniperinus, Copayvæ. Serum lactis. Dens apri. Lumbrici terreſtres. Tartarum, ex illoque compoſita omnia. Aquæ thermales. Oculi cancri. Aquæ ex her-

ſanitatis fundamenta in prima conceptione quaſi ponuntur, & futuræ ſanitatis, vel bona vel mala principia in fœtum derivantur.

[f] De foliorum Veronicæ uſu in Nephritide calculoſa ſic ſcribit Clar. Elſnerus Miſcellan. Curioſ. A. 1. p. 245. Veluti gutta cavat lapidem non vi, ſed ſæpè cadendo, ita non raro medicamenta ſimplicia & viliora ſubindè aſſumpta effectum relinquunt planè mirandum; Cujus ſchema oculis meis exhibuit ante aliquot ſeptimanas, Urſula ſutoris cujuſdam vidua, quæ calculum per 16. annos in rene aluit ſiniſtro, qui tot cruciatibus illam afflixit, ut viribus omnibus abſumptis, nil niſi ſcheleton vivum repræſentaret, & ob ſummum cruris ſtuporem, & renis in iſto latere dolorem, per totum illud tempus nunquam dormire potuerit. Tandem conſulenti aſſentiens, quotidie decoctum veronicæ, & quidem in ſatis magna doſi per tractum aliquem temporis aſſumſit, quo effecit, ut calculus priorem relinquendo nidum, alium quærens ad ureteres protruſus fuerit, ubi nimias anxietates excitans, ipſam inter mortis & vitæ diſcrimen conſtituit, tandem tamen aſſumpto largiori decocto veronicæ, veſica receptaculo fuit, ubi miſeram ſtillicidio & difficultate urinæ diu vexavit, donec ab aſſumpto ſuperiori nominato decocto, & ejus fomentatione, Natura hactenus dormiens, expergefacta, maximis & iis conatibus, quibus aliàs à fœtu ſe liberare conatur, excitatis, hoſpitem peregrinum cuſpide expulit, qui tandem vi ab ipſa ægra per collum veſicæ extractus fuit, & quidem non abſque ſumma illius læſione & copioſa hæmorrhagia.

[*i*] *Semen violæ purpureæ mirè convenire perhibent, quia ſimul purgat ſimulque calculum expellit, ac imprimis ſub formâ emulſionis ſi uſurpetur; vocatúrque à Clar. Schrodero emulſio nephrocatharctica in ſuâ pharmacop. Lib.* 2. *cap.* 54. *p. m.* 203. *& Lib.* 4. *p.* 174. *maximè laudatur ab Hartmanno & Cratone: convenit quoque in urinæ ſuppreſſione.*

[*k*] *Dicitur à quibuſdam ſantalum cæruleum, quod tali colore tingat aquam, ſi in infuſione: in loco calido ſteterit, ad lucem verò apparet flavum, & hæc eſt veri ligni probatio, ut teſtatur Renodæus.*

Inter genera fraxini refertur, teſte Schrodero Lib. 4. *p.* 111. *adulteratur alia*

ex herbis ſupradictis deſtillatæ. Spiritus ſalis *(l)* dulcis, ut & rectificatus, Vitrioli, Sulphuris, Tartari, Ammoniaci. Tinctura Nephritica Mynſichti. Syr. altheæ Fernel. papaveris albi & erratici, diacodii, byzantinus; ſ. radicum. Oxymel diureticum Querc. Oleum amygdalarum dulcium, aniſi, ſuccini, therebinthinæ. Antidota Nephritica Querc. Electuarium Montagnanæ. Mandibulæ Lucii piſcis. Conchæ oſtrearum calcinatæ. Sal Succini, fraxini, ſtipitum fabarum, teſtarum ovorum. *(m)*

In

alio ligno ſimili, quod aquam non cæruleo, ſed croceo colore inficit, teſte Monardo in ſuis epiſtolis.

[l] Item nitri, qui pulveriſato calculo affuſus, ignique moderato impoſitus ipſum conſumit, primò quidem in viſcidam mutat materiam, dein aquoſam; aſt, proh dolor! ab externis ad interna non valet conſequentia; ſaltem expectationi non ſatisfacit verus nitri ſpiritus.

Nec non tinctura lapidis nephritici; aſt nullibi deſcripta exſtat; Moëbius tamen hanc dat præparationem, infunditur nempe ſpiritus ſalis rectificatus pulveri lapidis nephritici, reponitúrque in digeſtione, fitque tinctura viridis.

Lectori benevolo tria ſequentia commendamus in calculo remedia, quæ Joanni Michaëli Practico ſummo, Profeſſori Publico Lipſiæ & Guernero Rolfinckio Profeſſori Publico Jenæ adſcribuntur.

Laudanum urinarium M.

℞. Succ. liquirit. in aquâ alkekeng. ſolut. unc. j. ſ.
Camphor. drachm. j.
Croc. ſcrup. iv.
Alkekeng. unc. ſ.
Gumm. tragacanth.
Maſtich. an. drachm. j. ſ.
Laud. opiat. drachm. ij.
M.

Singulare in urinâ provocandâ, calculo expellendo, ac aperiendis renum obſtructionibus, dolore ſedando prædicatur.

Pulvis Lithrontipticus R.

℞. Ocul. cancr. præpar.
Sang. hirc. præpar. ana drachm. j. ſ.
ap. Judaic.
Nephrit. an. drachm. j.
Ocul. lucij piſcis.
Sem. milij ſolis ana ſcrup. ij.
Cryſtall. tartar. drachm. ſ.
Salis ſcrup. j.
M. F. Pulvis.

Liquor nephriticus M.

℞. Lap. lync.
Judaic.
Spong.
Nephrit.
Glaciei paradiſ.
Ocul. cancr. an. q. ſ.

Solvantur in ſpiritu ſalis rectificato, ſolutiones filtrentur & deſtillentur ad ſiccitatem; caput mortuum in cella in liquorem coagulatum nephriticum mutatur.

(m) Omnibus palmam præripere perhibent nonnulli decoctum Foreſti ſequens.

℞. Ci-

In cauſa temperamentiſque calidis.

♃. Rad. altheæ unc. j. Liquiritiæ drachm. ij. Fol. Malvæ M. j. Sem. melon. unc. ſ.

Coq. ex aq. hordei in Colat. lib. ij. Diſſolve.

Syr. papaver. errat. unc. ij. Oc. Cancr. crud. contuſ. drachm.

M. S. Bibat ter quatervè de die Uncias ſex.

Vel

♃. Aq. fragariæ. Portulacæ. Roſaceæ an. unc. j. Prophylact. Cinam. an. unc. ſ. Oc. Cancr. crud. contuſ. ſcrup. j. Laud. op. gr. ij. Syr. Altheæ Fernel. unc. j.

M. S. Bibat cochleatim.

In cauſa temperamentiſque frigidis.

Nihil præſtantius eſt Spiritu noſtro Anti-nephritico, cujus tibi hanc cedo deſcriptionem:

♃. Radix Ononid. Saxifrag. alb. an. unc. j. Liquirit. unc. ſ. Sang. hirci drachm. vj. Oc. Cancr. contuſor. Nucis moſchatæ. Cinamom. an. unc. j. Croc.

♃ Cicer. rubr. unc. iij.
Sem hord. mundat. unc. ij.
Alth.
Malv. ana drachm. iij.
4. frigid. maj. non rancid. ana drachm. j.
Ficuum ping. num. 9.
Sebeſten num. 7.
Glycyrriſ. raſ. drachm. vj.

Coq. in lib j. ſ. aquæ communis ad medietatem, Colatura detur pro apozemate. Conveniũt quoque therebinthina laxativa, purgans, catarticum therebinthinatum Mynſichtij in ſuo armamentario Med. Chymico ſect. 14. p. 248. & 249. item ſyrupus nephriticus ejuſdem ſect. 16. p. 263.

P. Poterius in ſua pharmacop. ſpagyrica laudat argentinam & piloſellam in juſculo nempè ſi exhibeantur.

Convenit quoque radix & ſemen urticæ, rad. raphani, lepus combuſtus, lapis prunellæ, imprimis in renum inflammatione: maximè autem regulus avis à nonnullis commendatur.

Item ſpiritus acetoſæ mineralis, qui talis eſt.

♃. Tartar. vitriolat. unc. j.
Julep. roſar. libr. j.
Aq. cinamom. unc. iv.
M. doſ. ad uncias duas.

Vel

♃. Tartar. vitriolat. unc. ſ.
Aq. raphan. ruſtic. libr. ſ.
Succ. limon. unc. ij.
Ocul. cancr. drachm. ij.
Syr. papav. errat.
Alth. Fernel. an. unc. j.
M. doſis eadem.

Non infimum) in nephritide locum obtinet liquor nephriticus, ex nitro & ſale gemmæ, calcinantur nempe, ac poſtmodum in liquorem ſolvuntur, inſtarque olei tartari per deliquium liquor ille eſt, ut nec ſpiritus baccarum juniperi rob. juniperino & ſambucino infuſus,

Croc. Oriental. (n) drachm. iij. Garyophyllor. drachm. ij. Therebint. Argentinenſis unc. xvj. Spiritus Vini Malvatici lib. v.

Conciſa & Contuſa ſtent in infuſione per 14. dies; poſtea per B. M. deſtillentur.

Doſis cochleare unum vel alterum jejuno ſtomacho bis terve de die pro neceſſitate.

Delicatioribus temperatur Aq. petroſelini vel gravaminis, additurque ſaccharum.

In omnimoda urinæ ſuppreſſione teſtæ ovorum calcinatæ ad ſcrup. ij. vel drachm. j. aſſumptæ omnia reliqua medicamenta præcedunt. Cochenilia Tinctorum, ex India Occidentali, in Vino Rhenano aſſumpta ad ſcrup. i. mite quidem & ſuave eſt medicamentum, ſed magnæ efficaciæ. *(o)*

IX. *Ob-*

infuſus, perque digeſtionem rubicundo colore tinctus magnâ efficaciâ, viſuque admodum jucundo, ſaporéque vinum malvaticum æmulante, præditus.

Clyſteres varios admodum convenientes videſis apud A. Mynſichtium in armam. med. Chymico ſect. 32. p. 454. 455. & ſeq.

Nonnulli præſervationis gratiâ cum ſucceſſu uſurparunt pilulas ſequentes.

♃. Ocul. cancr.
Lap. judaic.
Milleped. } *Præp. an. drachm. j.*

Therebinth. aq. petroſel. lot. rachm. ij.

M. F. Pilul. magnitudine piſi, doſis ſingulis manè una.

Inter externa ſequens convenit Linimentum.

♃. Unguent. dialth.
Populeon.
Ol. lilior. alb.
Chamom. an. drachm. iij.
Scorpion. ſimpl. drachm. ij.
M. Pro linimento.

Inungatur hocce renum & ureterum regio.

Inter remedia anti-nephritica rurſus numerari poſſunt. Magiſterium cryſtallorum, Tartarus vitriolatus cryſtallizatus, Spiritus vitrioli coagulatus, Pulvis acidus ex ſucco limonum. Primum ens & liquor, ſeu ſuccus betulæ, Tinctura tartari, Oleum ludi Gnöffelianum & Helmontianum, Arcanum ſanguinis hirci contra calculum, Lapis nephriticus factitius internus, Lapis nephriticus factitius externus; de quibus vide Faſciculum medicamentorum ſingularium Cnöffelianorum de quo jam ſuprà.

(n) *Nonnulli Chymici audacter affirmant croci vires in deſtillatione non aſcendere; aſt hallucinantur; expertus contrarium teſtor, imò non minoris efficaciæ ſpiritus croci eſt, quam ipſe crocus in ſubſtantiâ exhibitus; retinetque croci ſaporem, odorem, & vires, ſpiritus ex eo deſtillatus.*

(o) *Sequens emulſio in urinæ ſuppreſſio-*

preſſio-

IX *Obſervationes.* Johannes Dailly, Mercator & Eccleſiæ Gallicanæ Amſtelodamenſis Antiſtes, vir probitate ſuâ omnibus notus charuſque, minxerat per aliquot menſes, noctu diuque, urinam cruentam, purulentam, fœtidiſſimam. Calculos varios quos ejecerat, ſervabat ſibi. Non poterat tanto temporis ſpatio per quadrantem horæ dormire. Cùm vocarer, alvus ipſi biduo adſtricta erat. Præſcripſi illi hoc lene laxans:

♃. Syr. de Cichor. cum Rheo. Roſ. ſol. cum Senna. Diacnic. an. unc. j. *Oc. Cancr. præparat. ſcrup.* j. *Aq. graminis* q. ſ.

M S. F. Hauſtus.

Quater inde dejecit cum euphoria. Alterâ die, pluribuſque ſequentibus uſus eſt ſummo cum ſucceſſu Decocto Malvæ ſupraſcripto, ut & mixturâ anti-nephriticâ ex laudano opiato. Tandem bis quotidie aſſumebat Balſamum Sulphuris aniſatum ad gutt. 8. & pleniſſime curatus eſt.

2. M. Gaillard moribundus iiſdem medicamentis convaluit, poſtquam à circumforaneis quibuſdam miſerrimè vexatus, nihil niſi fœtidum pus per urinam ejeciſſet.

3 Pauperrimus quidam Vir triginta per annos, ut ex ipſius ore hauſimus, laboraverat dolore nephritico & dyſuria. Obiit. Diſſecui cadaver, reperique renis ſiniſtri ſubſtantiam totam conſumptam, ita ut præter membranam nihil ſuperfuerit, ſed ſolitò longè fuit craſſior. (*p*)

Dolor

preſſione à Practico quodam ſum nō laudatur.

♃. Sem. 4. frigid. maj. an. drachm. j. ſ.
Viol. purpur.
Saxifrag ana drachm. ij.
Nucleor. perſic. drachm. iii.
Cum ſ. q. aq. ononid. & ſaxifrag. ſ. petroſ. F. Emulſio ad unc. 12. *edulcor.*
Syr. violar.
Quinque radic. ana drachm. vj.

(*p*) *Vir Sexagenarius, diu multumque doloribus nephriticis gravaetivis nonnunquam lancinantibus afflictus jam urinam crudam paucâ ſummo cum dolore, jam verò cruentam paulò tum copioſiorem magno cum levamine, jamquoque purulentam reddebat; vigiliis nimiis, cibi faſtidio, nauſeâ, aliquando quoque bilioſorum vomitu, alvo adſtrictâ, continuò ferè vexabatur; arenulas varioſque calculos exiguos excrevit; ſubinde clyſterem emollientem, laxantem, & carminativum præſcripſimus; quo ſemper multa viſcida, unà cum fecibus induratis depoſuit; unde dolor, ut plurimum aliquantulum tum diminutus, urinaque turbulenta multa, aliquando tamen cruenta fuit excreta; nonnun-*

Dolor Colicus tam ex præcedenti, quàm hoc ex capite curari poteſt, (*q*) ideoque illum nunc, aliàs hoc forſitan facturus, non deſcribo; nam mihi nunc tempus fruſtrà terere videbor.

CAP.

nonnunquam laxans viasque lubricans ex caſſiâ recenter extractâ, ſyrupo diacnicu, &c. uſurpavit; poſtea uſus fuit apozemate Foreſti hoc modo aliquouſque mutato.

℞. Cicer. rub.
Hord. mundat. ana unc. ij.
Sem. viol. purpur.
Papav. alb.
Vrtic.
Malv. an. unc. ſ.
Ocul. cancr. contuſ. & in petiâ ligat. drachm. ij.
Bacc. junip. unc. j.
Ficuum ping. num. 9.
Sebeſten num. 7.
Fruct. alkekeng. num. 4.
Glycyrriſ. raſ. drach. 9.
Coq. in Lib. iij. *aq. communis in colatur. Lib.* ij. *diſſolv.*
Syr. papav. errat.
Quinque radic.
Diacnicu ana unc. j. ſ.
Spir. ſal. armon. ſcrup. ij.
M.

Hujus bis terve de die aſſumpſit hauſtulum, inſtillatis prius gutt. ij. *balſami ſulphuris juniperini, cujus beneficio varios excrevit exiguos calculos;*

Cum verò maximo dolore affligeretur ſequentem uſurpavit emulſionem optimo cum ſucceſſu.

℞. Hord. mundat. ad crepatur. coct. unc. ij.
Amygd. dulc. mund.
Sem. viol. purpur. an. unc. ſ.
Papav. alb. drachm. vj.
Cum ſ. q. aq. hordei F. Emulſio ad unc. 20. *addend.*
Syr. diacod.
Papav. errat. ana drachm. vj.
M.

Vltimò ipſi præſcripſimus mixturam ſequentem.

℞. Aq. petroſel. unc. ij.
Fœnic.
Theriac. ſimpl. ana unc. j.
Acet. ſtill. unc. ſ.
Ocul. cancr. drachm. j.
Ol. granor. junip. gutt. vj.
Spir. nitr. dulc. ſcrup. j.
Laud. opiat. gr. ij.
Syr. quinque radic. unc. j.
M.

Multum hiſce profecit, ſubinde adhuc arenulas calculóſque exiguos excrevit; aſt non curatus: Etenim dolore iterum urgente, emulſione mixturave dictâ cum levamine utitur.

Nonnullas adhuc adderemus obſervationes, ni remedia in illis uſurpata & adhibita in annotationibus noſtris circa hoc caput jam eſſent dicta.

Omnibus commendamus ſpiritum ſalis armoniaci, tanquam ſpecificum cum vino rhenano, ſpirituvè diuretico, &c. ad præſervationem, ut & curationem ipſam, univerſalibus nempè præmiſſis, (ſi videlicet ſit friabilis) uſurpatum.

(*q*) *Differentias inter volvulum & dolorem colicum, nec non nephriticum, vide ſis cap.* 7. *& cap.* 8. *In dolore colico, poſt clyſterem emollientem & carminativum optimo ſemper cum ſucceſſu ſequentem uſurpavimus mixturam; ſed* nota; *poſt unius alteriusvè cochlearis*

hujus mixturæ uſum plerumque dolorem augeri, poſtmodum verò ſiſti.)

℞. *Aq. menth.*
Cort. citri ana unc. j. ſ.
Vit math. unc. j.
Laud. opiat. gr. iij.
Spermat. ceti ſcrup. ſ.
Ol. cort. aurant.
Macis ſtill. ana gutt. iij.
Sp. nitri dulc. gutt. 15.
Syr. fœnic. unc. j.
M.

Vir quinquagenarius doloribus corripiebatur nephriticis cum urinæ ſuppreſſione; varia ſunt adhibita remedia etiam validiſſima, ſed in caſſum omnia, ſiquidem doloribus & ſuppreſſione urinæ ad octo dies protractis, frigere cœperunt extrema, arteriæque pulſus in carpo in totum ſupprimi, unde brevi de illo conclamatum fuiſſet, niſi quidam ex adſtantibus, in imprudentia ſua fœlix, pro guttis aliquot olei ſuccini vehiculo appropriato admiſcendis, dimidium ad minimum cochleare propinaſſet, ſic enim momento revocabatur calor in toto, aliquid ciebatur urinæ, & lapilli obſtruentes ita movebantur, ut mediante membri virilis ſuctione foras evocati, æger convaluerit.

Alius ad minimum ſeptuagenarius dolores cum ſuppreſſione urinæ diebus quinque paſſus, pluribus adhibitis medicamentis tandem reſtitutus eſt ope largioris doſis ſpiritus nitri edulcorati ſæpiùs repetitæ in miſtura aquarum diureticarum.

In alio Sexagenario, & admodum valetudinario lotium per quatuor dies in totum ſupprimebatur, ſtatim in principio injiciebantur clyſteres ex herbis emollientibus & aperientibus admiſta therebintina veneta, oleo Scorpionum & ſale prunellæ; exhibebatur præterea ſal tartari vitriolatum, ſuccus citri cum oleo amygdalarum, ſuccus ceparum, ſpiritus nitri dulcis, &c. applicabantur plura perinæo, lumbis & regioni pubis in forma vel cataplaſmatum vel lituum, è Naſturtio ſc. cancris, oleo Scorpionum, therebint. juniperi ſtillat. &c. quibus urina nullatenus movebatur, ut neque purgantibus appropriatis exhibitis, tandem emulſionem millepedum ex aqua juniperi & ſucco naſturtii propinavi, idque tanto cum ſucceſſu, ut eadem ipſa nocte æger urinæ libras propè decem emiſerit, ſicque convaluerit; nullo tamen tum excreto lapillo vel materia calculoſa.

Alias hiſtorias paſſim videre eſt apud Practicos, duas tantùm adjiciemus ſatis curioſas è Chirurgo Celeberr. Jobo à Meeckren; primam quidem de calculo renali lumbos perforante; alteram verò de calculo ureterem renis dextri obturante.

HISTORIA PRIMA.

De Calculo renali lumbos perforante.

QUod ſi auxiliares Chirurgorum Medicorumque manus operanti naturæ, quam *Ioan. Baptiſt. ab Helmont. Archeum* vocat *lib. de Aurora* §. 3. *&* 4. ſuccurrerent magis, quam, imprudenter, imò ſæpiùs ex inſcitia, fieri obſervamus, plures ſanitati reſti-

reſtituerentur ægrotantes, quam nunc ſepulturæ exhibentur.

Franciſcus de Haas, Juvenis temperamenti boni, aſt, ob continuos dolores, quodammodo ſiccioris, ab anno ætatis decimo ſexto ad trigeſimum octavum gravi dolore nephritico, & urinæ excretione purulenta, laboravit, varia ad doloris mitigationem, arenularum excluſionem, ulceris renalis curationem, adhibita, magno cum ſucceſſu, remedia, etiam fonticulus in femoris parte interna ad genu productus, quo hoc effectum, quod & dolor per aliquot annos remiſerit, & urinæ excretio purulenta.

Anno uno cum dimidio ante obitum ſubitò recidivam paſſus eſt æger, quæ gravis adeò ipſi fuit, ut ſceleto magis quam homini ſimilis videretur. Vndè Medicis *Tabe dorſali* eum laborare probabilius viſum, quam renum exulceratione, Antefebrilia hinc omnis conditionis exhibuerunt, lumbiſque linimenta appropriata applicarunt.

At provida natura affectum hactenus occultum brevi manifeſtum reddidit, dolore afficiebatur intolerabili lumborum parte infimâ, proximè ad oram oſſis Ilium, ſine omni protuberantiâ, intumeſcentiâ, aut craſſitie; quæcunque applicabantur *Emplaſtra*, aut *Cataplaſmata*, *Anodyna*, *Attrahentia*, nihil effecerunt. Tandem *tuberculum*, fabæ magnitudinis, rubicundum, inferiore magis loco, ac ille qui doloris, ſe exhibebat. Hoc cultro acutiore aperto puris viſcidi, cinerei, aliquomodo fœtidi, plus quam libra ſemis effluebat, & hæc puris dicti evacuatio, licet non ſemper eâdem quantitate, ad vitæ finem perdurabat.

Excretio hæc purulenta controverſiis variis inter Medicos Chirurgosque occaſionem dedit. *Fuerunt* qui purulentam hanc materiam *ab occipite* deorſum defluere ad foramen ſtatuerunt, eamque, antequam perforatio à nobis inſtituta, collectioni anſam dediſſe. Sententiam hanc confirmabant plurimum quæ à fratre ægrotantis *Theodoro de Haas*, *Conſiliario*, proponebantur. Hic ante biennium dolore cervicis, capitis, lumborumque, longo tempore laboraverat, qui Empyemate terminabatur; ſimilem affectum etiam in hoc ægrotante dari, & ſibi & nobis perſuadere conabatur, maximè cum etiam purulenta quædam, ſanguini ſæpius mixta, quandoque expectoraret, Aſthmaticus ſatis; magis eapropter pectoris pulmoniſque rationem haberemus, quam dorſi, lumborum, renumque, rogavit, curationem certam, qualis integra obvenerat ſibi, etiam fratri promittens.

Medici *Alii* nobiſcum nullam partem aliam internam accuſari hîc debere crediderunt, quam *renem dextrum*, hujuſque læſionem doloris in ægrotante cauſam eſſe; idque magis, quod accuratâ obſervatione notatum eſſet, puris copiam in urinâ urinali receptâ imminutam eſſe, quoties ejus per foramen factum evacuatio largior. Imò credibile omninò nobis habebatur, ulcus purulentiam exhibens, ſupra muſculum glutæum majorem, ad oſſis ilii dorſum occurrens, ex pure, à rene dextro ad

muſculum ſerratum, & ſacrolumbum deſtillante, ortum fuiſſe.

Concludebamus adeoque, ægrum noſtrum *Calculo renali cum exulceratione laborare*, licet pulmonum malam conſtitutionem adeſſe haud negaremus, naturamque morborum ſæpè medicatricem, perforatione aliqua puri exitum procuraſſe, qua de re legi poſſunt quæ habentur apud *Fontan. exempl.* 42. *fol.* 117. *Tulpium obſerv.* 4. *cap.* 27.

Antequam finem imponeret vitæ æger noſter, præterquam quod dolores dorſi, lumborum, pectoris, & ſtomachi, graviſſimi valdè debilitarent, febri correptus eſt continuâ ardente, cum vomitu purulento continuo; ad hęc tincturam benedictam propinavimus, at ſine notabili ſucceſſu. Agonizans, ut Deo omnipotenti animam, ſic medicis Chirurgiſvè corpus obtulit.

Aperto cadavere, præſentibus *Ampliſſ. Dn. de Haas Conſiliario*, fratre defuncti, Viris celeberrimis *Dn. Guilielmo Piſone, Dn. Franciſco vander Schagen, Medicis* & *D. Georgio van Loon, Chirurgo*, variiſque aliis, *Pulmonem* invenimus ſanum, ſine ullâ inflammatione, aut purulentiâ, parvum & mollem.

Ventriculo puris cinerei, & aliquomodo fœtentis notabilis ſatis copia continebatur.

Hepar bene ſe habebat, niſi quòd convexa ejus pars inflammationis notas exhiberet.

Ren ſiniſter ſatis benè conſtitutus, at *dexter* in totum conſumptus, locum ejus occupante materiâ callosâ, cui hęrebant calculi hujus magnitudinis, [vide tabulæ proximè adjectæ fig. 1.] quorum maximus, dorſi exulceratione præmiſſa, viam ſibi, loco ulcerato, fecit, penetrante parte acutiore, relictâ intra coſtas ſpurias parte ampliore.

Diſſectio hæc docet nos, muneris noſtri eſſe naturæ providæ ſuccurrere. Quod ſi apertio quædam à nobis fuiſſet inſtituta loco altiore, eo ſcil. qui juxtà renes eſt, qualem inſtituiſſe *Hildanum* legimus *obſ. parte ſextâ, in Magdalena Bis*, ſiniſtro licet ſucceſſu, non dubito quin calculum majorem extrahere licuiſſet.

Blanda magis, & minus periculoſa fuit curatio, quę in uxore *Jacobi Nieland* inſtituta; laboraverat hæc, per annum & ultra, *calculo renum cum exulceratione* gravi, ad hęc medicamenta interna, renis corruptionem tollentia, calculos educentia, dolores mitigantia, varia uſurpata.

Vocatus ego, conſideratis iis, quæ, & affectum ejuſvè cauſam, eoque facientia ſymptomata ſpectabant, & medicamentorum hactenus uſurpatorum varietatem, vireſque, primò omnium ea quæ renum impuritates tollere dicuntur, *Caſſiam* ſcil. *fiſtul. recenter extractam, Tamarindum*, ſimiliaque, exhibui; Hinc, quod plethoricum valdę ægrotantis corpus, *Venæſectiones*, in pede æquè ac brachio inſtitui curavi. Tandem conditi ſequentis uſum commendavi.

℞. *Therebinth. Venet. in aq.*
Plantag. lota ℥j ß.
Butyri recent. ß.
Ocul. cancri ʒiij.
Liquirit. ſubtil. pulv. ℥ß.
Balſ. Sulph. Gutt. xx.

M. F.

M. F. Maſſa.

Hujus ſingulò die, horis matutinis, ea ſumatur quantitas quæ eſt nucis juglandis.

Reni affecto exterius applicabatur *Emplaſtrum* alutæ illitum, latitudinem duplicis longitudinem unius manus habens.

℞. *Radix. Ariſtoloch. rotund.*
Liquirit. an. ʒiij.
Irid. noſtr. ʒj.
Sang. Dracon.
Hirci an. ʒijß.
Sarcocoll. Maſtich. an. ʒß.
Flor. Hyperic. ʒj.
Sev. Hircin. ℥j.
Cera Flav. ℥jß.
Ol. Scorpion. q. ſ.
F. S. A. Emplaſtrum.

Interno huic externo vè medicamento *Mulſum* ſequens additum, hujus ſingulis vicibus uncias tres; & quidem ter de die, aſſumat; brevi cum urina *calculum* hujus magnitudinis excrevit, [vide tabul. proximè adjectæ fig. 2.] ſimulque pituitæ ac arenularum quantitatem conſiderabilem, quibus excluſis & dolor omnis remiſit, & purulenta urinatio.

℞. *Mellis opt. Marſilian.* ℔iv.
Aquæ Pluvial. pint. x,
Mixtis his adde
Herb. recentium, conciſarum Agrimon. Sanicula.
Pyrola, Veronica.
Alchimill. an. M. j.
Rad. Liquirit. ℥j.
Lign. Nephrit. ℥ß.

Coquantur in ollâ terreâ aut aneâ ad aliquam craſſitiem, non neglectâ deſpumatione debitâ. Peractâ decoctione fiat colatura per colum lineum, colatum excipiatur ollâ nova, amplâ, detineatúrque uſque dum fermentatio debita, loco calido, peracta; Mulſum hoc vitris aptis excipe, ſerva, debitéque modo uſurpa.

Experientia quotidiana probabit, in nephriticis iis qui arenulas, calculoſque exiguos excernunt, mucoſa itidem, aut purulenta, modò non ſint biliosæ nimis conſtitutionis, plus commodi *Mulſum* hoc adferre, quam ullum aliud hactenus notum medicamentum.

Quod ſi verò calidioris temperamenti ægrotantes ab uſu ejus abhorreant, *aqua ſpadana* aliquid miſceri poteſt, quo vis ejus calefactoria infringatur.

HISTORIA SECUNDA.

De Calculo ureterem renis dextri obturante.

DIſſectio cadaveris cognatæ noſtræ *Magdalenæ van de Graaf* valdè contriſtavit, non ſolùm Medicos Chirurgoſvè, ſed & adſtantes alios, conſanguineos, amicos, quod, ejus ope, contemplari liceret, & interiorum viſcerum conſtitutionem vitioſam, miſeræ vitæ authorem, & curationis impoſſibilitatem.

Quod enim cadaveris hujus apertionem aggreſſus fuerim, non ſolùm deſideria fecerunt medicorum variorum, qui ægrotanti manus auxiliares præbere omni ope allaborarunt, ſed & noſtra: ſic enim fore nullus dubitabam, quin cujus conditionis hoſtis ille fuerit, qui miserè adeò hactenus vexaverat demortuam, quævè cauſa, quod, quæcunque magno

numero, uſurpata media, nihil omninò levaminis attulerint, conſtare queat.

Non unius ſed duplicis hoſtis inſultus ſuſtinere, coacta fuit ægra noſtra, quantum ex ventris imi apertione notare licuit.

Diſſectis *Ventris integumentis communibus, muſculiſque abdominis dictis*, *peritoneum* occurrebat, durum valdè, imò *cartilaginoſum* omninò, forſan, quo aquæ graviori ſuſtinendæ commodius inſerviret; per annos enim ſex aut ſeptem ex ſeri hîc collecti copiâ tumidum circumgeſtaverat ventrem. Imò intra peritonæi duplicaturam ſerum hoc in hac ægrotante collectum eſſe, ſententia medicorum variorum fuerat, jam antequam venter aperiretur.

Peritonæo diſſecto *ſeri* quantitas ea, quæ eſt *viginti quinque librarum*, effluit, haud ſanè magna, ſiquidem comparetur quantitati illi, quæ in aliis obſervari ſolet, forſan quod, vel per vias occultas, vel per ſucceſſum aut urinationem, imminutum fuerit.

Ablatâ hinc etiam aquâ eâ quæ in cavo ventris continebatur, *peritonæum* interiore ſuperficie nigrum obſervavimus, quaſi ſphacelatum.

Omentum nigrum itidem, & ferè corruptum.

Inteſtina corrugata, commaculata.

Hepar tuberoſum, grave, contractum, variis locis muco incruſtatum.

Veſicam bilariam tubera hepatis primò occultabant, aſt mox bilis exiguam quantitatem continens ſe exhibuit.

Ventriculus vacuus erat, laxus, muco obductus.

Lien exterius gravis, craſſus, atque ingens, at interius & coloris erat boni, & conſiſtentiæ debitæ.

Veſica urinaria urinæ nihil continebat, mucoſâ cruſtâ, ſimiliter ac partes reliquæ, obducta.

Hydrops hic imi ventris, ex triſtitiâ, levi à cauſâ inductâ, ortum habens, ſubitò invaſerat ægram, undè varia hominum judicia effugere haud potuit, uno hanc, altero aliam ſubitanei hujus incrementi ventris cauſam adferente; & cùm vidua eſſet, ſatis formoſa, annon gravida eſſet occaſio dubitandi multis data.

Potio Monachodamenſis ſutoris, valdè hîc loci decantata, calida, acriſvè aquoſi humoris plurimum educebat, at febrem continuam ægrotanti inferebat.

Poſt varia adhibita medicamenta, meam implorare cœpit opem ægrotans, quam in alio quodam ſubjecto à me inſtitutam viderat *abdominis paracentheſin*, in ſuo inſtitueretur, ſummoperè flagitans, ſic enim curari ſe poſſe ſibi perſuaſerat. At ego, operationis hujus incommoda exponendo, ab intento deſiſteret, effeci; aquam enim, ventre contentam, ſucceſſu temporis viſcera omnia, hepar, lienem, ventriculum, inteſtina, omentum imprimis, eo quod tenerum pingue, faciliſque corruptionis, corrumpere, adeò ut tonum naturalem amittant, imò tunicam eorum exteriorem variis locis vi ſuâ corroſivâ auferre, quale quid in brutis iis videmus qui in aquis diu detenta fuerunt, certum eſſe, dixi, hinc metum eſſe, ſiquidem paracentheſeos ope educeretur ventre contenta

tenta aqua, mucoſum viſceribus inhærentem, adhærentemque magis acrem, fœtidumque humorem cumulari, eundem dehinc citius putreſcere. Diſtinguenda, adeoque corpora eſſe eorum, docui, quibus ventris apertio inſtituenda; ut enim ſucceſſus aliquis, incertus licet, exſpectandus, ubi paracentheſis hæc peragitur in hydrope recenter oborto, viſceribus ab illuvie feroſa minus alteratis, viribuſque corporis minus deſtructis, ita nullus, ubi inveteratum malum, interiora corrupta, vires deperditæ.

Videns ægrotans noſtra hoc auxilio ſe deſtitutam, annon aliud quid excogitari poſſit inquirere cœpit, ego, ne nihil egiſſe viderer, plauſtra medicamentis onuſta, licet jam oblata, ad ſeri aliquam evacuationem promovendam *Veſicatorium* pedi dextro applicavi, *Emplaſtrum* itidem exſiccativum, corroborans abdomini, loco tamen illi maximè cui ſubjacet hepar. Præter hæc *conditum* ſequens, ſingulis diebus, aut alternis, magnitudine juglandis aſſumendum, confici curavimus.

℞. *Elect. Diaphœn.* ℥j.ß.
Rad. Jalapp. ℥j. ß.
Gutta gamb. ℈j.
Macis gr. vj.
M. F. Conditum.

Multum profuit, adeò ut Eccleſiam adire, tempore vario, concederetur, neutiquam tamen in totum ab illuvie ſeroſâ ventre congregata, variè mobili, adeoque nec reſpirandi difficultate, liberari potuit. Miſerè eapropter hoſtis hujus impetus ſuſtinere coacta, uſque dum ſecundus, quinephritis, acceſſit, ad cujus ablationem medicorum operam de novo implorare neceſſarium fuit.

Renes in cadavere, qui hoſti ſecundo januam aperuerant, extraordinariæ erant figuræ, *dexter* imprimis, magnitudinis, craſſitieique excedentis, interius calculis nonnullis exilibus refertus.

Siniſtro infundibulum erat inſigniter amplum, à quo ad ureterem via ſatis patens, cui digitum inſerere indicem licebat, quale exemplum *Paræus* adfert *lib.* 17. *cap.* 31.

Ureteris hujus in medio *calculus* hærebat teres, tabulæ ſequentis figurâ 4. deſignatus quem ex rene deorſum deſcendiſſe certo nobis perſuademus, quarto maximè ante mortem die, quo urinam largiter uſu medicamentorum excrevit, quæ jam per dies viginti tres (horrendum dictu) ſuppreſſa fuerat.

Conſideratione dignum, ex ſeri ſanguinis diuturnâ adeò retentione nullam cerebro inductam fuiſſe alterationem, quæ ferè in tali caſu ſupervenire ſolet, adeoque ægrotantem, ſana mente, ſine ullâ extraordinariâ ſomnolentiâ, aut febre graviore, interiiſſe.

In anatome noſtrâ procedentes *Renem* acceſſimus *dextrum*, de quo non eſt quod multa hic proponamus; ſimilis enim ſe exhibebat *calculus* illi qui delineatus habetur Tabulæ additæ figurâ 3. cui æquiparandum proponit *Nobil. Tulp. obſerv. lib.* 2. *cap.* 45. differt tamen noſter ab eo qui à *Tulpio* in *Margareta Nicolai* repertus, quod craſſior, & inſtar epiſtomii fora-

CAP. IX.

De Uteri ſuffocatione.

UTeri ſuffocatio; (*a*) falſo hoc nomine inſignita, curatur anti-ſcorbuticis; legatur Caput ſuprà ſcriptum de Scorbuto, doctiſſimúſque Higmorus, ut & caput brevi ſequens de Menſium ſuppreſſione.

CAP.

men vaſis claudentis, renis pelvi impoſitus. Obſtaculum hoc ſimiliter ac illud quod *Tulpius* invenit, conſpicuè omnibus oſtenſum, vindicavit artem ab ignominia, & inculcavit efficaciter.

Non eſſe in medico ſemper relevetur ut æger.

Supereſt hoc loco moneamus, inſecta ea, *cantharides millepedes, locuſtas, cicadas*, ſimiliſque conditionis alia, diureticis annumerata, non ſtatim ac urinæ excretio impedita eſt, uſurpanda, cum plus ſæpius damni quam commodi ægrotanti adferunt, eò quod ejuſmodi animalculorum minutiſſimo ſatis inſit virium etiam craſſiſſima, attamen fluxilia, mucum ſcilicet, calculos, arenulas, & ejus generis alia, ureteres tranſire valentia, penetrandi, expellendique.

(*a*) *A quibusdam* ſuffocatio hypochondriaca *appellatur*, à loco primario affecto, *quem non uterum, ſed hypochondrias eſſe putant.*

Hujus affectus cauſam proximam *ſtatuunt flatus, halitus, & vapores aciditate, auſteritate, præcipuè peccantes:* Remotas, *ſuccum pancreaticum, (aliumvè) aciditate, & præcipuè auſteritate; bilem acriorem, ſalivam verò viſciditate & copiâ ſimul vel ſeorſim peccantes, tenuique in inteſtino vitiosè efferveſcentes, à quâ effervefcentiâ flatus halituſvè, ratione pituitæ viſcidiores elevantur, ratione verò ſucci pancreatici (aliuſvè acidi) acidiores & auſteriores excitantur: adde* ſex res non naturales *remotas haſcè dictas cauſas præternaturales irritantes.*

Hunc affectum ab utero tanquam à causâ remotiori ſæpè dependere, eſt in confeſſo; dum ſcilicet ſanguis menſtruus in ſinuoſis uteri anfractibus ſtagnans corruptus, maſſæque ſanguineæ communicatus cæteros humores inficiat.

Differentiæ. *Diſtinguitur* à ſyncope, *quod pulſus aliquis, ut plurimum adhuc ſentiatur, ſudor frigidus non erumpta, nec facies tam pallida, ſed potius tumida, magiſque rubicunda ſit, neque odoratis juventur: ab* apoplexiâ, *quod ſentiant, ſi pungantur; ab* epilepſiâ, *quod primò invaſionis tempore motus convulſivi perpetuò non ſint conjuncti, & poſt paroxyſmum plerumque actorum recordentur, nulla circa os ſpuma reperitur, in epilepſiâ ferè ſemper (vide Lib. 1. cap. 1. §. 5.)* à Lethargo, *febre.*

Signa diagnoſtica; *in hypochondriis dolor lancinans, murmura, ventris diſten-*

diſtenſiones, nauſea, vomitus, genarum rubor, interdum verò earundem obſervatur pallor, pulſus quandoque minor, jam inæqualis, ructus adſunt acidi, auſteri, ſubindè quoque amari, faucium cum ſtrangulationis ſuffocationiſque metu conſtrictio, adeſt reſpiratio difficilior, in quibuſdam ad ſenſum abolita obſervata fuit; alvo adſtrictâ doloréque capitis lancinante, diſtendente, vertigine, oculorumque caligine, cardialgiâ, alimentorum appetitu diminuto, proſtrato, depravatovè ſubindè laborant.

Prognoſtica; *raro hic affectus lethalis exiſtit, ſed ut plurimùm chronicus eſt, difficiliſque aliquando curationis, attamen gravioribus ſupervenientibus ſymptomatibus ægrotantes ſubindè de medio tollit, in ſenioribus non facilè curatur; in juvenibus plerumque ceſſat, quando maritatæ ſunt aut parere incipiunt: In prægnantibus & puerperis periculoſum eſt malum. Hippocrates ſect. 5. Aphor. 37. mulieri, inquit, hyſtericæ, ſternutamentum ſuperveniens, bonum, odor extinctæ candelæ facilè in quibuſdam hunc affectum excitat; item odor moſchi, zibethæ, cinamomi, &c.*

Indicationes curativæ; *halitus flatuſque diſcutiendi, humores acidi, auſteri alterandi; bilis acrior temperanda, ſaliva viſcida incidenda; copiâ ſolummodò peccans evacuanda, imprimis per apophlegmatizantia.*

Curatio. In paroxiſmo *proſunt frictiones, ligaturæ membrorum, punctiones dolorificæ, clamores, vellicationes ſternutamenta, clyſteres, ſuppoſitoria, cucurbitulæ, illinitiones temporum, narium, ſuffitus graveolentium ſale volatili plerumque abundantium, omniaque remedia ægras excitantia: venæſectionem non amo, (de hâc inſpiciatur Rodericus à Caſtro de morbis mulierum) quidam ipſam maximè commendant, inter quos Philippus Hoechſteterus in ſuis obſervationibus; qui varias curavit ſolâ venæſectione in pede.*

Extra paroxyſmum, *conveniunt humores qualitate peccantes alterantia, corrigentia, alteratóſque ac correctos humores, tum quantitate ſimul peccantes educentia; proſunt diaphoretica, diuretica, &c.*

Medicamenta anti-hyſterica dicta, à Clar. Authore cap. 11. de ſuppreſſione menſium deſcripta, omniaque ſale volatili prædita, conducunt.

Sequentem mixturam optimo cum ſucceſſu ſæpius uſurpavimus.

℞. Aq. anti hiſteric. noſtr. unc. ij.
(Ex fol. puleg.
Menth.
Rut. an. m. ij.
Flor. lavendul. p. ij.
Sem. leviſtic.
Bacc. laur. an. unc. ſ.
Myrrh. drachm. ij.
Nuc. moſchat. drachm. j.
Vini gallic. pint. iij.
M. poſt brevem in calore infuſionem deſtillentur per balneum Mariæ.)
Cortic. citri unc. j.
Ther. ſimpl. drachm. vj.
Spir. ſal. armoniac. ſcrup. j.
Tinctur. caſtor. drachm. j.
Ol. ſuccin. gutt. iv.
Syr. arthemiſ. drachm. vj.
M.

Hujus mixturæ ſubindè aſſumat cochleare unum alterumvè, vel cochlea-

tim in ægrotantis os ſenſim fundatur.

Tempora & nares inungi jubeo oleo ſuccini, vel naribus ſpiritum ſalis armoniaci admoveri curo.

Subindè huic mixturæ laudani opiati (ex mente Hippocratis, qui ſuccum papaveris hoc in caſu præſcribit Lib. 2. *de morbis mulierum Text.* 77. *p.* 610.) *granum unum atque alterum addidi, nec infelici cum ſucceſſu.*

Pro diverſitate ſymptomatum nonnunquam aliquantulum mutavimus; ex gr. ſi calorem univerſi corporis genarumque ruborem obſervaremus, loco ſpiritus ſalis armoniaci & olei ſuccini, addi ſpirit. nitr. dulc. [qui ſpiritus non tantum flatus diſcutiendi, aſt quoque bilem acriorem temperandi vi præditus eſt.] drachm. ſ.

Si verò corporis frigus & faciei pallor; ſuperiori mixturæ adhuc olei macis ſtillat. gut. iij. *admiſceri curavimus.*

Si ægra ante paroxyſmum *valdè melancholica fuerit, alvoque adſtricta, faucium conſtrictione, &c. antea laboraverit, ſpiritum ſalis armoniaci ad drachm.* ſ. *adaugeri jubeo.*

Extra paroxyſmum, *ac poſt ſufficientem humorum peccantium alterationem, diaphoretica, diuretica, purgantiavè præſcribo, & quidem ut plurimum hydragoga ſpecificis mixta; ſequentem quoque pulverem felici cum ſucceſſu præſcripſimus.*

♃. *Reſin. jalap.*
Diagrid. ana gr. IV.
Mercur. dulc. gr. iij.
Tartar. vitriolat.
Sal. armoniac. ana gr. vj.
Ol. macis ſtillat. gutt. ij.
M. F. Pulvis.

Obſervationes non addo, quia in curatione eas omnes Lector Benevolus *habet.*

Qui plura voluerit circa Affectionis Hyſtericæ, ſeu Suffocationis Uterinæ hiſtoriam, cauſas, ſedem morbi, nocentia & juvantia, conſulat Clar. Highmorum qui tractatulum integrum de illis conſcripſit; ut & Excellentiſſ. Williſium qui pluribus hac de re duplici diſſertatione agit.

CAP. X.

De Hernia Vterina.

HErniam Vterinam methodo mihi uſitata deſcribere non poſſum, quia falſiſſimè ab antiquis eſt deſcripta, quod non lubens ſcribo; interim bono publico eſt conſulendum. Hoc errore illos notare cogor vel invitus, quod Herniam Vteri judicaverint, quæ hernia uteri nunquam fuit: hoc enim ferè nunquam, rariſſimè certè accidit, quod antehac in Chirurgia mea monui. Hernia vulgò vocata uterina, nihil aliud eſt quam relaxatio anterioris Vulvæ tunicæ. Rugoſa eſt hæc tunica, non ſolum ut penem amplectatur, & melius ſemen deferat ad uterum; ſed etiam

ut

ut partus tempore, onere ſuo citius liberet infantem, quod apprimè notandum.

Facilè ab initio curatur adſtringentibus, & Gangræna ſi metuatur, exſcindi poteſt ſine vitæ periculo, metuve hæmorrhagiæ. En paucis totam ejus curam. (*a*)

Aliud hic notatu dignisſimum eſt obſervandum, quod à Ruſticis Belgicis, ſuibus trimeſtribus totus uterus exſcindatur, facta apertione in latere ſiniſtro, & ligatis venis arteriiſque [a] eodem modo, ut ſolemus nos canibus eximere lienem. Iucundum eſt videre quod canes, exempto ſplene, ſtatim currant, vulnus lambant, bibantque lac vel quam illis præponimus aquam. Sex illorum huc uſque diſſecuimus, ſed non niſi primus mortuus eſt, idque noſtrâ imperitiâ; reliqui æquè voraces ſunt curruntque, ac ſi liene non carerent. (*b*) Quod de ſuibus ſuprà dixi, plus quam ſemel vidi. Faciunt id ruſtici, ne concipiant, & ſic obeſiores fiant. Sic felibus aliiſque beſtiis eximuntur teſtes.

[*a*] *Prolixiorem, aſt accuratiſſimam curationem qui deſiderat, legat obſervationes chirurgicas de affectibus mulierum* D. Henrici à Roonhuyſe *apud Amſtelodamenſes Chirurgi expertiſſimi.*

[a] Plura circa hunc morbum, ut & difficultatem relaxationis uteri, videbuntur apud Clar. Author. in Chirurgia ſua, ut & notis ibidem annectendis. Apud nos etiam à ruſticis exſcinditur ſuibus uterus, quod ſæpè à me viſum nullo prorſus mortis periculo incurrentibus iſtis animalibus; ſed de hoc, ut & de lienis extirpatione in canibus, quædam fuſiùs ad Anatomiam Authoris Practicam.

[*b*] *Diſſecuimus quoque ſubindè canes lienem eximendi gratiâ; notatu dignum obſervavimus in cane fœmellâ liene jam deſtitutâ atque curatâ; nempè quod poſt annum circiter à diſſectione catulire incipiens, cumque aliis canibus bis terve congreſſa, nunquam conceperit, nec catulos produxerit: quare nonnulli lieni vim, ſanguinem prolem generandi aptum, adſcripſere.*

Contrarium ſentiunt multi experientiâ freti, & ego ipſe teſtari poſſum, remittimus verò ad Anatomiam Practicam quæ in hac materia dicenda veniunt.

(*a*) *Nec*

CAP. XI.

De menſium ſuppresſione.

I. M*Enſium ſuppresſio* eſt fluxus menſtruorum impeditus.

II. *Pars affecta* quidem uterus eſt, Ventriculus autem non

ſolum in conſenſum trahitur, ſed quantum ego obſervavi, primaria defectus illorum origo.

III. *Cauſa* eſt humor craſſus viſciduſque à ventriculo ad partes vaſaque teneriora delatus, & ſic naturalem fluxum ſupprimens. Poſſunt & menſtrua ſupprimi ab inanitione & defectu ſanguinis; (*a*) ſed & hic defectus provenit à viſcido illo tenacique humore, Chylificationem & ſanguificationem depravante, ſupprimuntur itidem ab uteri clauſura. (*b*)

IV. *Differentiæ*. Hæc provenit à vaſorum anguſtiis; illa ab humore craſſo; tertia à ſanguinis defectu; quarta ab uteri clauſura. (*c*)

V. *Signa Diagnoſtica*. Sanguis inordinato motu vagatur per arterias, ſeſeque ſæpe exonerat per oculos, aures, nares, os. (*d*) Nauſeam patiuntur atque vomitum, & picam. Pallent, febricitant. Multæ laborant diarrhœa, quædam fluxu albo. Sæpe videntur ſuffocari, baculumque in gula & œſophago ſe habere dicunt putantque. Signum lactis mammatum Hippocrati certum eſſe nego. Dolent renes; (*e*) convelluntur.

VI.

[*a*] *Nec non ab exceſſu, aut plethorâ.*

[*b*] Cauſæ procatarcticæ *hujus affectus ut plurimum ſunt frigus aëris, aquæ, pavimenti, &c. pedes malè afficiens, ac ad abdomen penetrans; validi animi mœrores; repentinæ expaveſcentiæ, &c. fœminis ſupervenientes, ac præcipuè inſtantibus fluentibuſvè menſibus: item alimentorum, medicamentorum aliorumvè nimis adſtringentium menſeſque prohibentium uſurpationes, &c.*

(*c*) *Plures differentiæ à cauſis circa paragraphum tertium dictis petuntur.*

Si ſuppreſſio ex graviditate proveniat, non adeſt dolor [teſte Hippocrate, Lib. de naturâ pueri Tit. 6. p. 137.] fœmina parum in animi affectibus, exceptâ triſtitiâ, mutantur; nativum corporis colorem retinent, ſymptomata indies redduntur ut plurimum mitiora; motum ſitumque fœtus tertio menſe percipiunt; gravidis facies aut nativa eſt aut valdè collapſa; morbidis tumida plerumque & decolor.

(*d*) *Aliquando per veſicam, ſed facilè tum ſanguis in veſica grumeſcit, variaque, indè mala ſymptomata exoriuntur.*

(*e*) *Capitis dolores continui, & quidem acerbiſſimi (teſte C. Celſo Lib. 2. cap. 7. p. 59. quibus, inquit, fœminis menſtrua non proveniunt, neceſſe eſt capitis dolores acerbiſſimi ſint.) jam pulſantes, jam verò gravativi adſunt; lumborum pulſationes, gravitas totius corporis, tormina inflationeſque ventris, cibi faſtidium, crebræ viciſſitudines caloris & frigoris, reſpiratio anhe-*

VI. *Prognoſtica.* Menſium ſuppresſio ab uteri clauſura periculo vacat, modo indicetur, quod vidi ſcioque. Quæ ab humore viſcido provenit, curatu difficillima eſt; ut & illa quæ provenit à ſanguinis defectu, eandem enim agnoſcit cauſam. Vaſorum anguſtias non magni facio; ſæpius enim aperiuntur per ſe, præcipue æſtivo tempore. (*f*)

VII. *Indicationes Curativæ.* Humor craſſus incidendus, & poſteà educendus per alvum; vomitum enim contrà ſententiam multorum non probo. Sanguificatio promovenda: viarum anguſtiæ aperiendæ, ut & Vteri clauſura. (*g*)

VIII. *Curatio.* Medicamenta menſes moventia primarium hic obtinent locum. Sequuntur purgantia, (*h*) in pituitoſis fortiora. Plethoricis Vena eſt ſecanda, ſed non niſi in talis. Cingulo conſtringantur Hypochondria. Suffumigia fœtida valdè proſunt, Enemata (*i*) interdum. Coïtus non multum ad curationem facere videtur, ſunt enim qui inde pejus habent. Suaveolentia pudendis adhiben-

anhelosa, urina ut plurimum pallida, cruda; ſubindè quoque flammeæ obſervantur.

(*f*) *A plethora facilis eſt curationis, non item ab uteri cicatrice poſt ulcera, vulnera, &c. multa ex menſium ſuppreſſione in melancholicam inſaniam [ut bis obſervavimus] prolabuntur; graviſſimi aliquandò ex menſium ſuppreſſione oriuntur affectus, ut cachexia, hydrops, cardialgia, ſyncope, cordis palpitatio, mania, arthritis, (ut ex Hippocrate Aphor.* 29. *ſect.* 6. *patet) vertigo, epilepſia, apoplexia, &c.*

Cous Aphor. 32. *ſect.* 5. *mulieri, inquit, deficientibus menſtruis, ſanguis è naribus profluens bono eſt; idem teſtatur C. Celſus Lib.* 2. *cap.* 8. *p.* 69. *inſpiciatur quoque Hippocrates de morbis mulierum; ut & Rodericus à Caſtro, & L. Riverius Lib.* 15. *cap.* 2. *p. m.* 181.

(*g*) *Auſterum quoque ut & acidum alterandum, nec non ſanguis ab acido quodammodò coagulatus diſſolvendus: cauſæ remotæ, ſi adſint, tollendæ; animi pathemata vitanda, &c.*

(*h*) *Juxta Hippocratem ſect.* 5. *Aphor.* 36. *mulieri, inquit, menſes decolores, nec eodem ſemper modo & tempore prodeuntes, purgationem judicant eſſe neceſſariam, proſunt quoque ſuffitus aromatum, ſecundum Aphor.* 28. *ſect.* 5. *ſuffitus aromatum muliebria educit:*

Conveniunt blanda diaphoretica, ſpecificis mixta, aſt non inſtantibus præſentibuſque menſibus.

(*i*) *Imprimis calidiora injecta; diuque retenta, unde non tantum pituita ſolvitur, ſed viæ quoque laxantur; vaſa aperiuntur, & menſtrua brevi aliquando ſubſequuntur: Externè quoque topica quædam & fomenta calida applicata proſunt.*

* Ali-

hibenda, Cucurbitulæ & ligaturæ cruribus.[a]

Medicamenta Anti-Hyſterica.

Radices Angelicæ, Bryoniæ, Gentianæ, Imperatoriæ, Meu, petaſitidis, Zedoariȩ, Galangæ. (*k*) Folia Sabinæ, Meliſſæ, Arthemiſiæ, Pulegii, menthæ, rutæ, Majoranæ, Salviæ. (*l*) Semina dauci, leviſtici. Baccȩ lauri, Iuniperi, Aſa fœtida, Caſtoreum, Myrrha, Succinum, Bitumen, Pix. Ungula alcis. Pennæ perdicum. Aqua hirundinum, Anhaltina Mynſichti, Sennerti, Crollii. Tinctura caſtorei, baccarum Iuniperi, croci, lunæ, antimonii. Camphora. Ol. (*m*) menthæ, ſuccini, rutæ, Tartari fœtidum.

[a] Aliquando Menſium ſuppreſſio oritur à deſiccato aliquatenus utero, ſicque obliteratis & quaſi occalleſcentibus orificiis tunicæ interioris ſanguinem in uteri cavum pro purgatione menſtrua vomentibus, tuncque non tantùm proſunt memorata, ſed primò & præcipuè humectantia, & emollientia, ut balnea, enemata, alimentum liquidius &c. quod ipſe aliquando ſum expertus in muliere apud quam fruſtra fuerant adhibita alia omnia. Sagax itaque & prudens debet eſſe Medicus in cauſa morborum eruenda, pro legitima & certiori curatione.

(*k*) *Item radices ariſtoloch. rotund. curcum. enul. campan. rubiæ tinctorum, eryngij, quinque aperientes: nec non flores cheiri, hyperici, ſtœchados, ſpicæ, calendulæ.*

(*l*) *Ut & folia matricariæ, calaminth. montan. mercurialis, fraxinellæ, agrimoniæ, ſerpilli, origani, &c.*

Convenit quoque macis, nux moſchata, caryophylli, cinamomum, item chalybs variaque inde parata medicamenta; chalybs enim non tantum efficaciter pituitam incidit, verum etiam acidum maximè concentrat.

[*m*] *Item oleum deſtillatum ſabinæ, omnium enim fortiſſimè ciet menſes, ſed cavendum ne ſuſpectis adhibeatur: nec non cinamomi, angelicæ, caryophillorum, &c.*

Spiritus ſalis armoniaci, ſal volatile urinæ, fuliginis, ſuccini, cornu cervi; item ſal fixum arthemiſiæ, rutæ, tartari vitriolati, &c.

Maximè hic commendatur elixir ad menſes D. I. Michaëlis Practici Lipſienſis feliciſſimi, ibidemque Profeſſoris Publici.

Cujus hæc eſt deſcriptio.

℞. *Herb. arthemiſ. m.* iij.
Mercurial.
Majoran.
Salv.
Puleg.
Roriſmar. ana M. j.
Flor. Calendul.
Hyperic.
Salv.
Spic. ana p. iij.
Cheiri. m. j.
Rad. Leviſtic.
Ariſtoloch. rotund.
Rub. tinctor.

An-

dum. Balſamus Sulphuris, Vterinus Schroderi. Tragæa hyſterica Querc. Fæculæ bryoniæ, Aronis. Trochiſci de myrrha pro ſuffitu. Emplaſtrum de Galbano, matricale, &c. *(n)*

℞. Caſtorei unc. ſ. *Sal. Ammoniac. Succini volat. an. drachm.* ij. *Spiritus Vini rectificat. unc.* iij. *Vini Rhenani Falerni unc.* vj.

Infundantur per noctem Colaturæ unc. ſ. detur pro una doſi.

Vel

℞. Sal. Arthemiſiæ. Succin. Tart. vitriolat. an. gr. iij. *Aloës lucidæ gr.* xv. *Ol. menthæ g.* j.

MS. F. Pil. Num. v. deaurentur. Pro unica doſi ſæpius reiteranda.

Vel

℞. Gumm. Ammoniac. cum aceto præparat. drach. ſ. *Caſtorei el. Myrrhæ rubr. an. ſcrup.* j. *Sal. Arthemiſ. Succin. an ſcrup.* ſ. *Tartar. vitr. gr.* viij. *Extract. catholic. drach.* j. *Trochiſcor. alhandal. gr.* xij. *Ol. menthæ gutt.* vj.

MS. F. Pil. Num. L. deaurentur. *(o)*

Sumat ægra quotidiè jejuno ſtomacho tres quatuorve. Si loco pilularum ægræ magis arrideat pulvis:

℞. Sal.

Angelic. ana unc. j. ſ.
Bacc. Laur. unc. ij.
Caſſ. Lign. ver. unc. j. ſ.
Sem. Leviſtic.
Naſturt.
Eruc.
Meliſſ. an. drachm. ij.
Croc. Optim. unc. j. ſ.
Anthophyll. unc. j.

Inciſa & Contuſa irrorentur ſpiritu hermaphroditico ex minerâ martis & veneris, addantur.

Splen. boum num. 8.

Extrahatur ſpiritu meliſſæ & pulegij.

(n) Angelus Sala in anatomia eſſentiarum vegetabilium. Sect. 4. cap. 3. p. m. 29. miris modis commendat peſſos ex elleboro nigro: quos hac ratione præſcribit

℞. Ellebor. nigr. ſcrup. j.
Excipiatur nodulo ſerico.
F. Peſſus.
Subindè renovandus.

Nota: *non diu retineri debent, alias exulcerant.*

Quidam ſequenti modo præſcribunt.

℞. Pulv. fol. perſicar. maculoſ.
Sabin.
Trochiſc. de mirth.
Rad. elleb. nigr. ana ſcrup. j.

Cum. ſ. q. gum. tragacanth. in vino albo infuſ. mucilaginis F. Peſſaria duo.

(o) Conveniunt quoque ſequentes.

℞. Maſſ. Pilul. fœtid. maj. drachm. j.
Gum. ſagapen. acet. præpar.
Myrr. optim.
Sal. volatil. armoniac. an drachm. ſ.

♃. Sal. Arthemiſiæ, fraxini. Succini an. gr. xij. *Tart. vitriolat. gr.* vj.
MS. pro una doſi. Summæ eſt efficaciæ.

Vel

♃. Rad. Calaminthæ unc. j. *Fol. Sabinæ drachm.* x. *Menthæ P.* j. *Sennæ drach.* vj. *Agaric. trochiſcat. drach.* iij. *Turbith. elect. drach.* v. *Oc. Cancr. crudor. contuſor. unc.* ſ. *Garyophyllor. drachm.* j. *Sem. dauci drachm.* ij. *Coq. ex aq. hordei in Colaturæ unc.* xxx. *Diſſolve Syr. diacnic. unc.* ij. *Salis Ammoniac. drachm.* j.

MS. Bibat ſingulis manè uncias 6. Interim utatur ſuffumigiis ex Trochiſcis de Myrrha, pennis perdicum, &c. [*p*]

♃. Caſtorei drachm. j. *Aſæ fœtid. drachm.* ſ. *Camphoræ ſcrup.* j.

MS. F. Nodulus. Vina medicata ex ingredientibus ſuprà ſcriptis in temperamento pituitoſo optimè hic audiunt.

IX. *Obſervationes.* Virgo viginti quinque annorum decem ultra menſes ſuppreſſionem menſtruorum paſſa, pallida, nauſeabunda, valde conquerebatur de dolore hypochondrii, ut plerumque omnes ſolent, ſiniſtri. Supervenêre illi, ut aliis multis, convulſiones, quæ longè differunt ab illis, quæ propriè ſic vocantur. Lypothymiam poſtmodum paſſa eſt. Purgavi illam ter hiſce pilulis:

♃. Maſſæ pilul. Aloëphangin. Major. ſcrup. j. *Sal. Succini. Ammoniac. an. gr.* iv. *Reſinæ, Ialappæ gr* vj. *Ol. majoran. gr.* j.

MS. F. Pil. Num. vj. deaurentur. Hiſce aſſumptis brevi tempore curata eſt.

2. Alia Virgo per multos annos laboraverat menſium ſuppreſſione & febre hectica, quæ illam extinxit. Aperto cadavere reperimus in Meſen-

Tartar. vitriol.
Croc. optim.
Caſtor. ana gr. 15.
Ex ract. rad. gentian.
Sabin. ana ſcrup ſ.
Elleb. nigr. ſcrup. j.
Ol. ſtill. macis.
Menth. an gutt. iv.
M. F. Pilul. num. 9. *deaurentur. harum doſis eadem.*

(*p*) *Quidam in caſibus deſperatis pro certiſſimo remedio, univerſalibus nempè præmiſſis, ſequens commendant, vide Hartmanni prax. chimiat. cap.* 219. §. 19.

♃. Scor. regul. antimon. unc. iv.
Coq. in lixivij. ſ. q. ex cineribus arthemiſiæ cum aliis herbis ſpecificis preparati ad extracti rubedinem, Colat. ♃. unc. 6. *adde*
Vini malvatici ſalviæ & ſabinæ antea infus. unc ij.
M.
Silicibus ignitis cochlearia duo affundat

Meſenterio ſteatomata varia, à Lhymphâ craſſa oriunda, & in ſiniſtro latere magnum velut ſaccum, repletum materia turbida, pituitoſa, majori verò ex parte cruenta. *(q)*

Cap.

fundantur, fumuſque aſcendens dilatatis cruribus excipiatur.

(q) Puella viginti circiter annorum, pituitoſa, melancolica, ex mœrore in menſtruorum ſuppreſſionem cum ſuffocatione hypochondriacâ incidit nauſeâ, appetitu jam proſtrato, jam aucto, alvoque adſtrictâ, anxietate circa præcordia; nec non febri erraticâ laborabat. Curata fuit ſequentibus.

℞. *Rad. imperator.*
Dictamm. alb. ana unc. j.
Acori unc. ſ.
Fol. arthemiſ.
Puleg.
Canam. mont. ana m. ſ.
Sabin. m. j. ſ.
Sem. dauc.
Seſeleos ana unc. ſ.
Bacc. junip. drachm. v.
Cinam. acut.
Cort. aurantior. ana drachm. ij.
Conciſa & groſſo modo contuſa inſuantur ſacculo, & affundantur.
Vini gallic. pint. iij.

Bis de die aſſumpſit unc. iij. *inſtillatis gutt. 6. ſpiritus ſalis armoniaci.*

Poſt ſufficientem alterationem ſemel purgationem ſequentibus pilulis inſtituimus.

℞. *Maſſ. Pilul. fœtid. maj. drachm.* ſ.
Sal. volatil. armon. gr. vj.
Ol. macis ſtill. gutt. ij.
M. F. Pilul. num. 7.

Virgo viginti quinque annos nata, admodum pituitoſa, poſt appetitum depravatum omniumque crudorum aſſumptionem incidit primò in menſium fluxum imminutum, brevique poſt totalem ſuppreſſionem; cum gravitate totius corporis, ejuſque laſſitudine ſpontaneâ capitiſque dolore gravativo, reſpirandi difficultate, pedumque intumeſcentia afficientem: admodum pallida, febricitabat indies; quæ ſequentibus curata.

Primò fuit præſcriptum vinum medicatum in præcedente obſervatione notatum, deindè ſequens incidens, aperiens, purgans.

℞. *Rad. ariſtoloch. rotund.*
Galang.
Rub. tinctor.
Bryon. ana drachm. iij.
Ellebor. nigr. unc. j.
Jalapp. unc. ſ.
Fol. puleg.
Sabin.
Calam. mont. ana m. j.
Bacc. laur.
Junip. an unc. ſ.
Sem. leviſtic.
Fœnic.
Cinam. acut. ana drachm. ij.
Trochiſc. alhand. drachm. j.
Garyophyll. drachm. ſ.
Tartar crud. drachm. j.
Conciſa & Contuſa inſuantur ſacculo, & affundantur.
Vini gallic. pint. IV.

Poſt infuſionem in loco tepido alternis matutinis unc. ij. *cum ſpiritu ſalis armoniaci gutt.* vj. *uſurpavit.*

Subindè quoque purgatio fuit inſtituta

tuta pilulis ſequentibus.

℞. *Aloës lucid. unc.* ſ.
Myrrh. rubr.
Gum. ſagapen aceto ſquillit. diſſol.
ana drachm. j. ſ.
Sal. armoniac.
Extract. ellebor. nigr.
Rad. gentian.
Croci optim.
Tartar. vitriolat. an drachm. ſ.
Ol. ſtill. macis.
Cortic. citr. an. gutt. iij.
Cum elix. propriet. Paracelſi q. ſ.
F. Maßa Pilularis.

Doſ. à ſcrup. j. *ad ſcrup.* ij.

Blandè purgant, menſeſque ſimul movent.

De Medicamentis in Menſium Suppreſſione, ut & in genere antihyſtericis nihil dicor ſatis habet Lector Doctiſſ. non tantùm ſi hoc capite comprehenſa viderit, ſed etiamſi Faſciculum Medicamentor. ſingular. Cnoffelianorum conſulat; ibi enim repetiet compoſitiones exquiſitiſſimi & curioſiſſimi laboris, tam ad hyſtericas paſſiones, quàm ad fluxum menſtruum ſuppreſſum & eundem nimium.

Cap. XII.

De partu difficili.

I. P*Artus difficilis* eſt interclusſus fœtui exitus. *(a)*

II. *Partes affectæ* ſunt uterus laxior adſtrictiorvè, membranæ fœtus craſſiores, Vagina anguſtior, os pubis, Iſchion exſiccum, & ideò minus cedens.

III. *Cauſæ* variæ ſunt. Sæpe evenit quod mulieres delicatulæ *(b)* ſibi metuant à dolore, & tunc magis dolent, pariuntque ſerius. Anguſtiæ viarum multum cauſant difficultatis. Fœtus debilior *(c)* non adjuvat matrem. Lympha nutritia (nutritur enim infans, ex mea opinione, tam per os, quam per arterias umbilicales) paucior, partes fœtui tranſeundas non ſatis reddit lubricas. Ex omnibus hiſce cauſis

(a) Alij definiunt per excluſionem fœtus maturi ſumma cum moleſtia, vireque aut ipſius fœtus, aut matris, aut utriuſque periculo conjunctam, videſis apud Rodericum à Caſtro Lib. 4. *de morbis mulierum cap.* 6. *p.m.* 457.

(b) Vel morbo, intempeſtivis conatibus, nimia ſanguinis evacuatione, purgantibus præpoſterè uſurpatis, potentioribuſvè aſſumptis, debilitata; partumque accelerare, tum impotentes, difficilior oritur ſubinde fœtus exitus.

(c) Ut & mortuus, difficilis redditur partus ob deficientem, vel non ſufficientem uteri, diaphragmatis, & abdominis muſculorum conatum motumque.

cauſis deficiunt parturienti conatus. [a]

IV. *Differentiæ*. Vides ex præſcriptis.

V. *Signa Diagnoſtica* ex obſtetrice ſunt quærenda. (*d*)

VI. *Prognoſtica*. Viarum anguſtiæ ſunt periculoſiſſimæ, præſertim ubi fœtus ſolito major eſt, & humeros habet latiores. Laxitas rugarum vaginæ hac ex parte multum nocet, rugæ enim valdè inſerviunt educendo fœtui, ut & ſemini maſculo attrahendo. Fœtus ſupra os pubis

[a] Cauſæ difficilis partus ſunt vel in Matre, vel in fœtu. In Matre, vel mala partium conformatio, vel ſtaturæ brevitas, imbecillitas, puſillanimitas, reſpiratio impedita, metus, uteri colli tum interioris, tum exterioris ſeu vaginæ coarctatio ex vicinarum partium tumore ac duritie, ex veſicæ calculo, ex recti inteſtini excremento duriore; mala conformatio in lumbis dum concavitatem vitioſa ſua figura efformant, hæmorrhagia abundans, aliaque à Clar. Autore adnotata.

In Fœtu ſunt cauſæ difficilis partus, non tantùm quæ ab Autore & ejus Commentatore proponuntur, ſed etiam ſi ille fuerit grandior, geminus, aut monſtroſus, ſi non rectà in caput fertur, ſed vel ambos pedes, vel unum duntaxat, vel manus primùm exerit, vel duplicatus in nates exit, vel obliquus alterutrum latus, vel pronus ventrem primùm exhibet, vel caput à reliquo corpore inter pariendum ſeparatur, vel fœtus ante ſe uteri collum ita protrudit, ut extra vulvam propendeat, vel vaſa umbilicalia, vel placenta fœtum inter exeundum præcedunt, &c.

(*d*) *Accuratéque deſcripta invenies apud Roderum à Caſtro Lib. 4. de morbis mulierum cap. 6. p. m. 458. & Iaſonem à Pratis de parturiente & partu, cap. 2. nec non Franciſcum Ranchinum Tractat. de morbis ante, in, & poſt partum, p. m. 126. & 127. ut & Nicolaum Fontanum Lib. 4. de morbis mulierum cap. 2. p. m. 151.*

Signa difficilis futuri partus hæc ſunt; ſi humor aquoſus & nutritius in membranis chorio & amnio, ut & ſe undùm aliquos allantoide concluſus totus longè ante partum effluit, ſi copioſior hæmorrhagia multo tempore fœtum præcedit, ſi languidi dolores ex intervallis longioribus recurrunt. Signa fœtus mortui ſunt ſuppreſſus in totum ipſius motus, cadaveroſæ atque fœtidiſſimæ humiditates ex utero, vel erumpentes, vel exudantes, fœtus contenti ad latus in quod decumbit mater cita convolutio, matris frequentia animi deliquia & convulſiones, placenta ut & vaſa umbilicalia ex utero rejecta, vel inde propendentia, aſſervato interim fœtu, pulſatio in arteriis umbilicalibus deficiens lingua fœtus immobilis & ſuctionis incapax, caput mollius & ſine pulſatione circa fontinellam, adde matris mammas flaccidas, vultum colore plumbeum, aſpectum languidum, anhelitum fœtidum, ab ictu vel caſu læſionem, &c. Signa male ſiti fœtus, manu obſtetricis, vel chirurgi periti percipiuntur.

pubis ſituatus exitum invenire nequit, niſi reprimatur; antequam hoc factum ſit, omnes conatus parturientis ſunt inutiles, & anti-hyſterica omnia noxia. (*e*)

VII. *Indicationes Curativæ.* Inſufficientes parturientis conatus promovendi. Mater & infans roborandi. Viarum anguſtia dilatanda. Situs infantis vitioſus corrigendus.

VIII. *Curatio.* Situs infantis vitioſus, ſicubi obſtetricis manu corrigi non poteſt, corrigatur manu Chirurgi, mortuuſque fœtus hamis extrahatur, prout in Chirurgia mea ſcripſi. (*f*) Parturiendi conatus promoventur medicamentis infrà ſcribendis, Anguſtiæ viarum dilatantur oleis laxantibus. Erecta ſtans ægra, ſæpè parit facilius; ſed hoc remedii genus non facilè concedo. Reliqua obſtetrici committenda.

Medicamenta generalia partum difficilem promoventia ferè omnia ſunt anti-hyſterica, quæ legi poſſunt in Capite præcedenti.

℞. *Aq. anti-hyſtericæ unc.* j. ſ. *Pulegii. Meliſſæ an. unc.* ij.
M. S. Bibat cochleatim.

Communi & notiſſimo omnibus hoc medicamento tot liberavi, conatuum in defectu, parturientes; idque tam citò, ut non facilè credideris. Rationem humanioribus dare paratiſſimus, nunc mihi ſervo.

Vel

℞. *Fol. Sabinæ. Majoranæ an. P.* j. *Schœnanthi. Spicæ nardi Indicæ an. drachm.* ij.

Coquan-

[*e*] *Hippocrates varia habet prognoſtica ſect.*5. *Aphor.* 35. *mulieri, inquit, difficulter parturienti ſternutatio ſuperveniens, bonum, idem C. Celſus teſtatur Lib.* 2. *cap.* 8. *p.* 69. *& Aphor.* 55. *ejuſdem ſectionis; Quæ geſtantes uterum febribus corripiuntur, & vehementer ſine evidenti causâ extenuantur, ea difficulter & cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur.*

Collecta videſis apud Lazarum Riverium prax. medic. Lib. 15. *cap.* 18. *p. m.* 296. *Autoréſque modò citatos.*

(*f*) *In partu nullo ſ. abolito quidam ſectionem Cæſaream commendant, de quâ accuratiſſimè ſcripſere Cl. Th. Fienus controverſiarum chirurgicarum Tractat.* 8. *p.* 66. *& ſeq. & Henricus à Roonhuyſe obſervationum chirurgicarum de affectibus mulierum Lib.* 1.

De fœtu mortuo extrahendo, ut & de Partu Cæſareo quædam in Notis ad Chirurgiam Clariſſ. Autoris dicenda habemus, à quibus hìc abſtinemus.

De

Coquantur ex vino vel potu cui ægra magis eſt aſſueta: in Colaturæ unc. xx. Diſſolve.

Boracis Venetæ drachm. j. Sacchar. albi parum.

M. S. doſis unc. v. Commendo tibi picem navalem & pulverem ſecundinæ. Doſis ſcrup. ij. [a]

Obſervationes. 1. Vxor (non libenter hiſce in affectibus quandam nomino) vicini mei, divitiſque mercatoris, per biduum patiebatur parturiendi conatus, unde delicatula eò uſque debilitata eſt, ut adſtantes illam judicaverint morti proximam. Vſa eſt mixturâ ſuprà ſcripta, & me præſente, illicò gemellos eſt enixa, optimeque poſtmodum habuit & habet.

2. De viarum anguſtiis nihil aliud poſſum ſcribere, quàm quòd multas viderim (fœtu nempè mortuo) Chirurgi manu ita liberatas, ut poſtmodum fœliciter conceperint. Interim tamen multæ pereunt, quæ nimis ſerò quærunt auxilium, quod plerumque obſtetricum culpâ ſolet evenire.

[a] De Tigridis cute tanquam remedio in difficili Partu ſic ſcribit Clar. Dolæus. Miſcell. Curioſ. A. 6. p. 90. Principiſſa Hanovienſis Hadamarenſis Domina mea clementiſſima, pro arcano in partu difficili ſibi ſervat fruſtulum cutis Tigridis, femori ſiniſtro alligandum, quod ipſemet aliquando tentans certum expertus ſum.

Cap. XIII.

De menſium nimio fluxu

I. M*Enſium fluxus immodicus* eſt apertio vaſorum, tam ſanguineorum, quàm Lymphaticorum præternaturalis.

II. *Pars affecta* primaria eſt Ventriculus; ſecundaria, Renes, ultima, Vterus, *(a)* quam antehac, & fortè nuncdum, multi, non ego, primam dicunt.

III. *Cauſa* *(b)* eſt ſanguis vel ſeroſior, vel Lympha acrior, ſed im-

primis

(a) Ipſiuſque vaſa ſanguinea aut lymphatica.

(b) Cauſæ immediatæ *ſunt vaſorum apertiones præternaturales, fiuntque tales apertiones, vel per* anaſtomoſin, *vel per* diæreſin, *vel etiam* diapedeſin.

Oritur anaſtomoſis (*ut rectè Cl. Author hoc paragrapho teſtatur*) (*vel à ſanguine ſeroſiore, tenuiore & quo-*

dammo-

primis craſſa. (c)

IV. *Differentiæ.* Hic albus eſt, ille ruber; cætera non differunt niſi gradibus.

V. *Signa Diagnoſtica* tibi indicabit ægra. (d)

VI. *Prognoſtica.* Fluxus albus & cruentus ubi fuerit frequens vel continuus, multas necat, defectu enim nutrimenti incidunt in hecticam. Uterque valde eſt moleſtus & graviditatem impedit. (e)

VII. *Indicationes curativæ.* (f) Ventriculi præcipua habenda ratio. Humor craſſus educendus, ſeroſus acriorque temperandus. (g)

VIII. *Curatio.* Ventriculum niſi purgaveris & liberaveris ab humore ſuo craſſo, non curabis ægram. Venæſectio Symptomatibus occurrit, & ideò ſæpe prodeſt, ſed nihil facit ad cauſam. Cucurbitulas mammis appoſitas (h) noxias eſſe puto: magis mihi placent ligaturæ brachiorum, ubi ſymptomatibus urgentibus, eſt revellendum. Enematibus non utor, niſi in alvo adſtrictiore. Adſtrin-

dammodo acriore, ſalſiori) Diæreſis, *à lympha acriore, vel ſanguine nimio impetu erumpente, acriorevè vel vi externâ.* Diapedeſis, *à nimiâ vaſorum laxitate eorumque exinde tunicâ nimis rarefactâ, & ſanguine tenuiore ſenſim per eam tranſudante ac penetrante.*

Remotiores cauſæ *ſex res non naturales dictæ exiſtunt.*

Hiſce adde nimius veneris uſus, ſanguinem nimis rarefaciens, flatus [vide Hippocrat. Lib. de flatibus Tit. 15. p. 407.) abortus, ſecundinæ vi ac ſubitò extractæ, ut & earum aliquando particula relicta, teſte Hippocrate Lib. 2. de morbis mulierum.

(c) *Stagnationi & conſequenter acrimoniæ anſam dans.*

(d) *De copiâ ſanguinis judicaturus, reſpice. (niſi hic primus ſit) fluxus antecedentes, utrum copioſius diutiuſque quàm anteà prodierint; imprimis autem vires ac tolerantiam conſidera.*

(e) *Qui fit per* diapedeſin, *minus periculoſus exiſtit; per* anaſtomoſin *verò majus infert periculum; aſt qui per* diæreſin *omnium eſt difficillimus.*

In ſeneſcente muliere menſtruorum nimius fluxus plerumque incurabilis, imò lethalis eſt; ut ſæpius obſervavimus diuturnam copioſiorémque menſtruorum fluxionem ſequitur aliquando hydrops, cachexia, fluor albus, &c.

[f] *Satis ſuperque conſtant ex cauſis circa paragraphum tertium à nobis datis.*

(g) *Sanguis incraſſandus, motus nimius cohibendus, &c.*

[h] *Ut ſuadet Hippocrates Aphor. 50. ſect. 5. & 11. Populat. ſect. 6. p. 710.*

(i) *In*

ſtringentia ubique fere præſcribuntur, ſed non potui obſervare illa prodeſſe, niſi corpore bene purgato, tuncque ſumme neceſſaria. *(i)*

Medicamenta fluxum muliebrem, tam album quàm ſanguineum ſiſtentia.

Radices plantaginis, nympheæ, Ireos noſtratis, Fol. menthæ, quercus, millefolii, cynogloſſæ. Vermicularis. Flor. balauſtiorum, roſarum rubrarum, Verbaſci. Sem. agni caſti majoris, coriandri, cannabis, papaveris albi, rutæ, Thus, Maſtyx, Therebinthina, Succinum, Camphora, Guajacum; Cortices granatorum, quercus. Corn. Cervi vel raſum vel philoſophicè pręparatum. Oſſa ſepiæ, Spodium, Acacia, Corallia, Margaritæ, Lapis hęmathites, Lachrymæ ſanguinis Draconis, Unicornu foſſile. Ol. camphorę, Therebinthinæ. Tinctura martis, Corallorum. Pilulæ maſtichinæ. Rheum in ſubſtantia. Stercus aſininum. *(k)*

♃. *Reſinæ Ialapp. Agarici. Extract. Rhei an. gr. v. Ol. menthæ g. ij.*
M. S. F. Pil. Num. IV. deaurentur. Pro unâ doſi.

Vel

♃. *Sal Succini. Sang. draconis an. ſcrup. ſ. Diagrid. gr. vj.*
M. S. F. Pulvis pro una doſi. Pulvis rhei ad drachm. j. exhibitus benè agit.

♃. *Cretæ albæ vulgaris ſcrup.* j. *Maſtiches elect. drachm.* j. *Succi acaciæ. Lachrym. ſang. dracon. Mumiæ, Rhei elect. Corall. rubr. præparat. Oc. Cancr. crudor. an. drachm. ſ. Therebinthinæ Venet. lotæ, ſed nullatenus coctæ, q. ſ.*

M. S.

[*i*] *In nimio fluxu à relictâ ſecundinarum particulâ, conveniunt ſecundinas expellentia adſtringentibus mixta; auctis minutiſque pro re natâ aut urgente, jam expellentibus, jam hæmorrhagiam cohibentibus.*

(*k*) *Foreſtus maximè commendat pulverem Præceptoris ſui Hellidæi ex turture, &c.*

Omnibus palmam præripit uſnea cranij humani internè & externè uſurpata.

Commendantur quoque ſpecies diamartis Mynſichtij diaplantaginis, ut & pilulæ ſtypticæ ejuſdem; item ſperniola Crollij, tinctura lapidis hæmatitis, eſſentia ſulphuris vitrioli mumiæ; laudanum opiatum omnibus ferè

M. S. F. ſ. a. Pil. magnitudine piſi minoris,& aſpergantur pulvere cinamomi;

Sumat ægra ſingulis manè quinque. (*l*)

Vel

♃. Lachrym. ſang. drac. Oc. cancr. præparat. Cretæ alb. vulg. an. gr. viij. Chalyb. præparat. Lapid. prunell. an. g. vj.

M. S. F. Pulvis (*m*) pro una doſi quotidiè aſſumenda.

IX. *Obſervationes.* 1. Vxor Guilhelmi ab Ottinga ægerrima per aliquot dies decubuerat nimio menſium fluxu, ita ut macra, debilis, pallida, jam jam videretur velle. mori Dulcia pauciſſimæ fuerunt hyſtericæ, optimè tamen habuit ab hoc medicamento, à quo fluxus ſtatim ceſſans, priſtinæ ſanitati ægram ſe reſtituere ſivit:

♃. Mannæ Calabrin. unc. ij. Crem. Tart. ſcrup. ij.

M. S. Sumat in juſculo.

2. Vxor amiciſſimi cujuſdam mihi mercatoris fluxum patiebatur album. Vſus fueram medicamentis ſupraſcriptis,& ſat benè ſe habebat. Sed tota erat Venerea, & comedebat omnia guſtui ipſius gra-

indicationibus ſatisfaciens.

(*l*) *Convenit mixtura à nobis Lib. 3. cap. 1. de pleuritide præſcripta, imprimis camphoræ granis coſto additis.*

(*m*) *Item ſequens.*

♃. Rad. tormentill.
Biſtort.
Sem. plantag. ana drachm. j.
Corall. rub. præpar.
Terr. ſigillat. an. ſcrup. ij.
Sacchar. ſaturn.
Camphor.
Flor. Balauſtior. ana gr. 7.
M. F. Pulvis in octo doſes dividendus vinoque rubro ſtyptico exhibendus.

In fluxu nimio ex particulâ ſecundinæ relictâ, convenit ſequens decoctum à Clar. D. Fr. De le Boe. Sylvio maximè commendatum, & fœlici cum ſucceſſu uſurpatum.

♃. Rad. biſtort. drachm. ij.
Herb. majoran.
Puleg. an. m. j.
Coq. ſ. a. ex aq. & vini q. ſ. in colat. unc. 20. diſſolv.
Syr. arthemiſ. unc. j.
Aq. cinam. unc. ſ.
M.
Bibat ægra bis de die ad unc. iij.

Inter externa commendamus ſequens linimentum.

♃. Unguent. Comitiſſ.
Ol. maſtichin.
Myrtillor. ana unc. j.
Sacc. ſaturn. drachm. ſ.
Camphor. ſcrup. j.
M. F. Linimentum.

[*n*] *Lug-*

grata, Oſtrea ſcilicet, acetaria, &c. inde pejus habens, auxilium cujuſdam circumforanei imploravit, qui illi, neſcio quo medicamento, tantam excitavit ſalivationem, ut poſt multos dolores ſit extincta. (*n*)

De affectibus externis in Chirurgia & Anatomia mea Practica, ſatis largè me ſcripſiſſe puto.

(*n*) *Lugduni Batavorum obſervavimus, duas infantes, unam ſeptem annos natam, alteram duorum circiter annorum menſtrua habuiſſe; ſed* nota; *quòd natu minor poſt tertiam menſtruorum fluxionem perierit, major verò natu, ſexies jam habuerit menſtrua, ſingulis menſibus accuratè redeuntia; & quod miratu dignum, ſana eſt & manet; ſimile quoque exemplum, videſis apud G. Fabritium Hildanum Centur.* 11. *obſerv.* 60. *p. m.* 135.

Tribus in fœminis nimio menſium fluxu laborantibus, univerſalibus præmiſſis, uſurpavimus mixturam modò laudatam Lib. 3. *cap.* 1. *deſcriptam, ut & ſequens electuarium.*

℞. *Conſerv. roſar. antiq. unc.* ij.
Cydonior. condit. drachm. vj.
Diaſcord. fracaſtor. drachm. iij.
Spec. aromatic. roſar.
Diarrhod. abbat. ana drachm. ſ.
Croc. martis adſtringent.
Confect. hyacinth. ana drachm. j. ſ.
Corall. rub. præpar. ſcrup. ij.
Syr. myrtin. q. ſ.
M. f. Electuarium.

Doſis eſt quantitas caſtaneæ ter de die.

Si uſnea cranii humani addatur potentiùs operabitur.

Subindè lac dulce cum cinamomo, & cortice quercin. coctum, ovique vitellum in eo diſſolutum uſurparunt; Externè quoque præſcripſimus linimentum mox laudatum.

Satis multa circa fluxum menſium nimium hoc capite complexa videri poſſunt, qui plura remedia voluerit conſulat Faſciculum medic. ſingul. ſæpius jam memoratum. Obſervationes non addimus, quia illæ non ſunt ſatis magni momenti, aut ſatis curioſæ, ut iis vel multùm illuſtretur materia deſcripta, vel Lector aliquid admodum novi in iis reperiat: unicum commendo de quo nihil habet Clar. Autor: ſc. Extractum opii, vel Laudanum quodlibet Opiatum medicamentis mox enarratis vel aliis admiſcendum, quod omnibus ferè mali indicationibus ſatisfacere aſſerit Clariſſ. Deckers.

TRACTATUS
DE PESTE

PESTIS *Morbus eſt incomprehenſibilis*, (ut videtur) *ex vapore ſpirituoſo contagioſoque originem trahens*, *qui quàm ſubito ſanguinis conſiſtentiam, ut ita viribus & vitâ Cor privetur, diſſolvere poteſt.* [a]

Eam

[a] Clariſſ. *De Diemerbroeck* Peſtem ſic definit. Peſtis eſt morbus communiſſimus peracutiſſimus, pernicioſiſſimus & maximè contagioſus, ex maligno & occulto ſpiritibus calorique nativo tota ſubſtantia infeſtiſſimo inquinamento ortus, à quo omnium viſcerum, & imprimis cordis functiones læduntur. Rever. *Athanaſius Kircherus*. Peſtis eſt morbus communis complures ſimul etiam diverſarum regionum infeſtans, dirorum malorum cauſa & origo, lethalis & maximè contagioſus. Excellentiſſ. *Williſius*. Peſtis eſt morbus epidemicus, contagioſus, humano generi ſummè infeſtus, ex miaſmate venenato ab aëre primùm ſuſcepto, dein per contagium propagato, ortum ducens; qui occultè & latenter homines aggreſſus, ſpirituum extinctiones, cruoris coagulationes, ipſius & partium ſolidarum ſyderationes & νεκρώσεις infert, cumque apparentia exanthematum, bubonum, anthracum, nec non aliorum Symptomatum horrendo apparatu, ægros in vitæ periculum adducit. Clar. *Franciſcus Plempius*. Peſtis eſt morbus contagioſus ac malignus, natura ſua epidemicè in animalia graſſans, & plurima morti dans: comitatus plerumque febre peſſima, bubone, vel carbunculo, papuliſvè & aliis pernicioſis Symptomatibus. Alii eam definiunt morbum communem, contagioſum, lethalem, ſpiritus primò, deinde humores, ac tandem ſolidas corporis partes inficientem; à maligna quadam qualitate & putredine non vulgari, internis, vel externis cauſis, aëre nempe, aut de cœlo immiſſum. Alii tandem eam deſcribunt per effectus varios, morbum ſummè malignum, contagioſum, epidemicum, humano generi infenſiſſimum & pernicioſiſſimum, qui in plurimos, modò in regione ſimul integra, modò in urbe aliqua, aut oppido ſimul graſſatur, quo plures intereunt, & pauciſſimi liberantur, functiones omnes vitales, in primis ſubitò, aut citiſſimè, & plerumque etiam animales labefactantem, ſæviora inducentem ſymptomata, laſſitudinem ſpontaneam, vomitus

Eam incomprehenſibilem dico, primo quia Dei pœna ſit, cujus incomprehenſibile judicium & eſſentia (quæ tamen deſcribitur) ab homine nequaquam ad examen revocari poteſt: Deinde, quia, licet omnium ſæculorum peſtilentias diligenter percurras, tam mutabilis ſemper fuerit, ut nullam omnino invenias, quæ adamuſſim cum alia conveniet. Et hæc cauſa eſt, quare in curanda Peſte præſtiterit judicium tuum bene exercitatum ſequi, quam aliorum Medicorum veſtigiis inſiſtere: Et quamvis ſe ipſam gravioribus Symptomatibus ſatis manifeſtet, attamen, licet ſumma ope nitaris, ejus naturam haud facilè comprehendes. [b]

Di r-

tus ſæpè immanes, cardialgiam, ſubitam virium proſtrationem, cordis palpitationes, ſyncopes, aut lypothimias frequentes, præcordiorum æſtum, ſitim, dolorem capitis, vigilias, phrenitidem, & ſæpè tandem convulſiones, febrem ut plurimùm conjunctam habentem, & tumoribus præterea varii generis, bubonibus nempe, carbunculis, exanthematis, puſtulis malignis, aut maculis in cute erumpentibus vulgò comitatum. Ex hiſce apparet Excellentiſſ. Williſium in affectibus peſtis ſeu ejuſdem veneni impreſſionibus in ſanguinem, deſcribendis, omnino à Clariſſ. Autore noſtro idemque etiam docente Nobiliſſ. Franciſco De le Boë Sylvio eſſe diverſum; hi enim ſtatuunt hoc veneno tanquam ſale volatili acerrimo ſanguinis totam compagem diſſolvi; ille verò tanquam ſpiritu acido & ſtiptico eundem ſanguinem coagulari. Verùm de his alibi.

[b] Peſtem morbum eſſe incomprehenſibilem cum Autore noſtro aſſerit Clariſſ. *Franciſcus Plempius* dum ſcribit. Qualis porrò ſit naturæ & eſſentiæ venenum peſtilens, hominem mortalem ſcire non poſſe puto. Volunt aliqui habere naturam arſenici, napelli, & aconiti: quòd horum venenorum effectus in peſte laborantibus plurimùm ſe prodant. Sanè homines malefici peſtem aliquando excitaſſe creduntur, ſuccos napelli & aconiti coquendo, injectis arſenici aliiſque venenatis pulveribus in unguenti formam; quo portarum cornices, vel veſtimenta, vel aliam ſupellectilem illinebant; quæ dum aliquis attingeret vel tractaret, per corporis poros veneni vim in cor admittebat. Quòd autem hoc fieri poſſit ſcribit *Matthiolus* celebris herbarius in *Dioſcoridis* lib. 4. cap. 37. aiens, napelli radicem exterioribus ſolùm digitis leviter attritam velociter interimere. (*illud nos non uno experimento, ſed pluribus omnino falſum deprehendimus, ut & alia multa quæ celebris ille Herbarius confidenter nimis profert.*) Id quod non magis mirum videri debet, quàm quòd quis aliquandiu peſte infecti ſudantem tenens manum peſte corripiatur & pereat. Verùm aliorum etiam venenorum naturam æmulatur peſtis. Varia enim valde eſt, & varia inducit Symptomata;

DIFFERENTIA. Quædam omnino ſine febre eſt. [c] Hoc qui ignorat majori indiget experientia, & ſe non ſatis in bonorum auctorum ſcriptis verſatum prodit. Non paucis adfui, quibus aliàs ſanis, bene & comedentibus & dormientibus, Bubones erant in inguine, in collo, ſub axillis, & poſt aures, malignitatem ſuam in curatione magis manifeſtantes quam bubones illi, qui febrem intenſiſſimam comitem habebant. Imo quidam jam ſatis admoniti, ſed homines præfractæ mentis ſummeque increduli, magno cum ſuo damno experti ſunt, hoſce bubones ad interiora propulſòs & imminutos, illico graviora ſymptomata excitaſſe; & multò periculoſiora iis, quam quæ media convenientia adhibentibus eveniebant, & hac de cauſa etiam facilius curabantur.

Quædam

varias partes affligit, & modo faciliùs, modò difficiliùs curatur, aliquãdo nullo modo. Item quę peſtis uno tempore certo aliquo remedio fœliciter curatur alio tempore potius exaſperatur. Ex quibus varietas veneni peſtilentis colligi poſſe videtur. Unde quoque ratio elici poteſt, cur & quomodo peſtes aliquæ graſſentur in homines, & non in alia animalia: cur item in certam tantùm quandam animalium ſpeciem. Nam non omnia venena ſunt omnibus venena, ſed certis ſolùm quædam, uti notum eſt. Sic etiam Illuſtriſſ. *Sydenham.* Quæ qualiſque ſit illa aëris diſpoſitio à qua morbificus peſtis apparatus promanat, nos pariter ac complura alia, circa quæ vecors ac arrogans philoſophantium turba nugatur, planè ignoramus. Quicquid ſit hoc ſaltem nomine Dei Opt. Max. clementiam ac bonitatem merititiſſimo jure veneramur, quòd aëris conſtitutiones λοιμώδεις ideſt, peſtem malorum omnium immaniſſimum, ac humano generi maximè internecimum inferentes, rariùs evenire voluerit, quàm quæ cæteris affectibus minùs exitialibus ſuſcitandis inſerviant. Hiſce in totum non aſſentit Rever. *Athanaſius Kircherus* dum explicaturus peſtis propriam eſſentiam, inquit, illam eſſe innumerabiles vermiculos inſenſibiles inſtar atomorum per aërem vagantes: eoſque habere glutinoſam viſciditatem, quâ facilè rebus adhæreſcant. Chriſtianus Langius hanc opinionem ſequutus peſtem eſſe animatam, in præfatione ad librum Kircheri de Scrutinio peſtis defendit, aliique itidem aſſerunt. Sed de his in ſequentibus, dum cauſas peſtis ex accuratioribus, agitabimus.

[c] Nobiliſſ. Franciſcus De le Boë Sylvius cum Clariſſ. Autore noſtro affirmat febrem non eſſe de eſſentia peſtis, & peſtem ſine febre reperiri; quod faciliimè colligi poteſt ex hiſce illius verbis. De peſtis eſſentia non eſt calor univerſum corpus afficiens, at interiora præſertim. Nam tunc tantùm exteriora ſimul afficit calor, quando peſti comes adeſt febris; aliàs partes externæ parum vel nihil calent ultra ſolitum; quamvis ardor exerceat partes

Quædam Peſtis *cum Febre eſt*, & rurſus, *Febris quædam peſtilens ſine Peſte eſt.*

Febrem hanc à Peſte ipſa hoc modo diſtinguere ſolebam. Febricitantes de dolore conqueruntur Capitis & Stomachi, nonnunquam totius Corporis, quandoque Axillas, Collum, locum poſt Aures, aut Inguina occupante. Exterius ne minimam quidem protuberantiam aut præternaturalem tumorem, etiamſi diligentiſſime inveſtigaveris, invenies. Sudorem ſi mediis idoneis provocaveris, omnis dolor recedit, & æger aliquando primo, aliquando ſecundo, & aliquando tertio die integræ ſanitati reſtituitur; & in externis partibus nihil conſpicitur. Febris talis quo colore Peſti adnumerari queat, non video. At vero Bubone, Carbunculo, aut Petechiis, exterius ſe exhibentibus, *Peſtem* perfectam eſſe nemo dubitabit.

Causa aut *interna* eſt, aut *externa*, ſed ambæ hac virtute ſunt præditæ, ut quam ſubitò naturalem ſanguini conſiſtentiam & vires auferre poſſint.

Sed de *Interna* ut aliquid addamus, ſciendum eſt procul omni dubio verum eſſe, cibum & potum tam magnam & ſubitaneam mutationem corpori humano inferre non poſſe: Aſt denuò pro certo conſtat, ſanguinem, prava diæta diutius inſtituta, paulatim adeo diſſolvi, debilitari atque impurum reddi, ut parte jam aliqua malignam naturam aſſumente, homo abſque ulla alia cauſa externa in morbum ſubitaneum incidat, imò & ipſam mortem obeat. Quod nobis non ſemel in variis ægris temporibus minimè contagioſis obſervare licuit; qui bubonibus perfectis aliiſque ſymptomatibus multò graviùs laborabant, quàm quidem ullus hoc tempore contagioſo laborare potuit.

Externas cauſas nemo prorſus in dubium revocavit, ſed quis ea- rum

tes internas; iſque non tantum ſitim vehementem, at inſuper inquietudinem valde moleſtam excitet. Sed hic à quibuſdam reſpondebitur; quòd cum calor non ſit de eſſentia propria febris, (ſiquidem plurimæ ex febribus, iiſque maximè malignis, ſitis ac caloris expertes, tragædiam ſuam peragunt] at potius irritatio cordis, ea peſtem non

deſtitui, licet ob citiſſimum temporum ſuorum decurſum, nonnunquam minus ſentiatur. Verùm non eſt quòd hic multum ſimus ſolliciti, quandoquidem in variarum harumcè opinionum, atque præcipuè de propria febris eſſentia, quam alii in peſte manifeſtam credunt, alii minimè, peſtiferorum ſalutem verſari non arbitramur.

d Nobis

rum naturam perſpectam habet? Chymici, ſimplicium medicamentorum partes ignis ope accurate ſatis reſolvere valentes; in ſale volatili, ſanguinis ſal fixum ſubito diſſolvente, contagium quærunt, quod veritatis aliquam ſpeciem habet: [d] ſed Sapientiæ ſal omnes haud deguſtarunt, nec inſulſis hominibus mundus unquam deſtituetur, quare impoſſibile eſt hæc uniuſcujuſque palato ſatisfacere poſſe.

Si ex aliis quæras qua in re contagium illud conſiſtat, multa quidem reſpondebunt, ſed ne gry quidem digna ſunt,

Certiſſime tamen ſcimus cœlitus eam nobis immitti, Aſtra non duntaxat gratiſſimo lumine, ſed etiam variis qualitatibus atque peculiari influentia in ſublunaria agunt, verùm quid ille, hoc ſtatuendo, aliud quam incertas ſuſpiciones tradidit? Aſtrologiæ ut & prędictionum

[d] Nobiliſſ. Franciſcus De le Boë Sylvius omnino hanc defendit opinionem, ſc. ſanguinem compagem à veneno peſtilenti prorſus diſſolvi, contra quam tamen ſentit Excellentiſſ. Williſius qui eundem ſanguinem à veneno memorato coagulari aſſerit, nos in re non experta nihil pronunciamus, ſed ad alios remittimus, inter quos Illuſtriſſ. Sydenham, Prope eſt, *inquit*, ut credam Peſtem peculiarem ac ſui generis febrim eſſe, quæ à particularum ſanguinis ſpirituoſiorum, inflammatione originem ducit, utpote cujus naturæ ſubtiliſſimæ, præ tenuitate ſua maximè proportionatæ ac adæquatæ videntur. Quòd ſi ſubtilitate qua poteſt maxima pollet (ut in principio & ſtatu conſtitutionis epidemicæ videre eſt) ſubito ac quaſi ex improviſo, calorem nativum diſſipat, & ægrum è medio tollit: Cadaveribus interim hujus morbi ferocia tam ſubito extinctorum, maculis purpureis undiquaque conſperſis, atque fœdatis; nempe fibris cruoris præ inteſtini conflictus violentia diſſilientibus & compage ipſius prorſus diſſoluta. Atque hæc tragœdia præ hujus quaſi flammæ ſubtilitate eximia etiam ſine aliqua ſanguinis febrili ebullitione, vel alterius ægritudinis præſenſione, cietur. Secùs quam ut plurimùm accidit ubi cauſa morbifica minùs ſubtilis exiſtit, & quaſi obtuſiori telo vitam impetit. Idem confirmat Clariſſ. atque Experientiſſ. de Diemerbroëck in hiſtoria cujuſdam Angli peſte affecti, ex cujus vena aperta ſanguis floridus magna vi erupit, cumque aliquot jam effluxiſſent unciæ, Chirurgus nullis compreſſis, nullis ligaturis, fluxum ſanguinis cohibere & venæ inciſionem obturare potuit. Cauſam autem primariam illius diſſolutionis ſanguinis ponit Nobiliſſ. Sylvius in Sale volatili acerrimo in partibus mundi calidiſſimis ſublimato, & inde à ventis auſtralibus ad nos devecto, Symptomata peſtis omnia inde ingenioſè admodum deducit, ſicque à poſteriori ſatis ſuperque, ut ipſe credit, mentem

ctionum incertitudo ex aſtrorum curſu, concurſu atque oppoſitione derivata, nobis non ſunt incognita: ſed aſtra contemplandi alias opportunior erit locus.

Neque ignoramus *Aerem* quoque variis modis infici poſſe: huc *Vapores terræ*, ignis cadentis inſtar in nos iterum demiſſi: *Aquæ* fœtentes; *Cadavera*, terræ aut non, aut male mandata; *Auſter* putredinem promovens; *Homines* infecti, contagium aliis ſucceſſivè communicantes, ſicque & homines plures, & aërem ipſum corrumpentes.[c]

Ad admi-

tem ſuam probat. Si de ſola ſanguinis diſſolutione ſubitaque, inde orta morte hoc in morbo ageretur, experientiam propriam adjungeremus; nam ſæpè injectis volatilibus acerrimis, quales flores farinacei arſenici, in aqua diſſoluti, vel alii multa acrimonia noxii; injectis inquam volatilibus acerrimis in brutorum viventium venas, effecimus ut ſtatim quaſi ſyncope tacta morerentur, totumque ſanguinem in eorum vaſis ita diſſolutum reperiebamus, ut vix contineri, ſed per membranas quaſi transſudare, & eorum minimis diſſectis vel abruptis pleno impetu & abundantiſſime, exilire cerneretur. Alias propè omnes cauſas à variis Autoribus aſſignatas perſequitur Experientiſſ. de Diemerbroëck, illis itaque non immoramur; ſed unicam attingimus quam ut ſuprà innuimus defendit Rever. Athanaſ. Kircherus eumque ſequuti plures, dum aſſerunt beſtiolas per aëra volitantes, & in vitæ theſaurum per reſpirationem ſuſceptas peſtem ſecum deferre; verùm quis non videt hallucinatos eſſe graviſſimos Autores, dum beſtiolas deſcriptas in carbunculis peſtiferis & bubonibus, eaſque aliis ſibi adaptatis inde avolare, videntes, continuò concludunt ibi cauſam peſtis latere; animalcula omni corruptioni ſunt familiaria, ſic putris caſeus vermiculis ſcatet, acetum quod eſt vinum corruptum iis abundat, febrientium ſanguis vermibus plenus eſt, infinita rurſus alia recenſere poſſemus; quid igitur mirum ſi in peſtilentiali corruptione ejuſmodi fiant generationes; & quis non videt ſi in hac formatione poneretur genuina peſtis cauſa, omnes alios morbos peſtilentiales eodem jure dici debere, ſiquidem in corruptione eos concomitante fiunt ejuſmodi productiones; quod non tantùm de ſanguine febrientium in genere, ſed de eo & humoribus variis in omnibus propè aliis morbis peccantibus aſſerere, & demonſtrare poſſemus.

[c] Celeberr. Helmontius non à Cœlo, non à terra, aqua, aëre, non ab aliis peſtem generari aſſerit, niſi occaſionaliter & merè per accidens, ſed auram vitalem, ſeu ſpirituum opificem potentiam, quam Archæum vocat, totius vitalis auræ moderatorem, ex idæa conceptæ peſtis, *gas* fracidum jam (ita enim appellat Paracelſum ſecutus) & diſpoſitum, quem cruorem

Ad admirationem uſque experimur, contagioſum hoc venenum in ſtramine, veſtimentis, epiſtolis & multis aliis rebus aliquamdiu occultari poſſe, & ea tandem tractantem inficere.

Sed hæc omnia non niſi quænam illa ſint, quæ venenum peſtilens inferunt, declarant, verùm quid illud ſit, & in quo natura ejus conſiſtat, nullus hactenus maniſeſtè declaravit.

Signa. Horrore ægri corripiuntur, mox æſtu interno. Ingens hic ſæpius æſtus ſiti exiſtente levi; aliquando verò ſitis magna febri leviori juncta. Sed plerumque, ſive febris magna, ſive parva adfuerit, linguæ ſiccitas, & urinæ conſtitutio ea quæ eſt ſanorum conſpicitur. Aliquando ægri ſomno valde ſunt dediti; aliquando delirant, aut gravi capitis dolore vexantur, & tum oculi album ignei coloris eſt, & vigiliæ admodum infeſtant. Anxietas cordis magna, Pulſus parvus, ſi non primo leviorique attactu (ſic enim ſæpius magnus) vehementiori ſaltem digitorum compreſſione perſentitur. Vires mox in principio, & longe vehementiùs, quam in ardentisſima febri non maligna, deſtruuntur. Nonnulli Diarrhœa affliguntur nullis medicamentorum viribus curabili. Quidam vexantur hæmorrhagia narium, oris, oculorum, aurium, penis, uteri. Alios vomitus moleſtat continuus, alios nauſea Sunt quibus Maculæ rubicundæ aut purpureæ erumpunt: Multi Bubones poſt aures, in collo, ſub mento, in inguine, ſub axillis habent. In aliquibus Exanthemata rubicunda, in quibuſdam Veſiculæ albicantes, in nonnullis Carbunculi, in aliis Petechiæ ſe produnt. Et tales Veſiculæ, Bubones, Carbunculi, &c. ubi adſunt, Peſtis certisſimum ſignum evadunt, etiamſi nullius fuerint magnitudinis, præſertim ſi febri conjungantur, aut eam inſequantur. [f]

PRO-

tartari vocat [& eſt ſpiritus non coagulabilis] peſtifero veneno infectum, peſtem generare; ſiquidem ipſe Archæus perterritus ſtatim peſtiferam concipit imaginem, eamque deſe tis corporis regendi habenis ſuis affectis communicat; unde turbata vitalium negotiationum œconomia, venenum occaſionaliter adveniens, expulſo, profligatoque Archæo totum microcoſmum ſibi vendicat, ejuſque ſtatum ad internecionem uſque conficit. *Sed hæc ſanè ſunt mera verba, & quibus nihil aut ſaltem parum admodum explicatur; quicquid admirentur hujus Hæreſiarchæ Sectatores.*

[f] Signa peſtem brevi adventuram ſignificantia ſunt plurima, modò obſcuriora, modò clariora: nimirum ſi annus temperamentum non ſervet, verum

Prognosis. Peſtis naturam habet fallaciſſimam, & dum maximè adblanditur maximè nocet. Bubo minoris periculi eſt Carbunculo, hic verò Petechiis, quæ rariſſimè ſolent eſſe ſalutares.

Bubo poſt aures, in collo, aut ſub axillis, periculi plus habet eo, qui in inguine exoritur.

Carbunculi in digitis manuum pedumvè à Corde remotisſimi videntur, verùm quod tendines plurimi nervique ibi exiſtant, periculoſiores multò iis, qui in partibus carnoſis occurrunt.

Buboni accedens Carbunculus lethale ſignum eſt.

Bubo aut Carbunculus ſi Febrem anteceſſerint, minus periculum eſt, quam ſi ſequantur, tardèque ſe oſtendant.

Bubonis inflammatio gravior Chirurgo alterationem inferre minimè debet, ſed circulus ejus lividus ſecundo die mortem inſtare plerumque indicat.

Bubo

rum immodicos & valde intempeſtivos habeat caloris aut frigoris, ſiccitatis aut ſqualoris, exceſſus; Si morbilli aut variolæ magna copia paſſim graſſantur, ſi phlegmones aut bubones febres regnantes concomitantur. Addunt Aſtrologi ſyderum certum aſpectum & cometarum apparentias: verum contra illos acerrimè & graviſſimè diſputat Clariſſ. Carolus De la Font in Tractatulo quem de veneno peſtilenti conſcripſit. Ex fame præcedente certiſſimum peſtis ſequuturæ præſagium deſumitur. Etenim ſimilis anni conſtitutio quæ plerumque ſegetes ſyderatas & annonæ caritatem advocat, apta eſt & peſtem producere: etiam mala victus ratio, qua utuntur famelici, quævis inſalubria ſine delectu comedentes ad labem facilius ſuſcipiendam eorum corpora diſponit. Quin etiam terræ motus, cryptæque & cavernæ dehiſcente ſolo recens apertæ propter malignæ & venenatæ auræ eruptiones, peſtilentiis non rarò initia dedere. Hæc præcipuè ex Williſio; quibus adjungit Diemerbroëckius. Stellarum ardentium in cœlo oberrantium magnum concurſum, & in terram prolapſionem; plurima & ferè continua nocturna fulgura, cælo non nubiloſo exiſtente, ſine pluviis & tonitrubus; ventos auſtrinos diuturniores, ſæpè etiam nullos manifeſtos; hyemes tepidas; avium multò rariorem numerum quam aliis temporibus; maximam & incredibilem inſectorum copiam, ut culicum, papilionum, ſcarabeorum, crabronum, cicadarum, omniumque maximè muſcarum; carnium aliarumque rerum putredines, præter conſuetudinem longè citiores & graviores; mulierum gravidarum frequentes abortus; morbos epidemicos mali moris, dyſenterias valdè malignas & contagioſas, imprimis febres putridas maligniſſimas,

ff 2 & pur-

Bubo ſi ad interiora recedat, extremo in periculo verſatur æger, niſi malignum humorem ad loca alia natura ablegaverit. Sic non ſemel obſervavi, ad interiora ſubitò recurrente materia, bubonem in inguine cauſante, gangrænam pedis in latere affecto ſubortam fuiſſe, plurimoſque ſic evaſiſſe.

Si veſicatorium præter ſolitum ſuum morem veſicam non excitet, ægrotantis amicis indicato ipſum vix mortem evaſurum.

Veſicatorio, vel Cauterio actuali ſi 12. aut 24. horarum ſpatio Carbunculi augmentum non impediatur, mortem inſtare certisſimum eſt, imò tum etiam ſi nihil humiditatis inde effluat. Verum ſi veſicula aut ſeparatio (quæ magna præſtat) & pus debito modo ſe oſtendant, æger ſalvabitur.

Carbunculus cauda quadam præditus valde periculoſus: aſt idem albeſcens ſine magna febris imminutione curationis ſpem adimit.

Bubones in collo, vel poſt aures ſi faucium dolorem moveant, & deglutitionem abſque magna inflammatione impediant, æger poſt duodecim aut quindecim horas ſuperſtes non manebit, quod magna cum triſtitia verum eſſe obſervavimus.

Somnus profundior, Delirium, Vigiliæ nocturnæ, Oculorum inflammatio, anxietas Cordis, tremor Membrorum & convulſiones, periculum indicant, ſed omnem curationis ſpem non adimunt.

Febris magna ſine anxietate Cordis periculoſa adeo non eſt, quàm febris minor cui conſtrictio cordis adeſt.

Lingua quò ſicca magis, eò majus periculum.

Sudorifera ſatis idonea ſi ſudorem haud moverint, ægri plerumque intereunt.

Sanguinis fluxus aliis contagioſis temporibus Medicis valdè fuit ſuſpectus: ſed qui hoc tempore hæmorrhagia narium vel menſium fluxu laborant, fermè omnes ſalvantur. Mictionem cruentam hoc tempore non obſervavi: ſed qui Dyſenteria laborant, ſubita morte intereunt.

Admodum rarum eſt, attamen verum, Oculum, Naſum, Ventriculum, imò & inteſtina ipſa Carbunculis, abſque ulla curationis ſpe, affici poſſe.

Veſicam urinariam occupans ſummo cum dolore interimit ægrum. Vnicum habui, qui, poſtquam ad horas 30. & plures Iſ-

churia

churia laboraverat, præcedente dolore maximo, delirioque, ſanguinem primo, mox purulentam materiam per penem excrevit, atque ita ſanitati eſt reſtitutus. Carbunculum hic adfuiſſe conjiciebam, non quidem in parte veſicæ membranea, ſed vero in ejus cervice. §

CURA-

& purpuratas, plurimiſque lethales. Individua peſte corripienda quod attinet, nulla aut pauciſſima ejuſcè luis in ipſos deventuræ præſagia aut ſigna dantur, nam ferè omnes ex improviſo feriuntur. Unicum obſervavit Diemerbroëckius in peſte Noviomagenſi, quòd ſc. ubi aviculæ (quas nonnulli caveis incluſas delectationis gratia alebant) moriebantur, in illis ædibus etiam non diu poſt, imò frequentiſſimè intra duos treſvè dies, inter inhabitatores homines peſtem dominatam fuiſſe, idque multis in locis ſeu ædibus contigiſſe vidit.

Signa verò & Symptomata peſtem concomitantia, præterquam quod multa à Clar. Autore deſcribuntur, etiam ſunt ſequentia. Jactationes corporis: terrores: convulſivi ſubſultus, & quaſi leves membrorum contractiones: viſus turbidus: aurium tinnitus, & in nonnullis ſybilus: linguæ ſiccitas, rariùs tamen nigredo: oris & ſudoris graveolentia: hæmopthyſis: tuſſicula ſicca: inappetentia: oris ventriculi dolor: ſingultus: alvi dejectiones crudæ, admodum fætentes, ut plurimùm turbidæ, ac interdum cum vermibus: urinæ multis optimi coloris & ſedimenti, ſanorum urinis ſimiles, multis igneæ, aliis tenues & crudæ, interdum quoque turbidæ, nonnullis etiam unica die variæ, nempe modò bonæ & laudabiles, modò turbidæ, vel igneæ, aliquibus quoque ſanguineæ. In aliis impotentia ad motum ab ipſo morbi principio, in aliis vires robuſtæ uſque ad mortem. Calor corporis in aliis acer & vehemens, in aliis tantùm naturalis. Color vultus aliis pallidus, aliis eryſipelaceus, plurimis verò ſanorum colori non multùm abſimilis. Hæc ſigna ab Experientiſſ. Diemerbroëckio petita, ut & alia à Clar. Autore adnotata non pleraque ſimul in eodem videntur individuo, ſed modò hæc in uno, illa in altero.

§ Alia rurſus ſigna prognoſtica, & quædam etiam ab Autore propoſitis ex parte contraria, habet Diemerbroëckius, quorum experientiam fecit in peſte Noviomagenſi, quæque ex ipſo hic deſcribemus.

Criticæ mutationes qualeſcunque, diebus decretoriis incidentes nihil certi in hac peſte promittebant. At ſextę diei criſes ſemper certò lethales erant.

Quicunque circa novilunium aut plenilunium peſte corripiebantur, ij de vita maximè periclitabantur.

Peſtis quæ invadebat poſt ingentem iram, vel terrorem, vel venerem fortiorem, multò gravius periculum minabatur, quàm quæ abſque his prę-curſoribus corripiebat.

Magna virium proſtratio in morbi principio, ut & crebra animi deliquia, ac cordis palpitationes, periculoſa, imò plerumque mortalia ſigna erant.

Pulſus ſanorum pulſui ferè ſimilis, fallax & periculoſus, intermittens verò ſemper lethalis erat.

Sopores à principio morbi grave periculum indicabant.

Sternutationes crebræ mortis præcones erant.

Delirium levibus membrorum contractionibus & ſubſultibus conjunctum, certam mortem prædicebat.

Dolor in gutture ſine ullo tumore, ſine aphthis, oriſvè ſiccitate, ut & raucedo, imminens exitium certò pronunciabant.

Narium hæmorrhagia die decretorio incidens, valde periculoſa, non decretorio lethalis erat.

Anhelitus valde fœtens, quaſi carnium putreſcentium fœtorem olens, plurimis infœlix ſignum erat.

Pleuritides quę durante hac peſtilenti conſtitutione invadebant, ſemper lethales erant, ſive præcederent, ſive ſtatim ſequerentur peſtis invaſionem.

Tuſſicula, ſpirandi difficultas, ſputum cruentum, dolor punctorius in pectore, hepate, liene, renibus, utero, aut veſica, hæc omnia calamitoſa erant.

Singultum ſemper mors citò ſequebatur.

Vomitus erat moleſtiſſimus, multoſque ad mortem uſque comitabatur, multis etiam tempeſtivo alexipharmacorum ſubſidio feliciter ſiſtebatur.

Suppreſſio alvi in morbi principio & augmento, imò uſque ad vigoris declinationem, laudabilis erat, & ſpem ſalutis dabat.

Alvi fluxus ſummum minabatur periculum, & cum hoc vix centeſimus evadebat æger.

Cum urinis ſanorum urinis ſimilibus multi ſubitò moriebantur, idque non rarò ſine gravibus, ut videbatur ſymptomatibus.

Urinæ turbidæ malę quidem erant, ſed cum his tamen nonnulli evadebant.

Urinæ pingues, oleaginoſæ, nigricantes, liveſcentes, vel hypoſtaſin lividam nigramvè deponentes, ferè ſemper exitioſæ erant.

Qui per urinarias vias ſanguinem excernebant, ſive ſolum, ſive urinæ permiſtum illi omnes brevi moriebantur.

Menſtruorum fluxus peſti ſuperveniens, etiam die critico erumpens valde periculoſus, & plurimis exitioſus erat, die verò non critico certiſſimę occidebat.

Mulieri gravidæ, puerperæ, vel abortienti, ſi peſte corriperetur, quod pleriſque contingebat, magnum periculum imminebat, & tales plerumque moriebantur.

Si fonticuli quos ad præſervationem multi habebant, in morbi principio exareſcerent, certæ mortis indicium erant.

Tumores in emunctoriis, & imprimis qui in faucibus & ponè aures protuberabant, ſi ſpatio duodecim, vel viginti horarum valde increſcerent, & molles eſſent inſtar tumoris flatulenti, ſive cum, ſive abſque inflam-

CURATIO. Venæſectio peſte laborantibus admodum noxia eſt, iis itidem qui à peſte præſervari volunt ſanguloſa. h

V ene-

inflammatione, ſemper lethales erant, & quamvis ægri cum talibus tumoribus ſe aliquandiu non admodum malè habere viderentur, omnes tamen moriebantur.

Contrà ſi illi tumores in principio duri eſſent, inſtar tendinis duri, rigidi, & oblongi, atque paulatim increſcerent, cum tolerabili dolore bonum erat, præcipuè ſi inter creſcendum duritiem illam aliquandiu ſervarent.

At ſi duri illi bubones circulum diverſi coloris inſtar iridis haberent, malum erat indicium, ac perniciem prænunciabat, ut & ſi rubicundi, lividi, aut nigri fierent.

Si tumores in emunctoriis citò ad ſuppurationem pervenirent imminutum periculum ſignificabant. Si verò ceſſante febre paulatim ſine ulla ſuppuratione evaneſcerent, nihil quoque metuendum erat.

Si in emunctoriis loco tumorum emergerent carbunculi, graviſſimum periculum indicabatur.

Si carbunculi tardiùs prodirent, malum: ſi valde multi erumperent, peſſimum erat.

Carbunculi ſi intra duos treſve dies circulo rubeo comprehenderentur, citius & facilius ſanabantur. Si verò inſtar ſphaceli quotidie latiùs proſerperent, magnamque latitudinem acquirerent, difficilis curationis erant, imò ſæpè peſſimi ominis, præcipuè ſi ſupra dorſi ſpinam, vel in parte aliqua nervoſa ſubſiſterent.

Carbunculus in principio ſubſidens, recurrens, ac ferè diſparens, vel poſtea manente febre exareſcens, calamitatem prædicebat.

Cum maculis rubris nonnulli evadebant; nulli cum purpureis, violaceis, vireſcentibus, aut nigris.

Hæc fuſiùs ex Illuſtriſſ. Diemerbroëckio huc tranſcribere placuit, quoniam maximè faciunt ad accuratiſſimam morbi peſtilentialis prognoſin, cujus ſanè abſoluta cognitio magis quàm in ullo alio morbo perquam neceſſaria exiſtit.

h Idem defendit Experientiſſ. Diemerbroëckius, dum ait. Venæſectiones in iis qui à peſte præſervari volunt, quamvis à multis veteribus & neotericis medicis ſummè laudatæ, tanquam valdè periculoſas & damnoſiſſimas rejicimus: Ratio eſt quia exhauſto ſanguine, & viribus imminutis, cor malignam auram minùs potenter à ſe expellit, minuſque eam evincit & extinguit, atque hinc ab inſpirato maligno aëre peſtilens qualitas faciliùs & graviùs ei imprimitur. Et alibi, ubi de ipſa peſtis curatione. Nos in peſte Noviomagenſi venæſectionem damnoſiſſimam fuiſſe animadvertimus, ac proindè venam nullis ſecuimus, nec ſanis, nec ægris imò vix quidem in aliis morbis qui venæ ſectionem exigere videbantur. Illud enim obſervavimus, ſi peſte correptis vena ſecaretur, illos ad unum omnes certò & citò obiiſſe: ſi aliis morbis laborantibus,

tibus,

tibus his ſtatim poſt venæ[illegible]onem ſe adjunxiſſe peſtem: ſi ſa[illegible] plurimos eorum, qui illud tentaverant, brevi poſt peſte correptos fuiſſe. Scarificationibus, cucurbitulis, & hirudinibus loco venæſectionis, etiam uſi non ſumus. Contra quod Illuſtr. Sydenham. Cum minimè ſecurum ſit in exterminando peſtilentiali morbo naturæ veſtigiis inſiſtere, diſpiciendum venit quâ demum arte id fieri poſſit, nempè aliam, atque à naturali diverſam, hujuſce morbi ſolutionem aggrediendo. Hoc autem dupliciter omnino fieri poſſe exiſtimo; ſc. vel per ſanguinis miſſionem, vel per ſudores. Priorem quod attinet, non ſum neſcius ſacram apud pleroſque audire in hoc morbo venæſectionem. Verùm vulgi præjudicia parum moratus, rationum in hac quæſtione momenta, qua par eſt æquitate, atque candore, pauliſper expendam. Ac primùm quidem medicorum, qui graſſante nupera lue in Urbe Londinenſi perſtiterunt, fidem appello, numquis eorum, phlebotomiam larga manu ac repetitis vicibus, nec non tumore nullo adhuc protuberante celebratam, peſte laborantibus funeſtam eſſe animadverterit? Parcam quidem vel tumore jam conſpicuo ſanguinis detractionem ſemper damnoſam eſſe, neutiquam mirandum eſt; ſiquidem cùm mediocris tantùm quantitas cruoris adimitur, hinc naturæ, quæ tumori protrudendo totas intendit vires, rei adminiſtratio è manibus eripitur, nec interea alia ſatis efficax materiam morbificam evacuandi, ratio ſubſtituitur. Apparente autem jam tumore celebrata venæſectio, cùm à peripheria ad centrum trahat, motui naturæ, qui fit à centro ad circumferentiam, inducit motum planè adverſantem. Nihilominus vix quicquam frequentius factitatum videas, quam phlebothomiæ, perverſo hoc ritu adminiſtratæ, noxam, à contrariæ ſententiæ patronis univerſim ac in genere adverſus ſanguinis in hoc morbo detractionem validiſſimi argumenti loco torqueri; uti in Diemerbroëckio aliiſque obſervationum ſcriptoribus paſſim videre eſt. Quod ad me attinet equidem eorum ratiocinationi aſſentiri non poſſum. Hæc omnia in totum conſona ſunt iis quæ ſcribit Leonardus Botallus in ſuo de curatione per Sanguinis miſſionem Tractatulo. Ego, inquit, ut uno verbo dicam, nullam peſtem eſſe puto, cui venæſectio non poſſit eſſe ſalutaris ſupra omnia remedia, modò opportunè, & quantitate convenienti uſurpata ſit, ratus eam aliquando inutilem inventam fuiſſe, propterea quòd aut tardiùs, aut parciùs quàm opus eſſet, aut quòd utroque modo circa eam uſurpandam peccatum ſit. Exempla adducit in ſequentibus eorum qui cùm peſte corriperentur, per largiſſimam venæſectionem curati ſunt; quæ nimis longum eſſet hic tradere; & poſtea addit ſibi multa alia ſupereſſe ad ſuam probationem facientia experimenta, de quibus ſeorſim latiùs alibi dicere conſtituerit; tandemque concludit febrem nullam peſtilentem eſſe, cui non conveniat æquè vel potius magis miſſio ſanguinis, quàm Synochæ putridæ. Mediam in hac difficultate fovet ſententiam Excel-

Venenum ſæpiùs ad dies aliquot, ſeptimanas, aut menſes, in corpore extra vaſa deliteſcit, antequam per uſum ſanguinem commoventium medicamentorum ſeſe manifeſtet. Quod ſi Venæſectione id ad Cor trahas, tuum eſt inquirere, annon ſanguinis, ſpirituum, viriumque imminutio, te autore, cauſa ſit, cur ſuffocetur Cor, hoſtemque fugare haud valeat. Medici quidam fide digni, & in arte exercitatiſſimi, in locis calidis, Venæſectionem caute, & in initio inſtitutam, mediorum anti-peſtilentialium præcipuum ſemper fuiſſe referunt: Sed qui in hiſce frigidis regionibus eam imitabantur, facilè ab eadem abſtinebant; imo Medici noſtrates de venæſectione prorſus nunc ſilent.

Purgationes alterum Argum requirunt: nam quemadmodum in maligno hoc morbo nequaquam locum habent; ita in benignis aliquando ſummopere neceſſariæ ſunt: Verùm hos recte diſtinguere cujuſvis non eſt. Præterea etiam experimur peſte graſſante, non eſſe licitum tam fortia aut acria medicamenta purgantia exhibere, quàm peſte non graſſante: nam præterquam quod ipſum corpus tam vehementia

lentiſſ. Williſius, dum in præſervatione peſtis, inquit, commendari poteſt venæſectio ubi adeſt plethora cum magna ſanguinis turgeſcentia, aut quibus longa conſuetudine ſanguis ſolenniter mitti ſolebat, iis venam ſecari convenit: quò enim ſanguis minùs effervеſcit, & ſine tumultu in vaſis circulatur, eò tardiùs lue peſtifera contaminatur. Et in ſequentibus. Auxilia in curatione peſtis adhibenda, quæ ad chirurgiam ſpectant, ſunt venæſectio, quæ raró, & admodum cautè in hoc morbo celebrari debet, quia ſanguine nimis exhauſto, & vaſis concidentibus, diaphoreſis non adeò facile procuratur; hujus vicem meliùs ſupplent cucurbitulæ cum ſcarificatione, &c. Nos ſane in hac lite nihil pronunciare audemus, quamvis ſi in re inexperta aliquid dicere liceret, aſſentiremur potius Clariſſ. noſtro Autori & Experientiſſ. Diemerbroëkio, quàm aliis; nam poſito venæſectionem largiſſimam in aliqua peſte medicamentum eſſe certum, non tamen concludendum eam in omni peſte & omnibus individuis ea laborantibus uſurpandam eſſe: præterquàm quòd, ut etiam bene adnotat Illuſtriſſ. Sydenham, hæc praxis difficultatibus plena eſt, dum ſc. ægri vix auſcultant medico hoc remedii genus proponenti; & dum ex parte tantùm ſanguinem mitti permittentes, neceſſariò mortem incurrunt. Præſtabit, itaque medicamentum univerſalius & tutius adhibere, quod in ſudoriferis adinvenitur, ut optimè aſſerit Diemerbroëckius, & alii; Interim judicium eſto penes expertos.

mentia medicamenta non ferat, facillime etiam Dyſenteriam excitant. Potione ſequenti, aut ſimili, ſæpius ſummo cum ſucceſſu uſus ſum, quoties nihil malignitatis adeſſe mihi perſuadebam.

℞. Rhei elect. drachm. j.ſ. Fol. Senn. mund. drachm. ij. Crem. Tartar. drach. j. Rad. Scorzoner. unc. ſ. Sem. Aniſ. drachm. ſ. Coq. ex aq. Card. bened. Colaturæ unc. iij. Adde Syr. de cichor. cum Rheo, drachm. vj. Spir. Salis parum Conf. alkerm. ſcrup. j.

M. F. *Hauſtulus*. Peſte jam laborantibus, purgans ante diem 14. febri reliquiſque ſymptomatibus remittentibus, exhibere nunquam auſus ſum. Sunt, qui, Carbunculi ſuppuratione durante, aut bubone necdum curato, eo utuntur, ſed eorum exemplum, quæcunque etiam commiſceantur Anti-peſtilentialia, ne imiteris,[i]

Enimverò: quid ſi æger ad aliquot dies alvi conſtipatione moleſtetur cum anxietate cordis, & ex purgatione ſolamen exſpectat? Anxietatis cauſa alvi obſtructio non eſt, ſed venenum ipſum; itaque Sudorifera exhibere perge, Corroborato, & de alvi ſuppreſſione non magnopere ſis ſollicitus. Quod ſi tamen molliorem eum reddere placeat, ſuppoſitorium uſurpetur, nam Clyſteris uſus non adeo tutus eſt, multis hoc tempore nocuit, aliis parum profuit, malignitati interim nullo modo occurrens. Si vero neglecta hac admonitione, experientia rationibuſque confirmata, Clyſterem injicere placeat, à Scammoniatis abſtineas quæſo, præſertim in mulieribus aut virginibus menſtruis laborantibus.

Julapia

[i] Nobiliſſimus Sylvius in aliquibus caſibus 14 à primo morbis peſtilentialis inſultu diem pro purgando corpore non expectat, arbitratur enim etiam in morbi principio licitum eſſe vomitorium exhibere; ſic enim ille, Venenum peſtilens inſpiratione allectum aliqua ſui parte cum ſaliva deglutiri poteſt, atque mox nauſeam & vomitum aliquando parere, ſuique è corpore per vomitum exturbationem indicare. Indicati autem illius materia cùm ex variis peti queat, ego cæteris vomitoriis omnibus præfero antimonialia, quocunque demum modo parata: attendendum autem, ut ritè præparentur, ac prudenter uſurpentur. Idem etiam docet Excellent. VVilliſius, dum inquit. Cum peſtilentia regnante, quiſpiam hujus morbi contagio afficitur, Dei omnipotentis auxilio precibus impetrato, illico ad remedia confugiendum eſt: ſi in corpus minimè perpurgatum, ac in vomitum proclive peſtis inciderit, ſtatim vomitorium ſumatur, cujus operatione finita

Julapia valde neceſſaria ſunt, non tamen iis ubique & ſemper uti conceditur. Nunquam ea, niſi ſudoriferis additis, præſcripſi, quod ſequentia declarabunt. Et hæc tutiſſima via eſt. Quod ſi enim ſimpliciter potione refrigerante utatur æger, ſudore copioſe profluente, & ſudor ſæpius ad interiora regreditur, & venenum Cordi communicatur, unde tandem mors ipſa ſequitur.

Diaphoretica & Cardiaca, præſertim acida hoc in caſu ſummopere neceſſaria, certiſſima ac proinde optima ſunt, [k] nam ſanguini

nita, diaphoreticis confeſtim adhibitis ſudor provocetur. Verùm Experientiſſ. Diemerbroëkius. Purgantia & vomitoria, inquit, maximè fugienda eſſe, præter rationem in peſte Noviomagenſi etiam docuit uſus. Quapproter nos ante diem ſeptimum nullis, ne quidem cachochymis aut cathartica, aut lenientia, aut clyſteres, aut aliud quidpiam quod alvum citare poſſet dedimus; & quamvis totis ſeptem diebus non deponerent ægri, nihil tamen movere auſi fuimus: pauciſſimis enim qui id tentaverant, feliciter ceſſit: at ferè in omnibus [veneno à peripheria ad centrum revocato] diarrhœa inſequuta fuit incurabilis & brevi occidens. Quò autem magis cacochyma erant corpora, eò citior fluxus, & majus erat periculum. Ac proindè nos illud opus ad ſeptimum uſque diem naturæ totaliter commiſimus. Poſt diem autem ſeptimum, tantummodo unam alteramvè pilulam, ex noſtris antipeſtilentialibus, aut Ruffi exhibuimus. Aliis autem purgantibus vix ante diem vigeſimum uſi ſumus, cùm etiam in morbi declinatione illa non ſine periculo dari animadverteremus, imò non paucis jam à morbo convaleſcentibus, illa valdè noxia fuiſſe, viriumque recuperationem plurimum impediviſſe. Neque etiam alvi conſtipationem magnopere metuimus, ut pote quam nullis nocuiſſe animadverterimus. Vomitoria qualiacunque, etiam ſtibiata à nonnullis inſigniter decantata, minimè probavimus, ut pote quorum violentia ſemper corpora nimis vehementer conturbata & exagitata fuiſſe, atque ægros poſt illa ſe multò pejùs habuiſſe, citiuſque extinctos eſſe, obſervavimus. Conſequentibus hæc in genere docuiſſe minimè contentus exempla eorum affert qui poſtquam vomitoriis & catharticis uſi fuiſſent in ea ſunt deducti ſymptomata quæ nullis remediis ceſſere, ſed neceſſariò mortem intulere. In eadem circa ſtibiata eſt ſententia Fœlix Platerus, dum etiam adducit hiſtoriam Chymici cujuſdam, qui cum antimonio ſe omnes curaturum gloriaretur, peſte tamen cum uxore perierit. Itaque Diemerbroëk. ut & Clariſſ. Autori potius aſſentimur quàm aliis, quandoquidem ſuper experientia multoties confirmata pronunciant.

[k] Illuſtriſſimus Sydenham poſtquam de Venæſectione in peſte adhibenda plura docuit, quorum partem in ſuperioribus videre licuit, tandem de diaphoreticis ſubjungit. Peſtilentis fermenti

gg 2

ni conſiſtentiam adferunt, & malignitatem expellunt: pituitam in ventriculo atque inteſtinis diſſolvunt, bilem, multorum malorum cauſam, attemperant. Nihilominus tamen varietas morbi, atque ſymptomatum variè ea mutari deſiderant, cùm aliàs haud præſtent, quæ in morbo acuto præſtare debebant.

Medi-

menti per diaphoreſim diſſipatio, præ ejuſdem per venæſectionem evacuatione mihi multis nominibus arridet; ut pote quæ nec ægrorum vires æquè proſternat, nec medicum infamiæ periculo obiiciat. Atqui & hæc difficultatibus ſuis non vacat; primò enim multis, ac præſertim calidioris temperamenti juvenibus, ſudores ægriùs proliciuntur; cujuſmodi ægrotos, quò hydroticis fortioribus, ac cumulatiori tegumentorum pondere diaphoreſim conciere ſatagas, eò in manifeſtius Phrenitidis periculum adduces; aut quod triſtioris adhuc ominis eſt, vana ſpe aliquantiſper lactatus, tandem pro ſudoribus Exanthemata Peſtilentia elicies. Cùm enim præcipua hujuſcè mali labes in ſpirituoſiori maſſę ſanguineæ parte reſideat, unde craſſiorum particularum exagitatio nonnihil languidior quàm in aliis inflammationibus plerumque exiſtat, tenuior illa portio caloris acceſſione in majorem rabiem acta, impetu demum facto omnes cruoris fibras ultrà texturæ modum diſtenſas prorſus frangit ac comminuit. A qua fibrarum ſanguinearum diſſolutione macularum peſtilentialium cauſam petendam eſſe cenſeo; quippè non ſecus ac vibices à plaga fortiore in partem aliquam corporis muſculoſam inflicta, primò intenſiùs rubicundæ efflorescunt in cute, ac brevi poſt tempore livorem quemdam aut nigredinem induunt.

Deinde verò in corporibus quæ ſatis promptè in ſudorem ſolvuntur, ſi diaphoreſis juſto præmaturiùs (nempè tota materia morboſa nondum penitus diſſipata) abrumpatur, bubonum, qui laudabiliter quidem ſub finem ſudoris prodire inceperant, poſtea deterior evadit conditio. Nam ſubducta quæ eos in molem attollere deberet materiæ parte, aut de facili intrò remeant, aut ſaltem ad legitimos abſceſſus, nunquam perducuntur (quemadmodum etiam in Variolis accidere ſolet, quoties per primos dies æger impenſiùs ſudavit) recepto autem denuò intra muros hoſte ferali in ſanguine commotio excitatur, cujus opera eo quo ſuperiùs innuimus modo, ſæpè ecthymata imminentis lethi indicia foras propelluntur. Experientiſſ. autem Diemerbroëckius de ſudoriferis hæc habet. Cùm peſtilens venenum primariò vitæ hujus aſylum, cor, impugnare ſoleat, in peſtis curatione ante omnia regii viſceris rationem habere, eique citiſſimè ſuppetias ferre oportet, ut hoſtis truculentiſſimi injuriis fortiùs reſiſtere queat. Huic primariæ intentioni, ſeu indicationi, ut ſatisfiat, ſtatim ab ipſo principio ad antidota & ſudorifera confugiendum eſt: nam præſentiſſimum ſubſidium, quod cordi in his

anguſtiis

Medicamenta contra Peſtem.

Radices; Zedoariæ, Petaſitidis, Angelicæ, Dictamni, Galangæ, Scorzoneræ, Gentianæ, Imperatoriæ, Leviſtici, Pimpinellæ, Iridis flor.& Noſtratis; Chinæ, Salſæparillæ. [l]

Folia, Rutæ, Scordii, Salviæ, Cardui Benedicti, Vincetoxici, Abſinthii, Abrotani, Centaurei minoris, Valerianæ, Acetoſæ, Veronicæ, Meliſſæ, Majoranæ, Roriſmarini, Thymi, Menthæ. [m]

Flores; Borraginis, Bugloſſæ, Violarum, Roſarum, Calendulæ, Hyperici, Anthos, Spicæ nardi Indici, Jaſmini. [n]

Semina; Citri, Arantii, Rutæ, Hyperici, Aniſi, Coriandri, Leviſtici. [o]

Fructus: Poma Citria, Arantia. Nuces juglandes; Ficus, Ceraſa acida, Poma acida redolentia, Ribes, Granata acida, Berberis.

Aromata; Moſchus, Ambra. Zibetum, Benzoinum, Storax calamita, Cinamomum, Macer, Nux Moſchata, Cardamomum, Camphora.

Animalia eorumvè partes; Caro Viperarum, Mumia, Serpentes, Coturnices, Turdi, Cornu cervi, Vnicornu, Bezoar, Lapis Porci Indici, Ebur, Caſtoreum. [p]

Lapides

anguſtiis conſtituto adferri poteſt; ineſt medicamentis alexicacis, præcipuè talibus quæ ſudores movent: hæc enim ſpecifica vicor à venenis tuentur, ac ſimul etiam peſtilentis labis vires infringunt, obtundunt, atque foras expellunt. Hiſce omnibus, patet quòd etiamſi peſtis non detur remedium infallibile & in omnibus certum, nullum tamen adhiberi poſſit quòd & tutiùs & commodiùs ei occurrat quàm ſudorifera.

[l] Item radices Carlinæ, Ariſtolochiæ, Helenii, Valerianæ; Biſtortæ, Vincetoxici, Calami aromatici, Tormentillæ, Bulbi Cæparum.

[m] Folia præterea Tanaceti, Scabioſæ, Morſus Diaboli, Verbenæ, Marrubii albi, Arthemiſiæ, Hederæ terreſtris, Plantaginis.

[n] Flores etiam Stæchados, Balauſtiorum, Croci, Nympheæ, Sambuci.

[o] Semina Cardui benedicti, Acetoſæ, quatuor frigida majora.

[p] Bufones commendant multi, interque eos præcipuè Celeberrimus Helmontius, qui preparationis modum à Butlero acceperat. Hæc autem ille. Iulio menſe, decreſcente Luna, veteres bufones cepi, quorum oculi albis ſcatebant vermibus, nigris-

Lapides & terræ pretioſæ, Hyacinthus, Granatus, Smaragdus, Rubinus, Carbunculus, Margaritæ, Corallia, Bolus Armena, Terra Lemnia, Sigillata, Aurum, Argentum.

Sal commune, ex Nilo fluvio nuperrimè huc allatum & potenter ſudorem movens, Scordii, Abſinthii, Rutæ, Prunellæ, Cardui Benedicti, Tartari Vitriolati. Bezoardicum minerale.

Theriaca Andromachi, Diatheſſeron, Mithridatium Damocratis, Diaſcordium Fracaſtorii, Confectio alkermes, Hiacynthorum.

Species liberantis.

Elect. de ovo, *rob.* ribium, Berberorum,

Conſerva Meliſſæ, Menthæ, Florum Anthos, Borraginis, Bugloſſæ, Florum Calendulæ,

Trochiſci ex ſucco Berberorum, Citri. [q]

Ex

nigriſque capitibus prominentes, adeò ut uterque oculus in vermes transformatus eſſet, fortaſſis 50. numero. In utroque oculorum foramine vermes erant densè compacti, quorum capita foras prominebant, & quoties aliquis egredi vel prominere conaretur, ſtatim bufo appoſita manu egreſſum vetabat; hos autem bufones ad vomendum coactos, per ſuſpenſionem reperi dare excellentiſſimum Zenexton ſive amuletum; vermes autem in patinam ceream deciduos, ſimulque quod per vomitum rejicit, in parvulos trochiſcos redegi, addito bufonis cadavere è cereæ patina, geſtati autem trochiſci ad mammam ſiniſtram, arcebant contagium; & loco infecto alligati, ſtatim virus extrahebant, erantque trochiſci promptiores & validiores, ſi in uſum aliquoties veniſſent, quàm recentiores; reperi autem hoc amuletum pro peſte longè validiſſimum. Rationes addit, quòd ſc. in bufone quoddam agens ex proprio conceptu productum reperiatur, quod in gradum deductum, propter ſymbolizantem imaginem terroris, in archeum noſtrum ſimiliter terrefactum agere poſſit, & memorem reddere peccati, ſeu terroris concepti, ubi archeus ex alieno errore ſui conſcius animum recuperans refocillatur, atque reſurgendo roboratur. Quæ obſcuriùs & per ænigma ab Helmontio, ut moris eſt, deſcripta; de remedio tamen validiſſimo pronunciant, cujus fides penes Autorem eſto,

[q] Qui compoſitiones alias plures tam alexipharmacas quàm antipeſtilentiales, eaſque elaboratiſſimas voluerit; ſatis multas reperiet in Faſciculo Medicam. ſingular. Cnoffelianorum ſub titulo bezoardicorum & alexipharmacorum comprehenſas. Hic unicum rurſus adnoto ſc. Celeberrimum Helmontium dicere ſalem, ſulphur & picem

Ex hiſce ſeligere poteris, quæ pro rei neceſſitate optima judicaveris. Compoſitorum medicamentorum aliorum ſcripta plena ſunt; ex iis etiam talia, quæ tibi maximè placent, eligito.

Non alia hic tradam, quam quæ ſummo cum ſucceſſu uſurpavi, quibuſvè tamdiu uti animus eſt, donec ipſa Praxis meliora docuerit. Horum uſus, ut tantò meliùs conſtet; nunc medicamenta quædam, à me & Medicis doctiſſimis D. Franciſco Sylvio, & D. Franciſco van der Schagen ante aliquot menſes compoſita, ut hoſti exitioſiſſimo obviam itemus., communicare neceſſarium exiſtimo.

Aqua

cem eſſe genuina & vera Peſtis alexipharmaca, quibus etiam Hippocratem Peſtem omnem fugaſſe aſſerit, idque in hunc modum. Homo quidam, *inquit*, cuſtodi angelo eudæmoni familiaris oravit, ut à Deo impetraret remedium per quod Hippocrates Græcorum peſtem popularem curavit: ſperans miſeris Chriſtianis non denegatum iri, quod gentilibus olim conceſſit Omnipotens. Dixit eudæmon; Hippocrates uſus eſt ſulphure, ſale & pice. Verùm illa apud Hippocratem Medicorum Dictatorem nuſpiam leguntur, nulluſque veterum eorum meminit; itaque meras fabulas & ſomnia credimus, quæ ſub ficto cum angelis colloquio obtrudere conatur Philoſophus ille per ignem. Interim Reverendus Athanaſius Kircherus ab Helmontio procul dubio deceptus affirmat Hippocratem pice, ſale & ſulphure in peſte profliganda fuiſſe uſum, ſed ſingulari methodo præparatis. Sulphur, *inquit*, priùs cote levigatum cum aqua exſiccari curabat, donec depoſitis terreſtrium fæcium quisquiliis ad debitam reduceretur, tum ſubtilitatem, tum puritatem; deindè ſalem pariter in igne decrepitatum ignique liquefactum ſeponebat ad partem; per hanc enim decrepitationem ab omni heterogeneæ ſobolis miſtione depurgabatur. Porrò vinum hujuſmodi præparato ſale condiebat, cui grana ſulphuris 24. ad ſudores proliciendos addebat; vinum verò hoc in pice oblito vaſe conſervabat. Cùm enim ex ſymptomatis peſte correptorum intueretur appetitum proſtratum, ſtomachoque ſubnaſci mox fracidas & nidoroſas impuritates, unde dolor intenſus capitis, vomitus, nauſea, delirium, ſopor, quæ deſideratæ curæ ſummo forent impedimento, ut his incommodis mederetur carnes communes balſamo ſalis conditas, prębebat ægris, quibus exitiale virus putredineſque per vim quandam abſterſivâ everrerentur, vinumque ſupradictum ſale, pice, ſulphure conditum præbebat calidum & fervidum, minimè tepidum, tum ad nauſeas cohibendas, tum ad ſudores potentiùs eliciendos; ſalem enim abſtergere & à putredine conſervare, ſulphure verò virus peſtiferum cohiberi optimè norat; ſudores verò ad minimum

triduò

Aqua Prophylactica noſtra.

♃. Rad. Angelicæ. Zedoariæ an. unc. j. *Rad. petaſitidis unc.* ij. *Fol. rutæ. unc.* IV. *Meliſſæ, Scabioſæ, Flor. calendulæ an. unc.* ij. *Nuc. jugland. immaturar. conciſar. lib.* ij. *Pom. citr. recent. conciſ. libr.* j. *Contundantur omnia ſimul, deinde affunde Aceti vini optimi ad tres quartas partes ex arena in cucurbita vitrea per ſe deſtillat. lib.* 12. *Digerantur per noctem, deinde deſtillentur igne cinerum lento ad ſiccitatem, idque ſine uſtione, & Acetum hoc uſui ſerva.*

Si extractum & ſal tibi placet, affunde deſtillatum capiti mortuo, ſive remanentiæ, ac per triduum digere, ad extractionem Tincturæ, quam filtra, filtratam deſtilla in B. M. ad *Extracti* conſiſtentiam; Caput mortuum poſt extractionem calcina, & Salem extrahe.[r]

Conditum Prophylacticum noſtrum.

♃. Pomor. citr. recent. libr. ij. *Succo fortiter expreſſo cortices exteriores à pulpa interiore craſſiuſcule ſeparentur, & minute contundantur, additis Conſerv. roſar. pallidar. libr. ſ. rubrar. Flor. borragin. an. lib. ſ. Cortic. Arantior. cond. unc.* IV.

M. F. Con-

triduò præſcribebat, bis de die, & ſingulis vicibus per ſextantem diei, ſi virium imbecillitas permittebat, primis diebus plùs, reliquis minùs, potu omni ſudantibus negato. Peracto ſudoris termino, vinum græcum piceatum ſuprà deſcriptum porrigebat. Hactenus Kircherus, qui totus in eo eſt, ut ſententiam ab Helmontio priùs deſcriptam illuſtret & corroboret, verùm de illa jam judicium tulimus, & negavimus Hippocratē hoccè remedio uſum fuiſſe, aut ſi uſus fuerit, Helmontium illud noſſe potuiſſe, ſiquidem de eo apud omnes Veteres altum eſt ſilentium, interim ſic nolumus hoc remedii genus, ſi non in totum, ex parte ſaltem legitimè non poſſe uſurpari, ſalis & ſulphuris probè præparatorum novimus efficaciam in ſanguine diſſolutiori ad tonum reducendo, quod etiam docet Nobiliſſ. Silvius, dum in Nitro & Sulphure arte fixatis, virtutem ſummam anti-peſtilentialem reſidere pronunciat.

[r] Aquam Theriacalem in Peſte Noviomagenſi ad ſuos uſus paravit Experient. Diemerbroëckius quam ſemper feliciſſimô cum ſucceſſu, ut ipſe ait, uſurpavit. Compoſitionis autem forma hæc eſt.

♃. Radic. Oſtrutij,
Petaſitidis,
Angelicæ,
Carlinæ,
Valerianæ ana ℥ijß.
Enulæ campanæ,
Corticum Aurantiorum ſiccat. ana ℥iij.
Herbarum Scordij,
Abſinthij, ana ℥ij.
Cardui benedicti ℥iij.

Florum

M. F. Conditum. Pulvis Alexiterius noſter.

♃. Rad. contrayervæ unc. ſ. Petaſitidis, Tormentillæ, Enulæ campan. an. drachm. ij. Terræ ſigillatæ, Boli armen. an. drachm. iij. raſur. corn. cerv. Eboris an. drach. j. Coral. rubr. præpar. ſcrup. IV. Cinamom. acut. drachm. ii. Antimonii diaphoretici unc. ſ.

M. F. Pulvis. Tribus hiſce medicamentis magno cum ſucceſſu mecum in plurimis peſte laborantibus uſi ſunt Medici nominati celeberrimi. In præſervatione à peſte medicamentis aliis rariùs ea miſcere ſoliti fuimus. Sed in curatione ipſa, non niſi aliis mixta præſcripſimus, uti hinc videre licet.

♃ Diaſcord. Fracaſtor. ſcrup. IV. Sal. prunell. ſcrup. j. Abſinthii ſcrup. ſ. Aq. prophylactic. noſtr. Cardui Bened. Syr. berberor. an. unc. j.

M. F. Hauſtulus.

Vel

♃. Pulv. Alexiterii noſtri ſcrup. j. Tartar. vitriolat. gr. 8. Sal. Corallor. gr. 15. Conf. alkermes drachm. ſ. Aq. prophylactic. noſtr. unc. j. ſ. Rutaceæ q. ſ. Syr. de ſucco Card. bened. unc. j.

M. F. Hauſtus.

Vel

℞. Antimon. diaphoretic. ſcrup. j. Sal. Scordii, Rutæ an ſcrup. ſ. Aq. prophylactic. noſtr. unc. j. Fumariæ q. ſ. Julap. roſar. unc. j.

M. F. Hauſtus.

♃. Conf.

Florum Roſarum rubr. ℥ß.
Stœchados ʒiij.
Baccarum Juniperi ℥ijß.
Granorũ Cardamomi minor. ʒv.
Cinnamomi electi ℥j.

Hæc omnia ſumantur ſicca, conſcindantur ſimul, & groſſo modo contundantur, iiſque affundantur in cantharo lapideo.

Vini albi rhenani, vel gallici tenuis ℔xxij.
Aquæ Roſarum ℔ij.

Vaſe bene obturato, ſtent in infuſione decem diebus: tunc addantur hæ herbæ virides & recentes, conſciſſæ & aliquantum conquaſſatę:

Foliorum Ruthæ M. vj.
Tanaceti M. IV.
Roriſmarini,
Pimpinellæ ana M. j. ß.

Maneant ſimul in infuſione adhuc per octo vel decem dies, quotidie baculo commovendo, poſtea affunde

Succi Citri ℔ij.

Stent adhuc per tres quatuorvè dies, poſtea ſuper ignem leviter ebulliant, & colentur, ac in torculari fortiſſimè exprimantur. Colatura expreſſa diſtilletur in B. M. aut arenæ, per alembicum vitreum.

℞. Conſ. Hyacinthor. Diaſcordii, Theriac. an. ſcrup. ij. Extr. prophylact. noſtr. gr. 15. Spir. ſalis ſcrup. ſ.

M. F. *Bolus.*

℞. Condit. prophylact. noſtr. drachm. j. ſ. Oc. cancr. præp. ſcrup. j. Aq. prophylactic. noſtr. unc. ſ. Syr. de limonib. unc. j. Acet. ſambucin. unc. ſ.

M. F. Hauſtus. [f]

℞. Be-

Illud quod poſt diſtillationem in fundo cucurbitæ remanet, adjecta aqua Cardui benedicti attenuandum, & per chartam emporeticam raram colandum eſt, quæ colatura lento igne exſiccanda eſt ad extracti conſiſtentiam, quod uſui ſervandum. Extractum autem illud, Extractum Magiſtrale audit apud prænominatum Diemerbroëckium.

[f] Formulæ remediorum in forma liquida præſcriptorum multæ reperiuntur apud Experientiſſ. Diemerbroëckium, quarum præcipuæ hæ ſunt.

℞. Extracti Magiſtralis.
Salis Abſinthij ana ℈j.
Diaſcordii Fracaſtorii ʒj.
Aquæ noſtræ Theriacalis ℥ij.
M. F. Hauſtus.

℞. Extracti Cardui benedicti.
Ruthæ.
Salis Cardui ana ℈ß.
Scordii ℈j.
Theriacæ Androm.
Diaſcordii Fracaſtorii ana ℈iß.
Aquæ Theriacalis.
Aceti. Bezoartici ana ℥j.
M. F. Hauſtus.

℞. Terræ ſigillatæ ℈ij.
Trochiſcorum de viperis ℈jß.
Aceti bezoartici.
Aquæ Theriacalis ana ℥j.
M. F. Hauſtus.

℞. Salis Cardui benedicti ℈jß.
Aquæ Theriacalis ℥ij.
Succi citri ℥ß.
M. F. Hauſtus.

℞. Folior. Ruthæ viridis recentium M. j.
Contundantur in mortario, affundendo
Aceti Bezoartici, vel Calendulati ℥ij.
Fiat fortis expreſſio, colaturæ addantur
Salis Abſinthii ℈j, vel ℈jß.
Theriacæ, aut Diaſcordii ʒj. vel ℈iv.
M. F. Hauſtus.

℞. Radicum Petaſitidis,
Angelicæ,
Helenii ana ʒj.
Herbarum Ruthæ
Cardui benedicti
Scordii ana M. ß.
Vini albi q. ſ. coquantur ſecundum artem.

℞. Iſtius colaturæ ℥ij. vel iij.
Salis Scordii vel Cardui ℈j.
Theriacæ ℈ij.
M. F. Hauſtus.

℞. Salis communis ʒj.
Aceti vini fortis ℥ij. vel iij.
F. Hauſtus pro pauperibus.

℞. Cæpam aliquantum excavatam cui impone Theriacæ Andromachi ℈iv.

♃. *Bezoartic. mineral. gr.* 15. *Sal. prunell. ſcrup.* j. *Sacchar. perlar. drachm.* ſ. M. F. *Pulvis.* [t]

Æger horum Medicamentorum aliquod ſumat, quo ſudor egregiè provocetur : ad hoc præſtandum, juſculum carnis ovillæ aut gallinaceæ, hora una aut altera poſt ſumptum medicamentum, exhibeatur. Sudor deinde linteo calido abſtergatur, pectorique linteum ſimile imponatur. Nam hactenus obſervavi induſia aliaque linteamina non niſi cum damno mutari : ſed nimia humiditas nos aliquando cogit.

Sudorifera hęc, ſimiliaque, bis ad minimum, quovis die ſumantur : imò 24. horarum ſpatio ter uſurpare, magnopere conducet. Reperiuntur qui tempore ſex horarum effluxo novum ſudoriferum, magno cum fructu, exhibent ; Nec eſt quod ab uſu horum mediorum facilè deſiſtas, etiamſi ſibi bene eſſe clamitet ęger, brevi enim morbum utrumque veſtrum decepiſſe conſtabit.

Infantes plerumq; ab uſu medicamentorum abhorrent, illos tamen

℈iv. & cooperculo ſuo tectam, ac charta bibula aceto madida involutam, ſub cineribus calidis aſſato. Poſtea ſuccus in prælo fortiter exprimatur, cui adde aceti ſimplicis, vel bezoardici ℥j.

Detur pro Hauſtu.

♃. Theriacæ ʒj.
Aceti vini fortis, vel bezoartici ℥ij.
Olei juniperini ℈ß. vel ℈j.

[t] Pulveres, Boli, & Electuaria ab Experient. Diemerbroëckio præſcripti pro ſudoribus in Peſte eliciendis ſunt pręcipuè ſequentes.

♃. Pulveris liberantis ℈j. vel ℈iß.
Lapidis bezoardici orient. ℈ß.
Camphoræ gr. ij. vel iij.
M. F. Pulvis.

♃. Florum Sulphuris
Terræ ſigillatæ
Coralli rubri præparati
Pulveris liberantis
Lapidis Bezoardic orient. ana ℈ß.
Croci gr. iij.
F. Pulvis.

♃. Pulveris liberantis ʒß.
Margaritarum præpar.
Oculor. cancri
Lapidis Bezoar. orient. ana ℈j.
Confectionis de hyacintho ℈iiß.
Conſervæ roſar. rubr.
Boraginis
Calendulæ ana ℥ß.
Olei corticis citri gutt. vij.
Syrupi Limonum q. ſ.
M. F. Electuarium.

♃ Theriacæ Andromachi ʒij.
Diaſcordii Fracaſtorii.
Cortic. Aurantiorum condit. ana ʒiij.

men cum ſuo bono non melius quam ſequenti pulvere decipere potui, qui iis intra 24. horarum ſpatium ter quaterve in ordinario potu exhibetur. Si dulcia iis non ſapiant, Sacch. perlarum omitti poteſt.

℞. *Antim. diaphoretic. gr* 15. *Sacchar. perlar. ſcrup.* j. *ſ.*
M. F. *Pulvis.*

Vel

℞. *Oc. cancr. præpar. Raſur. ebor. Bezoartic. miner. an. gr.* vj.
M. F. *Pulvis.*

De Julapiis infrà, ubi de Febris curatione, acturi ſumus. *

SYM-

Olei Juniperini ʒß.
Syr. acetoſitatis citri q. ſ.
M. F. Conditum.
℞. Mithridatii Damocratis
Diaſcordii Fracaſtorii ana ʒij.
Electuarii de nucibus
Juniperini ana ʒiij.
Pulveris Bezoartici ʒj.
Syr. Helenii q. ſ.
M. F. Electuarium.

Plures aliæ Formulæ remediorum è variis iiſque celebrioribus Autoribus excerptæ addi hic rurſus poſſent, ſed hoc nimis longum foret, & præterea ſatis credimus à Clar. Autore noſtro experientia comprobatis medicamentis adjunxiſſe quædam ex iis quorum multam etiam fecit experientiam Diemerbroëckius.

* Non ſatis eſt hactenus ſelectiſſima plura remedia eorumque varias formulas, tum è Clariſſ. Autore noſtro, tum ex Experientiſſ. Diemerbroëkio vidiſſe, ad curationis ipſius methodum de qua quædam in proximè præcedentibus, Autor tradit, paulò altiùs attendendum venit, quod ſanè commodiùs atque meliùs fieri non poteſt quàm ſi de ea re doctiſſimè & accuratiſſimè ſcribentem Diemerbroëckium videamus, cujus proindè propria verba hic legenda jam exhibemus.

Curationem peſte laborantium, inquit, ſequenti modo inſtituebamus: Cubicula in quibus decumbebant ægroti, nitida ſervari, & primis tribus quatuorvè diebus diligenter clauſa teneri [ne ab aëris frigidioris introitu obſtiparentur corporis pori] juſſimus; niſi fortè enormis vomitus, vel diarrhœa morbo conjungeretur; tunc enim ægro bene contecto, ad maximi fœtoris diſſipationem, feneſtram aliquam, Septentrionem vel Orientem verſus ſpectantem, per horæ quadrantem, ſemel aut bis de die aperire neceſſe erat. Præterea tempore hyberno & frigidiore ignem continuum luculentum in cubiculis illis accendi curavimus: tempore minùs frigido non tam magnum; æſtate verò & aëre fervido exiſtente, nullum; tuncque potius roſas, folia nympheæ, pimpinellæ, ſalicis, pampinos, aliaſque herbas

herbas refrigerantes, aceto vel oxycrato calido immerſas, per cubicula ſparſimus. Ad hæc ter quatervè de die aërem ſuffumigiis variis è thure, baccis juniperi, myrrha, ſuccino, ſulphure, pice navali, additis quandoque pro odoris gratia, benzoino, ſtirace, garyophyllis &c. alteravimus. Interea dum hæc fiebant, ſtatim ægris [quocunque tempore advocati eſſemus, ſive in ipſo morbi principio, ſive ſecunda tertiavè die] potiunculam ſudoriferam exhibuimus, iiſque bene ſtragulis contectis, ſudores copioſos per duas, tres, pluresvè hora habita ſemper virium ratione promovimus; qui ſi difficiliùs prodirent, arenam calefactam ſiccam, lineis ſaccis infuſam pedibus, axillis, & inguinibus appoſuimus. Si primum medicamentum vomitu rejicerent ægri, idem ſtatim ſecundo, & urgente neceſſitate etiam tertio repetitum fuit. Peracto ſudore, ſub ipſo quidem tegmine cum mappa calefacta ipſis ægris ſudores aliquantum detergere, ſed induſia reliquaque linteamina vix ante diem ſeptimum renovari permiſimus. Si verò fætorem ſudoris [quem nulli ægro nocuiſſe vidimus] moleſtè ferrent, induſia ſordida, quæ ab aliis quibuſdam, à ſanis, vel ab ipſis ægris ante morbum geſtata fuerant, induebantur; idemque etiam fiebat de reliquis linteaminibus: unicè cavendo ne recenter lota, aut quæ díu in arcis, vel ciſtis concluſa fuerant, darentur. Si à primo ſudore non levarentur ægri, ſed febris reliquaque ſymptomata increſcerent, poſt paucas horas exhibito rurſus alexipharmaco hydrotico, ſudor de novo repetebatur. Interea gratæ aliquæ antidotales miſturæ, ad viriúm corroborationem, & julepi reſiſtentes malignitati, pro ſedanda ſiti, porrigebantur. Si poſt ſecundum ſudorem febris cum aliis ſymptomatibus adhuc increſceret, nec quidquam levarentur ægri, peſſimum erat indicium; ſicut è contra poſt primum vel ſecundum ſudorem alleviari ægros, & imminui ſymptomata, magnam ſalutis ſpem dabat. Poſt decem vel duodecim horas, & ſequentibus diebus adhuc quater vel quinquies [prout neceſſitas exigere videbatur] ſudorifera reiteravimus. Intermediis autem horis varia antidota ad veneni violentiam extinguendam, ut & condita corroborantia ac putredini reſiſtentia, vel apozemata convenientia, aliaque quæ malignitatem à centro ad peripheriam quoque pellebant, nec non cibos quoſdam liquidos facilis digeſtionis, & antidotali condimentorum qualitate alteratos, exhibuimus. Symptomatum quoque morbo conjunctorum diligentem rationem habuimus. Illuſtriſſimus etiam Sydenham poſtquam venæſectionem pro remedio peſtis curativo, ut ſuprà vidimus, propoſuit, in ſequentibus diaphoreſim in hunc finem tanquam commodiorem, & minùs infamiæ in medicum acceſſentem, commendat. In curationis autem methodo aſſerit ſudorem nunquam faciliùs elici quàm ſi eo ipſo momento quo ſudoriferum propinatur, è vena tuſa ſanguis in quantitate ægri viribus reſpondente effluat, ſi idem tegumentis obruatur,

lacinia interim lanea ſincipiti alligata. Pro vomitione arcenda quæ medicamentorum diaphoreticorum operationem impedit, dum ventriculus ſic affectus ipſa continuò rejicit, ante eorum exhibitionem ſudorem tegumentorum pondere aliquatenus ſollicitat; ſic enim cùm materiæ morbificæ radii, verſus ambitum corporis ſeſe exporrigant, illico alvi profluvium & vomitiones, ab eiſdem introrſum reflexis, & in ventriculum & inteſtina decumbentibus provenientes, ultrò ſedantur: adeò ut quantacunque ſtomachi ſubverſio præceſſerit, aſſumpta deinceps medicamenta probè retineantur, ac ad ſudores ex voto proliciendos conducant. Addit autem medicamentis idoneis inceptam diaphoreſim, hauſtibus Zythogalæ ſalvia alteratæ, vel cereviſiæ cui macis aliquantulum incoxerit, ſubindè repetitis, ad naturalis diei ſpatium continuari debere, abſterſione interim omni religiosè interdicta; imò nec infrà quatuor ac viginti horas à ſudoribus finitis induſium utcunque madidum mutandum. Quid ſi ſudatio, inquit, anguſtiori temporis limite circumſcribatur, recrudeſcit illico ſymptomatum ſævitia, atque ægroti ſalus, quam prolixior diaphoreſis extra aleam conſtituiſſet, in acie novaculæ relinquitur. Unde profectò, ſubjungit, Diemerbroëckium alioſque non poſſum ſatis mirari, quoties adverto eos tam levi prætextu ad diaphoreſim interpolandam adduci, ut ſc. ægrotantium viribus conſulatur; Etenim ægrum ſudore diffluentem viribus meliùs quam antea conſtare, nemini in hujus morbi medicatione vel tantillum verſato non poteſt eſſe animadverſum. Docet idem in ſummo ſudoris vigore juſculis ac ſorbilibus confortativis ægrum refici poſſe, quæ cum cardiacis & hauſtibus ad ſudorem continuandum deſtinatis virium labefactationi abunde ſuccurrunt. Iubet præterea per horas à finito ſudore 24. frigus cautè vitetur, induſium ſponte ſua in corpore areſcere permittatur, potulenta omnia calidiuſculè hauriantur & Zythogalæ ſalvia alteratæ uſus etiamnum continuetur, Sequenti luce Catharticum exhibet. Advertit interim ſi tumor in aliqua corporis parte enatus fuerit ſe venæſectionem minimè inſtituere, etiam in corpore ad ſudandum maximè inhabili. Sic ſatis ſuperque apparet methodum ſydhenianam, & quoad venæſectionem, & quoad purgationem citiorem, omnino ab ea quam ex Diemerbroëckio mox deſcripſimus eſſe diverſam. Verùm cùm Illuſtriſſimus Sydenham aſſerat tantùm ſic ſe anno à peſte proximo, compluribus febre peſtilentiali correptis ſanitatem reſtituiſſe, adeò ut ne unus quidem deſideratus fuerit, inde contra Experientiſſ. Diemerbroëckium aliquid vix concludi poteſt, qui veræ peſtis omnibus ſuis ſymptomatibus ſtipatæ curationem præſcribit Lector Doctiſſimus, quid in hac lite judicandum ſit jam videat.

ſecum adferunt, quę, illis curatis, facilè etiam curantur. Omnia adeoque hic deſcribere ſuperfluum judicamus, præcipua adduxiſſe ſufficiet. Inter hæc primo occurrit.

FEBRIS.

Purgationem & Venæſectionem neutiquam admittens, uti triſtiſſima experientia in multis docuit.

Sudorifera ſupra deſcripta non minùs hic quam in peſte ipſa proſunt. Verum Refrigerantia inſuper & febris & linguæ ſiccitas requirunt, quæ non niſi ſudoriferis admixta uſurpari debere, in antecedentibus docuimus.

♃. Aq. borrag. Acetoſæ an. unc. ij. *Prophylactic. noſtr. unc.* j. *ſ. Succ. aurantior. acidor. Citr. recent. an. drachm. ii. Ialap. roſac. q. ſ. ad mediocrem edulcorationem. Lap. bezoardic. oriental. gr.* xv.

Miſce.

Æger ſumat ejus ſæpius cochlearis quantitatem, ſic ſitis meliùs tolletur quàm ſi decuplo plus cereviſiæ ſumpſiſſet, nec tamen ſudoris provocatio impedietur.

Vel

♃. Aq. card. bened. libr. j. *Prophylactic. noſtr. unc.* ij. *Syr. granator. acidor. unc.* ij. ſ.

Miſce.

♃. Rad. Scorzoner. Petaſitid. an. unc. j. *Fol. acetoſæ M.* ij. *Coq. ex aq. hordei. Colatur. libr.* j. *Adde Syr. violar. ſimpl. unc.* ij. *Sal. prunell. ſcrup.* ij. *vel Sp. ſalis q. ſ.*

Miſce.

Divitibus quæ exhibentur Julapia, & grata, & cardiaca ſeq. modo fieri poſſunt.

♃. Aq. borragin. unc. iij. *Card. bened. libr.* j. *Roſac. unc.* j. *Sacchar. perlat. unc.* j. *Ambr. griſ. gr.* ij. *Moſch. gr.* j. *Succ. citr. recent. q. ſ.*

Miſce.

Conducit hic Cereviſia Weſopiana aut alia bene cocta, præſertim ſi raſura Nucis moſchatæ, in nodulo, aut cornu Cervi calcinati fruſtum in ea detineatur. Nec tamen exceſſus hic locum habet, ſive quantitatem ſpectemus, ſive frequentiam: imò

frigidè

frigidè ſi æger hauſerit Ventris dolorem, Alvi fluxum, anxietatem Cordis, aliaque ſymptomata excitabit [x]

Ventriculi debilitate, Cordiſque anxietate laboranti, Vinum Moſellanum aut Rhenanum, ſaccharo ſuccovè limonum recenti mixtum concedo, ſed in febris declinatione, & moderate uſurpetur. Qui in magna febri Vinum Gallicum per ſe, aut ſudoriferis admixtum permittunt, illi meo quidem judicio toto cœlo errant. [y]

Valde in hoc caſu prodeſt lapillus ille qui ex Orientali India advehitur *Pedro Porco* dictus. Qui eum in ordinario potu parum temporis detinent, multum præſtabunt: Nam valde ſudorem expellit, & cor reficit.

Lapis

[x] Idem docet Experientiſſ. Diemerbroëckius. Febrem, inquit, nos durante peſtilenti conſtitutione, eodem ferè modo ſicut ipſam peſtem, tractavimus, & ſudorifera atque antidota ad illius curationem maximè profuiſſe obſervavimus, dummodò abſtineremus à calidioribus, vel, ſi iiſdem uti placeret, alia frigida, ut acetum, ſuccum citri, &c. admiſceremus. Purgationes autem & Venæſectiones ad hujus febris curationem maximè noxias fuiſſe animadvertimus; imò pauciſſimos, qui vel alterutram, vel utramq; adminiſtraſſent, evaſiſſe, ſed ferè omnes, ſuperveniente magno alvi profluvio, & cordis ſumma anxietate, viriumque extrema dejectione, extinctos fuiſſe notavimus.

[y] Nobiliſſimus Sylvius de curatione cordis anxietatis Peſti familiaris ſic ſcribit. Cordis anxietates, Nauſeam vomitumque, aut præcedentes, aut comitantes, aut conſequentes curabuntur, medicamentis anti-peſtilentialibus jam deſcriptis, ſed additis ſimul ſpirituoſis, Aqua Vitæ multifariè parari ſolita & Aromatica: quò veneni peſtilentis acrimonia ſimul queat demulceri. Ulteriùs de hoc ſymptomate ejuſque remediis Diemerbroëckius. Cordis anxietati, inquit, debilitati, vomitui, &c. præcipuè duobus tribuſvè remediis obviam ivimus, quæ miraculosè profuerunt. Primum erat hæc mixtura, de qua ſæpiùs de die cochleare unum exhibuimus.

℞. Conſerv. roſar. rubr. ℥iß. Diaſcordii Fracaſt. ʒiij. vel iv. Aquæ noſtr. Theriac. ℥iv. ſucci limonum recentis, aquæ cinamomi ana ℥iß. miſceantur ſimul & ſtent per horam unam aut alteram: deinde per linteum colentur. Adde colaturæ Confectionis de hyacintho ſine moſcho ʒj. M.

Secundum erat hoc Linimentum.

℞. Olei nucis moſchatæ expreſſi, olei ſcorpionum vel laurini, Theriacæ Andr. ana ʒj. olei juniper. ℈ß. ſuccini ℈j. garyoph. vel cinamomi gutt. iij. M.F. Linimentum.

Hujus Linimenti parum in cochleari tepefactum ſcrobiculo cordis ſeu ſtoma-

Lapis hic, ni fallor, in Veſica fellea porcina generatur, inſigni enim amarore præditus eſt; durus equidem, ſed quavis vice aliquid ſubſtantiæ amittit, quod etiam color indicare videtur. Et ejuſmodi lapides ſæpiùs in veſica fellis quorundam hominum reperiuntur, qui jam nominato ſubſtantiâ, ſapore, duritie atque colore ſimiles ſunt: Imò ſi quis tales ad uſum revocaret, fortaſſis eaſdem, ſi non meliores operationes ſua virtute efficere poſſet. [z]

Febri huic ſæpius conjunctus eſt.

SOPOR.

Hic Sudoriferorum præcipua, v. g. Theriacam, Mithridatium, Diaſcordium, &c. rejicit, propterea quod bona Opii portio eorum compoſitionem ingrediatur, & hinc eſt quod ſomnum tollere minimè valeant. Præſtant ſeq. vapores Capitis, Cordiſque æſtum & anxietatem, repellere apta.

℞. Sal. Rutæ, Scordij, Prunell. an. ſcrup. ſ. Tartar. vitriolat. gr. 8. Aq.

machi regioni, lociſque circumvicinis ad latitudinem palmæ manus inungebatur, idque bis tervè de die, ſuperponendo hanc paſtam ad ignem calefactam.

℞. Rad. calami arom. nucis moſchatæ ana ℥j. garyophyll. benzoini ana ℥ß. folior. menthæ ℥ij. Subtiliter pulveriſatis adde, micæ panis ſecalini ℥iij. vel IV. aceti roſacei q. ſ. F. paſta molliuſcula, quæ in linteo extendatur, atque ita ad ignem calefiat, & ventriculi regioni imponatur.

Interdum etiam talem nodulum naribus odorandum objecimus.

℞. Cortic. citri ℥iij. cinamomi, garyophillor. granor. cardam. min. ana ℥j. macis ℈ii. Contundantur aliquantum, & fiat nodulus ſequenti liquori immergendus.

℞. Aquæ roſar. vini Rhenani generoſi, aceti ſambucini, vel aquæ cinam. ana ℥j. M.

Talis nodulus deficientes ſpiritus inſigniter recreabat. Hæc ille.

[z] Lapis Porcinus de quo Clariſſ. Autor non tantùm reperitur in veſiculis fellis Porcorum Malacenſ. &c. ſed etiam in ventriculis eorum qui pinnas oblongas & acutiſſimas habent, qui altiſſima ſcandunt, & herbis ſingularibus veſcuntur. Hic apud Luſitanos non *Pedro Porco* ut eſt apud Author. Sed *Piedra de Puerco*, vocatur. Eapropter Peſti convenit, quòd ſit medicamentum diaphoreticum inſigne; injicitur ſc. aquæ, vino, cereviſiæ, &c. per horulæ ſpatium, & ſic infuſus liquor bibitur, qui quò amarior eò etiam potentior exiſtit. Prægnantibus non bene datur, nam abortum provocare certum eſt, adeò ut fœminæ Malicæ, ſi quando menſtrua purgatio non bene procedat, dicant, ſi ſaltem hunc lapidem manu geſtent, juva-

Aq. prophylactic noſtr. unc. j. Meliſſæ q. ſ. Syr. de betonic. unc. j.

M. F. *Hauſtus.*

Provocetur eo ſudor, adſtantiumque cura ſit, ut primo ſecundoque die ſomnus arceatur, modo vires permiſerint, [a]

Quandoque Febri conjunguntur.

Vigiliæ Continuæ, & capitis dolor gravis.

Vigiliæ me nequaquam ſollicitum reddunt, etiamſi primis tribus diebus continuæ adfuerint. Dolor ſæpius primo die imminuitur, altero tolerabilis eſt, tertio ſolo ſudoriferorum uſu prorſus ſublatus eſt.

Opio vis eſt ſudorifica, Theriacam, Diaſcord. Mithridatium, &c. magna ex parte (uti jam diximus) conſtituit, quæ etiam, me judice, virtute ea ſudorem movendi haud pollerent, ſi eo deſtituerentur, qua jam gaudent. Imò Alexipharmacis ipſis ab autoribus annumeratur, cujus uſus ſingularis in omni maligna febri; Et certè haud crediderim Medicamentum ullum reperiri, quod tam ſubito tantum levamen ægrotanti adferre poſſit, quam Opium, & de cujus etiam operatione certiora prædicere queant, quicunque frequenter & circumſpectè eo utuntur, quam de Opii. [b] Parce nihilominus eo hoc tempore, præter conſue-

mentum ſe inde ſentire. Valde autem pretioſus eſt, ſinguli veniunt centum, imò ducentorum interdum imperialium, & etiam ultrà, ratione magnitudinis.

[a] Experientiſſ. Diemerbroëckij praxis in totum convenit cum iis quæ docet Clariſſ. Autor noſter. *Si in ipſo morbi principio, inquit, ad ſomnum nimis proclives eſſent ægri, (quod admodum familiare erat) illos prima die à ſomno ſtudioſiſſimè prohibuimus, uſquedum alexipharmaco aſſumpto priùs bene ſudaſſent. Quapropter ut adſtantes ipſos perpetuò alloquerentur, contrectarent, & commoverent, ſicque vigiles diſtinerent, juſſimus. Sequentibus autem tribus quatuorvè diebus parciorem tantùm ſomnum trium quatuorvè horarum permiſimus, eumque non niſi præaſſumpto antidoto capeſci voluimus. Nobiliſſ. Silvius in ſopore Peſtilentiali non tantùm ſenſus externos potenter moventia, qualia ſunt multa naribus admota, ut & colloquia perpetua, adhibet; ſed inſuper acida acria internè uſurpat, quorum quippe vis ſecundùm ipſum in oppugnando veneno peſtilentiali, & reparando acido deficiente, mira præſtat. Præterea addit ſi à parte bilis oleoſa ad qualitatem opii evecta producatur ſopor ille, hoc nomine etiam conductorum acidum acre, cui ſc. ineſt facultas & oleoſum penetrans, & idem corrigens.

[b] Illuſtr. Sydenham opii efficaciam, & multiplicis operationis certitudinem

conſuetudinem, uſus ſum, quia ſomnus primis duobus aut tribus diebus valde ſuſpectus eſt. At vero ubi ad dies ſex aut ſeptem vigiliæ tentaverint, cum virium conſumptione, valde profuit ſequens ſingulo quadrante cochlearis quantitate adſumptum, uſque dum in ſomnum inciderit æger: ſomnus eo producitur placidus, & ſudor largus.

℞. Aq. prophylactic. noſtr. unc. j. ſ. Borragin. unc. j. Cinamom. drachm. iij. Conf. hyacinthor. drachm. j. Sacchar. perlat. drachm. iij. Laud. opiat. gr. ij.
Miſce.

Dicto itaque modo Opio uti poteris; Nec eſt quod hic vel audax nimis in corporibus Cacochymicis, debilitatis, & ventriculo impuro præditis, idem uſurpes, vel meticuloſior juſto, nullo in caſu id exhibere contendas; vires etenim ejus tibi ignotas eſſe, evidentiſſime hoc modo declaras.

Ad Laudanum Opiatum antequam deveniam, Capitis dolorem ſeq. mediis tollere ſtudeo. Apponatur Cervici Hedera terreſtris contuſa; plantis itidem pedum & volis manuum hoc aut ſimile.

℞. Fol.

tudinem miratus, ſic exclamat. Et profectò non hic mihi tempero, quin gratulabundus animadvertam, Deum Omnipotentem πάντων δώτηρα ἐάων, non aliud remedium, quod vel pluribus malis debellandis par ſit, vel eadem efficaciùs extirpet, humano generi, in miſeriarum ſolamen, conceſſiſſe, quàm ſunt Opiata, medicamenta ſc. ab aliqua papaverum ſpecie deſumpta. Et quamlibet ſint nonnulli qui credulis perſuadere velint, omnem ferè Narcoticorum, Opii præſertim ipſius, virtutem ab artificioſa ac debita, quam ſoli adhibent, præparatione pendere; qui tamen experientia judice certaverit, & tam ſimplicem ſuccum à natura oblatum, quàm ejus preparata cum diligenti obſervatione in uſum frequenter revocaverit, nullum ferè diſcrimen intercedere comperiet, & mirandos illos effectus quos edit, nativæ ipſius plantæ bonitati, atque excellentiæ, non verò artificis Polydædali induſtriæ deberi, certò ſciet. Quinimò ita neceſſarium eſt in hominis periti manu organum jam laudatum medicamentum, ut ſine illo manca ſit ac claudicet Medicina; qui verò eodem inſtructus fuerit, majora præſtabit, quàm quis ab uno remedio facilè ſperaverit; rudis enim ſit oportet; & parum compertam habeat hujus medicamenti vim, qui idem ſopori conciliando, demulcendis doloribus, & diarrhϾ ſiſtendæ applicare tantùm novit, cùm ad alia

℞. Fol. rutæ M.j.ſ Ferment. acr. unc. ij. Fim. columbin. unc. j. Salis commun. unc. ſ. Acet. Sambucin. q. ſ.

M. F. Cataplaſma, plantis pedum & volis manuum applicandum.

Vel

℞. Boli armen. Terræ ſigillat. Cret. vulgar. alb. an. unc. ſ. Acet. Calendul. q. ſ.

M. applicetur ut præcedens.

Fronti quoque applicavi quandoque Cariophyllorum pulverem ſpiritu Vini madefactum. [c] Acetum enim nocere cenſeo, ſimiliter & Emulſiones. [d]

Symptoma Peſtis aliud eſt.

Vomitus & Singultus.

Carbunculis Ventriculum atque Inteſtina affici poſſe; Naturæ ſcrutatores varii, fide digni, in Cadaveribus apertis obſervarunt, nec vel experientia vel ratio contrariatur: [e] Hi quòd ſi Vomitus hujus

plurima, gladii inſtar Delphici, accommodari poſſit, & præſtantiſſimum ſit remedium Cardiacum, unicum pene dixerim, quod in rerum natura hactenus eſt repertum.

[c] Sequentem in Vigiliis, doloribus capitis & delirio habet applicationem Diemerbroëckius.

℞. Conſervæ roſar. rubr. unguenti alabaſtrini, populei ana ℥iij. olei nucis moſchatæ expr. ℈iß. croci ℈ß. vel ℈j. M. & excipiantur ſtupa.

[d] Emulſiones etiam in peſte condemnat Diemerbroëckius, dum ait. Amygdalata [quæ à Medicis laudari ſolent] in Peſte non exhibuimus, quia experientia nos edocuit, ea Peſtiferis exhibita (ſive in deliriis, ſive in doloribus capitis, vigiliis, diarrhœa, aliavè quacunque occaſione) non tantùm non profuiſſe, ſed ſemper plurimum nocuiſſe; nam in ventriculo ægrorum ſtatim corrumpebantur, atque ita febris alimentum fiebant, ſubſequentibus etiam moleſtiſſimis vomitionibus, anxietatibus, aliiſque gravibus ſymptomatibus.

[e] Diemerbroëckius, viſo milite Peſte affecto, & quatuor habente carbunculos, qui ſumma anxietate & inquietu ſine, cum magna virium dejectione, crebris deliquiis & vomitu violento, laborabat, quique nihil proficientibus antidotis animam efflavit. Cum chirurgo adjuncto de cauſa vomitus peſtilentialis verba ſerens, affirmabat ille, hunc vomitum plerumque induci à carbunculis in ventriculi tunicis enatis, idque ſe ab experientia ſcire, & aliquando cadaver peſte cum vomitu emortuum ac jam refrigeratum diſſecuiſſe, & in ventriculo à latere orificii ſuperioris inveniſſe locum quemdam longiuſculum, circiter magnitudinis articuli pollicis, qui nigricabat, inſtar carbunculi, quæ nigredo tunica

hujus ſingultuſvè cauſa non fuerint, mixturæ ſeq. cochlear. 1. cujuſvis horæ medio frigide adſumptum, facile tolluntur.

℞. Aq menthæ Prophylactic noſtr. an. unc. j. Cinamom. unc. ſ. Confect hyacinthor. drachm. j. Sal. corallor. ſcrup. j. Syr. myrtin. unc. ſ. Iulap. roſ. unc. ſ.

Miſce.

Hujus uſu Vomitus plerumque ceſſat, imprimis ſi Oleum ſeq. Ventriculo aliquoties de die extra applicetur.

℞. Ol. Nuciſtæ expreſ. drachm. j. ſ. Macis ſtillatit. drachm ſ. Abſinthii drachm. j.

Miſce.

Abſtineat interim à potu copioſo; & quamprimum vomitus eſt edatus, ſudoriferum præſcribere ſoleo. [f]

Alvi fluxus.

Inſtantis plerumque mortis nuncius eſt: Non raró tamen, ubi nec ſolus ſanguis excernebatur, nec materia ſanguinea, ſequentia profuiſſe expertus ſum.

Abſtineat æger, & Medicus ab omnibus acidis, ſalſiſque, magni aliàs in peſte uſus, ſimiliter & à potu liberaliore. Sitim valde vexantem, quod ſi tolerare nequeat ægrotus, ſumat mixturæ hujus Cochl. 1. 2. 3.

℞. Rad. Tormentill. unc. j. Flor. roſar. rub. P. j. Raſur. corn. Cerv. drachm ſ. Sem. acetoſ. Myrtillor. an. drachm. j. Coq ex aq. ferrata. Colatur. unc. 9. Adde. Conf. hyacinthor. drachm. j. Syr. myrtin. unc. j.

Miſce.

Sola theriaca quoque multis profuit, ſi ſingulis quatuor horis particula

nica ventriculi tranſiens, æquè foris, quàm intus conſpiciebatur, & promittebat ſe in milite prædicto illud demóſtraturum. Verùm Diemerbroëckio non placuit irritare crabrones, & aperta abdominis cavitate contagij periculo ſeſe exponere.

[f] De remediis & cautelis pro vomitu in Peſte vidimus quædam ſupra in iis quæ circa Peſtis curationem illiuſque methodum affert Illuſtr. Sydenham; quædam præterea cum de anxietatibus &c. tum è Nobiliſſ. Sylvio, tum ex Experientiſſ. Diemerbroëckio verba faceremus, nihil eſt igitur quod hìc addamus. Singultum verò quod attinet, multa huic remedia adhibere neceſſe non eſt, nam tales ægri omnes citò moriuntur; neque ullum ſingultientem, medicamentis etiamplurimis diligentiſſimè adhibitis ſervari potuiſſe, vidit Diemerbroëckius.

[g] De

ticula ejus aſſumatur, uſque dum drachma una abſumpta ſit ſequens etiam, cochleatim exhibitum.

♃. *Diaſcor. Frac. drachm.* ij *Carabe ſcrup.* ſ. *Corall. rubr. præp. Sang dracon. an. ſcrup.* 1. *Margarit. præp. ſc.* ſ. *Aq. fœnicul. unc.* j. *Plantag. Roſar. an. un.* j. ſ. *Syr. de ſymphyto Fernel. unc.* j.

Miſce.

Enemata adſtringentia, exſiccantia atque emollientia valde hic neceſſaria ſunt, imò quovis ſæpius die bis tervè iniicienda.

♃. *Rad. Conſolid. major. unc.* j. *Biſtortæ. Tormentillæ an. drachm.* iij. *Fol. quercus M.* ſ. *Flor. balauſt. Roſar. rubr. an. P.* j. *Semin. aniſ drachm.* iij. *Coq. ex lacte vaccino uſtulato, in Colaturæ unc.* 8. *Diſſolve Therebinthin. Venet. drachm.* ij. *Vitell. ovi num.* j. *Trochiſc. albi Rhaſis drachm.* j. *Mell. mercurial. unc.* ſ. *Roſat. colat. unc.* ſ.

M. F. *Enema.* Fæx Vini albi, at magis rubri Abdomini calide illita inſigniter profuit, linteo quadruplicato ſuper impoſito. Aliàs linimentum & Emplaſtrum ſequens uſurpari poteſt.

♃. *Ol. Maſtichin. Nuciſtæ expreſſ. drachm.* j. *Anethi. Abſinthij, Myrtillor. an. drachm.* ij. *Theriac. Veter. drachm.* iij.

Miſce.

♃. *Boli armen. Thuris Maſtich. Sang dracon an. drachm* ij. *Mumiæ drachm* iij *Pulver Gallar. drachm.* i ſ *Semin. dauci, Leviſtic. Anis. Myrtillor. an ſcrup.* ij. *Ol. nuciſt. expreſſ. drachm.* iij *Therebinth. Ven. q. ſ.*

M. F. ſ. a. Emplaſtrum. *

Atque

* De ratione tollendi alvi fluxus peſtis principiis adjuncto jam ſupra aliquid ex Illuſtriſſ. Sydenham in Peſtis curatione vidimus; hic quæpiam ex Isbrando Diemerbroëckio addemus, quæ in totum conſona ſunt cum iis quæ habet Autor Alvi fluxus, *inquit*, ægris peſte correptis ſuperveniens, ſemper ingens periculum minabatur. Ac proindè non expectandum, (quod tamen multi opinantur) neque ſolis amygdalatis (quæ in hoc caſu ſemper maximè noxia fuiſſe obſervavimus) dolores ſedandos, ſed ſtatim, ſi ægri, ullo modo quidquam aſſumere poſſent fluxum medicamentis ſedandum eſſe, præter rationem, etiam docuit uſus. Quem in finem uſi ſumus ſudoriferis adſtringētibus aliquoties repetitis, nec non pulveribus antidotalibus, & conditis quoque aſtringentibus ac malignitati reſiſtentibus. Atque talibus medicamentis interdum in Principio ſiſtebatur ille fluxus, cùm alioqui tranſgreſſo principio nullis remediis ſiſti poſſet, ſed ægros ſecundo flumine ad æterni-

Atque hæc de Symptomatibus Peſtis internis pro ratione temporis & ſcopi dicta ſufficiant: externa tria occurrunt, *Petechiæ*, *Bubo*, & *Carbunculus.*

Petechiæ.

Haud commodius quàm internis medicamentis tolli poſſunt, ſed plerumque malum denunciant, [h]

Buboo

Sequenti modo à me tractari ſolet. Primo ſtatim tempore Veſicatorium applico, etiamſi tumor adhuc non ſit inſignis magnitudinis, cucurbitulis neglectis, quas ideo quod dolorem febremque cauſent, bonos æquè ac malos humores alliciant, totumque ſanguinem magis adhuc alterent, omnino rejicio. [i] Veſicæ, poſt horas 7. 8. aut plures diſſectæ, Emplaſtrum magneticum Arſenicale imponi curo: Hujus

æternitatis habitacula deferret. Fluxui enim alvi ſimplici aliquando ſuccedebat fluxus ſanguineus per alvum & urinam, quem mors brevi ſequebatur, neque ullus in tota peſte Noviomagẽſi evaſit, cui ſanguis per has vias effluxit. De alvi Lumbricis nihil habet Autor; interim morbo peſtilentiali ſæpè ſunt familiares; illorum itaque curationi particulatim incumberemus, ni à maxima putredine peſti adjuncta originem ſuam traherent, cui ſane optimè occurrunt alexipharmaca, antidota & diaphoretica ſuprà deſcripta.

[h] Idem omnino ſentit Experientiſſ. Diemerbroëckius, dum inquit. Quantùm ad curationem exanthematum, illam inſtituere neceſſum non erat, quia hæc mortis inſtantis præſagia erant, neque curationi tempus dabant, quam ſi admiſiſſent, per ſudorifera & alexipharmaca curari debuiſſent.

[i] Sic etiam Diemerbroëckius. Quamprimùm ægri, ſive in ipſo morbi principio, ſive in progreſſu, duritiem aliquam ſentirent ponè aures, in collo, ſub axillis, vel in inguinibus, huic plerumque ad citiorem tumoris provocationem & maligni ichoris extractionem, veſicatorium in inferiore ejuſdem parte applicavimus, ita ut veſicatorium ipſam duritiem attingeret: eoque per octo vel decem horas inhærente veſicam mediocrem excitavimus, quâ, unica vice, totâ ablatâ, folium braſſicæ rubræ, vel betæ, butyro veteri, vel oleo raparum inunctum, impoſuimus, ut hoc modo locus apertus teneri, & damnoſi ichores meliùs effluere poſſent. Circa Cucurbitulas quomodo cum Autore noſtro conveniat, in ſuperioribus vidimus. Verùm Nobiliſſimus Sylvius veſicatoriis hoc in caſu rejectis, ſcarificationes & cucurbitulas commendat, dum inquit. Niſi dolor vehemens urgeat, nolim præcipitari bubonum ſcarificationem; multò minùs ipſis adhiberi veſicatoria, vel cucurbitulas. Ubi autem grandes ſunt bubones, ardentesque

Hujus ſanè virtus tanta eſt in hoc caſu, ut nobilius eo nullum mihi innotuerit, quod cuivis adhibenti patebit. Deſcriptio ejus ex Hartmanno & Agricola hæc eſt.

Emplaſtrum Magneticum Arſenicale.

℞. *Antimon. crudi, Sulphur. flav. Arſenici albi an. unc. ij.*

Subtiliſſime pulveriſata ſepeliantur in Phiala, in arena, ſubminiſtretur ignis, donec colliqueſcant, & colorem rubeum ſuboblcurum induant. Vaſe refrigerato exime materiam, quæ *Magnes Arſenicalis* vocatur, & venenata ampliùs non eſt, ut in canibus cuilibet id experiri licet. Poſtea.

℞. *Gummi ſerapini. Ammoniaci, Galbani, magnetis Arſenicalis an. drachm. iij. Therebinth. Laricea. Ceræ an. unc. ſ. Ol. ſuccin. drachm. ij. Terræ vitrioli dulcificatæ drachm. j.*

Gummata diſſolvantur in aceto vini fortis, & per pannum linteum expreſſa, bulliendo iterum inſpiſſentur ad priorem conſiſtentiam. Deinde ſeorſim illiqua Ceram & Therebinthinam, & extrà ignem agita, donec in ſpiſſitudinem unguenti redigantur. Adde porrò ſupradicta Gummata & Magnetem Arſenicalem cum Terra vitrioli, & Oleo ſuccini, & habebis Emplaſtrum ad extrahenda omnis generis Venena efficaciſſimum.

Emplaſtrum illud hiſce viribus præditum reperi, ut cuti duriori impoſitum, ne minimam quidem eſcharam producat, interim malignos humores tam egregiè extrahens, ut bubo juglandi ſimilis intra quatuor aut ſex dierum ſpatium prorſus tollatur. Verùm hoc non ſemper tam citò ſuccedit, & hæc cauſa eſt quare neceſſitas ad humores ſubitò evacuandos ſæpenumero veſicam prius excitari deſideret. Imò in corporibus robuſtioribus nequaquam eſcharam producit, niſi Veſicatorii ope Cuticula non ſolum, ſed etiam Cutis quædam particula corroſa prius fuerit. At verò in pueris, corporibúſque tenerioribus, cruſtam, nullo veſicatorio præmiſſo, per ſe excitare poteſt.

Cruſta hæc vera veneni extracti ſedes eſt, quare mediocriter craſ-

que viribus adhuc conſtantibus, ferre poſſem, tunc cucurbitulas, tum ſcarificationes adhiberi, nunquam verò veſicatoria, à quibus quid boni expectari poſſit aut unquam ſequatur, hactenus animadvertere non potui.

craſſa reperitur, cute ſuperficialiter tantùm corroſa, quod profectò conſideratione eſt dignisſimum: nam hæc, uti exiſtimo, ratio eſt, cur multo citiùs ſeparetur, quàm aliæ cruſtæ arte excitatæ. Horis enim 24. aut 36. effluxis, ſolius ſpatulæ auxilio, nulla præcedente ſcarificatione, abſque ullo aut ſaltem non inſigni dolore, auferri poteſt, ſi Emplaſtro tuo Anti-peſtilentiali, quocunque etiam utaris, Unguenti Baſilici, aut Theriacæ aliquid addideris, Separationem alias Eſcharæ egregiè promovet hoc Unguentum.

℞. Mellis virginei, Axungiæ anatis an. unc. j Fuligin camini drachm vj. Therebinthin Argentinenſis unc j. Vitell. ovor. N. ij. Theriac. drachm. iij. Ol. ſcorpion. q. ſ.

M. F. Unguentum.

Quod ſi tumor, cruſta prima ablatâ, non ſufficienter ſit imminutus, Emplaſtro Arſenicali magnetico ſecundam & tertiam excitabis, & deinde uti antea procedes.

Ulcus tandem conſolidato Emplaſtro de minio, albo cocto, Diapompholygos, vel alio medicamento ſiccante atque cicatriſante. Sed non nimium ad conſolidationem feſtinato, ne humor venenoſus & in corpore adhuc hærens novum morbum, & tandem mortem producat.

Emplaſtro Magnetico deficiente, ſequens, veſicatorio præmiſſo, adhiberi poteſt, cuius etiam virtus ſingularis ſcrophulas dolentes tollendi non uno in corpore innotuit. Vires, quibus eximiis præditum eſt, effecerunt, quod vocatum fuerit.

Emplaſtrum Divinum.

℞. Gumm. Galban. unc. j. Ammoniac. drachm. ij. Opoponac. drachm. iij. Ceræ flavæ unc. xx. Ol. olivar. unc. XXIV. *Lythargyr. aur. unc.* xvij. *Oliban. unc.* ij. *myrrhæ, Thuris an. drachm.* x. *Virid. æris. Ariſtolochiæ long. maſtiches an. unc. j.* Bdelij, *Lapid. magnet. an. unc. ij.*

M. F. ſ. a. Emplaſtrum.

Bubone, vel nimium protuberante, vel tendini adhærente, Veſicatorium debile nimis eſt, & Cauterium actuale non magnopere neceſſarium exiſtimo; potentiale itaque applicetur, & inter quamplurima minori dolore profundiùs corrodens ſequenti nullum, hactenus mihi innotuit.

℞. Calcis vivæ drachm. j. Saponis nigr. q. ſ.

M. F. Ruptorium.

Veſicatoria ubique ſatis ſunt cognita, ſi aliquis egregiam deſcriptionem deſideret, hanc accipiat.

℞. Ferment. acr. unc. ſ. Euphorbij, Sem. Staphyd. agriæ. Sinapi, Rad. pyrethri, an. ſcrup. j. ſ. Cantharid. drachm. j. ſ. Acet. vin. Fortis q. ſ.

M. F. Paſta Veſicatoria.

Si dolor vehementer urgeat, & tibi aliqua ſpes dolorem abſq; cauterio ſedandi affulgeat, ſequenti cataplaſmate utere.

℞. Fol. ſcordij, Rutæ, Cicutariæ, an m. j. Flor. chamomill. Anethi an. P. j. Summitat. abſinthii. P. ij. micæ panis ſimilagin. unc. ij. Coq. ex lacte vaccino, Addendo Croc. oriental. drachm. ſ. Vitell. ovi. N. ij. Theriac. drachm. iij.

M. F. Cataplaſma.

Admodum rara eſt Bubonis ſuppuratio: verum hanc ubi natura intenderit, illi qui artem de limine ſalutarunt, media ad hanc promovendam neceſſaria paſſim invenient. Imò Abſceſſum in tempore non ruptorio, ſed lanceola aperient, & ulcus lentè curabunt.[k]

Emplaſtro de Ranis cum Mercurio qui utuntur, Aſini in hac arte ſunt impudentiſſimi audaciſſimíque: nam venenum ad interiora propellunt, & ægrotantem in ſummum periculum conjiciunt, uti nos ſcriptores & experientia manifeſtè docent.

Carbun-

[k] Experient. Diemerbroëckius etiam docet, ne tetri vapores è bubone maturefacto elati cor affligant, citiorem puri exitum parandum, illo ſc. in parte declivi ſcalpello pertuſo: & addit; Cauterio Potentiali, (quamvis venenatam materiam conſumere credatur) propter longiorem eſcharæ moram, nunquam eſſe uſum. Illa autem apertio, *inquit*, non molienda, niſi cùm tumores jam ferè ad perfectam devenerunt maturationem. Eandem per lanceolam apertionem commendat etiam Nobiliſſ. Sylvius; habet enim: Quamprimùm ſuppurati ſunt bubones, apertio acceleranda, vel ſcalpello, vel ruptorio; quamvis ſcalpellum præferam.

Poſtquam Autor monuit ſuppuratum bubonem peſtilentialem eſſe aperiendum, illum lentè curandum addit, ſed de curationis methodo nihil ulterius docet. Experientiſſ. autem Diemerbroëckius hac de re ſic ſcribit. Tumoribus apertis & pure expurgato, ad ulceris emundationem hoc digeſtivum [quod inſigniter hic proderat] primis diebus imponebatur.

℞. Scordij ſubtiliſſ. pulveriſati ℥ij. vitel.

Carbunculus.

Græcis Anthrax (hic enim diſtinguere nolo) diverſa admodum ſpecie, ſed aliquando valde fallibili ſe prodit.

Facillimè cognoſcitur quoties puſtula prominente, atro-purpurea, & in ambitu inflammata, invadit. Sed ſæpenumero non vides niſi puſtulam albam atque planam, quæ pus bonæ notæ continere videtur. Eam ſi comprimas valde ſicca & dura eſt, imò profundiſſimè ſubjectam carnem conſumit.

Veſicula quandoque ſola, limpido humore repleta adeſt, hæc ſi ante horam 24 non aperiatur nigredinem acquirit, diſſectaque guttas ij. aut iij. ſanguinis atri exhibet.

Nonnunquam Hydatides variæ, exiguæ & albæ ſe offerunt: His quòd ſi ſubjecta ſit durities cum inflammatione & febre, malignitatem adeſſe nullus dubito, nec cauſam video, cur non, cum Medicis Chirurgíſque hodiernis, Carbunculis eas annumerem, cùm haud longiore tempore ad hominem jugulandum indigeant, quàm purpureæ: imò eodem modo ac illæ tractari debent, ſi exoptatum finem deſideres.

Curatio ejus exigit, ut quamprimùm ſuppuratio promoveatur, exitioſaque mali propagatio inhibeatur. Ad hoc præſtantius medium nullum inveni Cauterio actuali, quod etiam Chirurgis plurimis valde arridet: Sed quibuſdam hæc operatio nimium crudelis videtur, & ex perverſa miſericordia ejus vim magis ſentientes quam ipſi ægri, Cauterium potentiale aut veſicatorium eligunt: [1] quo utroque etiam utor, quoties aut fortia ſatis videntur, aut medio alio uti non licet: ſæpius enim multiſciorum adſtantium volun-

vitellum unius ovi, Therebinthinæ Venetæ, mellis, unguenti apoſtolor. ana ℥ß. M.

Poſtea ulcera aliorum ulcerum modo percurabantur, cavendo ne nimis citò occluderentur, Nobiliſſ. Sylvius de ea cura rurſus ſic habet. In apertum bubonem cum felici ſucceſſu impoſui Balſamum ſulphuris therebinthinatum, & aniſatum, unà cum unguento baſiliconis & theriaca: hujus enim ope brevi abſolvi ulceris mundationem. Quin imò ejuſdem balſami ope conſolidatio feliciùs ac citiùs evenit, ſuperimpoſito ad cicatricem accelerandam Emplaſtro diapompholygos, aliovè ſimili.

[1] Si adhibeatur cauterium potentiale,

voluntati obtemperare cogitur Medicus, etiam cum damno ægrotantis.

Cui nullum horum trium mediorum placet, is emplaſtro Magnetico Arſenicali utatur, quod hoc in caſu ſummopere conducit.

Separationem Eſcharæ promovent medicamenta jam ſupra, ubi de Bubone agebamus, præſcripta

Alii ſequens Cataplaſma mirum in modum extollunt.

℞. Rad. conſolid. maj ſicc. drachm. ij. Altheæ ſicc. unc. ß. Herb. ſcord. ſicc. drachm. ij. Farinæ ſem. lini cribratæ, Pollinis farinæ tritici ana unc. ß. Fiat Pulvis ſubtilis; cui affunde Aq. communis q. ſ. Coquantur aliquantum, ut mucilagines ſolvantur, & compoſitio ad pulticulæ craſſioris formam deveniat, cui adde mellis, Therebinthin. Vng Apoſtolorum an. drachm iij Baſilici, Picis liquidæ an. drachm ij. Vitellum unius Ovi. Croci oriental. ſcrup. j.
Miſce.

Adde ſi velis Theriacę drachm. ij. [m]

Media

tiale, debet adhiberi validum, quale Butyrum Antimonii, cujus efficaciam multiplicem hoc in caſu, pluribus deprædicat Nobiliſſ. Sylvius. Nihil hactenus novi, inquit, quod potentiùs, ac certiùs ſerpentem carbunculorum mortificationem ſiſtat, quàm butyrum antimonii, ſi circumcirca illinatur parti affectæ; ad miraculum enim tunc ſiſtitur partium omnium corruptio ſerpens ac omnia depaſcens. Huic proximum cenſeo magnetem arſenicalem emplaſtris convenientibus immiſtum, cujus ope ad ſui ſeparationem diſponitur pars corrupta: quod idem præſtat quoque butyrum antimonii, cùm non tantùm ſiſtat veneni peſtilentis progreſſum, at inſuper partes ab ipſo corruptas ſeparet à ſanis.

m Hoc Cataplaſma in uſu habuit Diemerbroeckius, & ex multis, ut inquit, tentatis nihil invenit cum quo carbunculorum ſeparatio & curatio citiùs ac meliùs peragеretur. Illius autem aliquantum in linteo pinguiùs extenſum anthraci imponebat, idque bis tervè de die renovabat. Carbone ſeparato & extracto, primò ulcus mundabat digeſtivo in cura bubonis deſcripto, ac poſtea inſtar aliorum ulcerum percurabat. Plura de ulceris poſt anthracem ſeparatum remanentis curatione vide in ſuperioribus ubi de bubone; nam illa quæ ibi ex Sylvio ſunt allata optimè hic rurſus conveniunt. Digeſtivum autem de quo hic tale eſt.

℞. Scord. ſubtiliſſ. pulver. ʒij.
Vitell. ov. N. j.
Therebinth. Venet.
Mellis
Unguent. Apoſtolor. āā. ℥ß.
M. pro Digeſtivo.

n De

Media Prophylactica.

OMnium mediorum contemptio, Theologia Diabolica eſt: Præcipita te deorſum, inquit, Deus te manibus ſuis geſtabit, & ſcalis minimè indiges. Verùm cujus beneficio vivimus & valemus, eiuſdem & mediis vitam & valetudinem conſervandi fruimur, quæ mecum, ut adhibeatis, admonere neceſſe habeo.

Preces ardentes ad eum, qui nobis peſtem immittit, inter alia primum locum ſibi vindicant.

Fuga non eſt medium illicitum, præſertim ſi vitæ ſtatus & conditio illam permittant: ſed fugæ non ultrà quàm par eſt confidito: illa igitur in timore Dei fiat; nam eius præſentiam nemo effugiet.

Si quis fugâ ſalutem quærat, citò fugiat, procul diſcedat, & tardè redeat.

Aërem die noctequе inſpiramus, quare puritatis eius diligens habeatur ratio.

Ignem privatim & publicè exſtruere antiquum, celebre, & utiliſſimum eſt medium: nam aër non meliùs quàm flamma purificari poteſt.

Neceſſarium eſt quotidie ædes purgare aqua, Aceto aquæ loco qui utuntur, meliùs agunt.

Res odoratæ, ut Ambra, Zibethum, Moſchus, Benzoin, &c. non ſolum malignitatem non corrigunt, ſed venenum magis attrahunt, experientia igitur, & ratione id confirmantibus valde nocent.

Theriacam aut Mithridatium naribus illinere ridiculum, nulliuſque uſus

Vera aërem purificantia media ſunt Succinum, Pix, Myrrha, Thus, lignum & baccæ Iuniperi, Sulphur, Aſſa fœtida, Cornu, imprimis Pulvis pyrius, accenſus aut carbonibus ignitis impoſitus.

Tabacum ab ejus cultoribus valde commendatur: & licèt illorum conſortia fugiam: ejus fumum tamen prodeſſe exiſtimo.

Diæta inordinata omni tempore nocet, ſed præſertim peſtilentiali: quam verò unuſquiſque debeat ſequi, præſcribi vix poteſt: conſuetudini multum dandum, & pro tempore alimenta concoctu difficilia, ne ventriculus gravetur, ſtudioſè vitanda ſunt.

Præſtant in hoc caſu, modo haberi poſſint, caro Vitulina, Ovilla, Bovina, Gallinæ, Capones, Gallopavones, Ficedulæ, Alaudæ, Fringillæ, Lepores, Cuniculi, &c. Perca, Lucius, Porcellus, Solea, Salmo, &c. Ova, Butyrum, Caſeus viridis, Parmenſis, Lac ebutiratum, Cichorium, Endivia, Acetoſa, Lactuca, Cherefolium, Petroſelinum, Roſmarinus, Poma acida, Cydonia, Limonia, Aurantia, Cappares, &c.

Nocent contra Carnes Piſceſque fumati, & ſaliti, Lardum, Caro porcina, Aſellus minor, Anguilla, Cancer, Squilla gibba, fructus immaturi, omniaque coctu difficiliora.

Juglandes mirum in modum commendantur, & re vera ex iis aliquid boni elici poteſt: immaturæ conditæ iis valde conducunt, qui bile non admodum abundant. Sed qui maturas & exſiccatas edere deſiderant, poſtero die earum virtutes non deprædicabunt.

Cerevifia generoſior & vinum mediocris naturæ ſunt media jam à plurimis ſæculis decantata. Vina verò dulcia fortiaque, ut & ſpiritus vini, & quicquid ex eo conficitur pro quotidiano potu nemini niſi ſenioribus permittimus.

Jejunus nemo in publicum prodeat: non inutile erit aliquid de aqua noſtra ſive condito noſtro Prophylactico ſumpſiſſe.

℞. *Aquæ prophylact. noſtr. unc.* vj. *Iulap. roſ. unc.* iij.

M. Sumatur Cochlearis i. aut ii. quantitas mane.

Vel

℞ *Condit. prophylact. noſtr. unc.* iij.

Sumatur Nucis caſtaneæ quantitate, mane, aut quoties locum infectum accedere aliquis tenetur.

Acetum & omnia acida iam à multis retrò annis Practici omnes valde commendarunt: ſed tuſſi, ventriculi debilitate, doloréque colico divexatis, per ſe copioſiùs ſumpta, non conducunt.[n]

Me-

[n] De Aceto tanquam peſtis præſervativo ſic ſcribit Nobiliſſ. Silvius. Ego ſanè, inquit, cùm quotidie plures viſitarem ægros peſte infectos, præcautionis loco aliud non ſumpſi medicamentum, quàm vulgaris aceti vini cochleare unum, mica panis exceptum, & quidem mane antequam inviſerem ægros. Id remedii genus uſurpavi per octo menſes continuos, nec unquam minimam percepi toto illo tempore ab infectione noxam. Poſtquam verò ſublato ſenſim hoc malo deſiiſſem ab illo aceto diutius aſſumendo,

Mediis externis prophylacticis magnas vires nunquam attribui: ex collo geſtare poterit cui placet hoc Amuletum.

℞. *Magnet. Arſenic. drachm.* j. *Benzoës q. ſ.*

M. F. *Rotula maiuſcula*, ſyndone rubro obducenda.

Magnetis arſenicalis deſcriptionem ſupra, ubi de Bubone peſtilenti agebamus, exhibuimus.

Somnus & Vigiliæ, Motus Corporis, & Venus, ſi modum exceſſerint malum eſt. [o]

Alvi ſuppreſſio noxia eſt, ſed purgatio fortior valde nocet. [p] Triſtitia nemini prodeſt.

Metus

mendo, ſenſi poſtmodum ac ferè ſemper, aliquem capitis dolorem mihi contingere, quoties infectam ingrediebar domum, licet id ignorarem, nec tamen mihi metuerem, hoc mihi contigit. Novi equidem paucos potuiſſe meo exemplo acetum per aliquot hebdomadas uſurpare; dum aliqui ob peculiarem ſui conſtitutionem melancholicam dictam, ne quidem per plures dies potuerint perſeverare in ejus uſu. Hæc ille: Unde confirmatur Clar. Autor. optimè advertere non æquè omnibus utile eſſe hoccè remedii prophylactici genus.

De potu, balneis, & veſtimentis rurſus quædam ſuperſunt dicenda quæ peti poſſunt ab Experientiſſ. Diemerbroëckio. Sic autem ille. In potu temperantiam colere, & ebrietatem tanquam infenſiſſimum hoſtem fugere, præcepi: triſtioribus uſque ad hilaritatem (præcipuè hyberno tempore) nemini uſque ad ebrietatem vinum conceſſi. Suaſi ut natationibus aſſueti ab illis penitus abſtinerent, ſive in fluminibus, ſive in aquis ſtagnantibus fierent: ſicut aliis in locis ubi publica balnea tepida in frequenti ſunt uſu, ab iis abſtinere, bene jubent medici. Iis, quorum fortuna lautior paulò majores impenſas permittebat, ſuaſi ut geſtarent veſtes ex ſerico tenuiore, vel undulato, vel ſatino, aliovè ſimili; in aliis verò minoris conditionis, ex lana tenuiore, vel camelina, vel lana bombacina, vel ex corio tenui, aut ſimilibus, confectas. Illas autem veſtes ſemper nitidas ſervari, alias verò ex pannis laneis craſſioribus confectas in aliud non peſtilens tempus ſeponere ac ſervare, juſſi.

[o] Inprimis conſulebat Experientiſſ. Diemerbroëchius ſomni meridiani abſtinentiam, iis exceptis qui plus ſolito vigilaverant, vel à longo tempore tali ſomno aſſueti erant. Præterea ne quis ſub dio, vel radiis ſolaribus expoſitus, vel ſupra fœnum cubans ſomnum capeſceret, hortabatur.

[p] Sequentia habet purgantia mitiſſima & alexiteria virtute prædita Experientiſſ. Diemerbroëckius, in præſervatione peſtis uſurpanda. Primo quidem pilulas quarum hæc eſt compoſitio.

℞. Radic. petaſitid. carlinæ, dictamni

Metus multis morbum immiſit & certæ morti obiecit.

Ita variis modis corpus alterare poteſt. Præſtabit proximorum errata condonare, & Deum orare, ut noſtra nobis non imputet. ¶.

ctamni, angelicæ helenii, ana ℥ß. gentianæ ʒiß. rhabarbari optimi ℥iß. agarici albiſſ. ℥ß. herbar. ſcordii, centaurii min. rutæ ana ℥ß. cardui benedicti ʒvj. flor. ſtæchados ʒiß. ſem. citri, aurantior. Zeduariæ ana ʒj.

Ex his omnibus fiat pulvis groſſus qui maceretur per biduum vel triduum in vini albi ℔iiß. vel iij. deinde coquatur per horæ quadrantem, fiatque colatura cum forti expreſſione in torculari, quæ colatura coletur rurſus per chartam emporeticam. In hac colatura tunc diſſolve

Aloës optimæ ℥iiiß. myrrhæ claræ in guttis ʒiiß.

Ac in ſcutella porcelana fiat evaporatio humiditatis, uſque dum maſſa pilularis fieri poſſit, è qua formentur pilulæ magnitudinis piſi, quarum ſemel vel bis in ſeptimana duæ, tres quatuorvè ſumantur.

Secundum Diemerbroëckii remedium purgans & præſervativum eſt vinum aloëticum hoc modo confectum.

♃. Radic. angelicæ, helenii, petaſitidis, dictamni, corticum aurantiorum ana ʒj. aloës lucidæ ℈viß. herb. cardui benedicti M. ß. centaurii min. p. ij. abſinthii p. j.

Conſcindantur minutim, & ex his concinnetur puppa, ſuſpendenda in vini albi tenuis Rhenani, vel Gallici ℔vj. in quo vino puppa illa remaneat uſque dum totum epotum fuerit.

Hujus vini quatuor aut quinque unciæ aſſumptæ, alvum ſemel, bis, vel ter clementer ſubducunt. Ab illo tamen & ab aliis amaris abſtinendum in iis quos hæmorrhoides affligunt, nec non in mulieribus gravidis, quibus potius rhabarbari & agarici uſus commendandus.

¶ Experientiſſ. Diemerbroëckius non tantùm de prophylaxi ea quibus hactenus Clariſſ. Autorem noſtrum illuſtravimus, ut & alia proponit, ſed etiam proprium vivendi modum deſcribit, ut ſcil. pateat omnibus, quibus ille cautionibus, quibuſvè obſervatis à contagii violentia non læderetur. Omnes, inquit, animi vehementes motus quantùm poteram, inhibebam ac fugiebam, intrepidus planè vivebam, nec pericula, nec mortem, nec alius quippiam timens: mihi eodem redibat ædeſne infectas, an non infectas adirem, peſtiferoſne, an alios ægrotos viſerem; æquè libenter pauperibus gratis, quàm divitibus mercede inſerviebam. Nec terrori, nec iræ, nec mœrori locum concedebam. Si fortè me ipſum aliquomodo contriſtatum perciperem (quod triſti illo tempore, quo in toto Noviomago nulla, quod ſcio, domus à peſte immunis remanſit, interdum fieri non erat alienum) tunc tribus quatuorvè vini hauſtibus aſſumptis, cor exhilarabam, atque ita citiſſimè omnem melancholicum luctum fugabam:

Quamvis ſomnum diurnum aliis pleriſque diſſuaderem, cùm tamen mihi ob ægrotorum inviſendorum multitudinem, ne nocte quidem ad lubitum & neceſſitatem requieſcere permitteretur, & continuis deambulationibus vehementer delaſſarer, de die, nempè poſt prandium (quo tempore id optimè licebat propter pauciora negotia) per horam unam neceſſariò dormire cogebar. In victu utebar cibis euchymis & facilis digeſtionis, ſtudioſiſſimè abſtinendo ab iis quos aliis noxios fuiſſe animadverteram, quales erant carnes porcinæ, haleces, &c. Potus mihi erat cereviſia Noviomagenſis ordinaria, ut & vinum album tenue vel mediocre, quo interdum uſque ad hilaritatem, nunquam ad ebrietatem utebar. Alvum non fluidam, ſed ita liberam ſervabam, ut eandem ſemel aut bis de die exonerarem. Cubitum iturus ſemel aut bis in ſeptimana deglutiebam unam vel alteram pilulam ex anti-peſtilentialibus noſtris, *quæ deſcriptæ ſunt ſuprà.* Manè inter horam quartam & quintam ægros inviſurus, nihil omnino aſſumere poteram [quod tamen ipſemet valde improbabam] nec cibi, nec potus, nec medicamenti, ſed ad omnia nauſeabam, ac proindè præmiſſis piis precibus, me meamque ſanitatem Deo Opt. Max. commendabam, & ſolummodo aliquot grana cardamomi min. maſticando jejunus primos ægros inviſebam uſque ad horam ſextam, præter propter. Tunc vel theriacæ, vel diaſcordii pauxillum, vel corticem aurantiorum conditum, vel ut plurimum radicum helenii conditarum tria quatuorvè fruſtula comedebam. Poſt horam ſeptimam, vel circa octavam fruſtum panis cum butyro & caſeo ovillo viridi jentabam, ſuperbibendo hauſtum cereviſiæ. Inter octavam & nonam ſæpè quidem, ſed tamen non quotidie, data occaſione, hauſtum vini abſinthitis bibebam. Circa decimam, ſi per otium liceret, fiſtulam unam tabaci exſugebam: ſtatim poſt prandium duas treſvè fiſtulas, nec pauciores poſt cœnam: ſæpè etiam intermediis horis poſt meridiem, hic illic ubi occaſio dabatur, adhuc duas treſvè fiſtulas ſumebam. Si verò ab ægrorum vel ædium infectarum fætore me vel tantillum alteratum ſentirem, ſtatim poſtpoſitis omnibus negotiis, quantumvis neceſſariis, qualicumque diei hora foret, duarum triumvè tabaci fiſtularum fumum ſuctione trahebam: nam, ut verum fatear, tabacum pro primario præſervativo in peſte ſemper habui, & revera tale eſſe, non ſola ratione ductus, ſed experientia edoctus, comperi; neque aliud melius pro ordinario uſu hactenus inventum fuiſſe exiſtimo, dummodo illud ſit melioris notæ, ex maturioribus foliis in funes coactum. Quapropter ego ſolo tabaco contentus, nullis aliis ſuffumigiis, morſellis odoratis, ſimilibuſvè utebar: eaque cauſa fuit, quòd durante hac maligna conſtitutione, iſtius nobiliſſimæ herbæ bonam quantitatem conſumpſerim, cujus tamen uſum poſtea dereliqui, nolens naturam meam illi nimis aſſueſcere, ne tandem ejus laudabilem uſum in deteſtandum abuſum converterem, quemadmodum illud hodie in pleriſque fieri animadvertimus.

OBSERVATIONES PRACTICÆ.

I.

AD tam inſignem paupertatem Braſilia nondum erat redacta, quin adhuc iuvenem vigeſimum ſecundum annum agentem, opibus onuſtum in patriam remiſerit : ſed earum uſus brevi poſt aliis adſignabatur, quia 21. Julii anno 1655. in lethalem morbum incidebat. Animum eo die propria navicula recreaverat : ſed circa veſperam à piſcatione frigidus madiduſque domum revertens, illico parvo horrore, ſed ingenti capitis dolore, corripiebatur, qui in tam magnum ſequenti die delirium degenerabat, ut à quatuor viris detineri non potuerit.

Eo tempore peſtis in vicina populoſaque civitate valde graſſabatur, & in noſtra duntaxat è longinquo minitabamur. Media malignitatis externa non occurrebant : interna non erant tanta, ut venæſectionem impedirent, quam mihi delirium magnopere commendabat. Medicamentum itaque cardiacum & ſudoriferum præſcripſi, quovis horæ quadrante, illa quantitate quæ cochleari duplici contineri poſſet, ab adſtantibus exhibendum, non neglecta, poſt horam inſtituenda, venæſectione in dextro brachio, ut ſeptem ſanguinis unciæ extraherentur. Inſtituta venæſectione, volui ut pergerent hanc mixturam exhibere, cuius vires non ſemel in Pleuritide, cui Petechiæ jungebantur, expertus eram. Ejus deſcriptio hæc erat :

℞. Aq. borragin. Card. benedict. Meliſſ. unc. j. Alexipharmac. unc. i. ſ. Cinamom. unc. ſ. Conf. alkerm. ſine ambr. & moſc. drachm. i. ſ. Syr. acetoſitat. citr. unc. i.

Miſce.

Omnia hæc perficiebantur: etiam fronti, cervici, & plantis pedum idonea medicamenta applicabantur, ſed nullo cum ſucceſſu:

Veſperi

Veſperi ſudoriferum præſcripſi; ſed in caſſum laborabam: nam nauta delirans eadem nocte in alium mundum trajiciebat.

II.

PRæcedentibus aliquot diebus, nempe quinto Julij, homini cuidam ſarcinas componere ſolito ſarcina imponebatur, quam etiam geſtare uxor neceſſe habebat. Uterque bubone peſtilentiali in inguine corripiebatur. Hæc ſomnolenta erat, febricitans & corde anxia, verùm ſudoriferorum emplaſtrorúmque extrahentium uſu quotidie reconvaleſcebat, & decimo die integræ ſanitati reſtituebatur. Ille dolore capitis & ad diem quintum leni delirio divexabatur, quo larga admodum Hæmorrhagia laborabat, quæ per biduum cum aliqua intermiſſione durabat. Hæc mihi, ſic docentibus Practicis, erat ſuſpecta: verùm cùm apud animum revolvebam non vires, ſed cephalalgiam, febrem & delirium imminui, nec ad interiora bubonem recedere, metus omnis auferebatur, optimè ſciens humana judicia nunquam eſſe tam certa, ut tempore & diligentia mutari aut emendari non poſſent. Itaque non neceſſarium exiſtimabam hunc ægrum tractare, uti alios conſueveram, & ſudoriferorum uſum continuare. Hiſce omiſſis, cor refeci, ſanguinis incraſſationem procuravi, & ejus largiorem fluxum ſequentibus medicamentis inhibui.

℞. Aq. roſac. Plantagin. an. unc. IV. *Cinamom. drachm.* vj. *Sang. dracon. Corall. rubr. præparat. an. ſcrup.* j. *Confect. hiacynthor. drachm.* j. *Spir. ſalis gutt.* 8. *Syr. berberor. unc.* j. *ſ.*

Miſce.

Hujus uſu Hæmorrhagia ceſſabat, mens & ſanitas redibant: bubo verò ante ſeptimam decimam non curabatur.

III.

QUinque liberorum pater intra ſex ſeptimanarum ſpatium quatuor cum ſecunda uxore amiſit. Sed præſentiſſimum ſolamen, & Chriſtiana fortitudo in tam gravi calamitate ſatis poterant animum infirmiſſimum conſolari. Unicum exemplum magis corda penetrat, quam exquiſitiſſima verborum lautitia. Filia poſt gravem morbum ſuperſtes manſit, & Dei beneficio etiamnum hodie valet. Quarto Septembris, poſtquam unus & alter obierant, fe-

bri, anxietate cordis, cephalalgia & bubone corripiebatur, qui interius circa brachii ſiniſtri articulum, muſculi bicipitis tendini inhærebat. Hic non duntaxat inſignem dolorem, in loco quo detinebatur, excitabat, ſed ob conſenſum etiam circa axillas, licèt ibi protuberantia nulla notaretur. Illico hoc ſudoriferum exhibui.

℞. Diaſcord. Frac. ſcrup. 4. Sal. prunell. ſcrup. j. Aq. alexipharmac. unc. j. ſ. Card. bened. q. ſ. Syr. de limonib. unc. ſ.

M. F. *Hauſtus*

Buboni apponebatur Emplaſtrum divinum.

Sudor largiter ſatis prodibat; ſed ingens dolor brachii, & ex eo delirium, cum vigiliis, poſt diverſorum uſum, Laudanum Opiatum hac forma uſurpare cogebant.

℞. Aq. meliſſ. unc. j. Card. bened. unc. j. ſ. Alexipharmac. unc. j. Conſ. hyacinthor. drachm. j. Iulap. roſac. drachm. 10. *Laud. opiat. gr.* ij.

Miſce.

Sumebat ejus quovis horæ medio, cochl. j. aut ij. ſudor equidem movebatur, ſomnus verò minimè inducebatur. Chirurgus, mutationis gratia Emplaſtrum ſuum peſtilentiale applicabat, ſed nec huius ope dolor remittebat, itaque ad Ruptorium hoc tandem devenire cogebamur.

℞. Calcis viv. Sapon. nigr. an. q. ſ.

Miſce.

Huius medicamenti opera, dolore tamen in eodem ſtatu permanente, febris valde remiſit, unde ſanitatis ſpes affulgebat: Verùm ante diem duodecimum aut decimum ægram febris in totum non deſeruit, & ante ſextam ſeptimanam bubo non curabatur; nam tota glandula ulcere conſumebatur, & tendinis particula corrupta ſeparari debebat. Interea temporis non exiguus aderat metus putrefactionem profundius ſerpſiſſe, quia ulcus profundum, labia calloſa conſpiciebantur, ſeroſuſque humor inde promanabat. Sed Dei omnipotentia alia incommoda anticipavit, & priorem ſanitatem reddidit.

I V.

MEnſe Majo Bibliopola quidam furunculis duobus, dolorem moventibus, valde divexabatur; alter ſcroto, alter verò natibus inſidebat. Ad cauſæ ablationem tumorumque ejuſmodi imminutionem

tionem hoc Apozema laxans, per aliquot dies uſurpandum præſcripſi.

℞. Tamarind. unc. j. Crem. Tartar. drachm. ij. Fol. ſenn. mund. drachm. vj. Rhei opt. drachm. ij. ſ. Sem. aniſ. drachm. j. ſ. Coq. ex ſero lactis, colat. lib. j. Adde Syr. de cichor. cum Rheo unc. ij.

M. F. *Apozema.*

Tuberculis ipſis imponebatur Emplaſtr. diach. cum gummi cujus etiam uſu in tempore tollebantur.

Idem 26. Auguſti, quo tempore peſtis in hac urbe graſſabatur, Bubone inguinis corripiebatur. Quem ubi, inquiſitione legitima inſtituta, interrogationi ægrotantis æquè ac uxoris ſatisfacere coactus, peſtilentialem declaravi: mirum dictu, quàm conſternata utraque perſona! alterationem tamen hanc facilè ſuſtuli, periculum vitæ hic nullum adeſſe, affirmando. Optimè enim æger ſe aliàs habebat, comedebat, bibebat, à febri & anxietate cordis totus liber erat. Sudoriferum nihilominus non unum exhibui, Chirurgus quoque Veſicatorium impoſuit, deinde Emplaſtra & Cataplaſmata attrahentia, atque ita quatuor ſeptimanarum ſpatio bubo integrè abſque ulla ſuppuratione diſſipatus eſt.

V.

IUvenis Embdanus 26. annor. incidit in febrem continuam, ſomnolentiam, labiorum tremorem, linguæque nigredinem & ſiccitatem, quare de morbi malignitate non multùm dubitabam. Duodecimo Auguſti in morbum incidit, & trigeſimo reſtituebatur. More ſolito mane & veſperi ſudoriferum præſcripſi, & pro potu ordinario utebatur hoc Iulapio.

℞. Aq. card. benedict. lib. j. Alexipharm. unc. ij. Iulap. roſac. unc. ij. ſ. Spir. ſalis gutt. viij.

Miſce.

Die tertio Petechiæ ſe oſtendebant toto corpore; nec ſomnus, nec labii tremor, ullo modo imminuebantur, vomitus tamen nullus accedebat: Sudoriferum hoc exhibebam.

℞. Sal. Scordii, Card. benedict. an. ſcrup. j. Ant. diaphoretic. ſcrup. ſ. Oc. cancr. contuſ. gr. xij. Aq. prophylact. noſtr. Menthæ, Syr. è ſucc card. bened. an. unc. j.

M. F. *Hauſtus.*

Hujus uſu Febris multum remiſit: die octavo Aphthæ apparebant, ad quarum ſeparationem hanc Mixturam, cochleatim ſumendam, præſcribebam.

℞. Succ. ſemperviv. major. unc. ſ. Aq. prunell. Portulac. an. unc. j. ſ. Vitel. ovi N. j. Syr. violar. compoſ. drachm. vj.

Miſce.

Bis tervè iterata eſt hæc Mixtura, non neglecto interim eclegmate ex Syr. Portulacæ & Violarum. Horum uſu Aphthæ ſublatæ, & Febris curata eſt, nullo purgante exhibito, nullaque Venæſectione inſtituta.

V I.

DEcimo octavo Auguſti NN. & ejus uxor in morbum inciderunt. Eos cùm prima vice viſitabam, liberorum aliquis agonizabat. Mater erat ſomnolenta : oculi ſe bene habebant : febris parva aderat, lingua humida, & cor robuſtum : ſed in inguine bubo conſpiciebatur, & ſeptimum agebat graviditatis menſem. Eadem nocte peperit, quod inſtantis mortis ſignum pronunciabam, & verum expertus ſum ; nam altero die hora decima matutina obiit.

Patris mens illico non conſtabat : oculi ſcintillabant, & lingua erat ſicca, quæ ſigna ſemper peſſima habui : febris aderat levior, cordis anxietas magna, & urina naturali ſimilis ; Poſt uſum ſecundi ſudoriferi ad ſe rediit æger, & lingua humida notabatur ; ſed in inguine bubo, & in dorſo carbunculus ſe oſtendebant, cui poſtero die tres quatuorvè alii ſe jungebant, & tunc ſpes ſanitatis affulgebat. Quid deinde fit ; Ex adſpectu uxoris emortuæ tantopere alteratur, ut bubone ad interiora recedente, & ſudoriferis nihil operantibus, tertio die mortuus fit.

Ejuſdem familiæ cognata quædam, vetula, Carbunculo laborabat ſine febre, hæc conſueto noſtro more novem dierum ſpatio curabatur.

V I I.

COnjux mea jam fermè ad geſtationis metam pervenerat, cùm ejus obſtetrix opem meam implorabat. Veſtibus induta lectum petierat, de quo cùm ſurrexiſſet, greſſus tremulus indicabat,

vel vires periiſſe, vel cerebrum non benè conſtitutum eſſe. Neutrum me fefellit; nam pulſus erat debilis, & mens vaga. In externa ſymptomata inquirens, aliqua adeſſe negabat: nihilominus linguæ ariditas, reſpirationis difficultas, & mira faciei forma me de occulto quodam malo certiorem reddebant. Tandem interrogare pergenti confitebatur aliquam femori dextro puſtulam inhærere; ſed puſtula illa carbunculus erat, ſolidi magnitudinem habens. Sine dubio etiam bubone inguinis laborabat, ſed Chirurgo examen permittere recuſavit. Chirurgus externa curabat, ego ſudoriferum propinabam: ſecundo die vires & mens ipſa magis conſtabant: tertio optimè ſe habebat: ſed incidente veſpera omnia mutabantur. Valde erat inquieta, & non procul à mania: imò eadem nocte mundo valedixit.

Erat muliercula ingenioſa, gracilis & nimis ſciola: ſed vana illa ſcientia, ſi humano more loquamur, ei vitam ademit. Iam ſex dies laboraverat, & ipſa medicinam exercuerat, antequam à me opem petiit: ſumpſerat Mannam cum cremore tartari, deinde Tamarindum, ſed hiſce nihil effecit: itaque malignitatis quid ſubeſſe ſuſpicans aquæ Alexipharm. unc. j. ſumpſit: hæc multò erat debilior quàm ut morbum tolleret. Denique conſilio meo uti cœpit, ſed duntaxat per biduum: nam tertio die (quicquid etiam monueram) linteamina & capitis & lecti mutari fecit, lactiſque ſero in quo Tamarindus erat decoctus, uſa fuit, unde alvus multò laxior, quàm par eſſet. Ego cùm indignatione bonum eventum exſpectabam, ſed pejora mala, & tandem mors appropinquarunt.

VIII.

EOdem tempore ſuſpicabar Helenam van Wyngaerden ancillam noſtram non bene valere, ſed nihil confitebatur. Illa nocte in eodem cum filiola, tunc temporis tertium annum agente, lecto dormiebat. Sequenti die aderat vehemens vomitus, Cephalalgia, cordiſque anxietas, præſertim cum è lecto ſurgeret. Oculi rubicundi apparebant, lingua ſe bene habebat, & febris levior aderat. Illico ſudoriferum exhibui, nam ante tres dies ædes infectas, me inſcio, viſitaverat. Die tertio bubo accedebat in ſiniſtro inguine. Sudoriferorum uſus quotidie reiterabatur, & Chi-

rurgus ſecundum artem bubonem curabat, & ſic ante diem 14. ſana ad munia domeſtica rediit, uxori meæ, poſtquam divina favente gratia 25. Septembris 16;5. filium ſatis ſanum in lucem protuliſſet, ſubminiſtravit.

IX.

Fllia N. Domer. 11. Septembris conquerebatur de dolore Capitis gravi: linguæ nigredo, ſiccitas, Cordiſque anxietas aderant. Primo, ſecundovè die ſudor provocabatur, tertio ſe ſanam profitebatur. Lingua humida, dolor, febris, & anxietas abierant, Sudorifero nihilominus uti ſuadebam, ſed illa ſurgebat, comedebat, bibebat, publico ſe exponebat, nocte tota bene dormiebat: verùm matutinis horis ſymptomata antè dicta recurrebant, quibus veſpera Petechiæ accedebant, & ſequenti die vicini, qui defunctam in ſtramine reponebant.

X.

N N. jam per ſex dies graviter ægrotaverat, cùm advocarer, die 20 Aug. Mens erat vaga, lingua nigra & arida, cor angebatur, oculi fixi, manus tremula, genæ inhærebat Carbunculus ingens, cujus cauda uſque ad mentum ſe extendebat, quod durum etiam & valdè intumefactum erat. Minabatur is continuum incrementum; ſiccus enim admodum, inflammatúſque, & certis terminis necdum circumſcriptus apparebat. Faucium dolor accedebat, (lethale mihi ſignum) febriſque intenſa. Forti ejuſmodi nodo durus quærendus erat cuneus; quapropter (rationi, experientiæ, authoritatique celebrium Medicorum, recentiorum æquè ac veterum, inſiſtens) Cauterium actuale virili animo commendabam, quod etiam à Chirurgo illico applicabatur ſine ullo ægrotantis dolore. Peracta hac operatione mane hora decima; à meridie intra IV. & V. pus apparebat, ſepararique eſchara incipiebat, nec Carbo ulterius proſerpebat, quæ omnia, non ſcio, à quo medio alio exſpectari potuerint. Sudor interim largiter prodierat, omniaque reconvaleſcentiæ ſpem amicis adferebant, nobis haud ita, ut pote quibus morbi hujus infidi natura nota erat. Veſpera hac ſudoriferum rurſus adſumebat, & placidè ſatis de nocte dormiebat. Die 21. mane gena affecta humiditatis parum exhibebat, & febris in eodem manſit ſtatu, uti & noſtra ſpes. Loco intra digitum Indicem & Longum medio Carbunculus dolori-

dolorificus ſe offerebat, totum brachium in conſenſum trahens. Malum hoc animum noſtrum rurſum turbabat, & antea adhibitum medium urgebam. Itaque cauterium actuale denuò producebatur, quod æger ſine magna vociferatione tulit. Deinde Julapium ſudoriferum præſcripſimus præter alimenta nutrientia, ſed nullus prodibat ſudor. Hora quarta poſt meridiem loca affecta valdè ſicca apparebant, & nos de infelici eventu certiores reddebant. Circa horam nonam veſpertinam, alius advocabatur Chirurgus, qui à tam potenti remedio alia exſpectaverat; interim omnia à nobis in hoc caſu peracta peragendáque approbans. Media nocte ſummè delirabat ſic ut in lecto ab adſtantibus detineri haud poſſet, circa auroram ſeq. diei quieti ſe dabat, & poſt horam unam atque alteram ſempiterna quiete fruebatur. Adſtantes me exiguo interjecto tempore negligentiæ accuſabant; ſed illorum ingratitudinem reprehendebam, & opinionem ſine fundamento, miſericordia imbutus, ridebam, agens Deo gratias me nihil omiſiſſe quæ ars & conſcientia exigere videbantur.

XI.

UXor Cornelii Janſonii 50. annorum jam biduum decubuerat, cum bubone in inguine affligeretur: corde valde erat anxia: febris levis aderat: oculi (quorum in omni ægro rationem habere ſoleo) ſe bene habebant. Quamprimùm ſudor prodibat, meliùs ſe habere incipiebat, anxietas illico tollebatur, febris autem poſt paucos dies. Bubo, præmiſſo veſicatorii uſu, Emplaſtro Magnetico Arſenicali à Chirurgo curabatur. Illa 18. Septemb. ægrotare incipiebat; & 23. Filius unicus Cephalæa corripiebatur, medicamenta omnia reſpuebat, die tertio moriebatur. Illa verò bene ſana vivit.

XII.

EVerardus Teſſelaer Oenopola, vigeſimo octavo Septembris univerſi corporis frigore, & deinde ſummo æſtu corripiebatur: aderant præterea anxietas cordis & pectoris, Nauſea, Cephalalgia, oculorum ardor, manuum tremor, inguinis dextri dolor intenſiſſimus, ubi tamen præternaturalem intumeſcentiam non præſentiebam. Morbum quo laborabat Febris peſtilentialis nomine inſignivi, quo audito, opem flagitare cœpit. Ex primo ſudorifero dolor ca-

pitis & inguinis remiſit vomituſque ceſſavit: ex ſecundo dolor tolerabilis erat; ex quarto in totum ſublatus, febriſque curata. Itaque brevi temporis ſpatio ad meliorem hunc ſtatum redactus, maligna febri laboraſſe negabat, ac proindè ſurgebat & in publicum prodibat. Magnam Dei gratiam, & contrà ejus ingratitudinem deſcribebam, gravioreſque pœnas prædicebam: imò multis demonſtrabam ipſum tam firma nondum frui ſanitate, quin facillime recidivam pati poſſet, niſi medicamentis corroborantibus & ſudoriferis mediocrem ſanitatem ulteriùs fulcire pergeret. Hoc non credit, ſive ignorantia, ſive perverſo aliorum conſilio inductus, niſi poſtero die, cùm hoſtes ſupra nominati ipſum denuo invadebant, ut & uxorem ipſius, quæ primò inguinis dolore corripiebatur, ubi ſe deinde bubo prodebat. Tum admonitionum mearum veritas ſe manifeſtabat, quæ veram pœnitentiam ipſis extorquebat. Verùm mortis metu commoti, continuò opem huic malo implòrabant. Monebam, ut eam à Deo, quem ad iram provocaverant, obnixe peterent, promittens me etiam præſtiturum, quod ars exigere videretur. Sudorifera illis præſcripſi, & dicto magis audientes quàm antea, intra novem dierum ſpatium curabantur: Sed in muliere bubonis veſtigia quarta adhuc ſeptimana apparebant.

XIII.

Albertus N. poſtquam contra conſilium quod ipſi ſuggeſſeram cadavera aliqua ex variis peſte infectis ædibus ad tumulum juxta alios portaverat, & ſecundo die Octobris cum idem obſequium vicino cuidam præſtitiſſet, totum corpus ex illo tempore turbatum valde habuit, quod per totum diem diſſimulabat, ſed veſperi lectum petiit. Tam multa malignitatis ſigna occurrebant, ut illa nequaquam in dubium vocare poſſem. Mens optime conſtabat, oculi non erant inflammati, lingua humida, febris parva, ſitis non magna, & totum corpus ab externis accidentibus liberum: ſed ſumma cordis anxietate premebatur, & pulſus, moderate eum digitis attingens, plane evaneſcebat: ad vomitum & ſomnum valde erat proclivis, & facies agoniſanti ſimilis. Vomitus illico tollebatur eorum mediorum uſu, quem ſupra indicavi, ſed ſudor tarde prodibat. Poſtero die ſudoriferum fortius præſcribebam, quod moderato ſudores

res provocabat. Verùm ſitis augebatur, & me invito, magnam cereviſiæ copiam hauriebat: hinc rurſus vomitum excitabat, & ego Diarrhœam metuebam, quandoquidem de ventris dolore querebatur. Qua de cauſa loco cereviſiæ hanc mixturam ipſi cochleatim permiſi.

℞. Aq. roſac. unc. ij. *Card. benedict. unc.* Iv. *Menthæ, unc.* j. *Aq. cinamom. drachm.* iii. *Prophylact. noſtr. unc.* j. ſ. *Syr. myrtin. unc.* ii.

Miſce.

Veſperi verò hoc ſumebat Sudoriferum.

℞. Conf. hiacynthor ſcrup. j. *Theriac. Diaſcord. an. ſcrup.* ii. *Sal. corallor. gr.* xv. *Aq prophylactic. noſtr. drachm.* x.

M. F. *Hauſtus.*

Hiſce adhibitis multò videbatur meliùs habere, & mediocri ſomno iſthac nocte corripiebatur, imò & vomitus ceſſabat. Tertio die de Naſi dolore conquerebatur: hunc cum luſtrarem, ſiniſtram alam duram & rubicundam magis inveniebam, & naſi partem interiorem anthrax occupabat, cui Emplaſtrum divinum applicabam, interim ſudorifera & refrigerantia non negligens. Quarto die Naſus frigidus notabatur coloriſque cœrulei, quare omnis mea ſpes evanuit: nam carbunculus ſe ad proceſſum mammiforem extendebat, & pulſus parvus, æqualis obſervabatur. Reiterabam ſudoriferum, ſed ſine ſucceſſu: nam circa meridiem varia ſe mortis ſigna offerebant, licet mens optime conſtaret. Animam ipſi ſanam exoptabam, & ita viro probiſſimo valedicebam, & ipſe poſt duas horas fallaci mundo ſuiſque amicis.

XIV.

UXor Magiſtri Johannis, Chirurgi hujus Civitatis ordinarii die Mercurii menſe Septembri circa veſperam à concione redibat, ſed non bene ſe habebat, poſt duas horas febri corripiebatur cum ſomnolentia cordiſque anxietate. Hoc ſudoriferum præſcribebam.

℞. Diaſcord. Frac. drachm. j. *Conf. hiacynthor. Lap. prunell. Sal. ſcord. an. ſcrup.* j. *Aq. prophylactic. noſtr. unc.* j. *Betonic. q. ſ. Syr. è ſucc. card. bened. unc. ſ.*

M. F. *Hauſtus.*

Sudoriferum hoc nihil præſtabat, & malum omen exiſtimabam: poſtero die validius præſcripſi, quod mane ſumebat.

℞. *Theriac. Diaſcord. an. drachm.* j. *ſ. Aq. prophylact. noſtr. unc.* j. *ſ. Sal. card. bened. ſcrup.* j. *Syr. de limonib. drachm. vj.*

M. F. *Potio.*

Hac potione nihil effeci, quare metus augebatur. Veſperi mutationis gratia hunc hauſtum exhibui.

℞. *Sal abſinth. Scord Prunell. Ant diaphor. an. ſcrup.* j. *Syr. è ſucc. card. bened. unc.* j. *Aq. prophylactic. unc.* ij.

M. F. *Hauſtus.*

Hic hauſtus ſudorem provocare cœpit: anxietas cordis erat minor, ut & febris: tertio die petechiæ, & paulò poſt liberorum lachrymæ, matris ſollicitæ mortem deplorantes, prodierunt.

Poſt octiduum Viduus hora matutina ſeptima peſte infectos ægros viſitabat: circa horam octavam cubiculum quoddam ægrum viſendi gratia aſcendebat: Vix è ſacco inſtrumenta pręduxerat (inquiens, an jam non in tempore accedo?) quin ſubito ſe ad ſedile contulerit, in quo ad meridiem uſque ſine ullo motu permanſit: accedentibus filio ſervoque, ſurgebat, qui ipſum domum ducebant. In platea mediocriter ſe gerebat, ſed oculi erant clauſi, & vix verbum proferre poterat. Illico ad lectum conducebatur, & circa horam primam gravi ſomnolentia corripiebatur, quam Coma ſoporoſum appellabam; nam poſt crebram vociferationem, duas voculas tantùm emittebat. Enema ſtatim iniici curabam, verticemque hoc linimento illiniri:

℞. *Ol. ma oran. ſcrup.* j. *Rutac. drachm.* j. *Succin. rectificat. ſcrup* j. *Roriſmarin. ſcrup. ſ.*

Miſce.

Interim & filiæ natu maximæ, ut nares foliis Tabaci ad ſternutationem provocaret, demum dabam. Internè ſæpenumero aliquid hujus mixturæ uſurparet.

℞. *Aq. Antiepileptic. Prophylact. noſtr. Betonic. Syr. de Stœchade an. unc.* j.

Miſce.

Clyſter optime injiciebatur, ſed ſine fructu effluebat. Folia Tabaci

baci nihil efficiebant; & mixturæ parum ſumpſit. Circa veſperam aliud Enema præparabatur, pulviſque ſequens ſternutatorius ad piſi magnitudinem flatu in nares immittebatur.

℞. *Flor. lilior. Convall. Fol. majoran. an. ſcrup. ſ. Hellebor. alb. gr. iij.*
M. F. *Pulvis tenuis.*

Vix hic pulvis adhibebatur, quin eo ter quatervè ſternutatio excitabatur, & æger non exiguam materiæ purulentæ copiam (quæ tamen bonæ notæ erat) non per nares, ſed per os emittebat, cujus & aliquam partem deglutiebat, quia jam mens deficere incipiebat. Quod reliquum erat in ore remanebat, & compreſſis genis tantùm prodibat, quod nucis avellanæ magnitudinem exæquabat. Hinc certo conjiciebam in cerebro abſceſſum latere; quare neque ejus liberos ulla ſanitatem recuperandi ſpe fovebam, præſertim cum tanta evacuatione nec mens rediret, nec aliud levamen notaretur; imò contrà vox in totum periret: hinc pectoris ſtridor, & brevi poſt finis vitæ ſequebatur.

Paucis interjectis diebus, liberi duo & ancilla ſubita morte rapiebantur. Servus bubone ſub axilla affligebatur, ſine ulla febri: ipſe veſicatorium applicabat, & bubonem porrò medicamentis attrahentibus curabant. Deinde filia natu minima, & poſt tres dies filius natu maximus optimè educatus & ingenio præditus, in morbum inciderunt, ſed pari paſſu omnia medicamenta reſpuentes jam mortuos amicos ſequebantur. Denique & filia natu maxima & filius natu minimus hoc malo afficiebantur. Hic febricitabat, ſed graviter non ægrotabat: de filia malè ſperabam: uterque bubone inguinis laborabat: ſed in illa octavo die Aphthæ conſpiciebantur, quæ febrem & totum morbum tollebant. Hæc familia ex decem conſtabat perſonis, qui omnes peſte laborarunt, ſeptem interierunt, tres ſanitati reſtituti. Qui in hoc morbo nulla malignitatis ſigna conſpicit (uti mirabiles & ratiocinationes & ratiocinatores in mundo reperiuntur) huc adſit & aliud diſcat. Malignitas inoffenſo pede procedit, & nimium curioſorum garritum parum curat.

EPILOGVS.

Firmiter apud animum conſtitueram, Amice Lector, ad minimum quadraginta ejuſdem naturæ obſervationes deſcribere: ſed amor erga artem noſtram non ſatis perfectam, occaſione commoda ſe offerente, nos ad alia impulit, quæ tibi alio tempore communicabo Hiſce paucis utere in proximi commodum, & hoc effice, ut reliquarum obſervationum non ſim immemor.

QUi plures peſtiferorum hiſtorias, eaſque omnibus Peſtis ſymptomatibus & ſignis prognoſticis reſpondentes voluerit, legat Experientiſſimi Diemerbroëckii *libr.* IV. de Peſte, ubi amplam earum illuſtratarum ſegetem reperiet. Unde Excellentiſſ. Williſius ejus elogium hac in re ſuſcipiens: De Peſte, inquit, non adeò in promptu eſt exempla, & ęgrotantium hiſtorias cum exactis ſymptomatum diariis conſcribere: quippè ejuſmodi ægritudines haud quotannis eveniunt, nec quando increbreſcunt, cuivis licebit Medico propriam ſalutem curanti, ægros crebrò inviſere, aut iis diutius commorari, quo ſingula accidentia diligenter annotet, eorumque rationes ſedulò perpendat; quod tamen penſum Clar. Diemerbroëckius adeò accuratè præſtitit, ut poſt illum licitò aliis ab hoc opere ſuperſedendum fuerit.

APPEN-

APPENDIX AD TRACTATVM DE PESTE.

De Variolis & Morbillis.

VARIOLARUM. & Morbillorum hiſtoriam atque curationem, cur in peſtis Tractatus appendicem addamus, non eſt quod multis explicemus, contagio enim ſuo non tantùm in febrium malignarum cenſum apud omnes veniunt, ſed etiam exquiſito quo ſæpiſſimè ſtipantur veneno, quoque plurimos jugulant, alia quaſi peſtis ita dici merentur, ut Arabes plurimique magni nominis Medici, hujus hiſtoriæ, illorum deſcriptionem continuò ſubjungant. Diſputatur autem an eos cognoverint Veteres; negativam tuentur Mercurialis, Liddelius, aliique multi, aſſerentes Arabum ævo primò innotuiſſe. Verùm præterquàm quòd Salmaſius, & alii primæ eruditionis Viri contrarium defendunt, Arabes hoſce morbos tanquam novos non deſcribunt, quod procul dubio feciſſent, ſi Græcis incognitos ſciviſſent. Sed prætermiſſis hiſce minoris momenti diſputatiunculis, videamus jam quid ſint Variolæ, quid Morbilli.

I. Variolæ ſunt tubercula ut plurimùm alba, ſed in ambitu rubra, humore plena, dolentia & pruriginoſa, cutem, muſculos, nervos, interiora viſcera, parteſque propè omnes ſolidas obſidentia, cum febri continua ac ſuppuratione conjuncta, atque peculiari & malignæ humorum fermentationi originem ſuam debentia.

Morbilli ſunt maculæ, aut tubercula minima, rubra, purpurea vel nigra, eaſdem quas variolæ partes occupantia, à cauſa itidem maligna orta, ſed ad ſuppurationem minime tendentia; cum febre continua, tuſſi ſicca, & raucedine.

II. Quænam in hiſce morbis ſint partes affectæ ex definitione, ſeu potius deſcriptione ſatis patet; Nam puſtularum reſpectu non tantùm diximus cutem, muſculos, ſed etiam viſcerum membranas, aliaſque partes, iis affici; reſpectu verò febris concomitantis cum Clariſſim. Franciſco Piens non concludimus, cor illius unicam ſedem eſſe; huic enim multò majora non tribuimus in efferveſcentia & motu ſanguinis accelerando, aut aliis febri neceſſario adjunctis in totum corpus circumvehendis, quàm cæteris propè omnibus muſculis, & præcipuè fibris arteriarum, venarumque muſcularibus; & in ſpecie reſpectu caloris & frigoris, eos referendos credimus fermentationibus variis, ſuccorum admiſtionibus, atque ſalium concurſibus, hic, illic, ubi eorum reperitur materia,

ſubinde

ſubinde præter naturam factis.

III. Differentiæ quæ variolas inter & morbillos intercedunt ex utriuſque affectus diagnoſi mox enarranda manifeſtæ fient. Quod verò variolas in particulari ſpectat aliæ ſunt diſcretæ, puſtulis à ſe invicem diſcriminatis,& per exteriora corporis diſperſis,ſenſibiles; aliæ confluentes quæ poſtquam nunc eryſipelatis ritu, nunc morbillorum modo eruperunt, non in molem ſpectabilem attolluntur, at ſibi invicem implicitæ ſe habent inſtar veſiculę continuæ totum vultum contegentis. Aliæ præterea ſunt regulares atque mitiores, quæ ut adnotat Clariſſ. Sydenham, circa æquinoctium vernum ingrediuntur; aliæ anomalæ & irregulares, quæ menſe Januario ſæpè invadunt, & contagii ſunt multò univerſalioris & diffuſioris; aliæ adulterinæ, quæ variis indiſcriminatim temporibus, ſed præcipuè calidis adveniunt, & febri ephemeræ, atque ſæpè nulli, aut parvæ admodum adjunctæ, efflorescentias raras in cute faciunt, puſtulasque aliquando grandiores, ſed quæ ut plurimum ſine prævia ſuppuratione citò evaneſcunt. Differentias plures rurſus addunt Clariſſ. Diemerbroëckius & Franciſc. Piens, ſed quæ aut ad rem parum faciunt, aut ad eas quas mox adduximus redeunt, aliæ ſc. ſunt ipſis profundæ, aliæ ſuperficiales, aliæ rubicundæ, aliæ lividæ, aliæ violaceæ, aliæ alterius etiam coloris, aliæ molles, aliæ duræ, aliæ elevatæ, aliæ depreſſę, aliæ tardè, aliæ citò erumpentes, aliæ externæ, aliæ internæ, aliæ albicantes, aliæ ſplendentes, aliæ latæ, aliæ contractę. Morbillos quod attinet alii ſporadicè, alii epidemicè graſſantur, alii ſunt regulares qui ut plurimum quarto poſt primam morbi acceſſionem die erumpunt morſibus pulicum perſimiles, quorum protuberantia digito leviter admoto tactu deprehenditur; alii irregulares qui citiùs aut tardiùs prodeunt, humeroſque, ut obſervavit Clar. Sydenham, non faciem, primò occupant, nec deſquammationes ad inſtar aliorum faciunt. Differentiæ itidem aliæ peti poſſunt à colore, à multitudine maculárum, à latitudine & elevatione protuberantiarum, aliiſque id genus ad praxim tamen minùs forſan facientibus.

IV. Cauſæ variolarum & morbillorum ſunt vel internæ, vel externæ; Diſtinctionem hanc non agnoſcit Ferneliùs, dum ad aërem quicquid eſt hujus morbi cauſæ referens, ſic ſcribit. Utriuſque hujuſcè morbi ſua propriaque cauſa in aëre: qualitas quippè maligna, diverſi mitioriſque generis quàm quæ carbunculum bubonemque peſtilentem ingenerat: proindè in infantes ac pueros, non autem in ſeniores, niſi ferocior immaniorque ſit, invadit.Neque auſtrina, neque pluvioſa conſtitutio, neque æſtus, ſed cæca pernicies, hyeme pariter ac æſtate, annis quibuſdam irrumpens horum eſt effectrix: cum hac enim inquinamenta illa incipiunt, pariterque deſinunt. Verùm Vir. Illuſtriſſ. abditis rerum cauſis, Aſtrologorumque placitis nimiùm attentus, eas in ſcenam frequentiùs producit, atque ſibi amplam ratiociniorum & cauſarum evidentiorum meſ-

meſſem, magno forſitan filiorum medicorum malo, præſcindit; & hoc in ſpecie capite omnem luis de qua agitur cauſam ad extra tanquam ſufficientem, quamvis ſibi occultam repetit. Sed hiſce diutiùs non immorati, videamus an cum aliis meliora de cauſa interna, nobis eruere liceat.

Avicennas & Arabes propè omnes cauſam variolarum atque morbillorum internam & materialem à ſanguine materno in imprægnatis per menſtrui fluxus ſuppreſſionem reſtagnanti, deducentes, in corpore infantili inde inquinato volunt deliteſcere, taciteque conquieſcere, donec ſpecifica aliqua cauſa efficiente excitetur, & in actum promoveatur. Illis poſt alios multos viros doctos ſuffragari videtur Clariſſ. Williſius, dum loquitur de fermento quodam in utero genito, temporeque conceptus, quo omnino menſtrua deſiſtunt, in fœtum cum particulis nutritivis derivato, unde ſanguini communicatur prædiſpoſitio, ſymptomatibus variolarum & morbillorum ſuo tempore efformandis apta. Clariſſ. Grembs in ſua arbore integra & ruinoſa, menſtruo ſanguini, cum aliis, adjungit ſemen corruptum, unde veſtigia remaneant à quibus variolarum & morbillorum putredo cum fervore incipiat. Verùm miſſa eorum oppoſitione qui non è ſanguine materno fœtum in utero ali, at potiùs è ſucco lacteo per varias inteſtinuli ſeu funiculi infantium papillares glandulas, è ſanguine appellente ſecreto, aut aliàs in membranarum fœtum involventium cavum advecto, ſuctioneque inde ab embryone collecto; Non veriſimile eſt, dato etiam infantulum unicè ſanguine per umbilicum ſuſcepto veſci, illum fore fermentaceis & corroſivis particulis ita onuſtum, ſeu imprægnatum, ut earum reliquiæ tot, tamque tragicis effectis pariendis poſt longam moram, poſt tot circuitus una cum ſanguine peractos, pelicanationesque, ſuccis etiam acerrimis, ſalibuſque maximè efferis mitigandis & obtundendis quàm apprimè convenientes. Quomodo enim delicatula embryonum corporis textura, iſti acrimoniæ ferendæ fuerit accommodata, aut quare eo quo in lucem erumpunt tempore tam vehementes quos ſuſtinent motus, tamque violenta ab auris liberioribus, omnibusque ambientibus & occurſantibus mutatio fermentum non ſuſcitabit. Sed præterea ſanguis menſtruus non ejus eſt malignitatis, quam declamatoria voce quidam protrudunt, revera poſtquam in uteri cavum extillavit, ſi ibidem moras trahat putredinem concipit, eamque promptam in quibuſdam mulieribus; ſed eo quo ſtillat momento non alterius eſt naturæ quàm ille qui per totum corpus circuitus ſuos perficit; atque etiamſi mala multa à ſuppreſſis menſtruis oriantur, quæ ex hac parte acrimoniam multam refluere denunciare videntur; qui attentus fuerit ad alias hæmorrhagias, & ad ſanguinis impetum per eas periodicè refractum, adverterit, non corruptioni ſanguinis, ſed vaſorum diſtentionibus aut effuſionibus in viſcerum interiora, pulmonum videlicet, cerebri, aliorumque factis, præ vaſorum plenitudine

ſymptomata varia earum ſuppreſſiones concomitantia non negabit deberi. Etiam illi qui ſtato tempore ſanguinem arte mittere aſſueti ſunt, ni pro more illud fecerint variè patiuntur à plethora ad vaſa quam ſic incurrunt. Rurſus conceſſa ſanguinis menſtrui malignitate, ejuſque in fœtum cum nutrimento admiſſione, anne illa ita immota perſtabit, ut neque per febres, neque per ſudores, neque per ſcabies, ad ſenium uſque in aliquibus perdurantes, diſturbetur; imò neque obediat horrendæ ſalivationi, ſeu potius mercurii inunctioni, eam per ſanguinis, humorum, & fermentorum quàm maximè etiam rebellium exagitationem, & è nidulis atque receſſibus, quamvis profundioribus, obſcuris, minuſque aliàs reſerabilibus, eductionem facienti. Tandem qui neſcit menſtruum fluxum omnibus in univerſum mulieribus non ita eſſe proprium, & plures inter eas etiam fæcundas dari quæ illo deſtituantur, conſulat hiſtorias à Nicolao Florentino, Rondeletio, Marcello Donato, Guainero, Bertino, Trincavello, Braſavolo, Platero, aliiſque multis poſteritati traditas, quibus quaſdam etiam è propria experientia petitas addere poſſemus. Non eſt itaque quòd in variolarum & morbillorum à ſanguine menſtruo in fœtum tempore graviditatis derivato, atque in fermentum modò citius, modò tardiùs, exaltato, cauſa interna repetenda allaboremus; Sed potius videndum nobis reſtat an ſolidior aliqua ſententia hac in parte occurrat; eam autem cùm invenire poſſe deſperet Clar. Diemerbroëckius, præſtabilius cenſet ſcientiæ confiteri infirmitatem, quàm per multas ambages, & vanas conjecturas nullo fundamento innitentes, tandem craſſam ignorantiam prodere. Quis enim, addit, tantæ ſe rei veram & perceptibilem rationem daturum promittet? Hæc quippè ſunt ex illis arcanis quorum cauſas nos exactè ſcire noluit altiſſimus Conditor. Hoc viri celeberrimi pronunciato perterriti, nihil ulteriùs adjicimus, altumque hac in materia jam ſilemus; Revera vidimus aliquando elephantiaſim hæreditariam quæ per totos triginta & quatuor circiter à nativitate annos in ſanguine ita ſoporata ſubſtitit, ut ne minimum quidem ejus ſignum, ſed valetudo integra ante trigeſimum quintum annum obſervata ſit, quæ demum illo tempore à nulla prorſus cauſa externa, ſed à fermento tacitè prius in humoribus partibuſque ſolidis conquieſcente, exaltato, victa, lepræ, eique immaniter per omnes partes brevi ſpatio graſſanti, paruit; ſed quid hoc ad explicationem, nam præterquam quod caſus hic eſt de genere eorum qui rariſſimè adveniunt; etiamſi pluribus, & Elephantiacorum, & lue venerea tactorum hiſtoriis manifeſtum faceremus, contra priorem noſtram poſitionem & aſſertionem, morborum fermenta in corpore deliteſcentia ad multos annos ſilere poſſe, non ſic tamen magis pateret quænam ſit horum fermentorum ratio, quæ in ſanguinem & totum corpus actio, quæ natura, & quomodo vires ſopitas determinato tempore exerant; quod hic tamen pro demonſtratione aliqua facienda nobis indiceretur.

Cauſæ

Cauſæ variolarum & morbillorum externæ ſunt 1. aëris diſpoſitio & maligna qualitas, quo pertinent anni mutationes inſigniores. 2. ſanguinis atque humorum perturbatio à victu inordinato, balneis, ira, terrore &c. orta. 3. contagium ab iis qui priùs morbo fuere affecti diffuſum. Verùm, ut vidimus quoſdam qui etiamſi loca lue gallica infecta familiariùs frequentarent, nullam inde tamen labem referebant; ſic vidimus plures qui cum iis qui variolis morbillisq; afficiebantur ad multos annos verſati ſunt, & non tantùm eandem cum illis aëris diſpoſitionem malignam, ſed etiam contagium diffuſum hauſerunt, qui tamen ab hiſce morbis ſemper intacti permanſere, familiasque integras ſuper hoc caſu nominare poſſemus. Vnde patet præter cauſam externam requiri neceſſariò diſpoſitionem internam, quæ in quibuſdam major atque gravior, in aliis minor atque mitior, in pauciſſimis verò nulla exiſtit. Proindè ex hoc cauſarum concurſu concludimus variolas & morbillos dari feros, mites, aut in aliquibus ſubjectis per totam vitam nullos.

V. Diagnoſis variolarum & morbillorum tam fusè traditur à Clar. Sydenham hiſtoriæ morborum, & præcipuè acutorum, ſcriptore accuratiſſimo, ut ſatis fuerit, ſi quædam ex eo in rem noſtram jam ſeligamus.

Variolæ interſtinctæ vel diſcretæ cum rigore atque horrore invadunt, quos mox excipiunt calor intenſus admodum, capitis & dorſi vehemens dolor, vomituritio, ingens in ſudores propenſio, (quod de adultis dictum ſit, nam in infantibus tale quid vel ante, vel poſt puſtularum eruptionem non obſervatur;) doloris ſenſus in partibus quæ ſcrobiculo cordis ſubjacent; ſi manu premantur, ſtupor etiam & ſomnolentia, in infantibus præſertim nonnunquam & paroxyſmi epileptici. Sæpè in iis qui ſanguine ſunt mitiori, & ut loquitur Clar. Sydenham, laxiori, ſeparationis periodus ſenſim atque gradatim ſine inſigni aliqua ægritudine tranſigitur, priuſquam expulſio materiæ, puſtularum eruptione ſe prodat. Quarto autem ut plurimùm die à prima invaſione erumpunt, nonnunquam ſeriùs aliquantò, ante illum verò rariſſimè, quo quidem tempore vel minuuntur admodum ſymptomata, quod plerumque fit, vel etiam penitus evaneſcunt, niſi quòd adulti in ſudores propenſi vix ab illis poſſint cohiberi, ut ut leviter tegantur, quæ diſpoſitio ægrum non deſerit niſi ſub puſtularum maturationem. Eruptionem quod ſpectat; Puſtulæ ſubrubræ tenuiſſimarum acicularum puncta æquantes magnitudine, ſparſim ſe produnt, faciem imprimis occupantes, vel etiam collum & pectus, dein corpus univerſum. Per id temporis & fauces dolor infeſtat, qui unà cum puſtulis ſurgentibus augetur, quæ in dies grandeſcentes, & in majus faſtigium elevatæ cutem carneſque vicinas rubore afficiunt atque inflammatione; circiter enim octavum à primo inſultu diem intervalla quæ priùs ſubalbeſcebant, rubere jam incipiunt, atque in molem attolli, non ſine partium harum dolore tenſivo, qui in horas auctus inflammationi viam ſternit, itaut progrediente mor-

bo, præ palpebrarum tumefactione, eaque ſplendente adinſtar veſicæ inflatæ, æger luce ferme privetur; imò aliquando citiùs hoc evenit, ſc. ubi major puſtularum vis ſe maturius in oculos effundit. Proximæ à facie intumeſcunt manus digitique; eoque tempore puſtulæ quæ in facie hactenus fuerant læves atque rubræ, aſperiores & ſubalbidæ evadunt; paulatim inſuper ſuccum quendam luteum, colore à favo non abludentem, evomunt. Cum inflammatio ad ſummum eſt evecta apicem, tum color in puſtularum interſtitiis exhibetur ſatis floridus, roſarum Damaſcenarum æmulus. Die undecimo faciei tumor & inflammatio ſatis apertè recedunt, aliarum verò partium, maturitatem, & juſtam magnitudinem adipiſcuntur, & in variolis regularibus, die decimo quarto, vel decimo quinto ut plurimùm funditus ubique pereunt, exceptis manibus quæ die uno aut altero ipſas poſt alias conſervant. Faciei & reliqui corporis puſtulæ deſquamatione, at verò manuum quæ ſunt, diruptione abitum ſibi parant. Raró admodum, niſi brevi pro tempore, ulla ſui relinquunt præter ruborem veſtigia. Decurrente omni morbo, æger vel conſtipatam prorſus habet alvum, vel ſaltem rariſſimè dejicit.

Variolæ confluentes cum ſymptomatibus iiſdem ac diſcretæ, ſed atrocioribus invadunt; nihilominus hic non ita promptè in ſudores diſſolvitur æger ac in alio genere, diarrhœa inſuper nonnunquam eruptionem præcedit, & ad diem unum alterumvè poſt illam protrahitur. Tertio ut plurimum die erumpit hæc ſpecies, & raró, atque ob immanius aliquod ſymptoma, ad quartum vel quintum diem differtur eruptio. Hæc ſymptomata ſunt, tum lumborum dolor acutiſſimus, tum lateris, tum ventriculi cum vomitu cruciatus. In hiſce variolis tum febris, tum alia ſymptomata, ad multos à puſtularum eruptione dies ægrum excruciant, ſecùs in diſcretis, ut dictum evenit. Nunc autem eryſipelatis, nunc morbillorum ritu erumpunt, & ab his nonniſi à medico experientiſſimo diſtinguuntur. Creſcente morbo, non in moleculas ſpectabiles, ut diſcretæ, attolluntur; at ſibi invicem quaſi confuſæ, inſtar veſiculæ rubræ vultum omnem contegentis ſe habent, eumque etiam maturiùs quàm diſcretæ in tumorem ſolitam cutis ſuperficiem non multum ſuperantem elevant. Præterlapſo die octavo pellicula alba quotidie paulatim magis exaſperatur, & ad colorem fuſcum non verò flavum, accedit, tandem poſt aſperitatis & coloris intenſiones per gradus progreſſas, pellicula latioribus deſquamatur laminis, quod in quibuſdam faciei partibus, ſi morbus truculentior fuerit, non niſi poſt viceſimum contingit diem. Pellicula hæc ubi primùm deciderit nulla ſcabritie vultum afficit, at vero mox illam excipiunt ſquamulæ furfuraceæ indolis perquam corroſivę, quæ non modò patentiores excavant foveas, ſed etiam faciem cicatricibus fœde deturpant. Si admodum ſævierit morbus humerorum & dorſi cuticula nonnunquam deperditur. In hoc autem variolarum genere puſtulæ manuum atque pedum majores ſunt quàm reliqui

cor-

corporis, & quò propius ad truncum acceditur eò minores & contractiores exiſtunt. Alia præterea duo ſymptomata variolas ſæpè comitantur confluentes, ſalivatio nempè in adultis, atque in infantibns diarrhœa: horum priùs ità perpetuum eſt,ut nulli propè adulto iis laboranti non ſuperveniat, quæ autem per illam fit evacuatio, experientiâ non minùs videtur neceſſaria, quàm puſtularum faciei & manuum in genere diſcreto intumeſcentia. Hæc ſalivatio nonnunquam primo ſe prodit eruptionis tempore, nonnunquam non niſi biduo præterlapſo: materia primò tenuis excernitur, nequè ſanè multum cedit illi quam mercurius adhibitus educit, niſi quòd non ita malè oleat. Die undecimo ſaliva viſcidior difficillimè excreatur, ſiticuloſus eſt æger, tuſſit ſubinde inter bibendum, & potus per nares revertitur, atque ab hoc die ut plurimùm ceſſat ptyaliſmus, niſi [quod rarum admodum] poſtliminiò recrudeſcat. Diarrhœa infantes confluentibus variolis laborantes non ita maturè ſolet invadere atque adultos ptyaliſmus; quocunque verò tempore ingruerit, niſi arte ſiſtatur, ſingula morbi ſtadia decurrit. Febris in utroque variolarum genere à primo ſtatim inſultu ad eruptionem uſque præcipuè dominatur; qua peracta inducias ferè dat uſque ad puſtularum maturationem, & tempus in quo pus conficitur, quo demum elapſo prorſus deſinit. Veſpertinis ſemper horis æger paroxyſmo quaſi laborat, & funeſtiora ſymptomata ſe oſtendunt atque exacerbantur.

Variolæ anomalæ, ſive fuerint diſcretæ, ſive confluentes, motus in regularibus mox deſcriptos non ſequuntur, ſc. eruptio, vel eſt citior, vel tardior quàm in præcedentibus, ſymptomataque non eo progrediuntur paſſu quo in regularibus dictum eſt.

Morbilli infantes plerumque aggrediuntur, à rigore atque horrore, caloriſque & frigoris, quæ ſe mutuò primo die expellunt, inæqualitate incipiunt. Secundo die in febrem conſummatam deſinunt, cum ſiti, inappetentia, lingua alba [non verò ſicca] tuſſicula, capitis atque oculorum gravedine & ſomnolentia perpetua. Plerumque è naribus & oculis ſtillat humor, ſternutat æger, intumeſcunt palpebræ paulò ante eruptionem, vomit, ſæpiùs tamen laborat diarrhœa cum dejectionibus coloris ſubviridis, quod infantulis dentientibus præcipuè eſt familiare. Ad quartum uſque diem, ut plurimùm, ingraveſcunt ſymptomata, quo tempore, aut ad ſummum die quinto, in facie erumpunt maculæ parvæ rubræ, pulicum morſibus perſimiles, quæ auctæ racematim coaleſcunt, & partem maculis variæ figuræ interſtinguunt, quæ maculæ ſupra cutis ſuperficiem paululum elevantur, ut tactu digito admoto patet. A vultu ad pectus, dein ad alias partes ſe diffundunt hæ maculæ, ſed non elevantur, ut in facie. Symptomata, ut in variolis, poſt eruptionem non leniuntur, ſi vomitum excipias quid ut plurimùm aut ſemper tum recedit; ſed tuſſicula, febris, oculorum debilitas cum defluxione, ſomnolentia, inappetentia aliaque non tantùm perſeverant,

rant, ſed etiam intenduntur. Die ſexto emoriuntur puſtulæ cutiſque faciei exaſperatur, macularum verò in reliquo corpore rubor intenditur. Octavo die maculæ faciei & reliqui corporis propè omnes evaneſcunt, & nono nullæ ampliùs ſuperſunt, ſed artus, facies, & quandoque totum corpus quaſi farina conſperſa viſuntur; Tum febris, ſpirandi difficultas, tuſſicula importuniùs urgent, ſi præcipuè regimen & medicamenta calidiora currente morbo ſint adhibita, quæ etiam aliquando in peripneumoniam conjiciunt ægros. His etiam non rarò adjungitur diarrhœa ab ipſo morbi initio, quæ aliquando ad plures ſeptimanas poſt ipſius morbi totalem fugam perſeverat. Aliquando etiam poſt medicamenta juſto calidiora exanthemata liveſcunt primò, mox nigreſcunt, quod adultorum tantùm eſt, atque promptam, & certiſſimam perniciem denotat, ni phlebotomia & refrigerio iis ſubveniatur. Et hæc de morbillis regularibus. Irregulares quod attinet facilè videre eſt ex differentiis morbi ſuprà enarratis, in quibus conveniant, & in quibus diſconveniant.

VI. Prognoſim quod ſpectat. Si puſtulæ variolicæ matureſcentes ad colorem ſubfuſcum vergant & lentiùs abſcedant atrociores pronunciari poſſunt. Variolarum malignitas, à quantitate & qualitate earum quæ faciem, non verò quæ totum corpus reliquum occupant æſtimari debet. Si in iis qui variolis diſcretis laborant, die octavo facies nec tumeat, nec inflammetur, ſed flaccida videatur, interſtitiaque puſtularum albeſcant, puſtulis etiam ſuum ruborem atque elevationem ſervantibus phrenitis, anxietas, jactatio, urina parca atque mors ipſa ſunt in procinctu, tuncque temporis ſupprimuntur ſudores qui prius emanaverant ſponte aut arte, & jam nullatenus remediis etiam calidiſſimis, revocari poſſunt. In iis qui confluentium genere affliguntur, ſi die undecimo ſalivatio ſponte ſua deſinat, & manuum atque faciei intumeſcentia itidem deprimatur, neceſſariò perit æger. Si materia ptyaliſmi viſcidior fiat ægro ſuffocationem ſæpè intentat. Maculæ purpureæ puſtulis interſperſæ cùm viſuntur, mortis ut plurimùm ſunt prænunciæ. Maculæ nigræ in puſtularum medio cum ſubſidentia apparentes ſunt infauſti ominis. Mictus ſanguineus in variolis lethalis eſt. Urinæ ſuppreſſio in flatu vel declinatione diſcreti generis juvenibus adveniens funeſta eſt. Si adultis ſuperveniente diarrhœa puſtulæ conſidant ingens eſt diſcrimen. Si convulſiones ante variolarum eruptionem infantulis ſupervenerint, ſignum eſt eas de minus malignarum, & diſcretarum genere futuras. Variolæ primò rubræ, hinc albicantes, molles, eminentes, rotundæ, diſtinctæ, & copia mediocres, bonæ; præcipuè ſi vox fuerit libera, & reſpiratio facilis. Si variolæ interiora viſcera obſederunt, peripneumoniam, tabem, jecoris & renum ruinoſas exulcerationes, aliaque mala inducent. Si oculos occupent, aliquando ophthalmias pertinaces, aliquando maculas indelebiles, aliquando fiſtulam lachrymalem, lippitudinem, aliaque poſt ſe relinquunt incommoda. Si interioribus

ribus auribus aut naribus cum exulceratione inſederint, utrumque hebetabunt organum, aut etiam illud in ſuo officio perdent. Si integram nec interruptam in facie efficiant cruſtam, indicium eſt ſequuturas fædi coloris maculas, turpesque cicatrices. Qui in proveċta ætate variolis corripiuntur frequenter moriuntur, præcipuè ſi fuerint temperamenti melancholici, & cacochymi.

Morbilli plura habent ſigna prognoſtica cum variolis communia. Si affectus circumſtantias habuerit benignas atque reſpondentes typo in morbillis regularibus à nobis exarato, fauſtus erit eventus; ſin verò vel in peripneumoniam deducatur æger, vel in alia graviora incidat ſymptomata, malum. Non apud nos perpetuum eſt, aut ut plurimùm evenit quod habet Clar. Williſ. ſc. eos qui variolis etiam copioſis tentati ſunt à morbillis immunes fore, plures enim vidimus, eoſque ætatis jam proveċtæ, immanioribus variolis prius afflictos, non minus morbillis, atque etiam mali moris fuiſſe excruciatos. Morbilli in maligna aëris conſtitutione graſſantes, ſæpè exitioſi.

VII. Indicationes in utroque morbo, variolis ſc. & morbillis omnino propè quadrant; Prima & præcipua erit, ut æquabilis fermentatio in ſanguine ſuſtineatur, quę ſc. nec vi ſua & proritatione illum nimis diſſolvat & fundat, nec etiam torpore expulſionem lentiorem, aut imperfectiorem faciat. Secunda, ut poſt eruptionem, puſtulæ ad maturitatem deducantur, oculi, aures, pulmones aliæve partes præſerventur. Tertia coſmetica eſt & variolas in ſpecie ſpectat; ſc. ut fœdæ cicatrices à malignioribus variolis impreſſæ, aut imprimendæ, impediantur, aut ex parte obliterentur.

VIII. In Variolarum & morbillorum itaque curatione, attendendum ne ſanguinis ebullitio ferocior fiat, & propterea ſi vel ſtragulis, vel igne, vel medicamentis æger multum excalfactus ſit, ſi in ætatis flore verſetur, priuſque generoſiori potu uſus fuerit, ſi verna tempeſtas adſit, aut æſtatis ſaltem initium, venæſectio continuò celebrabitur, omiſſaque cardiacorum apud mulierculas, medicoſque forſitan quoſdam heu nimis familiarium, turba, Natura ſibi aliquatenus permittetur, ni ſæviora adveniant ſymptomata; ſc. vel ſuffocatio aliaque propter eruptionem difficiliorem; vel nimius materiæ morbificæ impetus & orgaſmus, unde in cerebrum cæteraque viſcera fit quam ſæpè irruptio.

Medicamenta pro Variolis & Morbillis.

Folia galegæ. Sem. aquilegiæ, (unde paratur emulſio in expellendis variolis aptiſſima) napi, naſturtii hortenſ. rapar. Rad. contrayerv. polygonat. Fruct. chermes, ficus. Gum. laccæ. Anim. cornu cervi, hominis, ſed præcipuè viperarum pinguedo. Lap. Sapphirus, lapis bezoardicus. Præparata, oleum terræ ſtrigonienſis, bufonum oleum, ſpirit. vitrioli cum aqua cardui benedicti, balſamus vitæ Baſilii, tinctura ex floribus diaphoreticis antimonii, antidotu

dotus ζωήφιλος Quercetani, antidotus πανχόνος tinctura ex mercur. antimon. cum ſole, &c.

Formulas medicamentorum pro variolis & morbillis non eſt quod addamus, pauca enim è vera & genuina praxi depromi poſſunt, quæ è ſuperiùs allatis electa, in formulas commodè redigentur. Qui interim plura voluerit, conſulat Cratonis conſilia, Amati Luſitani curat. Lazari Riverii obſervat. Thomæ Willis tractat. de febrib. &c. Maculas à variolis relictas quod ſpectat, commendatur emulſio lactea ex ſemine cannabino ſeparatis corticibus, cum aqua roſ. parata & cum goſſipio admota. Cicatrices verò præprimis delet oleum myrræ per deliquium ex albuminibus ovorum paratum, ut & etiam oleum vitellorum ovorum, &c.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM
In PRAXI MEDICA contentarum.

A.

AB atrá bile dyſenteria lethalis. *pag.* 164.
Abſtinentia potus prodeſt in hydrope. 156.
Abſceſſus pancreatis vomitum excitat. ſtomachi vomitum quoque excitat. 125.
Acetoſæ mineralis ſpiritus. 192.
ejus deſcriptio. 192.
Acetum melancholiæ pabulum. 9.
Acida & auſtera acria nocent in epilepſiâ. 9.
item in omnibus affectibus melancholicis. *ibid.*
temperata in phthiſi proſunt. 101.
in febribus. 110.
Acidi humores tormina excitant. 132.
non facile eluuntur. *ibid.*
quomodo alterandi. 123.
Acidum concentrat chalybs. 205.
augentia. 207.
in pleuritide primario peccat. 88.
Acido-auſterum in quartana peccat. 111.
ſuffocationis hypochondriacæ cauſa. 202.
alterandum in ſuppreſſione menſium. 207. *& ſeq.*
vera epilepſiæ cauſa. 6.
nervos vellicat. 6.
efficit motus convulſivos convulſioneſvè. 6.
corrigitur. 16.
Acidior ſuccus pancreaticus cauſa nimiæ appetentiæ. 121.
Acria temperanda in nimio menſium fluxu. 216.
ſeroſa tuſſim excitant. 98.
Acrimonia humorum in vomitu temperanda. 128.
ſalina dyſenteriæ cauſa. 163.
Acrior bilis ilei cauſa. 176.
lympha dolorem nephriticum excitat. 184. 185.
hydropis cauſa. 151.
Acriores humores peccant in ſcorbuto. 136.
quomodo fiant. *ibid.*
alterentur. 142.
Acris lympha proxima epilepſiæ cauſa. 6.
Adſtringentia in nimio fluxú menſium quando exhibenda. 168.
Æ:as juvenilis ad phthiſin proclivis. 100.
Affectio hypochondriaca, malè vulgò dicta hyſterica. 134.
Aloëtica in phthiſi noxia. 101.
Alterans in lethargo. 43.
Alterantia & narcotica in dolore nephritico. 185.
in hydrope præmittenda. 156.
Alterati humores in vomitu evacuandi. 128.
Alvi fluxus in ſcorbuto. 140.
in phthiſi malus. 100.
Alvus laxa ſervanda in nephritico dolore. 185.
vomitu. 128.

Alvus adſtricta. 183.
in ſuffocatione hypochondriaca. 202.
in infantibus epilepſiâ laborantibus.
mala. 22.
ſtatim ſolvenda. 22.
fluida in hydrope lethalis. 155. 183.
Amalgama ſaturni in ſcrophulis. 81.
Anaſarca. 153. 161.
Ejus ſigna diagnoſtica. 153.
in infantibus facilè curatur. 154.
in Anaſarca reſpiratio ſemper difficilis. 154.
urinæ tenues & albæ. *ibid.*
Aneuriſma. 85.
ejus pars affecta. *ibid.*
cauſa. *ibid.*
differentiæ. 86.
ſigna diagnoſtica. 86.
prognoſtica. 86.
indicationes curativæ & curatio. 86.
curandi vera methodus. 86.
in Aneuriſmate obſervationes. 87.
ſectio & excíſio arteriæ. 87.
Angina. 73.
quomodo generetur. 73.
ejus pars affecta. 73.
cauſa. 73.
differentiæ. 74.
ſigna diagnoſtica inſtantis anginæ. 74.
præſentis. 74.
prognoſtica. 74.
indicationes curativæ. 75.
curatio. 75. *& ſeq.*
Anginæ vera curandi methodus. 75.
in Anginâ incidentia conveniunt. 76.
vomitoria quidam laudant. 75.
repellentia cautè adhibenda. 77.
incautè uſurpata epilepſiam, &c. excitant. 77.
gargariſmata. 76.
diſcutientia. 77.
incidentia. 79.
malignâ nocet venæſectio. 78.
laryngotomia. 75.
obſervationes. 78. *& ſeq.*
Anguſtiæ viarum in partu difficili. vid. partus. 212.
Animi deliquium poſt nimiam ciborum appetentiam. 122.
pathemata in phthiſi vitanda. 101.
Aniſatus ſulphuris balſamus, videatur. balſamus ſulphuris aniſatus.
Ant'epileptica medicamenta. 12. 13. 14.
ſpecifica. 21. 22. 23.
apoplectica medicamenta. 34. 35.
Anti-dyſenterica medicamenta. 168.
hyſterica medicamenta. 208. 209.
conveniunt in partu difficili. 214.
nephritica medicamenta. 189. *& ſeq.*
pleuritica. 90. 91.
ſcorbutica medicamenta. 143. *& ſeq.*
coctionem non ſuſtinent. 145.
Scorbuticæ pilulæ *Timæi*. 144. 145.
earum deſcriptio. 145.
phthiſica medicamenta. 101. 102.
Apertio arteriarum ſplenicarum. 174.
aneuriſmatis, lethalis. 85. *& ſeq.*
vaſorum ſanguineorum & lymphaticorum.
vid. fluxus menſtruorum nimius.
Apoplexia. 30.
ejus pars affecta. 30.

diffe-

differentiæ. 30.
cauſa. 30.
ſigna diagnoſtica. 31.
prognoſtica. 32.
indicationes curativæ. 32.
curatio. 33.
quomodo diſtinguatur à caro. 31.
lethargo. 31.
ſuffocatione hypoch. 31.202.
ſyncope. 31.
oritur à delapſu ex ſublimi. 30.
concuſſione. 30.
colapho. 30.
ex mœrore & animi conſternatione ſubitâ. 30.
ſanguine extravaſato, &c. 30.
ſolvitur motu critico in paralyſin. 34.
in Apoplexia vitam explorandi modus. 33.
linimentum. 33.
purgantia, clyſteres, ſuppoſitoria in majori doſi exhibenda. 33.
clyſter conveniens. 37.
præparantia. 34. 35. 36. *& ſeq.*
purgantia. 35. *& ſeq.*
vinum medicatum. 37.
obſervationes. 36. *& ſeq.*
ſpiritus aniſi & ſerpilli linguæ tremorem tollunt. 37.
narcotica nocent. 33.
vomitoria laudantur ex croco metall. 34.
in primis ſi ſtatim à cibo apoplectici facti fuere. 34.
Apophlegmatizantia proſunt. 34.
ex radice imperatoriæ. 37.
ſpiritus tartari volatilis fœtidus. 34.
diaphoreticum in peracutis ſ.
mixtura ſimplex. 34.
ejus deſcriptio. 34.
Apozema in pleuritide. 92.
paralyſi. 42.
phthiſi. 103. 104.
quartana. 119. 120.
ſcorbuto. 148.
anaſarca. 161.
vulnerarium in dyſenteriâ. 171.
ileo. 182.
dolore nephritico. 195. *& ſeq.*
menſium ſuppreſſione. 192. 211.
partu difficili. 214. 215.
Appetentia ciborum nimia. videatur nimia ciborum appetentia.
Aqua anti-hyſterica noſtra. 203.
benedicta Rulandi. 111.
Aqua febrifuga 116.
prophylactica. 112.
ejus deſcriptio. 112.
extractum. 113.
Aquoſum alvi profluvium in hydrope quando bonum. 154.
Ardentes febres in ſcorbuto. 140.
Armoniaci ſalis ſpiritus. vid. ſpiritus ſalis armon.
Aromata acria bilem augent. 121.
Aromatum ſuffumigia menſes educunt. 110. 207.
Arthritici doloris curatio. 70. 71.
Arthritis. 137.
vaga ſcorbutica. 137.
ejus curatio. 137. 138.
Aſcitis. 153.
ejus ſigna diagnoſtica. 153.
curatio. 155.
Auram quandam frigidam epileptici ad cerebrum elevari ſentiunt. 4.
Aurium dolor ex acriori lymphâ. 70.
ejus curatio. 71.

Auſterum in ſcrophulis. *pag.* 81.
cauſa cancri. 81.
ſuffocationis hypochondriacæ. 202.

B.

BAlſamica tinctura in ſcorbuto. 145.
Balſamus ſulphuris. 82.85. 102. 192.193.
in phthiſi an conveniat. 102.
dyſenteriâ. 171.
convenit in ſcrophulis. 82.
dolore nephritico. 190.191.
menſium ſuppreſſione. 209.
tinctura ex eo extracta. 102.207. 214. 215.
aniſatus. 102.190.
ex nimio ejus uſu 190.
phthiſis producitur. 102.
convenit in vomitu purulento. 134.
in dyſenteria. 171.
dolore nephritico. 190.194.
juniperinus. 190.
convenit in dolore nephritico. 190.
peruvianus. 131. 134.
cõvenit in vomitu. 131. 134.
in dyſenteriâ. 196.
in vomitu conveniens. 134.
in dyſenteria conveniens. 171.
Bilioſus catharrus, ejuſque curatio. 72.
Bilis acrior ilei cauſa. 176.
Bolus in vomitu. 131.
Bulimos. 122.
bulimo laborantes quando obeſi fiant. 122.
macilenti. 122.

C.

CAncri cauſa. 80.
auſterum. 80.
Cancro laborantes, melancholici ſunt. 80.
in Cancro emplaſtrum. 81.
unguentum. 81.
Calculi in ſtomacho vomitum excitant. 125.
generatio. 183.
Calculus renum, vomitum ſæpè excitat. 184. *& ſeq.*
Calculum à lymphâ diſtinguere difficile eſt. 184.
ſpiritus nitri ſolvit. 191.
Canes liene deſtitutæ non concipiunt. 205.
58. *& ſeqq.* 109.137.
Capitis dolores varii. 202.
ſcorbutici. 137.
horum curatio. 137.138.
Capiti vulnus inflictum vomitum excitat. 124.
Carbones ſub arthemiſiâ reperti ſunt radices ipſius.
arthemiſiæ. 12.
conveniunt in epilepſiâ. 12.13.
multo ſale volatili conſtant.
ſuperſtitioſum eſt, ut pridie D. Johannis Baptiſtæ evellantur. 12.
Carnoſus panniculus ex inflammatione genarum neglectâ. 71.
ejus curatio. 71.
Cartilaginis enſiformis nimia laxitas vomitum.
excitat. 125.
ejus curatio. 127.
Carus. 44. 49.
diſtinguitur ab apoplexiâ. 31.
& ſopor profundus ſcorbuticus. 138.
curatio. 138. 139.
Catalepſis. 44.51.*& ſeqq.*

Cata-

Cataplaſmata egregia in hydrope. *pag.* 160.
in dolore pedum, &c. ſcorbutico. 146.
Catarthi acres vomitum excitant. 125.
ſiſtendi. 129.
Catarrhus eſt defluxio humorum acrium. 70.
modus generationis, 70.
ejus partes affectæ. 70.
cauſa. 70.
differentiæ. 70.
ſigna diagnoſtica. 70.
prognoſtica. 70.
indicationes curativæ & curatio. 70. *& ſeq.*
ex lymphâ craſſiore, ejuſque curatio. 71.
Bilioſus, ejuſque curatio. 72.
ex acriori lymphâ, ejuſque curatio. 72.
à Catarrhis ſalſo-acribus oritur phthiſis. 98.
ad horum ſublationem maſſa pilul. 103. *& ſeq.*
in Catarrhis frigidis pituitoſis, viſcidis decoctum ex ligno guajaco, &c. 70.
acribus maſſa pilul. de cynogloſsâ. 71.
Cauterii actualis ſuturæ coronali applicandi modus docetur. 26.
C. *Celſi* encomium. 100.
Cerebrum & nervi ſunt primaria epilepſiæ pars affecta. 5.
Chalybs in menſium ſuppreſſione. 208
pituitam incidit, acidum concentrat. 208.
Chinæ decoctum cum paſſulis & glyzyrrhizâ in phthiſi. 102.
χορδαψός. quare ita vocetur. 175.
Cibi faſtidium in dyſenteriâ malum. 164.
Ciborum nimia appetentia. vid. nimia ciborum appetentia.
Cinci flores conveniunt in ophthalmia ex lymphâ acriore. 71.
in inguinum infantium excoriatione. 71.
papillarum excoriatione. 71.
fiſſuris. 71.
eorum preparatio. 71.
Cinnabaris nativus convenit in epilepſia. 16.
à *Cratone* magnes epilepſiæ vocatur. 16.
antimonii magis convenit. 16.
Circa novilunium & plenilunium, &c. ſpecifica ant'epileptica exhibenda. 22.
Circulatur lympha. 108.
Clyſter in apoplexia. 38. 39.
duplo ferè acrior eſſe debet. 33.
dolore nephritico. 186.
ventris ſcorbutico. 146.
dyſenteria. 169. 170.
hydrope. 157. 159.
Cochleariæ ſpiritus in ſcorbuto maximè convenit. 148.
Colicus dolor quomodo curandus. 195.
à nephritico diſtinguatur. 184.
ejus curatio per mixturam, 194. 195.
Colique graveleuſe. 184.
Colocynthis dyſenterias excitat. 163.
Coma vigil. 41. 49.
ſomnolentum. 41. 49.
Conatus inſufficientes in partu difficili promovendi. 213.
Conchenilia tinctorum in urinæ ſuppreſſione. 193.

Conditum in epilepſia conveniens. *pag.* 17.
dyſenteria. 168. 169. 171.
hydrope. 161.
nimia ciborum appetentia. 123.
Conſerva & ſaccharum roſarum in phthiſi. 103. *& ſeq.*
Contagioſum obſervarunt ſcorbutum. 140. *& ſeq.*
Continuarum febrium cauſa. 107.
Convulſio. 5.
& contractio ſcorbutica. 137.
curatio. 142.
in menſium ſuppreſſione. 207.
Convulſionibus vexantur ſcorbutici. 137.
Convulſivi motus ſæpius in epilepſia obſervantur. 5.
Cordis palpitatio ſcorbutica. 140. 141. 137.
Curatio. 148.
Cornachini pulvis in febribus. 112.
Cornu cervi gelatina. 168.
Cortex china china in quartana. 113. 116.
Corticem peruvianum exhibendi modus *pag.* 115. 116. *&* 117.
Craſſa lympha apoplexiæ cauſa. 30.
urina in dolore nephritico melior tenui. 184.
Cratonis pulvis antepilepticus. 16.
Criticus vomitus non ſiſtendus. 128.
quomodo cognoſcendus. 126.
Croci vis per deſtillationem ejicitur. 193.
Cruris ſtupor è calculo. 185.
ejus curatio. 185.
Cucurbitulæ mammis appoſitæ in nimio menſium fluxu noxiæ. 216.
Κυνορεξία. 122.
laborantes macilenti evadunt. 122.
ſubinde obeſi. 122.

D.

Decoctum ligni guajaci Apoplexiæ in phthiſi. 102.
braſſicæ rubræ in phthiſi. 102. 104.
chinæ cum paſſulis & glyzyrrhiza. 103.
cydoniorum in fluxu hepatico. 174.
in hydrope. 157.
paralyſi. 42.
quartana. 119.
ulceribus ſcorbuticis. 138. 139.
Delicatulæ mulieres à dolore ſibi metuentes difficilius pariunt. 212.
Diæta ſit exacta in dolore nephritico. 186.
exactiſſima in ſcorbuto medicamentis præſtat. 140.
ſine qua ſcorbutus ſit incurabilis. 140.
Diaphoretica & diuretica in ſuffocatione hypochondr. 203.
ſcorbuto conveniunt. 142.
hydrope. 156. 160.
blanda in ſui preſſione menſium quandò conveniant. 207.
Diarrhœa & lienteria in ſcorbuto. 140.
difficulter curatur. 140.
ægros necat. 140.
Diſcutientia in angina. 77.
Difficilis partus. vid. partus difficilis.
Diverſarum epilepſiæ cauſarum ſigna. 6. 7.
Diuretica & ſudorifera in fluxu hepatico. 174.
Doloris aurium ex acriori lympha curatio. 71.
arthritici curatio. 72.
Dolores capitis varii. 58. *& ſeqq.* 109. 137. 202. 206. 211.
ſcorbutici. 137.

horum

horum curatio. *p.* 146. 147.
varii continui & acerbiſſimi in menſiu
ſuppreſſione. 207.
hypochondrii ſiniſtri in menſium ſuppreſſione. 110.
varii in ſcorbuto. 137. 146.
eorum curatio. 145. 146.
crurum, pedum, manuum, &c. ſcorbutici. 137.
veſpertino & nocturno tempore ingraveſcentes. 137.
eorum curatio. 145. 146.
ventris ſcorbutici colicos æmulantes. 138.
ſuperantes. 146.
eorum curatio. 147.
hypochondriorum ſcorbutici incircumſcripti. 138.
eorum curatio. 147.
Dolor ilei ſedandus. 178.
ſed nequaquam narcoticis. 178.
nephriticus. 183.
pars affecta. 183.
ejus cauſa. 183.
differentiæ. 184.
ſigna diagnoſtica. 184.
prognoſtica. 184.
indicationes curativæ. 185.
curatio. 185.
non curatur ſupra 50. annum. 185.
colicus à nephritico quomodo diſtinguatur. 184.
ejus curatio. 195.
in Dolore nephritico obſervationes. 192. 193. *& ſeq.*
quando ventriculus malè conſtitutus. 184.
benè conſtitutus. 184.
urina cruenta. 184.
levat. 184.
guttatim emittitur. 184.
ſupprimitur. 184.
craſſa melior tenui. 184.
alvus ſervetur laxa. 184.
dolor temperandus. 184.
quid producat. 184.
pulvis. 185.
purgantia nocent. 185.
laxantia proſunt. 185.
Venæſectio an, & in quibus conveniat. 185.
alterantia & narcotica. 185.
clyſteres. 186.
ſemen violæ purpureæ. 190. 194. 195.
ejus emulſio. 190.
lignum nephriticum convenit. 190.
ſantalum cæruleum vocatur. 190.
quare. 190.
ejus probatio. 190.
adulteratur. 190.
in Dolore nephritico ſpiritus nitri. 191.
acetoſæ mineralis. 192.
ejus deſcriptio. 192.
baccarum juniperi. 192.
anti-nephriticus *Autoris.* 191.
tinctura lapidis nephritici. 191.
ejus præparatio. 191.
laudanum urinarium anodynum D. I. *Michaëlis* P. P. 191.
pulvis lithrontipticus D. *Rolfinckij* P. P. 191.
Liquor nephriticus. 191.
decoctum D. *Foreſti.* 191. 192.
parum mutatum. 195.
regulus avis maximè commendatur. 192.
balſamus ſulphuris aniſatus. 190.
juniperinus. *pag.* 190. 195.
pilulæ. 193.

ſinimentum. pag. 193.
mixtura. 194. 195.
hauſtus. 194.
Ductus ſalivales. 80.
Dulcia acidis non temperata in phthiſi nocent. 101.
pauciſſimæ ferunt hyſtericæ. 41. 218.
Duorum annorum infans fluxu menſium laborans. 206.
Dyſenteria. 163.
ejus partes affectæ. 163.
harum ſigna. 164.
cauſæ. 163.
differentiæ. 163.
ſigna diagnoſtica. 164. & ſeq.
prognoſtica. 164. 165.
indicationes curativæ. 165.
curatio. 166. & ſeq.
in Dyſenteriâ obſervationes. 170. & ſeq.
quæ inteſtina afficiuntur. 163. 164.
tres gradus. ibid.
excrementa cum ſanguine pure-vè accurate mixta quid denotent. 164.
cibi faſtidium malum. 164.
ulcus profundum difficillimè curatur. ibid.
imprimis in inteſtinis tenuibus. 165.
qua dyſenteria V. S. an conveniat. ibid. 166.
poſt aurem res nigra apparens, lethalis. ibid.
quæ mortem prænunciant. ibid.
tribus medicamentis utitur *Autor*. 166.
medicamenta in parvâ quantitate exhibenda. ibid.
quidnam agendum. ibid.
curatio quandò varianda. ibid.
gelatina cornu cervi. 168.
lumbrici terreſtres maximè laudantur. 168.
lapis bezoar. ibid.
ſyrupus panthalionum. ibid.
ejus deſcriptio. ibid.
tabellæ convenientes. ibid.
mixtura. 169. 170.
conditum. 169. 171.
enema. 169. 170.
narcotica omnia proſunt. 168.
purgantia. 170.
linimentum. 169.
emplaſtrum. ibid.
tenuia inteſtina ſphacelata. 170.
eroſa. ibid.
perforata. ibid.
rhabarbarum toſtum. ibid.
cum nuce moſchatâ. ibid.
lac bubulum cum cinamomo, &c. 171.
apozema vulnerarium ulcus inteſtini tenuis ſanans. ibid.
balſamus. ibid.
Dyſenteria continua eſt vel intermittens. 163.
epidemica maligna. ibid.
ab atrâ bile lethalis. 164.
lienoſis ſuperveniens, bono eſt. ibid.
Dyſenteriam excitant venena. 163.
Dyſenteriæ cauſa acrimonia ſalina ibid.

E.

Electuarium in fluxu hepatico. 175.
menſium nimio. 219.
Electuarium febrifugum. 116.
Elixir uterinum D.I. *Michaëlis* P.P. 208.
proprietatis *Paracelſi* nec amaricans, nec præcipitans. pag. 144.
Ἔμετος, ἐμεσία. 124.

Empla-

Emplaſtr. in arthritico dolore. 72.
artuum doloribus ex dislocatione, & contuſione, &c. 72
angina. 78
cancro anodynum palliativum. 82
ſcrophulis. 84
aneuriſmate. 85
pleuritide. 90.92
vomitu. 127. 133
tuberculis duris. 148
hydrope. 160
dyſenteria. 169
diaſulphuris Rulandi. 84
Emproſthotonos. 40
Emulſio in urinæ ſuppreſſione. 194. 290
dolore nephritico. 195. 290
Emulſiones in febribus continuis proſunt. 117
vomitui quando conveniant. 132
Enemata calidiora proſunt in menſium ſuppreſſione. 207
qui agant. 207. 208
Epilepſia. 5
ejus pars affecta. 5
differentiæ. 5. 6
cauſæ proximæ. 6
remotæ. 6
circa ventriculum & hypocondria. 12
ſigna diagnoſtica. 9
prognoſtica. 10
Indicationes curativæ. 10
curatio in paroxyſmo. 11
extra paroxyſmum. 12
quo anni tempore & conſtitutione oriatur. 10
Epileptici plerumque melancholici. 9.
meticuloſi. 9.
plerique ſunt actorum ignari. 9.
in Epilepſia frigida aura ad cerebrum elevatur. 7.
intercipitur aut retardatur ab injecto vinculo. 7
uſus narcoticorum utilis & noxius. 11
quando conveniat.
verò non. *ibid.*
venæſectio an conveniat. 11. 12
ad conciliandum ſanguinis motum inſtituitur. *ibid.*
quando noceat. *ibid.*
ex ſympathia ventriculi vomitoria proſunt. 12
ſalis armoniaci flores, ſpiritus, &c. præſtant. 16
ſpiritus ſalis. *ibid.*
cinnabaris nativus cõvenit. *ibid.*
à *Cratone* magnes epilepſiæ vocatur. *ibid.*
antimonii præſtat. *ibid.*
pulvis D. *Cratonis.* 17
alius. 21
purgantia. 16. 21
præparantia. 17. 21. 22
ſapo hiſpanicus ſpecificè prodeſt. 16. 20. 24
obſervationes. 20. 21. *& ſeq.*
medicamenta ſpecifica quando exhibenda. 21
mixtura. 22
pilulæ. 17. 20. 21
pulvis. 17. 21. 22
vinum medicatum. 22
infantum alvus adſtricta ſolvenda. *ibid.*
mixtura. *ibid.*
Epilepſiæ cauterio actuali curatæ hiſtoria *pag.* 25. *& ſeq.*
Epilepſiæ infantum hiſtoria, cauſæ, diagnoſis, prognoſis, & curatio *pag.* 26. *& ſeqq.*
Errantes febres ubi lateant. 109
Eryſipelas ſcorbuticum. 137

valde periculoſum eſt. p. 148.
ejus curatio. ibid.
Excretio ſanguinis ex pleuritide. 94.
curatur per mixturam adſtringentem conſolidantem. 93. 94.
Excrementa cum ſanguine purevè accuratè mixta quid denotent. 164.
Ex menſium ſuppreſſione in melancholicam inſaniam prolabuntur. 207.
graviſſimi oriuntur affectus. 207.
Experimentum in ſuppreſſione menſium. 209. & ſeq.
Exquiſitæ tertianæ facilè curantur. 110.
ſeptenis circuitibus judicantur. 110.
Exſiccantia in hydrope conveniunt. 156.
Externa medicamenta contra anginam. 77.
Extractum ex fecibus aquæ prophylacticæ. 113.
foliorum ſennæ. 145.
elaterii. 159.
tormentillæ. 169.
radicum gentianæ. 210. 113.
ſabinæ. 209. 210. 211.
ellebori nigri. 211.
rhei. 17. 145. 211. 250.
catholicum. 35. 135. 145. 151. 223.
angelicæ. 144.
Extremarum partium refrigeratio, bulimon quando ſequatur. 122.

F.

FOEminis ſcorbuticis menſes deficiunt aut in fluorem album mutantur. 138.
Febris. 107.
pars affecta. ibid.
ejus cauſa. ibid.
interna. p. 107.
externa. 107. 108.
differentiæ. 109.
ſigna diagnoſtica. ibid.
prognoſtica. ibid.
indicationes curativæ. 110.
curatio. 110. & ſeq.
Febrifuga medicamenta. 111. 116. 117. & ſeq.
Febrium vera curandi methodus. 110. 111.
continuarum cauſa. 107.
intermittentium cauſa. ibid.
Febres errantes ubi lateant. ibid.
hecticæ in phthiſi. 97.
ejus ſigna. 100.
in Febre circa regionem lumbarem dolores. 109.
rigor, horror, frigus. 109.
quatum partium major habens fortiora purgantia an conveniant. 110.
ſudorifera noxia. ibid.
ſalia volatilia & fixa conveniunt. 111.
purgans utrum die paroxyſmi exhibendum? 110.
affirmatur. ibid.
in Febribus continuis venæſectio quando conveniat. ibid.
inſtituenda. 111.
tertianis V. S. convenit. ibid.
quartanis V. S. nocet. ibid.
acido - auſterum corrigentia proſunt. ibid.
laudantur vomitoria. 110.
ſpiritus ſalis armoniaci. 119.
univerſalibus ſpecifica febrifuga admiſcenda. 112.
quæ ſalia optima. 111. 112.
in Febribus acida blanda an, & quibus conveniant. 111.
in-

incidentia, obſtructionemque ſolventia. pag. 111.
quartanis ſuccus matricariæ expreſſus. ibid.
cortex china china. 113. 116.
Electuarium febrifugum. 116.
Vinum febrifugum ibid.
Aqua febrifuga. ibid.
pulvis. 113. 119.
obſervationes. 118. & ſeq.
purgantia. 113. 119. & ſeq.
decoctum. 119. 120.
ſcorbutus ſubindè latet. 118.
earum curatio. 119.
pulvis D. *Cornachini.* 119. 120.
noſter. 113.
continuis pulvis. 112.
aqua prophylactica. ibid.
ejus deſcriptio. ibid.
extractum. ibid.
convenit in malignis, ardentibus, peſte. ibid.
hauſtus ſudoriferus. 113.
ſpiritus ſalis armoniaci ſpecificè prodeſt. 113. 119.
mixtura. 119.
Febrifugum D. *L. Riverij.* 112.
Febres quartanæ in ſcorbuto. 140.
malignæ, ardentes, duplices tertianæ in ſcorbuto. ibid.
Flatus ilei cauſa. 176.
ſuffocationis hypochondriacæ cauſa. 202.
tympanitem efficiens. 153.
non ſemper in abdominis cavitate reperiuntur. 153.
Flores hyperici in tremore manuum aliarumque corporis partium ſpecificè proſunt. 13.
eorum tinctura in tremore. 13.
vomitu purulento. 134.
dyſenteria. 171.
ſalis armoniaci p. 16.
cinci. vid. cinci Flores.
Fluxus hepaticus. 174.
nothus ſ. ſpurius. ibid.
ob plethoram exoritur. ibid.
vaſa ſanguinea rupta. ibid.
in regionibus frigidis raro periculoſus. ibid
à ſero copioſo producitur. ibid.
ejus curatio. ibid.
eſt arteriarum ſplenicarum apertio. ibid.
in Fluxu hepatico obſervatio. 174. 175.
liquor exiens, eſt inſtar loturæ carnium. 174.
ſine dolore & mordicatione excernitur. ibid.
ſudorifera & diuretica. ibid.
narcotica adſtringent. mixta. ibid.
decoctum cydoniorum. ibid.
tabellæ. 175.
electuarium. ibid.
Fluxus menſium nimius. vid. nimius menſium fluxus. 215.
Fœtus lymphâ an nutriatur. 212.
Follis fabrilis in ileo. 179.
quando proſit. ibid.
quid ſtatim poſt agendum. ibid.
Fortiora purgantia in ileo ferunt fœces induratæ. 179. 181.
nocent. 181. 182.
Frigidam auram ad cerebrum elevari epileptici quandoque ſentiunt. 7.

G.

Gangrænâ affecta rugoſa vulvæ tunica exſcindi poteſt ſine vitæ periculo. 205.
Gargariſma in gingivarum affectibus. 146.

repellens in anginâ. 76. 77.
diſcutiens. 77.
incidens. 79.
Gelatina cornu cervi in dyſenteria. 168.
Genarum inflammatio neglecta panniculi carnoſi cauſa. 71. 84.
ejus curatio. 84.
Generatio calculi. 183.
Generoſum vinum nimium ciborum appetentiam curat. 122. & ſeqq.
Gingivarum tumor. 138. 144.
tinctura gummi laccæ maximè commendatur. 144. & ſeq.
laxitas. 149.
ejus curatio. 149.
eroſio. 138.
Glandularum vaſorum lymphaticorum obſtructio. 151. 152.
Clandulis ſcatet œſophagus. 121.
Globuli in ileo quando conveniant. 178. 179.
ex regulo antimonii. 181.
Gradus tres in dyſenteria. 163.
Graviditatem impedit nimius menſium fluxus. 216.
Graviter olens ſputum in phthiſi, malum. 101.
Guttatim in dolore nephritico emittitur urina. 184.

H.

HÆreditarius ſcorbutus. 136. 140.
totas familias inficit. 140.
Hauſtus in dolore nephritico. 195.
paralyſi. 37.
ſudoriferus in febribus. 113.
Hectica febris in phthiſi. 97.
ejus ſigna. 100.
Hepaticus fluxus. vid. Fluxus hepaticus. 174.
Hernia inteſtinalis producit ſubindè fœces induratas, gangrænam, &c. p. 177.
Hernia uterina. 204.
falsè *à Veteribus* deſcripta. 204.
eſt relaxatio anterioris tunicæ vulvæ. 204.
ab initio curatur adſtringentibus. 205.
Hippocrates ſcorbutum deſcripſit ſub titulo volvuli hæmatitis & morbi lienis. 138.
Horrenda ſpectacula vomitum ſubindè excitant. 125.
Humores acriores in ſcorbuto peccant. 136.
quando fiant. 136.
Humorum peculiaris corruptio in ſcorbuto. 136.
acrimonia temperanda in vomitu. 128.
temperata evacuanda. *ibid.*
Humores acidi tormina excitant. 122.
non facilè educuntur. 122.
quomodo alterandi. 15. 21. 122.
ſcorbutici acres alterandi. 142.
craſſi incidendi. *ibid.*
Hydrops. 151. & ſeq.
pars affecta. 151.
ejus cauſæ. *ibid.*
differentiæ. 153.
ſigna diagnoſtica. *ibid.*
aſcitis. *ibid.*
tympanitis. *ibid.*
anaſarca. *ibid.*
prognoſtica. 154.
indicationes curativæ. 155.
curatio. 156. 157.
à nimio oritur ſpiritus vini uſu. 153.
medicamenta contra hydropem. 157. & ſeq.
quomodo tum generetur. 153.
ſequitur febres non, vel malè curatas. 153.

Hydro-

Hydropici magis *Bacchanalia* quam *Cerealia* celebrant. 153. 160.
Hydrops ſcorbuticus. 138. 140. 148.
in principio facilè curatur. 154.
non obſervatâ diætâ facilè redit. 154.
curatur plerumque tribus medicamentis. 155. 156.
In Hydrope tumor ventris in fœminis accuratè diſtinguendus. 154.
pedum veſperi & poſt corporis exercitationem tum augetur. 153.
difficilis reſpiratio. 154. 161.
tuſſis mala. 155.
omnem curationis ſpem tollit. 155.
alvus fluida mortem denotat 155. 160.
aquoſum alvi profluvium abſque cruditate bonum. 155.
ulcera non facilè ſanantur. 155.
Venæſectio nocet. 155.
vomitus improbatur. *ibid.*
ob quam rationem. *ibid.*
admodum ventriculum debilitat. *ibid.*
ſudorifera proſunt & diuretica. 155. 156. 161.
exſiccantia. 156.
potus abſtinentia prodeſt. 156.
hoc modo hydropicus curatus. 156.
alterantia præmittenda. 156.
per epicraſin evacuantia, bona. 155.
paracenteſis. 156.
non inſtituenda in debilib. 156.
ubi inteſtina læſa. 156.
flatus peccant. 156.
quid agendum antè paracenteſim. *ibid.*
an inſtituenda in umbilico. 157
admirandum exemplum. p. 157.
tumor ſcroti curatus. 161.
purgans. 158.
variæ purgantium formulæ. 159.
clyſter. *ibid.*
ſudoriferum. *ibid.*
emplaſtrum. 159. 160.
lympha tenuis, gelatina, ſteatomatica. *ibid.*
cataplaſmata egregia. *ibid.*
vinum medicatum. 161. 162.
conditum. 161.
decoctum. 161. 162.
tabellæ. 162.
Hypochondriaca affectio. 134.
Hypochondriorum dolores ſcorbutici incircumſcripti. 138.
eorum curatio. 147.

I.

ILei principium & origo. 176.
valvula coli. *ibid.*
Ileos. 175.
ejus partes affectæ. 175.
cauſa. 176. 177.
differentiæ. 177.
ſigna diagnoſtica. 177. 178.
inflammationis. *ibid.*
excrementorum induratorum. *ibid.*
motus inteſtinorum inverſi. 178.
prognoſticæ. *ibid.*
indicationes curativæ. *ibid.*
curatio. 179. 180
Latinis volvulus, miſerere mei, gr. χορδαψός. 175.
ſummis cruciatibus & vomitu affligit. 175.
à flatibus. 176.
ſigna. 178.
facilius curatur. 179.
ſtranguriâ. 177.

herniâ. 177.
ulcere aliiſque tumoribus duris. 177.
ab inflammatione. 177.
à fecibus induratis. *ibid.*
facilius curatur. 178.
pulvis. 181.
apozema. 181. 182.
potio. 182.
tum alvi adſtrictio præceſſit. 177.
motu inteſtinorum inverſo. 176.
ſummum ſigna. 177. 178.
ſi ob inflammationem ardor adeſt vehementiſſimus. 177.
convenit venæſectio. 179.
mixturæ. 181.
cum vomitu bilioſi & pituitoſi in principio, lethalis. 178.
oritur ut plurimum autumno. 178.
in Ileo obſervationes. 182.
inteſtina primò inflammatione afficiuntur. 182.
dein gangræna & ſphacelo. 182.
ſignum. 177. 178.
lethalia medicamenta & venena. 176.
dolor ſedandus. 178.
ſed nequaquam narcoticis. 178.
venæſectio an conveniat. 179.
globuli quando conveniant. 178. 179.
ex regulo antimonii. 181.
follis fabrilis quando proſit. 179.
quid ſtatim poſt agendum. 179.
in Ileo fœces induratæ fortiora ferunt purgantia. 179.
purgantia fortiora nocent. 182.
ſectio & apertio abdominis. 180.
linimentum. 179.
clyſteres proſunt. 180.
ſacculus. 179.
umbilicus zibethâ prius inungendus. 179.
ſanguis veſpertilionis. 181.
pilulæ iliacæ *Rhaſis.* 182.
Incidentia gargariſmata in anginâ. 79.
obſtructionemque ſolventia, & acida auſterum corrigentia in febribus. 111.
Incubus. 43. 53. *& ſeqq.*
ejus curatio. 43. 58.
Indicationes curativæ. vid. ſingulorum morborum indicationes.
inflammatio hepatis vomitum excitat. 124.
Intermittentium febrium cauſa. 107.
Iſchion exſiccum partum reddit difficilem. 212.
Juvenes ab epilepſiâ facilius curantur. 10.
Infans ſeptem annorum ſexies menſtrua habuit. 219.
mane ſana. 219.
duorum annorum fluxu menſium laborat. 219.
poſt tertiam vicem periit. 219.

L.

LAc an conveniat in phthiſi. 102. 103. 105.
ne coaguletur in ventriculo. 103.
convenit in vomitu ſcorbutico. 126.
phthiſi. 102. 103. 105.
nimio menſium fluxu. 219.
dyſenteriâ. 171.
in primis cum cinam. &c. coctum. 171.
in ſcorbuto an conveniat. 144.
affirmatur. 149.
quando aſſumendum. 144.

quo-

quomodo alterandum. 144.149.
convenit in atrophiâ ſcorbuticâ. 149.
temperat & humectat. 144.
Lapis bezoar in dyſenteriâ. 168.
Laryngotomia in anginâ. 75.
ex Laxantia proſunt in dolore nephritico. 185.
Laxitas gingivarum in ſcorbuto. 149.
ejus curatio. 149.
rugarum vaginæ in partu nocet. 213.
Laudanum opiatum an conveniat in phthiſi. 102.
in nimio menſium fluxu. 217. 218.
ſuffocatione hypochondriacâ. 204.
urinarium anodynum. D. I. *Michaëlis* P. P. 191.
Lethargus diſtinguitur ab apoplexia. 31.
Lethargus. 40. 42. 49.
ejus curatio. 42.43.
in Lethargo excitans. 43.
magna puris quantitas per nares & fauces excreta. 43.
Leucophlegmatici. 153.
Lignum nephriticum convenit in nephritide. 190. 191.
Lieni vis ſanguinem generandi ad prolem aptum adſcribitur. 205.
Lienteria & diarrhœa in ſcorbuto. 140.
Linctus in phthiſi. 103.
Linimentum in apoplexia. 33.
paralyſi. 41. 42.
ileo. 179.
dolore nephritico. 193.
dyſenteriâ. 169.
pleuritide. 92.
tabe infantum. 105.
vomitu. 132.
Liquor in fluxu hepatico eſt inſtar loturæ carnium. 174.
ophthalmia & panniculo carnoſo. 71.
nephriticus. 191.
Lithontripticus pulvis D. *Rolfinckij* P. P. 191
Livor faucium in ſcorbuto lethalis. 140.
Lumbricorum terreſtrium ſpiritus compoſitus. 147.
ſal volatile. 147.
Lumbrici terreſtres in dyſenteria. 168.
vomitum excitant. 125.
Lympha acrior dolorem nephriticum quoque excitat. 183.
acris proxima epilepſiæ cauſa. 6
circulatur. 183.
ſeroſa acrior hydropis cauſa. 151.

M.

Macredo in phthiſi in carpis manuum primò obſervatur. 100.
Maculæ in ſcorbuto morientibus evaneſcunt. 140.
à morte erumpunt. 140.
quod in peſte notandum. 140.
harum curatio. 146.
rubræ, purpureæ, liveſcentes, nigræ. 138.
in totas tibias aliquando diffunduntur. 138.
ulcera maligna ſubindè degenerant. 140.
ſubindè ſenſum abolent. 140.
Magna puris quantitas in lethargo excreta per nares & fauces. 43.
Malignæ febres in ſcorbuto. 140.
Mania 64.
pars affecta. *ibid.*
cauſa. *ibid.*
differentia. *ibid.*
diagnoſis. 65.
prognoſis. *ibid.*

indi-

indicationes. p. 65.
curatio. ibid. 66.
Maſſa pilul. de cynogloſsâ in catarrhis acribus. 71. 103.
Medicamenta anti'apopleĉtica. 34.
epileptica. 12. 13. & ſeqq.
Medicamenta antipara'ytica. 46. & ſeqq.
in doloribus capitis 60. & ſeqq.
pro melancholia & mania. 66.
pro Vertigine. 68.
hyſterica. 208. 209.
nephritica. 189. & ſeqq.
phthiſica. 101. 102.
ſcorbutica. 143. 144.
coctionem non ſuſtinent. 145.
ſine fermentatione præparanda. 144.
Melancholici epilepſia ſæpè ſolent corripi, & vice verſâ. 9.
Melancholia 63.
pars affecta. 64.
Cauſa. 64.
differentia 64.
diagnoſis 65.
prognoſis 65.
indicationes 65.
Curatio. 65. 66.
Menſes deficiunt fœminis ſcorbuto laborantibus, aut in fluorem album degenerent. 158.
Menſium fluxum habuerunt duæ infantes, una, ſeptem annos nata, altera duorum annorum. 219.
fluxus nimius, vid. nimius menſium fluxus. 215.
ejus obſervationes. 218. 219.
Menſium ſuppreſſio. 206.
pars affecta. 205.
procatarctica. 206.
ſigna diagnoſtica. 206.
Prognoſtica. p. 207.
indicationes curativæ. 207.
curatio. 207. 208.
oritur ab uteri clauſurâ. 206.
humore craſſo viſcido. ibid.
tùm curatur difficillimè. 207.
anguſtia vaſorum. 207.
tum per ſe ſubindè curatur. 207.
medicamentis alimentisq; nimis adſtringentibus. 206.
uteri cicatrice. 207.
difficilis tum curatio. ibid.
animi mœrore, &c. 206.
inanitione. ibid.
tum difficulter curatur. 207.
exceſſu. 206.
tum facile curatur. 207.
ſuppreſſionis primaria origo ventriculus. 205. 206.
ex Menſium ſuppreſſione varii capitis dolores continui & acerb. 206.
in melancholicam inſaniam prolabuntur. 207.
graviſſimi oriuntur affectus. ibid.
in Menſium ſuppreſſione obſervationes. 210. & ſeqq.
ſæpè videntur ſuffocari. 206.
baculum in gulâ ſe habere dicunt putantque. ibid.
ſanguis è naribus profl. bonum. 207.
vomitus improbatur. ibid.
peſſaria. 209.
venæſectio an conveniat. 207.
quonam in loco inſtituenda. ibid.
menſes moventia primarium locum obtinent. ibid.
dolores hypochondrii ſiniſtri. 210.
purgantia neceſſaria. 210. & ſeq.
convulſiones. 206. 210. & ſeq.
ſuffumigia fœtida proſunt. 207. 209. 210. 211.
blanda diaphoretica. 207.

chalybs. p.208.
balſamus ſulphuris. 209.
pilulæ. 209.210.211.212.
pulvis. 210.
ſimul purgans. 211.
Menſtruus ſanguis ſeſe ſubindè exonerat per nares, aures, &c. 207.
Miſerere mei. 175.
Mixtura adſtringens conſolidans in ſanguinis excretionibus. 94.
alterans in vomitu. 131. 133.
in dolore nephritico. 192. 195. 196.
colico. 195. 196.
ſuffocatione hypochondriaca. 203.
epilepſiâ. 17. 19. 22.
puerorum. 22.
apoplexia. 35. 36.
lethargo. 43.
dyſenteria. 169. 170.
febribus. 119.
ileo. 181. 182.
partu difficili. 214. 215.
cujus beneficio multæ curatæ. 214. 215.
nimio menſium fluxu. 94. 218.
principio pleuritidis. 91. 92. & *ſeq.*
hujus admiranda vis. 92.
ſimplex ſ. de tribus. 34.
ejus deſcriptio. 34.
Mollenbroccius optimè deſcripſit arthritidem vagam ſcorbuticam. 138.
Morborum hepatis & lienis ex cauſa frigida curatio. 160. 161.
Motus convulſivi ſæpius in epilepſia obſervantur. 5.
Mulier erecta facilius ſubindè parit. 214.

N.

Narcotica in apoplexia nocent. 33.
ileo an conveniant. pag. 178.
omnia proſunt in dyſenteria. 168.
adſtringentibus mixta, in fluxu hepatico. 174.
Narcoticorum uſus in epilepſia utilis & noxius. 11.
quando conveniat. 11.
Nauſea. 124.
ejus definitio 124.
Nephriticus dolor. vid. Dolor nephriticus. 183.
Nimia ciborum appetentia. 121.
aliquando cum vomitu affligit. 121.
& vocatur κυνορεξία 122.
abſque vomitu, bulimos 122.
pars affecta. 121.
ejus cauſa interna. 121.
externa. 121.
differentia. 122.
ſigna diagnoſtica. 122.
prognoſtica. 122.
indicationes curativæ. 122.
curatio. 123.
à lumbricis ſubindè oritur. 121.
in Nimia ciborum appetentia purgantia nocent. 122.
ratio. 122.
medicamenta. 123. 124.
conditum. 123.
pulvis. 124.
obſervationes. 123. 124.
Nimia laxitas cartilaginis enſiformis &c. vomitum excitat. 125.
hujus curatio. 127.
Nimius menſium fluxus. 215.
ejus pars affecta. 215.
cauſæ. 215. 216.
immediatæ. 215.
remotiores. 216.
differentiæ. 216.
ſigna diagnoſtica. 216.

prognoſtica. *pag.* 216.
indicationes curativæ. 216.
curatio. 216. *& ſeq.*
eſt apertio vaſorum ſanguineorum & lymphaticorum. p. n. 215.
oritur vel per anaſtomoſin. 215.
diereſin. 215.
diapedeſin. 215.
ex violenta ſecundinæ extractione. 216.
nimio veneris uſu. *ibid.*
flatu. *ibid.*
abortu. *ibid.*
particulâ ſecundinæ relicta. 216.
ejus curatio. 217.
Nimius menſium fluxus ubi continuus multas necat. 216.
hecticam &c. producit. *ibid.*
graviditatem impedit. *ibid.*
in ſeneſcente muliere lethalis. 216.
in duabus infantibus, una ſeptem annos nata, altera duorum annorum. 219.
in Nimio menſium fluxu ventriculi præcipua habenda ratio. 216.
humor craſſus educendus. *ibid.*
acria temperanda. *ibid.*
venæſectio an, & quando conveniat. 216.
cucurbitulæ mammis appoſitæ noxiæ. 216.
enemata quando conveniant. 216.
adſtringentia quando exhibenda. 217.
pilulæ purgantes. 217.
pulvis. 217. 218.
laudanum opiatum. 217. 219.
uſnea cranii humani omnibus palmam præripit. 217. 218.
electuarium. *pag.* 219.
linimentum. 218.
mixtura. 94. 218.
lac dulce cum cinamomo, &c. 219.
coctum. 219.
obſervationes. 218. 219.
Nimius veneris uſus ſanguinem nimis rarefacit. 216.

O.

OBſervationes. vid. Singulorum morborum deſcriptiones.
Odores graves & fœdi vomitum excitant. 125.
OEſophagus glandulis ſcatet. 121.
Oleum deſtillatum ſabinæ in menſium ſuppreſſione. 208.
ſuſpectis non adhibendum. 208.
menthæ ſpecificum in affectibus ſtomachi. 132. 133.
Omnia acidum auſterumque alterantia in epilepſia conveniunt. 16.
Ophthalmiæ curatio. 71.
Opiſthotonos. 40. 56.
Oris fætor in ſcorbuto. 149.
ejus curatio. 149.

P.

PAncreatis inflammatio vomitum & ſingultum excitat. 124. 126.
abſceſſus. 125.
Panniculus carnoſus ex genarum inflammatione neglecta. 71. 84.
ejus curatio. 84.
Paracentheſis in empyemate. 98.
quomodo inſtituatur. 99.
in hydrope. 156.
non inſtituenda in debilibus. 156
ubi inteſtina læſa. 156.
flatus peccant. 156.
quid agendum ante paracenteſin. 156.
umbilico an inſtituenda. 157.

Paralyſis.

Paralyſis. pag. 40. 41. 44. 45.
ejus curatio. 41. 42. 46. & ſeqq.
ſcorbutica. 140.
à lymphæ circulatione impeditâ. 140.
ejus curatio. 147. & ſeq.
linimentum hoc in caſu conveniens. 147.
in Paralyſi ſudoriferum. 41.
linimentum. 42.
decoctum. 42. 46. 47.
purgans. 41. 42. 46. 47.
vinum medicatum. 42.
Paraplegia poſt apoplexiam relicta. 39
Particula ſecundinæ relicta nimium menſium fluxum excitat. 216.
ejus curatio. 217.
Partus difficilis. 212.
ejus partes affectæ. 212.
cauſæ. 212.
differentiæ. 213.
ſigna diagnoſtica. 213.
prognoſtica. 213. & ſeq.
indicationes curativæ. 214.
curatio. 214.
in Partu difficili obſervationes 215.
anguſtiæ viarum dilatandæ. 214.
ſunt periculoſiſſimæ. 213.
fœtus debilior vel mortuus non adjuvat matrem. 212.
roborandus. 214.
quando anti-hyſterica noxia. 214.
conatus inutiles. 214.
conatus inſufficientes promovendi. 214.
laxitas rugarum vaginæ nocet. 213.
ſternutatio bona. 214.
ſitus infantis vitioſus corrigendus. 214.
anti-hyſterica conveniunt. 214.
mixtura. pag. 214.
apozema. 215.
pix navalis. 215.
pulvis ſecundinæ. 215.
nullo ſ. abolito ſectio cæſarea commendatur. 214.
Pathognomonicum pleuritidis ſignum. 89.
Peccantium humorum in ſcorbuto major eſt habenda ratio quam partium læſarum. 142.
Peculiaris humorum corruptio in ſcorbuto. 134. & ſeq.
Pedum tumor in hydrope quando augeatur. 153.
Peripneumonia, & paraphrenitis. 96.
Peritonæum ruptum ex dolore ventris ſcorbutico. 146.
Peſſaria menſes provocantia. 209.
Peſtis deſcriptio. 220. & ſeqq.
Cauſa ejus. 223. & ſeqq.
Signa diagnoſtica. 226.
prognoſtica. 227. & ſeq.
Curatio. 231. & ſeqq.
Venæſectio & purgatio an hic locum habeant. 231. & ſeqq.
Sudoris provocatio quid præſtet. 235. & ſeq.
Medicamenta contra peſtem 237. & ſeq.
Symptomata ejus quæ ſunt. 246.
febris. 247.
ſopor. 249.
vigiliæ. 250.
dolor capitis. 250.
vomitus. 252.
ſingultus. 252
alvi fluxus. 253.
petechiæ 255. 256.
Bubones. 255. 256.
Carbunculus 259. & ſeq.
Media præſervatoria. 261. & ſeq.

Cbſervationes practicæ. p.266. & ſeqq.
Phreniſis 62.
pars affecta. ibid.
differentia. 63.
cauſa. ibid.
diagnoſis. ibid.
prognoſis. ibid.
curatio. ibid.
Phthiſis. 96. & ſeqq.
eſt ulcus pulmonum. 96. & 97.
partes affectæ. 96. & 97.
ejus cauſa. 97. & 98.
differentiæ. 99.
ſigna diagnoſtica. 100.
prognoſtica. 101.
indicationes curativæ. 101.
curatio. 101.
à catarrhis ſalſiorib. oritur. 98.99.
quomodo generetur. 99.
oritur à tuberculo in pulmonibus genito, ſuppurato atque diſrupto. 98.
curatio fruſtrà aggreditur catharris non ſublatis. 98 101.
poſt gravedinem. 98.
contagioſa. 101.
Phthiſeos conſummatæ ſigna. 100.
increſcentis ſigna. ibid.
in Phthiſi obſervationes. 104. & ſeqq.
febris hectica. 97.
ejus ſigna. 100.
tuſſis quomodo producatur. 99.
ejus curatio. 98.
ſputum. 100. 101.
prunis vivis impoſitum fętet. 101.
in aquâ tepidâ injectum diſſolvitur. 101.
graviter olens malum. 101.
alvi fluxus malus. 101.
fortiora purgantia nocent. ibid.
aloëtica mala. ibid.
animi pathemata vitanda. p.102.
dulcia acidis non temperata nocent. ibid.
decoctum ligni guajaci. 101.
laudanum opiatum an conveniat. 102.
decoctum braſſicæ rubræ. 102.104.
chinæ cum paſſulis & glyzyrrhiſa. 102.
ſulphurea an & quando conveniant. ibid.
ſyrupus de nicotiana. ibid.
quid notandum in ejus præparatione. ibid.
lac an conveniat. 102.103.105.
ne coaguletur in ventriculo. 103.
conſerva & ſaccharum roſarum. 103. 105.
trochiſci. 103.
rotulæ. 105.
linctus. 103.
apozema purgans. ibid.
alterans. 104.
maſſa Pilul. ad catarrhos. 103.
pulvis. 104. 105.
Picrocholi ἄνω. 125.
Pilulæ anti-ſcorbuticæ D. Timæi. 145.
earum deſcriptio. ibid.
iliacæ Rhaſis in ileo. 182.
in dolore nephritico. 193.
menſium ſuppreſſione. 209. & ſeqq.
purgantes in nimio menſium fluxu. 217.
Pituita putrida puris æmula. 101.
à pure quomodo diſtinguenda. 101.
Pleuritis. 88.
quomodo generetur. ibid.
pars affecta. ibid.
ejus cauſa. ibid.
differentiæ. 89.

signa

ſigna diagnoſtica. *pag.* 89.
prognoſtica. *ibid.*
indicationes curativæ. 89.
curatio. 89. 90.
abſque venæſectione curata. 90.
ex Pleuritide ſanguinis excretio. 94.
mixtura adſtringens conſolidans. 94.
in Pleuritide acidum primariò peccat. 88. 89.
obſervationes. 92. & *ſeqq.*
venæſectio inſtituitur. 89. 90.
juxta *Hippocratem.* 93.
improbatur. 90.
vomitoria. *ibid.*
ſyrupus nicotianæ. *ibid.*
medicamenta externa. 92.
linimentum. *ibid.*
emplaſtra. 92.
ſanguis hirci. 91.
quomodo colligatur *ibid.*
mixtura. 91. 93. 94.
apozema. 91.
prognoſticum notandum. 94.
Potus abſtinentia in hydrope prodeſt. 156.
hoc modo hydropicus curatus. *ibid.*
Prava pori choledochi cõformatio. 124
Præludia & inſtantis epilepſiæ ſigna. 9.
Præparantia in apoplexiâ. 34. & *ſeq.*
epilepſia. 16. 17. & *ſeq.*
ſcorbuto. 145. & *ſeq.*
vomitu à pituitâ craſſâ. 131.
Principium & origo ilei. 176.
Pulvis *Cornachini* in febribus. 112.
alius. 113.
in febre continuâ. 112.
quartanâ. 113.
antepilepticus *Cratonis.* 16.
alius. 21. 22.
in menſium ſuppreſſione. 210.
nimio menſium fluxu. *p.* 217. 218.
ileo. 181.
dolore nephritico. 191.
Lithõtripticus *D. Rolfinckij.* P. P. 191.
Purgans in febre utrum die paroxyſmi exhibendum. 110.
affirmatur. *ibid.*
hydrope. 158.
lethargo. 43.
Purgantia, clyſteres, ſuppoſitoria, in majori doſi in apoplexia adhibenda. 33. 37.
in apoplexia. 35. & *ſeq.*
epilepſia. 16. & *ſeq.*
dyſenteria. 166. 170.
ſuffocatione hypochondriaca quando conveniant. 204.
vomitu. 130. & *ſeqq.*
à pituita craſſa. 131.
cum laudano opiato. 130. 131.
neceſſaria in menſium ſuppreſſione. 120.
fortiora in ileo nocent. 182.
ſcorbuto noxia. 142.
in ſcorbuto. 144. & *ſeq.*

R.

Regulus avis maximè commendatur in dolore nephritico. 192.
Renum calculus & inflammatio vomitum excitant. 186. 195.
Repellentia in angina cautè adhibenda. 76. 77.
incautè uſurpata epilepſiam, &c. excitant. 77.
Reſpiratio difficilis ſcorbutica. 137.
ejus curatio. 146.
in hydrope. 154. 161.
ſuffocatione hypochondriaca. 203.
Rigor in febribus. 109.
Rotulæ in phthiſi. 105.
Rugoſa vulvæ tunica quem habeat uſum. 204. 205. 213.

gangræna affecta exſcinditur. *p.* 205.

S.

SAbinæ oleum ſtillatitium in menſium ſuppreſſione. 208.
ſuſpectis non adhibendum. 208.
Saccharum & ſaccharata in ſcorbuto noxia. 145.
Sacculus in ileo. 179.
Salia in febribus conveniunt. 111. 112.
Salis armoniaci flores, ſpiritus, &c. in epilepſia. 16.
Sal volatile lumbricorum terreſtrium. 147.
Sanguis hirci. 91.
quomodo colligatur. 91.
veſpertilionis in ileo. 181.
menſtruus ſtagnans ſuffocationem hypoch. excitat. 202.
ſubindè ſe exonerat per nares, aures, &c. 206.
veſicam. 206.
facilè tum grumeſcit. 206.
è naribus in ſuppreſſione menſium profluens, bonum. 207.
Sapo hiſpanicus in epilepſia. 16. 20.
Scorbutus. 134. & *ſeq.*
ejus pars affecta. 135.
cauſa. 136.
differentiæ. 136. 137.
ſigna diagnoſtica. 137. 138.
prognoſtica. 140. & *ſeq.*
indicationes curativæ. 142.
curatio. 142.
contagioſus. 136. 140.
degenerat in alios morbos. 140.
alios morbos ſequitur. 140.
hiſce Regionibus familiaris. 140.
hæreditarius. 136. 140.
totas familias inficit. 140.
recens, inveteratus. 136. 140.
quando magis infeſtet. 140.
cum hydrope, paralyſi, &c. 136. 137.
deſcriptus ab *Hyppocrate* ſub titulo volvuli hematitis & morbi lienis. *p.* 138.
Scorbutici valdè ſunt melãcholici. 138.
febricitant. 137.
tremunt. 137.
convulſionibus, &c. afficiuntur. 137.
in Scorbuto obſervationes. 148 & *ſeq.*
humores acriores peccant. 136.
quomodo fiant. 136.
ſerum è naribus effluens linteamina erodit. 136.
in Scorbuto dolores varii. 137. 138. 146.
eorum curationes. 146. & *ſeq.*
febres malignæ ardentes, duplices tertianæ, quartanæ. 140.
maculæ. 137. 138.
lividæ. 138.
earum curatio. 146.
in totas tibias diffunduntur. 138.
morientibus evaneſcunt. 140.
à morte erumpunt. 140.
notandum in peſte. 140.
nigræ. 138.
in ulcera maligna degenerant. 140.
ſenſum abolent. 140.
tumor ad elephantiaſin vergens. 138.
fœminis menſes deficiunt aut in fluorem album degenerant. 138.
exactiſſima diæta medicamentis præſtat. 140.
ſine qua incurabilis evadit. *ibid.*
lienteria & diarrhœa. *ibid.*
difficulter curatur. *ibid.*
ægros necat. *ibid.*
omnibus alimentis, medicamentiſque anti-ſcorbutica admiſcenda. 140. & *ſeq.*

ulcera

ulcera. pag.138. 140.
eorum curatio. 148.
per decoctum. ibid.
reſpiratio difficilis. 137. 140.
ejus curatio. 146.
paralyſis. 137. 140.
à lymphæ circulatione impedita. 140.
ejus curatio. 147.
tabes. 140.
ejus curatio. 149.
arthritis. 137.
ejus curatio. 147.
vaga. 137.
hanc optimè deſcripſit. D. *Mollenbroechius*. 138.
ejus curatio. 145.
gingivarum laxitas. 149.
ejus curatio. ibid.
tumor, pruritus, putrefactio. 137.
curatio. 146.
per tincturam gummi laccæ. 144. 146.
dolores crurum, manuum, pedum, &c. veſpertino & nocturno tempore ingraveſcentes. 138.
eorum curatio. 146.
ventris colicos æmulantes. 137.
ſuperantes. 146.
curatio. ibid.
per clyſterem. ibid.
hypochondriorum incircumſcripti. 138.
eorum curatio. 147.
capitis. 137.
eorum curatio. 147.
convulſio & contractio. 137.
curatio. 147.
carus & ſopor profundus. 138.
curatio. 147. 148.
cordis palpitatio, lipothymia, vomitus, ſputatio nimia, alvi fluxus, hydrops, &c. p. 137. 138.
horum curatio. 148.
eryſipelas. 138.
ejus curatio. 148.
tubercula dura. 138.
eorum curatio. 148.
peccantium humorum major eſt habenda ratio quam partium læſarum. 142.
humores craſſi incidendi. 142.
acres alterandi. ibid.
purgantia fortiora noxia. ibid.
venæſectio nocet. ibid.
livor faucium ſignum lethale. 141.
ſalia volatilia imprimis conveniunt. 142.
item ſudorifera & diuretica. ibid.
elixir proprietatis *Paracelſi*. 144.
medicamenta ſine fermentatione præparanda. 144.
coctionem non ſuſtinent. 145.
lac an conveniat. 144.
affirmatur. 144. 149.
quando aſſumendum. 144.
quomodo alterandum. 144. 149.
temperat & humectat. 144.
in atrophiâ. 149.
purgantia. 144. 145.
pilulæ antiſcorbuticæ. D. *Timei*. 145.
earum deſcriptio. ibid.
præparantia. 145. 149.
ſaccharum & ſaccharata nocent. 145
topica. 146. & ſeqq.
tinctura balſamica. 146.
ſpiritus ſalis dulcis, ammoniaci, cochleariæ. 148. & ſeq.
oris fœtor, &c. 137. 149.
ejus curatio. ibid.
Σκελιτόρϐη. 140.
Scrophulæ. 80.

partes

partes affectæ. p.80.
earum cauſæ. ibid.
differentiæ. 81.
ſigna diagnoſtica. ibid.
prognoſtica. ibid.
indicationes curativæ. ibid.
curatio. 81. & ſeq.
in Scrophulis obſervationes. 83. & ſequent.
auſterum peccat. 80.
amalgama ſaturni. 81.
Sectio in ileo. 180.
Semen violæ purpureæ in dolore nephritico. 190.194.195.
ejus emulſio purgat, & calculum, urinaſque expellit. 190.
Seroſiora acria tuſſim excitat. 99.
Severinus Eugalenus deſcribit ſcorbuti ſymptomata. 137.138.
Signa imminentis apoplexiæ. 139.
Signum pathognomonicum pleuritidis. 89.
Singultus ab inflammatione hepatis. 126.
Sola reſpiratio eaque difficilis in apoplexia remanet. 31.
Spiritus acetoſæ mineralis in dolore nephritico. 192.
ejus deſcriptio. ibid.
aniſi & ſerpilli linguæ tremorem tollit. 37.
anti nephriticus *Autoris*. 191.
ſcorbuticus. 149.150.
baccarum juniperi in dolore nephritico. 192.
lumbricorum terreſtrium compoſitus. 147.
ejus deſcriptio. ibid.
nitri calculum ſolvit. 191.
dulcis in peripneumonia & paraphrenitide ſpecificum remedium. 94.
Spiritus formicarum compoſiti, compoſitio & uſus in paralyſi. pag. 48.
Spiritus ſalis armoniaci acido-auſterum corrigit. 16.
reddit melancholicos hilariores. 16.
pituitam quammaximè incidit. 16.
convenit in apoplexiâ. 34.
epilepſiâ. 16.
puerorum. 21.22.
paralyſi. 41.42.
lethargo. 43.
incubo. 43.44.
anginâ. 79.
ſcrophulis. 81.83.
internè & externè. 82.
pleuritide. 91.93. & ſeq.
febribus. 111.112.119.
cancro. 81.
ſcorbuto. 146. & ſeqq.
maculis ſcorbuticis. 146.
reſpiratione difficili. 146.
convulſione & contractione ſcorbuticâ. 147.
eryſipelate ſcorbutico. 148.
dolore nephritico. 195.
ſuffocatione hypochondriacâ. 203.204.
ſuppreſſione menſium. 208.211.
ſalis, nitri. 111.161.
dulcis in apoplexia. 35.
epilepſia. 16.
phthiſi. 102.
febribus. 111.
quando conveniat. ibid.
vomitu. 131.
ſcorbuto. 148.
hydrope. 157.
dolore nephritico. 191.
tartari volatilis fœtidus. 34.
vini eſt oleoſus. 153.

ſalinus pag. 153.
obtundit fermentum. ibid.
Steatomata in meſenterio reperta. 211.
ex lymphâ craſsâ oriunda. ibid.
Sternutatio in partu difficili bona. 214.
Στυμακακὴ 140.
Stupor cruris è calculo. 185.
ejus curatio. 185.
Subſtantia renum conſumpta. 194.
Succus matricariæ expreſſus in quartana. 111.
pancreaticus acidior nimiæ ciborum appetentiæ cauſa. 121.
Sudorifera & diuretica in hydrope. 155
fluxu hepatico. 174.
Sudorifera fortiora in febribus noxia. 110.
blanda contra. 111. 112.
Suffocatio hypocondriaca quomodo diſtinguatur ab apoplexia. 31.
quare ira vocetur. 202.
ab utero quomodo dependeat. 202.
Suffocatio uteri. 202.
malè ſic vocatur. 202.
dicitur ſuffocatio hypocondriaca. 202.
hujus cauſę proximæ. 202.
remotæ. 202.
differentiæ. 202.
diſtinguitur à ſyncope. 202.
apoplexia. 202.
epilepſia. ibid.
lethargo. ibid.
ejus ſigna diagnoſtica. 202. 203.
prognoſtica. 203.
indicationes curativæ. 203.
curatio in paroxyſmo. 203.
extra paroxyſmum. 203.
facilè excitatur. ibid.
eſt difficilis curationis. 203.
in junioribus quando ceſſet. 203.
prægnantibus & puerperis malum pag. 203
Suffocatione hypochondriacâ faucium cum ſtrangulationis metu, conſtrictio. ibid.
alvus adſtricta. ibid.
dolores capitis varii. 203.
reſpiratio difficilior. ibid.
ſternutatio bona. ibid.
venæſectio an conveniat. ibid.
diaphoretica & diuretica, ibid.
aqua anti-hyſterica. ibid.
mixtura. ibid.
ſpiritus ſalis armoniaci. 203. 204.
nitri quando conveniat. 204.
ejus vires. 204.
curatio quando varianda. 204.
purgantia quando conveniant.
laudanum opiatum. 203. 204.
ſuccum papaveris *Hippocrates* præſcribit. ibid.
ſi calor adſit quid agendum. 204.
frigus. 204.
melancholica anteà fuerit fœmina. ibid.
Suffumigia fœtida in menſium ſuppreſſione proſunt. 207.
aromatum. 207. 209.
Sulphurea an conveniant in phthiſi. 102.
Sulphuris balſamus, vid. balſamus ſulphuris.
Suppreſſio menſium. vid. menſium ſuppreſſio.
urinæ, vid. urinæ ſuppreſſio.
Symptomaticus vomitus ſtatim ſiſtendus. 128.
Syncope quomodo diſtinguatur ab apoplexia. 31.
Syrupus de nicotianâ in phthiſi. 102.
pleuritide. 90.
Panthalionum in dyſenteria. 168

ejus deſcriptio. pag. 168.

T.

Tabes quomodo generetur. p. 98.
in tres ſpecies ab *Auctore* dividitur. 99.
infantium. 105.
in Tabe infantium ſyrupus diacnicu. 105.
linimentum. 105.
oleum tartari per deliquium. 105.
rotulæ. 105.
Tabis variæ ſpecies ſine pulmonum exulceratione. 99.
ex gonorrhæa. *ibid.*
nimio veneris uſu. *ibid.*
fluxione in medullam. 99. 100.
Tabellæ in anaſarcâ. 162.
dyſenteriâ. 168.
fluxu hepatico. 175.
vomitu. 133.
Tenax pituita rugis ventriculi adhærens vomitum aliquando excitat. 124.
Tenuia inteſtina ſphacela. 170.
eroſa & perforata. *ibid.*
Tertianæ febres exquiſitæ facilè curantur. 110.
ſeptenis circuitibus judicantur. 110.
Tetanos. 40.
Tinctura balſamica in ſcorbuto. 146.
florum hyperic. ſpecificè prodeſt in tremore. 13.
lapidis nephritici in nephritide. 191.
ejus præparatio. 191.
Topica in ſcorbuto. 146.
Topicum Kepleri ad membra reſoluta & demortua 48.
Tragæa anti-pleuritica. 92.
Tremor 69.
pars affecta. pag. 69.
Cauſa. 69.
diagnoſis, prognoſis, Indicationes, & curatio. 69. & ſeq.
Tres gradus in dyſenteriâ. 163.
Trochiſci in phthiſi. 103.
Tubercula dura in ſcorbuto. 138.
eorum curatio, 148.
Tumor ſcroti in hydrope curatus. 161.
Tuſſis in hydrope mala. 155.
omnem tollit curationis ſpem. *ibidem.*
phthiſi producitur. 99.
ejus curatio. *ibid.*
Tympanites. 153.
ejus ſigna diagnoſtica. 153. 154.
vocatur hydrops ſiccus. 153.
à flatibus ſolùmodò peccantibus raro cauſatur. 153. 154.
diſtinguenda à thoracis poſt vulnera diſtentione. 154.

V.

Valvulæ in vaſis lymphaticis. 108.
Venæſectio in epilepſia prodeſt & nocet. 11.
in paroxyſmo aliquando convenit. 11.
inſtituitur ad conciliandum ſanguinis motum. 11.
extra paroxyſmum an noceat. *ibidem.*
apoplexia. 33. 37.
angina. 75.
vomitu ex inflammatione. 128. & ſeq.
ſuppreſſione menſium an & quando conveniat. 207.
ſcorbuto nocet. 142.
nimio menſium fluxu an & quomodo conveniat. 216.
dyſenteriâ qua dyſenteriâ non convenit. 165. 166.

ileo

Ileo an conveniat. 179.
ſuffocatione hypochondriacâ an conveniat. 203.
dolore nephritico. 185.
Venæ ſectio hydropicis noxia. 155.
nocet in ſcrophulis 81.
in pleuritide. 89. 93.
epidemicâ vel malignâ an conveniat. 89. 90.
Venena dyſenteriam ſubindè excitant. 163.
Ventriculus primaria origo ſuppreſſionis menſium. 205. 206.
nimii menſium fluxus pars affecta. 215.
Ventris dolores ſcorbutici colicos æmulantes. 137.
ſuperantes. 146.
eorum curatio. *ibid.*
Vera curandi aneuriſma methodus. 86.
Vertigo. 67.
pars affecta, *ibid.*
Cauſæ 67. 68.
differentia. 68.
diagnoſis. 68.
prognoſis. 68.
indicationes. 68.
Curatio. 68.
Veſpertilionis ſanguis in ileo. 181.
Vinum generoſum nimiam ciborum appetentiam curat. 122. 123.
medicatum in apoplexia. 37.
aſcite 161.
anaſarcâ. 162.
vomitu. 133.
epilepſiâ. 22.
menſium ſuppreſſione. 211.
ſimul purgans. 211.
Vinum febrifugum 116.
paralyſi. 42.
Vitam in apoplexia explorandi modus. 33.
Volvulus. *pag.* 175.
Vomicâ pulmonis laborantes curati. 101.
Vomitoria damnantur in hydrope. 155.
ob quam rationem. *ibid.*
admodum debilitant ventriculum. *ibid.*
in apoplexia laudantur ex croco metallorum facta. 34.
inprimis ſi ſtatim à cibo facti ſunt apoplectici. 34.
pleuritide. 90.
epilepſia ex ſympathiâ ventriculi oriunda proſunt. 12.
ſpecifica ant'epileptica tum admiſcenda, præceſſis nempè præparantibus. 12.
angina. 75.
in febribus laudantur. 110.
imprimis in quartanis. 110.
Vomitus. 124.
pars affecta. *ibid.*
ejus cauſæ. *ibid.* 125.
harumque ſigna. 126.
differentiæ. 125. 126.
ſigna diagnoſtica. *ibid.*
prognoſtica. 127.
indicationes curativæ. 128.
curatio. 128. *& ſeq.*
ſymptomaticus ſtatim ſiſtend. 128.
criticus contrà. 128.
idiopathicus quomodo cognoſcendus. 126.
Symptomaticus. 126.
criticus quomodo cognoſcẽdus. 126.
Vomitum ſæpè excitat inflammatio hepatis. 125.
diaphragmatis. 125.
pancreatis. 124.
tenax pituita rugis ventriculi adhærens. 124.


INDEX

abſceſſus pancreatis. *p.* 125. 133.
ſtomachi. 125.
ſingultus tum ſimul conjunctus. 126.
renum calculus. 184. 188.
inflammatio. 124. 125.
Vomitum ſæpè excitat vulnus capiti inflictum. 124.
prava pori choledochi conformatio. 124.
lumbrici. 125.
catharri. 125.
odores graves fœtidique. 125.
horrenda ſpectacula agitationes corporis vehementes, &c. 125.
calculus in ſtomacho. 125.
nimia laxitas cartilaginis enſiformis. 125.
hujus curatio. 127.
in Vomitu ſcorbutico quæ noceat. 126.
proſint. 126.
lividorum excretio mortem denotat. 128.
quæ mala, quæ optima. 128.
acrimonia humorum temperanda, 128.
catharri ſiſtendi. 128.
alterati humores evacuandi. 128.
quando alterantia uſurpanda. *ibid.*
alvus laxanda. *ibid.*
venæſectio quando conveniat. *ibid.*
noceat. *ibid.*
oleum menthæ ſpecificum. 130.
balſamus Peruvianus. 130. 134.
purgantia. 130. *& ſeqq.*
cum laudano opiato. 130. 131.
ſi ab inflammatione & humorum acredine. 131.
ſi ab excoriatione vel inflammatione & ſingultu linctus. 132.
pulvis. *pag.* 132.
emulſiones. *ibid.*
mixtura alterans. 131. 134.
bolus. 131.
præparantia in pituitâ craſsâ. *ibid.*
purgantia in pituitâ craſsâ. 131.
cruento mixtura. 131. 132.
ſi adſit ſanguis coagulatus, & purulento mixtura. 134.
balſamus. 134.
emplaſtrum. 127. 132.
linimentum. 132.
tabellæ. 133.
vinum medicatum. 133.
obſervationes. 132. *& ſeq.*
Vulvæ rugoſæ tunica quem uſum habeat. 204. 205. 213.
gangræna affecta exſcinditur. 205.
Ulcera in hydrope non facilè ſanantur 155.
Vlcus profundum in dyſenteriâ difficillimè curatur. 164.
inprimis in inteſtinis tenuibus. 165.
Pulmonum. 96. 97.
in cadaveribus phthiſi extinctis repertum. 98.
Vmbilicus in ileo zibethâ inungitur. 179.
Vnguentum in tumoribus duris, ſchirroſis, cancroſis, &c. 80.
ejus deſcriptio. 81.
Vrina cruenta in dolore nephritico. 184.
levat. 184.
guttatim emittitur. 184.
ſupprimitur. 184.
craſſa in nephritide melior tenui. 184.
in Urinæ ſuppreſſione teſtæ ovorum. 193.
cochenilia tinctorum. 193.
emulſio. 193. 194.
Uſnea cranii humani in nimio menſium fluxu optima. 217. 219.
Uſus narcoticorum in epilepſia utilis eſt & noxius. 11.
Uterina hernia. vid. Hernia uterina. 204.
Uterus exſcinditur ſuibus trimeſtribus. 205.

Z.

Zibethâ umbilicus in ileo inungitur. 179.

FINIS.


Chirurg. pag. 102
Fig. I.
A
B
C
D
E
F
Fig. II.
A
C
B
D
E
I
2
L
3
H
F
G
M


A
B
C
D
E
F
pag.
102
I·L·Durant. Sculpſ 1674

PAULI
BARBETTE
OPERA
CHIRURGICO-ANATOMICA,
ILLUSTRATA ET AUCTA,
AD

Circularem Sanguinis Motum, aliaque Recentiorum Inventa, Accommodata.

AUCTORIS
AD
LECTOREM STUDIOSVM
PRÆFATIO.

Quandoquidem ipſa ratio me impellit ut credam, tibi nuper in lucem editam Chirurgiam multo magis placuiſſe quam illis, qui de ipſa nunquam viſa, vel ex invidia riſu digniſſima, vel admodum deploranda ignorantiæ caligine ſententiam ferebant: attamen in medio exercitationum medicarum curſu in dies mihi animus accreſcebat, ut eam multo accuratiorem perfectiorémque tibi communicarem, quod, ut ſpero, diligens Lectoris ſtudium in hac ipſa editione experietur.

Quis mei operis non ſatis elimati, & poſt varia excellentisſima & irrefutabilia Medicorum ſcripta editi eſſet ſcopus, titulus tibi antea indicare potuit: ſcilicet, erat mihi animus ex antiquis & recentioribus medullam eligere, & optimum tibi demonſtrare modum, quo nunc morborum Chirurgiæ ſubjectorum curatio tentari posſit. Quare neque hujus neque illius conceptus pro moderna praxi obtrudere conſtitui: nam quem unquam hæc cepit dementia, ut placita alicujus regionis, urbis, aut unius viri amplecteretur? Quis unquam, licet ingenio & judicio præſtantisſimus in cunctis ſuæ functionis partibus æquali modo excellere potuit, cum omnium artium Datori mortalibus hanc perfectionem concedere non placuerit. Sed talem tibi Praxim ob oculos ponere decreveram, quam me ratio & experientia, poſt ſedulam celeberrimorum Medicorum ſcriptorum lectionem, & accuratisſimam variarum operationum obſervationem, maximè tutam, commodam & facilem docuerant. Omnem porrò prolixitatem ſtudioſisſimè evitavi: nullis penè verbis uſus fui, quam quæ mihi ſummopere ad rem ipſam facere videbantur. Paucis nihilominus capitibus artis fundamenta comprehendere ſtudui. A capite ad calcem licet, om-

nia evolvas, nunquam tamen te illa, quæ ſtudio prætermiſi, turbabunt, aut ſollicitum reddent. Ingentia volumina lectorem facile abſterrent, & mole magna quandoque multum nocent; mediocritatem, quæ ægre invenitur, ſedulo inquiſivi: & hæc cauſa eſt, quare meas obſervationes ipſis morborum deſcriptionibus inſerere paucis malui, quam prolixa enarratione tua tempora morari. Hunc in finem in ſpecialibus morbis repetere nolui, quæ in generalioribus jam ſemel docueram.

Tumores, Vulnera, Vlcera, quæ neque cauſa, neque curatione differunt, ad unum idemque caput reduxi, contra quamplurimi ſcriptores facere conſueverunt, qui ſola diverſitate loci & membri in quo pars affecta conſpicitur, morbos diſtinguunt, quos deinde, novo nomine inſignientes, ſine aliquo fructu multiplicant, & ſic artem per ſe ſatis difficilem, multo difficiliorem reddunt, Hos ſtudioſorum diligentisſimi vix diſtinguere valent, nam ſtudiis navantes operam multum laboris & temporis in antiquorum de nomine controverſiis inutiliter terunt, quorum opiniones ſe ad verbum debere ſequi exiſtimant, ſi tandem aliquando ad Doctoratus gradum pervenire velint. Naturæ miniſtri ſumus, & nequaquam hominum mancipia, naturam deſcribentium. Illos neque Prophetas, neque illorum Scripta ſacra habemus; iis aliquid aut addere aut detrahere abſque hæreſeos nota non eſt illicitum.

Medicamenta & pauca & plurima exhibui: pauca illa quæ in medium produco optima ſunt, quæ multo labore nec minori ſumptu ad noſtram cognitionem pervenere, & quæ quotidiana Praxis mihi tanquam omnium tutisſima commendavit. Alia medicamenta apud alios inveſtigato.

Vale Lector benevole, & dum in aliis, & melioribus, ſi posſim, conſignandis occupatus ſim, paucula hæc grato animo accipe, & quemadmodum ego tibi, ſic ut etiam aliis hiſce ſemper prodeſſe ſtudeto.

CHIRUR-

CHIRURGIÆ BARBETTIANÆ ILLUSTRATÆ ET AUCTÆ,

PARS PRIMA.

CAP. I.

De Operibus Chirurgicis in genere.

LICET Chirurgiæ nomen in genere ejuſmodi operibus, quæ manu perficiuntur, conveniat, tamen per excellentiam nunc huic ſoli arti tribuitur, *qua morbos humani corporis ope maunum auferre nitimur.*

Diffiteri interim non licet externa accidentia non duntaxat manuum opem, ſed etiam interna remedia efflagitare: mirum itaque non eſt, partem totum expoſcere: nam ipſa *Chirurgia* membrum eſt, quod corpori Medicinæ firmiter adhæret. Verùm remedia hæc interna, tanquam Doctores, & non tanquam Chirurgi impertimur.

Hujus artis operationes generales, ad quas ſpeciales referri poſſunt, [a] quadruplices habentur. Prima dicitur *Syntheſis*, fitque conjunctione ſeparati: ſecunda *Diæreſis*, fitque ſeparatione continui: tertia

[a] Clar. Van Horne Operationum Chirurgicarum duas facit claſſes: aliæ ſc. ſunt ipſi generales, aliæ ſpeciales; generales, ita dictæ quod in omni propè ſpecialium genere exerceantur, tres ſunt, exploratio, faſcia-

tertia *Exæreſis*, quæ fit ablatione ſuperflui: quarta eſt *Anapleroſi*, qua id, quod natura negavit, reſtituitur. [b]

Cap. II.

De Syntheſi.

SYntheſis duplex eſt: altera quæ ad *duras* & *oſſeas*, altera vero quæ ad *molles* & *carnoſas* corporis partes pertinet.

Syn-

faſciarum circumductio, ſpleniorum applicatio; non enim dubium eſt quin Chirurgus ad ægrotantem vocatus, velit & debeat ante omnia explorare, vel ſolis oculis, vel manu, vel inſtrumentis, quale & quantum vitium ſit quo patiens laborat. Faſciationis præterea uſus latiſſimè patet, vel ad retinenda medicamenta parti affectæ admota, vel ad adducenda vulneris labia, vel ad expellendum humorem in declivi deliteſcentem &c. Faſciis ſubjunguntur laquei, quorum uſus eſt, vel in deligando peritonæo, poſt teſticuli ablationem in herniis, vel in ſanguine verſus fontem ſuum inhibendo in vena ſecanda, vel in eo aliàs fluxuro in venis & arteriis intercipiendo &c. Splenia ſeu pulvilli, barbarè compreſſæ, ſunt panni linei complicati, oblongi, & craſſi inſtar ſplenis qui partibus pro commodiori, & aliquando minus moleſta faſciatione, vel ſiccæ, vel oxycrato humectatæ, adaptantur. De Chirurgicis operationibus ſpecialibus mox dicturi ſumus.

[b] Operationes ſpeciales eidem Clar. Van Horne non tantum ſunt ut Autori noſtro quatuor, ſintheſis ſc. diæreſis, exæreſis, & anapleroſis, ſeu proſtheſis, ſed præterea aphæreſis & diorthoſis. Aphæreſis non in extractione rerum noxiarum corpori noſtro inhærentium, vel quòd ibidem ſint genitæ, vel quòd forinſecus advenerint: ſed in ablatione ſupervacui poſita eſt; quæ ablatio peragitur vel occultè, dum ſc. v. g. corporis ſarcinæ pars per trictionem, olim & nunc in balneis familiarem, excutitur; idem perficitur per cucurbitulas non ſcarificatas, materiam ab una corporis parte in aliam transferentes, & inde educentes. Vel apertè, per cucurbitulas v. g. ſcarificatas, per cultellum, vel rectum, vel falcatum quo utimur in nattis grandioribus reſecandis &c. per forſices, per forcipem exciſorium, in polypo v. g. è narium ſpongioſis oſſibus ſeparando, per laqueos, in ſexto v. g. digito, aut verrucis penſilibus nutrimento privandis, ſicque ſeparandis &c. per ligaturam expulſivam, & tandem per ſerram.

Diorthoſis eſt operatio per quam membra, quæ ſive ab ortu, ſive poſtea, malam acceperunt conformationem, ad naturalem figuram functionibus obeundis aptam reducuntur. De hiſce omnibus operationibus ſpecialibus, ut & generalibus mox enarratis plura vide apud laudatum Van Horne in ſuo tractatu Chirurgico Μικροτέχνη dicto.

a De

Syntheſis oſſium rurſum duplex habetur: altera qua *oſſa fracta* ſanantur: altera autem qua *luxata* in ſuum locum reducuntur. Primo de Syntheſi fractorum oſſium agemus.

Cap. III.

De natura, differentia, ſignis, prognoſi, & curatione fractorum oſſium in genere.

Fractura oſſis eſt ſeparatio continui in duris corporis partibus, quæ externè duro quodam inſtrumento, vi partem affligente, efficitur.

Differentiæ ſumuntur I. *à forma*: nam quædam in tranſverſum frangunt os, & propriæ oſſium fracturæ appellantur: quædam tendunt per longitudinem oſſis, & *fiſſuræ* dicuntur, ſed *comminutio* eſt, ſi os in plura fruſtula comminuatur. II. *à parte*; aliquando enim fiunt fracturæ in capite, aliquando in humeris, in coſtis, in brachiis, in pedibus, &c. III. *ab accidentibus*, aliquando fractura conjuncta eſt cum vulnere: cum luxatione, inflammatione, gangræna, &c.

Causa eſt: omne id quod frangendi, contundendi vel ſcindendi facultate præditum eſt. Aliquando etiam os lue Venerea, arthritide vel carie corruptum, ſine ulla vi externa fractum eſt.

Signa. Si os in tranſverſum vel in obliquum fractum ſit, nullam omnino percipies inæqualitatem: æger partem affectam vix movebit: aliquando altero membro brevius erit: fracto femore vel pede nequaquam ſtabis neque incedes; ſed quodammodo & cum dolore, ſi luxatum ſit: certiſſimum hoc eſt diſcrimen inter oſſis fracturam & luxationem. Fiſſura dignoſcitur craſſitudine, dolore & inæqualitate partis, ſed hæc accuratum & artificioſum poſtulat judicium. Comminutio facillimo negotio percipitur.

Prognosis. Æqualis & tranſverſa fractura curatu facilior eſt quàm obliqua, & quæ externas eminentias habet: ubi unum, quàm ubi duo oſſa, vel multa oſſicula ſoluta ſunt: item illa quæ mediam partem occupat, quàm quæ circa oſſium capita contingit. Et fractura ſimplex etiam facilius ſanatur, quàm compoſita. Si partis affectæ reſolutio poſt ſeptimum diem procraſtinetur, periculum eſt ne corrumpatur os, præſertim ſi faſciæ nimium conſtrictæ fuerint.

Cura-

Curatio. Quatuor ſunt operationes quæ in fracturarum curatione exercentur, Extenſio, Coaptatio, Deligatio, & Depoſitio. Deinde etiam medicamenta quædam interna & externa adhibenda ſunt.

Extenſio abſque dolore vix peragi poteſt: attamen multò tolerabilior erit, ſi membrum ea figura extendatur, in qua muſculi non agunt, ſed otioſi ſunt & ab omni opere quieſcentes: Hoc eſt, membrum collocari debet tali figura, in qua cùm ſanum ſit, diutiſſime ſine defatigatione continere conſuevimus. Aliquando major, aliquando verò minor extenſio requiritur, quæ tum proba eſt habenda, ſi fracturæ tempus, patientis ætatem, & oſſis magnitudinem obſerves. Nam fractura recens, tenerrimus æger, & os parvum minorem extenſionem exigunt: contra verò fractura jam inveterata patiens robuſtus, & os magnum majorem extenſionem tolerant. De modo extendendi, qui multiplex eſt, nihil ſcribo, utpote qui melius intuitu, quam lectione diſcitur.

Poſt congruam extenſionem oſſa ſibi invicem coaptari debent; ſed muſculi ne ſint diſtorti, & locum naturalem & figuram teneant.

Hiſce peractis membrum duabus faſciis deligetur: prima ſupra fracturam ter circumvolvenda eſt, & deindè ſurſum verſus. Secunda duplo ferme longior ſemel tantum circa fracturam circumvolvenda, & deindè deorſum verſus, ac denique rurſum ad partes ſuperiores, & finienda paulo ſupra, ubi prioris faſciæ terminus eſt. Sed ut fractura tanto magis confirmetur, molles quædam plagulæ, vel ex ligno, vel potius ex craſſiori charta confectæ, circum os diſponendæ ſunt.

Deligatio ſi ſit ſtrictior, dolorem movet, & membro alimentum detrahit: ſi vero ſit laxior, oſſa ſuo loco non manebunt. Si aut dolor ingens, aut alia accidentia non exigant, deligatio ante tertium diem non debet relaxari. Secunda vice faſciæ arctius ſtringi, & tandem poſt diem quartum, quintum aut ſextum reſolvi debent.

Denique membrum probe collocandum ſive deponendum eſt. Depoſitio igitur ſit mollis, æqualis & paululum ſurſum verſa: Si pars fracta nimium ſit ſurſum verſa, os prominebit: ſi nimium deorſum

orſum verſa, ſeſe inflectet: quare medium obſervato.

An autem hæ quatuor operationes Chirurgicæ probe ſint peractæ, ex ſubſequentibus ſignis cognoſcendum.

Extenſio jam eſt abſoluta, cum membrum ſit rectum, & tam longum quàm alterum: ſi pars fracta exterius undique æqualis appareat, & vacuitas quædam circa eandem perſentiatur.

Os benè coaptatum eſt, cum utcunque firmatum, & circa fracturam omnia æqualia comperias.

Proba item eſt deligatio, cum patiens ſtatim poſt deligationem dolorem tolerabilem perſentiat: cum poſt primam & ſecundam noctem creſcat: cum denique tertio die elapſo extra deligationem parvum, & digitis cedentem tumorem reperias.

Os optime eſt collocatum, cum in ſecunda deligatione omnia æqualia invenias.

Priuſquam vero partem affectam faſciis obvolas, eam ſpiritu vini, vel vino rubro foveto; vel potius oleo cum vino & aceto permixto: vel recipe albumen ovi cum bolo, thure, ſanguine Draconis &c. vel eam oleo roſaceo, myrtino, violatum &c. oblinito: vel emplaſtra imponito: hyeme conducit Oxycroceum, & omni tempore quod infra præſcripſimus.

℞. Maſtiches, Thuris an. drach. ij. Aloes, Sang. Dracon. Boli armen. Gummi Tragacanthi an. drach. j. Lapid. hæmatit. Gypſi uſt. an. drach. j. Albumin. ovi & ol. roſac. q. ſ.

M. F. Emplaſtrum.

Si *vulnus* fracturę adſit, primum extenſio (ſed lenius quàm in fractura ſimplici) & ſecundo oſſium coaptatio perficienda eſt: deindè vulneris curam habeto, ejuſque labia potius emplaſtro, quam acu ad mutuum contactum adducito, & defenſivo quodam munito. Denique partem affectam probe deligato & deponito.

Si *vulneri multiplex fractura* adſit, oſſicula ſoluta volſellâ auferre ſtudeto, & quę aliquo modo adhuc fixa ſunt, naturæ mandato: ipſa enim, licet tardius, à natura foras trudentur; imò ea aliquando cum toto copulabit. Sed ut mora dimoveatur, naturæ ſequentibus medicamentis opem ferto.

℞. Cineris lumbricorum terreſt. drach. iij. Mellis virginei. unc. j. ſ.

A M. F. Un-

M. F. Unguentum.

Vel

R. Aloes, Myrræ an. drach. ſ. Rad. conſolid. major. Ariſtolochiæ rotund. an. drach. iij. Euphorbii drach. ij. Terebinth. & Ceræ q. ſ. ol. lil. alb. parum

M. F. Unguentum.

Si os ſit denudatum, illud propria cute & muſculis obtegito, & ab injuriis aëris, quantum poſſibile ſit, defendito.

Si os denudatum ſit & ſimul etiam promineat, illud in ſuum locum reducere & coaptare ſtudeto. Si nimium extra promineat, ejus eminentiæ aut lima abradantur, aut forcipe præcidantur.

Hiſce operationibus ex voto peractis, patiens bonam victus rationem obſervet; data occaſione phlebotomia utatur, & ſubindè ſanguinem purget. In fracturis verſus inferiora tendentibus purgatio non admodum conducit, verùm ſi patiens durioris ſit alvi ſuppoſitorio utatur.

In fracturis, quæ ſuperioribus corporis partibus eveniunt, ſæpius purgationes & clyſteres ſunt neceſſarii, quod ſubſequentibus medicamentis, ſive ſimplicibus, ſive compoſitis peragi commodiſſime poteſt: interim tamen etiam aliis accidentibus, quæ paſſim per totum hunc librum deſcribimus, inſervire queunt.

CHOLAGOGA.

Rharbarbarum. Caſſia fiſtula, Myrobalani citrini. Tamarindi. Mcanna. Scammonium. Syr. de cichoreo cum Rheo. El. catholicum, lenitivum, hieræ picræ Gal. Diaprunum ſolutivum, è ſucco roſarum. Extractum Rhabarbari, Catholicum. Pilulæ de aloe roſata, aureæ, aloephanginæ, Ruffi.

R. El. lenitivi. drach. ij. è ſucco roſarum drach. i. Pulpæ Caſſiæ recenter extract. drach. ij. Crem. Tart. ſcrup. ij. Aq. Cichor. q. ſ. Spir. vitriol. parum. M. F. Hauſtus.

Vel

R. Rhabarb. el. Fol. ſenn. el. ana drach. ij. Cremor. Tart. drach. j. Sem. aniſi drach. ſ. Infuſ. hor. 2. in ſ. q. aq. acetoſæ: ebulliant parum, & colatur. nnc iij. adde Elect. diaprun. ſolut. drach. j. vel drach. j. ſ.

M. F. Hauſtus.

Vel

Vel

℞. Maſſ. pilul. aurear. Extract. catholic. Rhabarbar. an. ſcrup. ſ.
M. F. pil. n. vij. deaurentur.

Vel

℞. Crem. tartar. Lap. prunell. an. gr. xij. Tartar. vitriolat. Diagrid. ana gr. vj.
M. F. pulvis.

PHLEGMAGOGA.

Rad. Aſari, Mechoacannæ albæ & nigræ, hellebori. Colocynthis. Myrobalani Bellirici, emblici, chebuli. Agaricus. Turbith. Syrupus Diacarthami. Electuar. hieræ cum agarico, Diaphœniconis, Diacarthami. Confectio hamech. Pulv. Diaturbith. Pilul. Cochiæ, fœtidæ majores, aggregativæ maj. lucis maj. aſſajeret Avincennæ. Trochiſci de agarico, Alhandal.

℞. Rad. graminis drach. ij. Ireos Agarici Trochiſcat. Turbith. an. drach. j. Sem. aniſi Fœnicul. an. ſcrup. j. Infuſ. hor. 3. in ſ. qu. aqu. petroſel. coq. & colatur. unc. iij. adde Electuar. Diaphœnicon. drach. j. ſ.
M. F. Hauſtus.

Vel

℞. El. diacartham. Confect. hamech. an. drach. ij. Pulv. jalapp. gr. viij. Crem. tartar ſcrup. ij. Aq. fœnicul. q. ſ.
M. F. Hauſtus.

Vel

℞. Maſſ. pilul. aurear. gr. vj. Cochiar. Fœtidar. mai. an. gr. xv.
M. F. pilul. n. vj. deaurentur.

Vel

℞. Extract. Cathol gr. xiij. Trochiſc. alhand. gr. j.
M. F. pilul. n. iij. deaurentur.

MELANAGOGA.

Rad. Hellebori nigri. Polypodii, fol. ſennæ. Lapis Lazul. ſyr. roſar. ſolutiv. cum ſen. Electuar. diacatholicum, lenitivum. Confectio hamech. Pulv. diaſenę. Pil. lucis minores. Trochiſci Alhand. Myrobolani Ind.

℞. Cortic. Tamariſci drach. iij. Rad. polypodii drach. ij. Flor. ſtœchad. pug. ſ. Fol. ſennæ, elect. drach. j. ſ. Sem. aniſi drach. ſ. Myrobolan. Ind. drach. j. Infuſ. horis 2. in ſ. q. aq. borrag. coq. & colatur. unc. iiij. adde Syr. ro-

ſar. ſolut. cum ſenn. unc. j. Spir. ſalis q. ſ. ad tantillum aciditatis.

M. F. Hauſtus.

Vel

R. Elect. diacathol. drach. j. Diaphœnicon. Confect. hamech. an. drach. j. ſ. Cremor. Tartar. ſcrup. ij. Pul. Ialapp. gr. vj. Seri lactis. q. ſ.

M. F. Hauſtus.

Vel

R. Maſ. pilul. Indar. Aggregat. maj. ana gr. xv. Pulv. diagrid. gr. iij. Troch. alhand. gr. j.

M. F. pil. n. vij. deaurentur.

Nota: *Hæc omnia adultis præſcripſi, & illorum quantitas ſecundum patientis ætatem diminuenda eſt.*

Cap. IV.

De fracturis Oſſium in ſpecie.

CRanii fracturæ ſunt ſextuplices. Prima dicitur Fiſſura: ſecunda, Contuſio: tertia, Fractura: quarta, Inciſio: quinta, Punctura: ſexta, Contrafiſſura.

Fiſſura fit inſtrumento duro & obtuſo; & aliquando utraſque per tabulas, & aliquando per unicam tantum penetrat.

Contuſio appellatur, cum cranium inſtrumento quodam duro & obtuſo ita læditur, ut externe integrum videatur, cum tamen verſus interiora à toto ſeparatum ſit. Sed in primæ ætatis infantibus hoc abſque fractura fieri poteſt.

Fractura contingit, cum particula quædam cranii totaliter inde ſeparata ſit.

Inciſio fit inſtrumento quod incidendi facultate præditum eſt. Aliquando quædam pars oſſis attollitur, & quaſi circumvertitur, ſed oſſi tamen adhæret: aliquando quædam particula aufertur: aliquando ex inſtrumenti figura in oſſe notula aliqua remanet.

Punctura fit inſtrumento pungendi facultate prædito, & rarius per utraſque tabulas penetrat.

Contrafiſſura fit, cum pars afflicta ſalva & integra maneat, & illa aquæ ei oppoſita eſt diffindatur.

SIAGNA

Signa ſunt vertigo, obcœcatio, vomitus, ſanguinis per os, nares & aures effluxio. Patiens obmuteſcit, & ſubitò prolabitur. Deinde ſequuntur phantaſiæ, febris, convulſio, paralyſis. Si quidpiam duri, puta bacillum vel cochlear, in os ingeratur, vix dentibus apprehendet. Diligentisſime etiam inquirendum eſt, quo modo, quove inſtrumento læſus ſit; an juvenis, an ſenex, debilis an robuſtus, an corpus habuerit ſanum, an vero malè diſpoſitum. Statim poſt caſum vel inflictionem, antequam pars affecta tumeſcat, aliquando fiſſura digitis perſentitur, & ſi vulnus adſit, cernitur, vel ſpecillo immiſſo deprehenditur.

Prognosis. Licet fracturæ cranii ſe optime habere videantur, ſemper tamen periculoſæ ſunt: ſed periculoſiores, ſi utraque tabula fiſſa aut diſrupta ſit: multò periculoſiores, cùm dura mater, & periculoſisſimæ, cùm etiam pia mater affecta ſit. Quantò frequentiora occurrant accidentia, tantò minor boni eventus ſpes affulgeat. Si os in principio nigreſcat, lethale ſignum eſt.

Curatio. Cum cutis adhuc ſit integra & vulnus nondum ſatis apertum, incidenda eſt ad angulos rectos crucis modo, & pericranium à ſubjecto cranio deducendum; ſub quo ſi fiſſuram reperias, eam atramento ſcriptorio reſpergito, & vulnus obligato. Secundo die, vel potius quàm primùm ſanguinis profluxio fuerit cohibita, unica vel diverſis vicibus cranium abradito, uſque dum atramentum & fiſſura non magis, & os quaſi ſanguine rubicundum appareant. Deinde hunc pulverem inſpergito.

R. Sang. dracon. Corn. cerv. uſt. an. drach. j. *ſ. Thuris, rad. Iridis ana drach.* j. *Myrrhæ drach. ſ.*

Miſce fiat pul. ſubtilisſimus.

Si Fiſſura utramque tabulam permeat, Trepanum ſive modiolus adhibeatur: quod etiam in Contrafiſſura, Fiſſura, & cranii contuſione fiat, ne patiens ſubita morte evadat.

Inciſio non aliter curatur quam Fiſſura: ſed in Punctura modiolus in medio non vero ad latus vulneris eſt collocandus.

Si fracturam reperias multiplicem, omnia oſſicula ſoluta exime: quæ quodammodo adhuc pericranio adhærent, neque auferri poſſent, niſi vi facta, naturæ mandato. Si autem vulnus tantopere pate-

pateat: ut à concreto putreſcenti ſanguine cerebrum purgari & pungentibus oſſiculorum eminentiis poſſit liberari, tum trepanum non eſt neceſſarium; ſed in contrario caſu maximè deſideratur, niſi patiens fuerit robuſtus, & materia pauciſſima. Modus perforandi infra docebitur. [a]

[a] De fracturis Cranii earumque ſpeciebus additis obſervationibus ita accuratè ſcribit peritiſſimus atque D. Doctiſſimus Chirurgus Amſtælodameenſis Jobus à Meekren, ut propria ejuſdem verba integramque ſuper hac re diſſertatiunculam huc adducere è re omnino fore crediderimus, ſic itaque ille.

CAP. I.

De fracturis Cranii, earumque Symptomatibus.

FRacturarum quæcunque corpori obvenire poſſunt, perículoſiores, difficiliorisque curationis nullas reperire licet iis quæ Cranii ſunt.

Numerus earum inſignis admodum, aſt ſymptomatum ſubſequentium infinitus.

Paulus lib. 6. cap. 7. Quinque recenſet ſpecies, quibus in infantibus addit ſextam.

Hippocrates lib. de vulner. capitis à *Paulo* adductis aliam addit.

Placet nobis, quo curatio certa, quantum poſſibile exerceri queat, ex fundamentis certioribus, diverſas ſpecies, earumque appellationes adducere, nullâ habitâ ratione controverſiarum quæ circa varium vocabulorum uſum etiam hîc proponi poſ-

2. In ſunt, & ſolent, cùm inutiles omninò ſint, convenientiusque ſit ad res ipſas veramque medendi methodum reſpicere, quam vocum varietatem variam.

Inter ſpecies omnes Cranio obvenientium fracturarum *primo* nobis loco occurrit FISSIO, quæ *continui ſolutio eſt Tabellarum Cranium conſtituentium vel primam ſeu exteriorem ſolam, vel inſuper alteram ſeu intimam, totum, vel ex parte, dividens*, obſervabilis ſæpè, non rarò obſcura adeò, ut vix notari queat.

Fracturæ huic Vaſorum ſanguiferorum ruptura accedit, venarum imprimis, modò earum quæ Cerebri corticem perreptant, quandoque quæ medullam, non rarò & illarum, quæ duram matrem S. craſſam cerebri meningem. Prior rupturæ vaſorum dictorum ſpecies, lethalis licet habeatur, ultima tamen *Cornelium Celſum* valdè reddit ſollicitum, adeò vel etiam Cranium trepano hîc perforari velit primo tempore, ne materia purulenta, ex ſanguine extravaſato genita, meningem tenuem accedat, eandemque premat, *Sanguis enim hîc* (verba ejus ſunt *lib.* 8. *cap.* 4.) *corruptus atque inflammatus partes vicinas lædit, unde deliria, febres, convulſiones, tandem mors ipſa.*

Dicta conſiderantes haud videbimur

mur inutilia proponere, ſiquidem exemplo quodam ſingulari quam verè beneque ſollicitus *Celſus*, minus ſæpè debito ſollicitos Chirurgiæ cultores doceamus.

Tempore eo, quo *Maria Medicea*, Regis Galliæ *Ludovici* XIII. mater, urbem noſtram Amſtelodamenſem intrabat, puer v. vel vj. annorum, cujus nomen *Riikardi Karſeboom*, reginam, quæque in honorem ejus extructa, videndi animo, feneſtræ alicujus domus inſidens, procidit in terram, eoque caſu, præter vulnus cutaneum ſatis inſigne, Fiſſuram contraxit parte ſupremâ oſſis parietalis dextri.

Signis fracturæ notis benè perſpectis, quo enarrata tollerentur mala, non obſtante quod ſomnus jam adeſſet inquietior, febris continua, vomitus continuus, ſanguiniſque per nares & aures fluxus gravis, vulnus cutis, horis matutinis diei ſecundi, cruciali ſectione duplex quaſi effecimus, adeoque ſic conſtitutionem Cranii obvii magis, certiùs cognoſcere liquit; digitis enim non ſolum fiſſuram ejus, ſed & oſſis fracti ex unâ parte elevationem, explorare concedebatur. Plumaceolis hinc vulnus replere hoc tempore, circa veſperam verò Cranium trepano perforare, neceſſarium duximus.

Trepanum ubi ad Diploen pervenit, medium ſcil. tabularum duarum cranium conſtituentium, impetu ſanguinis notabilem quantitatem prodire obſervatum, notabilior hæc, ubi, abſoluta trepaniſatione foramen patens.

Foramini huic, adeoque, ejus ope, ipſi meningi craſſæ, lintei tenuioris quadruplicati in ſpiritu vini, cujus parti uni duæ partes mellis roſarum mixtæ, madefacti, quantum loci conditio permittebat, impoſuimus. Sequenti die mentem vulnerato conſtare, linguæque uſum conceſſum, obſervavimus, febrem etiam, ſomnum, vomitum, hæmorrhagiamque vale dixiſſe; curationi quapropter nos accinximus, labia vulneris ſecundum monitum *Jac. Carpi*, cranio ipſi imponentes brevi hæc abſoluta, ſatiſque feliciter fragmentis quibusdam ſquammiformibus, iiſque valdè exiguis, ſeparatis.

Secunda Fracturarum cranii ſpecies EXCISIO eſt, *continui ſolutio in cranio ab externo inſtrumento ſeante producta*; fiſſuræ hîc nonnunquam ſigna adſunt certa quandoque nulla; quod ſi exciſioni fiſſura jungatur, utriuſque ubi illa tabulæ eſt periculoſæ valdè conditionis, ad ipſam uſque duram meningem penetrare poteſt.

Squammæ nonnunquam etiam in Tabulâ ſeparantur primâ, nec tamen lethalis ſemper hæc ſeparatio, quod verùm obſervavimus in quodam *Joachimo Ulrico* Magiſtratus noſtri juſſu à nobis curato. Percuſſus hic à milite quodam ebrio, enſe lato, in ſiniſtrâ oſſium parietalium parte, proximâ ſuturæ ſagittali, graviter adeò, ut ex exciſo cranii oſſe dicto, & quidem tabulâ ejus exteriore, particulam oſſis ſeparatam, ſolutamque, forcipis ope extrahere licuerit, magnitudinis figuræque ejus cujus (*Vide tabula proximè adjecta, fig.* 1.) figura addita, qua ablatâ, adhibitis medicamentis convenientibus integrè ſanitati æger reſtitutus.

Hujus

Hujus conditionis fragmenta varia, (quæ Cranii tabula prima, ſ. extima exhibuit, ubi Exciſio aderat) aſt obliquè magis ſeparata, forcipe commoda auferre mihi conceſſum in Cranio fracto filiolæ natu minimæ *Ioannis van Os*, contuſam cutem ubi cultro aperuimus. Occurrebant hæc parte inferiore oſſis parietalis ſiniſtri, caſu gravi in objectum acutum dicto modo læſi. Auferre particulas has licuit nobis die à caſu x. & xj. præmiſſâ, ut dictum, apertione cutis, integumentorumvè reliquorum commoda, aſt non ſine inſigni purulentæ materiæ effluxione. Et hac inſtitutâ curâ integrè reſtituta puellula, breviſſimo temporis ſpatio, hoc quo hæc ſcribimus optimè valens. (*Vide fig. 2.*) Fragmentorum delineationes communicare Lectori placuit.

Fragmenta hæc Cranii oſſium antequam deſeramus, obſervationem aliquam Artis Chirurgicæ ſtudioſis exhibere, utile ducimus, quam vir Theologus, *Dn. Engebertus Sloot*, verbi divini in Slooterdiik præco, à *Dn. Ioanne Kraanvvinkel*, apud eos qui Chriſto nomen dederunt in Moſcoviâ Evangeliſtâ, accepit, declaratur eâ, quomodo in nobili quodam Cranii particula enſe ablata alia verò ex canino capite deſumpta ejus in locum repoſita, quæ etiam reliquis cranii oſſibus firmiter unita. Accipite ergò quædam eorum, quæ Epiſtola dicta fabulis annumeranda proponit. *Occurrit hoc tempore, Tibi, communicanda excommunicatio admiranda, imò riſu digna, quam Theologi Ruſſi exercuerunt in nobilem quendam, cujus nomen* Butterliin. *Tartarus quidam caput hujus graviter adeò enſe vulneraverat, ut, præter integumenta tecum nempè piloſam, aliaque, oſſis cranii etiam particula quædam ablata, adeò ut caput inſpicienti denudatum non ſolum, ſed & vulneratum, occurreret cranium. Chirurgus locum apertum quo repleret, occiſi canis ex cranio particulam deſumpſit, figurâ & magnitudine ei quæ enſe ex capite nobilis ablata reſpondentem, eamque loco læſo adaptavit; & hâc methodo integrè ſanitati redditus nobilis. Hic miraculose reſtitutus, rem geſtam, gaudio exultans, amicorum notorumvè variis, enarravit, qui eandem Theologis, & per hos Metropolitano communicarunt, ſicque effecerunt, quod excommunicatione inſtitutâ, ad loca ea quibus conveniebant Chriſtiani, per totam Ruſſiam, acceſſus Nobili dicto denegatus fuerit, uſque dum oſſis capitis canini particula indicata unita maneret oſſibus capitis chriſtiani hominis. Nobilis Eccleſiæ membris annumerari mallens, quam, ad veram curationem, quævis non perferre, Chirurgum oſſis canini fragmentum auferre juſſit, ſicque, curatione aliâ adhibitâ, excommunicationis vim effugit.*

Tertia Fracturarum Cranii ſpecies *Paulo* habetur EXPRESSIO, *quæ contingit quoties cranium per caſum, ictum, percuſſionemvè in partes varias dividitur, ſic ut etiam fragmenta quædam eo uſque ſe ad inferiora dimittant, ut non ſolùm membranam Cerebri deprimant, dividantque, ſed & Cerebro ipſi continui ſolutionem inferant, quorum quædam ad ventriculos ipſos quandoque deſcenderunt*, quod artis Chirurgicæ cultorum in gratiam, doctrinæ

gratia


Chirurg.
pag. 17.
fig. 3.
fig. 1.
fig. 4.
fig. 5.
fig. 2.

gratia obſervatione ſequente illuſtrare confirmareque poſſumus.

Bernardus Diderici Weghuyſen, Sartor, gravi læditur ictu dextro oſſe parietali, ſic ut fragmenta varia cranii vulnerati non ſolùm meningem duram, tenuemque læderent, ſed & ad ipſas uſque ventriculorum cerebri cavitates ſe dimitterent, & quidem vehementia ſummâ, uti in aperto poſt mortem cadavere ſpectatoribus notare licuit.

Vulneratus domum petit, nullius auxilium implorans, juſſu ampliſſimi magiſtratus civitatis noſtræ, rogatuvè hoſpitis, eum acceſſi, cujus ex cerebri interioribus incredibilis magnitudinis particulam à cranio læſo ſeparatam, præter fragmenta alia minora: inſtrumenti commodi beneficio extraximus. (*Vide fig.* 3.) Artis noſtræ ſtudioſis veram *fragmenti* dicti quoad figuram & magnitudinem delineationem exhibere valdè conveniens ducimus, eſt ea quam hîc damus.

Die 23. Februarii curæ noſtræ commiſſus æger prædictus qui 9. Martii obiit. Conſideratione noſtrâ dignum quam maxime in hoc ægrotante, quod ſingulis diebus, à tempore eo quo ipſum acceſſimus, uſque ad diem mortem penultimo præcedentem ſubſtantiæ Cerebri quantum cochleari contineri poterat per Vulneratum locum effluxerit, loquelâ, ingenio, judicio, integrè ſe habentibus. Aſt inſtante, ut diximus morte, febris, delirium, hemeplegia, inter alia ſymptomata, ſuperveniebant.

Materiæ huic, quæ Expreſſionis hiſtoriam, variaque ſymptomata, exhibet, antequam finem imponamus, conſultum omninò cenſemus exemplum priori ſimile, aſt cujus terminus longè felicior, hîc proponere. Chirurgus hujus loci eximius *Bernardus Heems*, cujus curę commiſſus æger, quique mediorum convenientium opera priſtinæ valetudini eum reſtituit, ejus nobis copiam fecit, literis ea de re ſcriptis, inſcriptiſque nobis.

AMICISSIME,

Cum conſtet, rerum variarum, rarius occurrentium, perſcrutatorem Te eſſe, arctáque jam à multis annis nos junxerit neceſſitudo, intermittere haud potui, quin ſingulare ſingularis fracturæ cranij in puero x. *aut* xi. *annorum, ex caſu gravi, inducta, tibi communicem. Frontis hîc os, aliis coronale dictum, læſum adeo, ut particula quædam ſeparata, quæ & Meninges vulnerabat, & Cerebrum ipſum, præterquam quod externa capitis integumenta vulnus exhiberent inſignitèr amplum. Locus læſus ſubſtantiæ Cerebri notabilem quotidie exhibebat quantitatem, quam vel ipſe, præter Chirurgos alios, non ſemel inſpexiſti. Nec vomitus, nec delirium, nec ſanguinis per nares, aures, aliavè loca fluxus in ægrotante hoc unquam obſervabantur, inſignis licet amplitudinis apertura, reſtitutus brevi æger. Conſiderabilem hunc caſum tibi publicoque haud invidere placuit. Vale.*

BERNARDUS HEEMS.

Quarta Fracturarum cranii ſpecies. Desessio eſt, *ubi os læſum verſus inferiora procidit, ſicque meninges Cerebri deprimuntur.*

Lethalis ſæpè affectus hic, quo ſic

 humo-

humores ad meninges ipſas defluunt, nullâ datâ evaporatione, quod inhibere valdè arduum eſt. Obſervavimus hoc in Capite textoris alicujus, cujus nomen *Simon Joannis*, qui à textore alio graviter canthARO ſtanneo percuſſus, ſic tamen ut exterius vix aliqua ſolutio occurreret; in oſſe frontis circa ſuturam coronalem, os reperire nobis licuit, teneris omnino figuræ, magnitudinis ejus cujus delineatio addita. (*Vide Fig.* 4.) Vulneratus, nullius conſiderationis vulnus inflictum æſtimans, per tres ſeptimanas oleum raparum loco læſo inunxerat, & tamen eryſipelas faciem univerſam occupans, febris, convulſio gravis, fracturæ ſupervenientia è medio eum ſuſtulerunt.

Viâ longè aliâ proceſſimus cum *Franciſco Henrici à West Reenem*, qui ex loco ſatis alto procidit in ſaxum, ſicque præter vulnus cutaneum, ad oſſis frontis ſuturam coronalem, à parte ſiniſtrâ, Deſeſſionem oſſis dicti contraxit. Ægrum hunc accedentes vulneri ad ſanguinis fluxum inhibendum, labiorumque ſeparationem juſtam promovendam, plumaceoli quantum neceſſitas exigebat impoſuimus, non neglecto Emplaſtro Defenſivo. Nec inconſultum viſum fuit eodem hoc die, quo prima inſtituta viſitatio, venæ ſectionis ope ſanguinis aliquam auferre quantitatem, fuit hæc ferè integræ libræ; aperta autem vena in brachio corporis ſiniſtro. Quin & ſuppoſitorium ex ſale, hierâ picrâ & melle eidem applicari, antequam diſcederemus, curavimus, undè ſemel largiter dejecit.

Altero die ſtupiditatis ſe exhibebant indicia, febriſque, nullus aderat vomitus, licet ſitis gravis, cordiſque anxietas conſiderabilis, nocte prægreſſa valde fuerint moleſtæ. Vulnus ipſum fragmentum oſſis dicti exhibebat, & quidem utriuſque Tabulæ, quod ad ipſam matrem duram deſcenderat, elevatoriique operâ à nobis extrahebatur.

Fragmento hoc ablato, ſanguinis extravaſati, præter naturam hîc collecti, inſignis quantitas, pulſu quaſi continuo, per vulnus effluebat. Procedebatur hinc methodo curandi ea, quæ adhiberi ſolet in trepano perforatis craniis, quâ etiam paucorum dierum ſpatio ſanitati priſtinæ redditus æger.

Quinta fracturarum Calvariæ ſpecies Cameratio eſt, quæ *diviſio dicti oſſis eſt, in quâ pars affecta camera modo exaltata relinquitur*, ut Galenus tradit, *ac intro à ſanis fractura partibus oſſa magis recedunt, membraniſque Cerebri innituntur, quas contactu ſuo premunt.*

Hujus conditionis fracturam nobis non niſi ſemel toto praxeos tempore notare licuit, in *puero* XIV. annorum, qui, ex caſu gravi, & Cranii fracturam contraxit, & utriuſque brachii circa ligamentum annulare, ſic ut cubiti utrumque os notabilitèr loco fracto promineret. Oſſa hæc brachii reponere impoſſibile nobis, quamcunque etiam adhibebamus diligentiam, forſan quod maſculi verſus ſuum principium violentius traherentur. Ne ergò in caſu dolorifico, deſperato, fruſtra laboraremus, maximè cum vomitus continuus, febris,

narium

narium auriumque hæmorrhagia, valdè moleſtarent, ſine ſenſu itidem, loquelaque decumberet æger, Naturæ negotium in totum commiſimus, quæ, arte nullâ adjuta, ſymptomata enarrata tollere haud valuit, undè factum, quod nos ſequens lethalis ipſi fuerit.

Materiam hanc antequam deſeramus, è re Chirurgorum fore cenſemus, ſiquidem quæ de fracturarum Cranii ſpecie hâc, Cameratio quæ appellatur, à veteribus proponuntur, minus arridere dicamus; quod enim inferiora verſus cranium hic deprimi tradatur, ſicque foveas, quas fornices repræſentare volunt, conſtituere, undè meningum ab incumbente oſſe preſſio, parum certitudinis habet. Notaſſe nos in defuncti noſtri oſſe parietali arcum unum alterumvè, ſurſum tendentem, negare nolumus, imò plures ſe exhibuiſſe inferiora petentes, certum quoque, aſt quo jure fornicum ſ. teſtudinum nomen tribui hiſce queat non video, cùm omnes ex loco inferiore verſus ſuperiorem ſe extendant, neutiquam à ſuperiori ad inferiorem deſcendant. Antiquitati hic multum debemus, cui nomen dictum fracturæ huic imponere placuit, modo inverſam camerationem à nobis vocari, concedant.

Ultima fracturarum Cranii *Paulo* COLLISIO eſt, hanc in infantibus ſolis locum habere tradit, quod tamen falſum, cùm etiam in adultis, ſenibuſque eam notare licuerit, deſcribitur ab ipſo, *quod Calvariæ diviſio non ſit, eoque nec fractura rectè dici queat* ejuſmodi affectio. Quibuſdam, imprimis in infantibus CONTUSIO appellatur, ſic tradente Hippocrate *lib. de vuln. cap.* Mulieribus atque infantibus propria magis affectio habetur, quod oſſa calvariæ molliora, tenuiora, adeoque flexilia magis poſſideant.

Hic oſſis calvæ in interiorem partem impulſio eſt aut inflexio, concavitatem integra exiſtente calvæ continuitate tantum efficiens, ut licet in cantharis aliiſque vaſculis ex plumbo, ſtanno, aut cupro confectis, ſi foris percutiantur, conſpici. Continui ſolutio vera licet nulla hic, undè fracturis annumerari nequit, ſymptomata tamen varia, eaque haud levia, non raro ipſi juncta.

Anno 1656. 16. Auguſti, ex mandato Ampl. hujus loci Magiſtratûs acceſſi mulierem, *Alidam, Wilhelmi filiam*, in qua præter vulnus ſatis magnum, proximè ad oram muſculi temporalis ſiniſtri, Contuſionem reperi inſignem in oſſe parietali.

Per octiduum & vigiliæ, & vomitus graves valdè, ſine tamen febre notabili; aſt die nono ſomnus invaſit cum ſtupiditate quadam, laterisque ſiniſtri paralyſi; depreſſum os, quod tabulæ utriuſque credebamus eſſe, beneficio inſtrumenti quod jam ante accuratè à *Scheelhanſſio*, Chirurgo celebri, nuperrimè à *Joanne Sculteto* accuratiſſimè depictum, & Triploides vocatur, levi manu elevare allaboravimus, quo facto illicò & Paralyſis & ſomnolentia remittere cœperunt, ægraque ſic ſanitati reddita.

Contingit nonnunquam Cranii *impreſſiones* exiguas, caſu, ictu, percuſſione, ſimilivè violentiâ externâ, obvenire, imprimis junioribus, nullo præſente Capitis integumentorum vulnere; fracturæ, fiſſuræve quod ſi his nullæ accedant, ſaltem quæ à Chirurgo notari inſtrumentis digitiſvè queant,

ſymptomatum verò graviorum authores ſunt, imò, impreſſione permanente, ſi quæ ſuperveniant, ferè tolli ſolent.

Veritatem dictorum in infantibus puerisvè variis notavimus, inter omnes in filio *Abelis ter Laan*, cujus oſſi frontis plumbeo inſtrumento Impreſſionem inflixerat puer alius; toto vitæ tempore in filio dicto obſervabilis ea fuit, neutiquam tamen moleſta ipſi vel ulla fuerunt ſymptomata.

Prægreſſis fracturis Cranii *Paulus Ægineta* loco citato aliam addit, quam CAPILLATIONEM dicit, ſenſum hæc plerumque fallit, ferè latens, quia non facilè ſe oſtendit, mortis cauſam ſæpè adfert.

Capillationem hanc notari nobis datum in defuncti alicujus viri, ab alio variâ commotione in pavimentum lapideum adacto. Dolor hic in principio obtuſus admodum, parte capitis interiore, latere dextro, hinc intolerabilis, cum hæmorrhagia dextri naſi continua. Duodecimo die ſopor ægrotantem invaſit, ſine febre, ſicque brevi obiit.

Præſente in arte medicâ celeberrimo Viro *Dn. Samuele Coſtero, Noſocomii publici Medico ordinario*, ſeparatis integumentis Capitis mollioribus Calvariæ partem ſuperiorem qua fieri potuit curioſitate abſtulimus, hujus in baſi, circa meatum auditorio nervo deſtinatum, latere dextro, Capillatio occurrebat, ſubtilis valdè, ſub oſſe petroſo ad baſilare ſe extendens, cui cruoris, fœtidique humoris exigua jungebatur quantitas.

Meningibus ſanguis nullus incumbebat, imò ne quidem ipſo in Cerebro aliquis reperiebatur; niſi loco modò indicato, qui inter cranium & meningem duram per fiſſuram dictam hûc erat delatus, ubi ſpiritus Animales incalefacti, ſuffocatique, ſicque mors inducta.

Miſſis Fracturarum Cranii ſpeciebus quæ *Paulus Ægineta de fracturis Cranii* proponit, accedemus examen illius quam *Celſus*, *Hippocrates*, aliique varii deſcribunt, ſingulariſque conſiderationis habent, imò omnium ferè fracturarum periculoſiſſimam, eò quod etiamſi externo adſpectu, & quantum Chirurgica manus præſtare valet, poſt fracturas omnes, quæ oculis notari queunt, & tamen curabiles reperiuntur, curabiles ſint, nihilominus Chirurgum ſæpius ab incepto deſiſtere faciant opere.

Fractura hæc *Hippocrati* ἘΣΦΛΑΣΙΣ CONTRUSIO *Galeno* dicitur, *Os hic medium deſidit, intraque recedit, quoties violentia quædam externa, ictus, caſus, ſimiléque infortunium præceſſit*, ſimili omninò ratione, ac glaciem vi externâ frangi, ejuſque particulam reliquo quod integrum eſt ſupponi facimus; quod enim medium deſidit (verba ſunt Hippocratis lib. de vulner. capitis) ab alio oſſe naturaliter ſe habente abruptum fractumque introcedit, adeoque neceſſariò rima adeſt.

Sollicitos valdè veteres Fractura hæc fecit, quod ex *Hippocrate* loco citato colligere licet, quem conſulere non ſine fructu Artis Chirurgicæ cultores poterunt; & ſanè, non ſemel nobis occurrit, fractam Cranii particulam profunde adeò, ſub oſſe cranii integro, fuiſſe protruſam, ut etiamſi terebrationes variæ, variæque oſſis ſani ſeparationes

tiones, acceſſerint, neutiquam tamen vel ulla arte, ex loco eo quem occupabat alienum, auferri potuerit, quin ferè Chirurgi induſtria, laboreſque ſummi, fruſtra adhibiti, ſicque interierit æger.

Rei difficultatem, quodque ipſi ſupervenire poteſt periculum non video quomodo, meo judicio, accuratius deſcribi poſſit, quam quidem factum legimus ab Ampliſſ. Reipublic. hujus Conſule *D. Nicolao Tulpio*, dum *lib.* 1. *obſerv. cap.* 1. hæc proponit verba: *Cranium uti ſupereminet omnibus corporis noſtri partibus, ita omnes fracturas ejus longè ſuperat ea quæ Hippocrati ἔσφλασις dicitur, difficillima curationis.* Exemplum ejus rei Magnif. Conſul loco citato proponit, addemus nos aliud.

Jacobus Cornelii graviter ligno duriore vulneratur parte Capitis dextra, ad os bregmatis, proximè ad marginem muſculi temporalis; ita ſæpius inter milites, nautaſvè à verbis ad verbera itur Per octiduum *Daniel à Svvieten* Chirurgus vulneris curationi præfuit, acceſſimus nos cum *Georg. à Loon* Chirurgo alio, pulſus hîc moderatus, ſic ut febris indicia nulla, mens conſtans, quantum ex verbis colligere licuit, in vulnere ipſo fragmentum cranii ſat notabile deſiderabatur, quod ab oſſe reliquo integro, cui ſubjacebat, tegebatur; imò & fiſſura, ad os petroſum ſe extendens, hîc occurrebat.

Vir erat vulneratus vitæ diſſolutæ, ad ea quæ de periculoſo ipſius ſtatu proponebantur, neutiquam attendens, quin potiùs maledictis atque blaſphemiis Deo ipſi ſe opponens. Noſtrum fuit in re gravi nulla negligere tempora; decimo adeoque die à tempore inflictionis Trepaniſationem Cranii aggreſſi ſumus, ad modum mox declarandum, quo ſic particulam oſſis fracti, firmiter admodum ſub eo quod integrum adhuc hærentem, auferre, imò & ſanguini extravaſato ſicque loco alieno detento excluſionis locum commodum concedere, liceret, ſecuti hâc in re Magni *Hippocratis* inter alios doctrinam, qua primâ occaſione Cranium perforari debere tradit, antequam vel febris, vel alia ſymptomata, ſeſe manifeſtant, quo ſic facilius, in commodum æquè Chirurgi ac ægrotantis, os abſconditum in conſpectum veniat, imò extrahi queat.

Trepaniſatio antequam inſtitueretur, neceſſarium duximus ſectione triangulari locum eum ubi trepanum applicandum præparare, latus infimum hujus trianguli muſculi temporalis in margine, quod tamen diſplicet *Veſalio*, *Fallopio*, aliiſque Anatomicis, qui muſculi hujus circumferentiam ferro ullo lædi, admittere nullo modo volunt. Arridebat quam maximè Chirurgica hæc operatio, in ipsâ muſculi dicti circumferentiâ inſtituta, utpotè quam fructuoſam ſæpius, nunquam exitialem, reprehendimus.

Die Trepaniſationem ſequente fragmentum profundè ſubmerſum, cranioque arctiſſime adhærens, qua fieri potuit dexteritate, Triploides ope eximere allaboravimus, aſt inexſpectatus, iſque valdè notabilis, ſanguinis fluxus, ab opere incepto deſiſteremus, fecit. Fluxu nihilomi-

nus hoc uſu Fungi [neutiquam pulveris ſtyptici] ſedato, oſſis fracti labia inæqualia, aſperitatem maximam adferentia, quo frágmento ipſi exitus commodior concederetur, auferre die altero ſtuduimus.

Die decimo tertio repetere placuit fragmenti dicti ablationem, inſtrumenti modò indicati beneficio perficiendam, aſt irritum omne conamen, qua enim & dexteritate, & circumſpectione procederemus, impedire minimè potuimus, quin ſanguis impetu ſummo, rivuloſè admodum, prodiret, undè ſubitanea exſpectanda mors. Ab opere adeoque ipſo deſiſtere coacti, nulla præſente febre, vulneris habendam quam maximè rationem conſultum duximus, quo puris boni proventus promoveretur, & ſic Deo atque naturæ negotium totum commiſſum.

Succeſſit curatio ad diem uſque vigeſimum octavum, quo tempore nil niſi mel roſarum cum ſpiritu vini vulnerato oſſi applicatum, Emplaſtro de Betonica ſuper impoſito, aſt poſt dictum diem omnia in pejus ruere videbantur; vomitus etenim graves, alvi fluxiones largæ, febres continuæ, convulſiones conſiderabiles, valdè affligebant ægrum, imò quæ circa vulneris labia, puriſque conſtitutionem alias exitum ſalutarem morbi prædixerant, mortem inſtare jam, præter naturam conſtituta, indicabant, quæ etiam brevi ſecuta.

Conſideratis fracturarum ſpeciebus iis, quæ manifeſtæ magis ſunt, aut ſaltem hactenus notæ, eam etiam proponamus neceſſarium omninò, quæ occulta magis, eò quod conjecturâ potius quam ſenſibus adeſſe conſtet: ſtatum eâ laborantium his verbis deplorat magnus *Hippocrates Certè infelices omnes, ad quorum occultos morbos, nec oculis, nec judicium pertingere poteſt.*

Morbus hic occultus Chirurgis Contrafissura dicitur; *Eſt* enim *Fiſſura infortunio, caſu ſcil. ictu, percuſſione in parte cranii eâ qua læſa aut vulnerata oppoſita, producta*, ad eum modum, quo ollam ea parte quam duriore quodam corpore percuſſimus minimè lædi notamus, at verò eâ quæ oppoſita eſt frangi.

Haud crediderim exiſtere Chirurgorum ullum, quem lateat Contrafiſſura hæc, ſi modò Cranii fracturas omnes ritè cognoverit, frequentius occurrere quotidiana experientia tradit, quam varii ſibi perſuadent; legi hac de re poſſunt quę *obſ. Med. 2. l. 1.* proponit *Cl. Nic. Tulpius.*

Experientiæ dictæ, omniumque ferè Chirurgorum placitis loc. cit. ſeſe opponit *Paulus Ægineta*, ſeipſos ſe decipere omnes eos docens qui Cranium unâ parte lædi, oppoſitâ verò frangi, vaſis adinſtar vitrei, ſibi perſuadent. Ratio ipſius à ſuturarum multitudine deſumpta eſt.

Quid opponere hîc licebit? non niſi experientiam, ſæpius etenim Contrafiſſuræ nobis occurrerunt. Tot auxilia medica ſuppeditari vellem, quibus ad curationem Contrafiſſurarum cum fructu uti liceret, quot ſe rationes exhibent quibus errores eorum, qui *Paulum* hîc ſequuntur refutare conceſſum.

Cum ergò mediorum medicorum

in

in hoc caſu penuria adſit, imò partem læſam certò cognoſcere haud liceat, certi etiam aliquid quoad curationem hactenus conſtitui non potuit; placet tamen Cōtrafiſſuræ hujus, cujus exempla varia occurrerunt, unicum hic loci exemplum proponere, ne revera eam dari, dubitare, negarevè pergant varii.

Fredericus Hermannides ſutor, ebrius, mediâ nocte obviam venit virorum eorum quibus excubiæ nocturnę hìc loci demandatæ aliquibus, indicetur hora noctis exigit, diſplicet reſponſio, ſubortæ altercationes, has excipiunt verbera, unus enim excubitorum haſtâ, quâ erat armatus, capitis ſutoris partem dextram, ad aurem, ubi os ſe exhibet bregmatis, graviter adeò percuſſit, ut coactus fuerit, aphoniâ vertigineque correptus, in terram procidere. Sopor illicò ſupervenit, & hemeplegia; aſt haud diu vulnerato moleſta fuerunt ſymptomata hæc, non minimum terroris & reo & conſanguineis vulnerati adferentia, priuſquam enim duodecim tranſirent horæ vivis annumerari deſiit.

Caput juſſu Ampliſſimi Magiſtratus aperuimus, præſentibus Scabinis variis, loco dextro, qui haſtæ impetum ſuſtinuerat, contuſio cutis levis occurrebat, pericranium aliquomodo ſanguinolentum, in Cranio verò ipſo nec rima, nec fiſſura, nec fractura ulla; imò ſanguinis nihil omninò vel in ſubſtantia Cerebri, vel inter Cranium & Meningem duram, at verò in latere oppoſito ſiniſtro, circa inferiora oſſis bregmatis, proximè ad oſſa auditus non ſolùm ſanguinis obſervabatur notabilis quantitas. Meningem moleſtans, ſed & in ipſo cranio fiſſura duplex.

Cap. II.

De abſceſſu hæpatis fracturam Cranii ſecuto.

INnumerabiles affectus quibus obnoxium caput, exterius ſivè ſpectetur, ſivè interius, varii & illi quos communicat partibus aliis. Capiti obvenientia vulnera, levia licet quandoque habeantur, periculoſa tamen utplurimum, ſymptomatibus variis ſtipata, quorum pręcipua cœcitas, ſurditas, aphonia, delirium, fatuitas, paralyſis, epilepſia, convulſio, ſuppuratio partium internarum, & centum alia.

Abſceſſum ſecutum partium internarum Cranii fracturam non uno confirmatur exemplo; Noſocomium hujus loci publicum exhibuit & nobis & aliis conſiderabile. Rarius talia cum obveniant, utile omnino duximus, qua de causâ certi aliquid conſtet, Medicis nonnullis quæſtionem hanc proponere.

Cùm non rarò vulnus Cranii & Cerebri ſequatur ſuppuratio hepatis, quæritur per quas vias purulenta materia ex Cerebro deferatur ad hepar?

Quæſtionem hanc proponere placuit hujus loci Medico celeberrimo *Paulo Barbette*, his verbis:

Vir Celeberrime,

QUo penitius Chirurgiæ penetralia veſtigamus, eo magis quæ in eâ occurrunt difficultates nos confundunt. Hîc hæremus; Chirurgi Regii Ambroſius Pareus lib. 10. *cap.* 12. *& Petrus Pigræus lib.* 4. *cap.* 8. *mentionem faciunt abſceſſuum, qui in hepate, ven-*

triculo, meſenterio, aliiſque ventris imi viſceribus ſuperveniunt Cranii fracturis. Exemplum nobis exhibuit in Noſocomio noſtro decumbens Otto Reynerſon Oldeburgenſis; *vulnera hujus capiti inflixerat triplicia ſocius, quorum præcipuum occipite ocurrebat ad ſuturam lambdoideam, fractura Cranii quæ* ἐσφλασις Hippocrati *vocatur, ubi nempè fragmentum ſe dimittit ad inferiora, ſic ut ſub oſſe integro abſcondatur, ſtipatum. Ad remotionem fragmenti dicti Trepaniſationem inſtituere conſultum duximus, quod etiam ſucceſſit. Ad diem uſque 20. liber omnino æger ab omni febre, convulſione, paralyſi, ſopore, vigiliis, vomitu, imo ſymptomatibus omnibus, quæ fracturis Cranii ſupervenire ſolent. At paucis diebus antequam moreretur, de dolore gravi circa hepatis, ventriculique regionem conqueſtus eſt.*

Querelas inter purulentia in vulnere exiſtens, quæ copioſa valdè imminuebatur admodum, labiorumque vulneris, ſimiliter ac fundi ejus, inſignis notabatur ſiccitas; accedebat febris gravis, cum delirio, & ſic vigeſimo octavo die obiit.

Eodem die ex mandato Ampliſſ. Magiſtratûs, præſentibus Samuele Coſtero & Henrico Lons Medicis, *Caput defuncti aperuimus, in quo fractura occurrit, cujus conditionem ſuo tempore ex diario meo Tibi prælegam, aſt ad ventrem imum, cujus dolor valdè fuerat moleſtus, ubi pervenimus, Hepar invenimus valdè tumidum, abſceſſu notabili correptum, ex eo enim aperto puris ea effluxit quantitas, quam pinta dimidia vix continere poterat.*

Ex capite hanc materiam eo deſluxiſſe probabile valdè, aſt per quam viam hoc factum, ignotum nobis. Tu quæſo, Vir Doctiſſime, eruditâ tuâ pennâ eam indica, quo non ſolùm eruditiores evadamus, ſed & quantum poſſibile & proficium, in commodum ægrotantium, vias tales tollere, corrigereve queamus; cedet hoc in nominis tui gloriam, proximique ſalutem. Vale, Vir Optime, reſponſorias primo tempore exſpectamus. Fuerunt hæ ſequentes.

Chirurge celeberrime,

M*Onarcha perfectus ſimilis neutiquam imperfecto Alexandro Magno; metuit hic ni novus crearetur orbis, aliquid reſtare, cujus ſe victorem dicat, ille in antiquo novam indies ſuggerit materiam, quo diligentiæ atque curioſitati noſtræ ſemper aliquid occurrat, quod melioris notæ iis, quæ antehac inventa cognitaque fuerunt, nulla artis noſtræ pars, in qua non jam ab aliquo tempore vera hæc eſſe experti ſumus, nec licet nobis, niſi ingratis, excellentiorem eam profiteri eâ qua ante annos centum exculta. Conſtabit hoc, inter alia, ut ſpero, ex iis, quæ ad quæſtionem à te propoſitam ex veterum fundamentis reſpondere licebit. Eſt hæc cùm vulnus cerebri ſæpius ſequatur ſuppuratio Hepatis quæritur per quas vias purulenta materia à cerebro ad Hepar deferatur?*

Conſenſus qui totius eſt partiumque omnium in ſpecie ſpectatarum, magnus valdè atque diverſus, ob ſpirituum, vaſorum ſanguiferorum, nervorum &c. multitudinem atque diverſitatem, quorum totum corpus pererrantium beneficio quoties vel abjectiſſima pars corporis mole conſtituta, illico ſtatus præternaturalis communicatur cerebro,

imo

imo toti micro coſmo; Conſtat tamen, nec inficiari licet, notabiliorem eſſe conſenſum, qui eſt partium triplici corporis ventre contentarum, eo qui eſt partium his incluſarum ipſorumque artuum. Ratio hæc quæ proponimus confirmat, confirmat & experientia; imò authoritas virorum Doctorum ſuum huc contribuit. Perpende quæ magnus noſter præceptor Cous hac de materia habet, Vir ſanè, quem majoris æſtimamus in arte noſtrâ, quam olim Poëta Bartaſius 2. jour *de la* 2. *ſemaine, in arte ſua popularem, hec proponendo.*

Marot que je revere ainſi qu'un Coliſée
Noircy, briſé, mouſſu; une medaille uſée,
Un écorné tombeau, non tant pour leur beauté,
Que pour le Saint reſpect de leur antiquité.

Artifex noſter poſt tot ſecula idem ſapientibus noſtri avi, felices omnes quibus volupe fuit tempora ſua ſcriptorum ejus lectione conſumpſiſſe; Accipe artis noſtræ cultor variis locis ab eo propoſita conſenſum viſcerum internorum clarè declarantia.

Coac. Prænot. cap. 4. §. 1.

Capitis dolor vehemens cum febre acuta & alio ſigno maligno lethalis eſt, cæterum ſine ſigno malo, viginti diebus tranſactis, ſanguinis fluxum aut pus è naribus, aut abſceſſus ad infernas partes ſignificat, &c.

Ibid. §. 28.

Affectiones ſoporem, fatuitatem & catochen inducentes, variantia hypochondria, & ventrem tumidum habentes, cibum faſtidientes, alvo ſuppreſſâ exſudantes, num his turbidus ſpiritus, & genituræ ſimile quid prodiens ſingultum ſignificat? nam & alvus bilioſa inſuper egerit? ſpumoſus in his mictus prodeſt; ventres quoque his inſuper turbantur.

Libro de aëre, aquis & locis.

Sectio venarum pone aures (nobis nunc tam inuſitata quàm incognita) infœcundos facit.

Aphoriſm. lib. 6. aph. 50.

Quibus præciditur cerebrum, his febrem, & bilioſum vomitum ſupervenire eſt neceſſum.

Galenus, Eraſiſtratus, Macrobius, *aliique, ob diligentiam ſummam, judiciumque ſingulare à multis minus juſto, ob errores plus debito, laudati, non ſolùm confirmant ea quæ Anteceſſor allegatis locis docuerat, ſed & rationes addunt varias, à diſtributione varia Nervorum, ſextæ imprimis conjugationis, quorum ingens in ventre medio & infimo datur copia, maximè in Ventriculi orificio ſuperiore ſ. ſiniſtro, deſumptas.*

Haud diſplicuiſſet, ſi Meninges cerebri prægreſſis addere placuiſſet, eo quod pectoris, imique ventris interiora tegant, mutuique conſenſus eorum vel maxima cauſa ſint, uti in ſternutatione, tuſſi, vomitu, &c. evidentiſſimè patet.

Hic via ferè detecta, quæ manifeſtior foret, ſiquidem cum Gliſſonio *nutrimentum, partium nervoſarum per nervos adduci, ſtatuere liberet, nervorum par ſextum, vagum antiquis dictum, facillimo negotio purulentam*

materiam ex cerebro ad hepar deferret; aſt cùm minus hoc placere curioſis ſciamus, alia nobis quærenda via, eaque commodior.

Primò, cerebri vulneri ſupervenire hepatis abſceſſum, certum judicamus, obſervationem tuam, accuratè ſatis notatam, teſtimonia variorum in arte noſtrâ exercitatorum, Medicorum æquè ac Chirurgorum, imprimis Ballonii, Paræi, Pigræi, *&c. confirmant adeo, ut de certitudine ejus dubitare nec queamus, nec debeamus.*

Secundò pus idem, numero & ſpecie, à cerebro ad hepar deferri, (contra ac Te judicare ſcimus) minimè admittimus, at hîc collectum pus aliam omnino agnoſcere cauſam, mox declarandam, quam quæ eſt puris in cerebro.

Tertiò ſollicitum me neutiquam declaro, qui inquiram in rationem, cur veteres ſolliciti adeo fuerint, ut, quæ affectus hujus duplicis cauſa, conſtaret, certam etenim eam exhibere neutiquam iis datum, doctrina circulari de ſanguinis fluxu (quam magno Hippòcrati *notam fuiße vanè admodum plurimi contendunt) eaque ſola lucis plurimum huic negotio conferet, nec crediderim, rationem quæ ſatis facere veritatis cultori queat dari poſſe quæ eidem haud inſiſtat.*

Sit ergo hæc ad quæſtionem tuam reſponſio. Cerebro vulnerato vaſa ſanguifera arterioſa ſimiliter læſa, cerebri ipſius ſive ſint, ſive membranarum ejus, ſanguini contento, uberius, parciuſvè exitum concedunt, hic calore ſpirituque privatus ſenſim putreſcere incipit, veramque in materiam purulentam converti; Accedit, quod ſanguis nutritius circa vulnus ex debito mutari nequeat, undè facilè in pus convertitur; & hac ratione ſuppurationis datur incrementum, niſi natura vel ars inhibeat. Circularem ſuum motum interim abſolvit ſanguis, mutationis plurimum non ſolùm in corde, ſed & partibus principibus aliis, aſſumens. Corporis ſic partes omnes pererrans ſanguis, ipſumque adeo cerebrum malè conſtitutum, non poteſt non pravam contrahere diſpoſitionem; pravè hîc diſpoſitus per arteriarum carotidum ramulos cerebri ſubſtantiam percurrentes, Meningis duræ exhibetur ſinibus, qui receptum deferunt in Venas jugulares, & per has in ipſam venam cavam, ſicque in ventriculum cordis dextrum, ex quo, poſtquam in ſiniſtrum deductus, facilis ad hepar deſcenſus; in hepate, nobili ſatis parte, ſanguinis ulterior coctio, à bile itidem aliiſque excrementis ſeparatio perficitur. Difficultatis, adeoque quid ſubeſt, quo minus ſanguis, impurus adeo, hepar accedens, ſuppurationi ejus anſam materiamque præbere queat.

Via hac patens adeo, ut nullus dubitare queam, quin mecum eam inire haud recuſes. At inſtabis; cum ſanguis corporis partes omnes pererret, cor, pulmones, lienem, renes &c. quid cauſa ſubeſt, quod ſolùm hîc afficiatur hepar? Ad quæſtionem hanc reſpondeo, Cor ſubſtantiâ conſtare ſolidâ, compactâ, caloreque inſito vegeto, hinc paucis ſubjectum eſſe morbis, hoſtem ſuum vi ſingulari expellens; Idem quoque Lienem præſtare, reticulari nervorum ex plexu compoſitum, hâcque ſua ſtructurâ non ſolùm ab aliis partibus plurimum differre, ſed &, quod rariſſimè in cadaveribus malè conſtitutus reperiatur, efficere; Pulmonem ob

ſubſtan-

ſubſtantiæ raritatem; vaſorumque amplitudinem haud adeo facilè affici poſſe; Renes impuritates ſuas ſero communicare, ſicque per urinam evacuari permittere, at longè aliter cum Hepate conſtitutum eſſe; eo quod per venam portæ sãguis illi offeratur multò craſſior, fœculentiorque eo qui per venam Cavam quod & color diverſus, & conſiſtentia varia clarè, ſatis indicant; ductuum lympham ad chyli glandulas receptaculaque vehentium numerus adſit inſignis, in quibus ob ſummam ſubtilitatem, parvitatemque facillimum humorem ſubſiſtere; ſanguinis purificationi coctionique continuo inſerviat, præter vaſorum bilariorum, ſanguiferorumque, maximam copiam, miramque complicationem, vix aliud, ut ſubſtantiam componentem, agnoſcens quam ſanguinem concretum, unde & parenchyma jam à longo tempore dictum, quæ quidem ſoliditatis aliquid habet, aſt fibras poſſidet firmas minus iis quæ ſunt cordis, renumque; quibus accedit, quod arteriis gaudeat paucis, iiſque exiguis admodum, reſpectu nempe aliarum partium, hinc ſpirituum vitalium quantitate minore, unde eſt quod hoſtium impetui reſiſtere minus queat, ſicque morborum plurimorum nutricula. Scriptis his quæ deſunt, ad pleniorem explicationem data occaſione, verbis addemus.

BARBETTE.

Litteræ hæ quod ſi Chirurgiæ cultoribus haud ſatisfecerint, non ſcio quid adferri queat, ad id ut, quo modo, quave via materia purulenta ex Cerebro vulnerato ad hepar deferri poſſit, declaretur; in gratiam juniorum ea quæ Medicus eximius *Nicolaus Zaſſius* ad Epiſtolam noſtram eâ de materia ipſi miſſam reſpondit, prægreſſis addemus.

Celeberrime, Doctiſſimeque Vir,

Quaſtionem Medicis aliis propoſitam ne, quaſo, ægrè feras, quod & polito tuo judicio, experientiaque ſingulari offerre auſus fuerim, eſt ea: cum vulnus cerebri ſæpius ſequatur Hepatis ſuppuratio.

Per quas vias materia purulenta à cerebro ad hepar deferatur?

Ad hanc certius ut reſpondere queas neceſſarium omninò ducimus caſum eum proponere qui nobis occaſionem ſuggeſſit eam inſtituendi.

XII *Menſis Junii in Noſocomio publico Amſtelodamenſi cura noſtræ ſubjectus juvenis viginti præter propter annorum, melancholicæ temperiei, ſtaturæ mediæ, tribus locis in capite vulneratus; vulnus graviſſimum in occipitis occurrebat declivioreparte, proximè ad ſuturam lambdoidaeam, cui jungebatur fiſſura, ſimiliter ac fractura ad meningem penetrans duram; fracturæ inhærebat fragmentum oſſis hujus figuræ & magnitudinis [Vide Fig. 5. tab. proximè adjectæ.] deorſum dimiſſum ad ſpatium quod eſt inter duram matrem & cranium ipſum, ſicque fracturæ eam conſtituens ſpeciem, quæ* Hippocrati ἔσφλασις *appellatur.*

Fragmentum hoc, moleſtum valde vulnerato, doloris gravioris cauſam, impedimentum ſingulare evacuationis materiæ purulentæ fragmento dicto ſuccumbentis, quo tolleretur, inſtrumenta varia adhibita, elevatoria imprimis, aſt fruſtraneus omnis labor, Trepano, cranium perforare neceſſarium fuit.

Primo à tempore ad diem 20. *immunis æger fuit á febre, ſiti, vigiliis, ſopore, vomitu (niſi quod lumbricum evomuerit) delirio, convulſionibus, aſt à die dicto puris per vulnus effluere ſoliti, ſub cranio collecti, copia imminui cœpit accedente febre, doloréque hypochondrii dextri ſummo; Tertio ante mortem die febris, aſt ultimo delirium, valdè augebatur, dolor contra hypochondriacus imminuebatur,* 28. *menſis dicti obiit.*

Defuncti & Caput, & ventrem imum aperiri placuit Ampliſſimo Magiſtratui, tum quod ventris dolore gravi circa hypochondrium dextrum laboraſſet defunctus ante obitum, tum quod ad vulnus Cerebri non rarò abſceſſum hepatis ſequi, ex nobis percepiſſet Magiſtratus dictus; pro me adducebam authoritatem Ballonii lib. de morb. Epid. Paræi lib. 10. cap. 12. & Pigræi l. 4. cap. 8.

Calvariâ ablatâ puris exigua valde quantitas ſub loco vulnerato reperiebatur, eaque dura incumbebat matri; circa os occipitis, ubi fiſſura aderat cujus ſupra mentionem fecimus, Trepano facta perforatio, fragmentumque elevatorio remotum, puris nihil omninò invenire licuit, aſt omnia hîc, mater imprimis dura, laxa admodum, madoreque perfuſa.

Ad foramen oſſis occipitis, per quod ſpinalis medulla ad vertebras ſpinæ deſcendit, ubi devenimus, omnia, membranas imprimis medullam inveſtientes, muſculoſque cervicis caput retrorſum moventes, ſerò ſcatere reprehendimus, quæ tamen humiditatis collectio gravis nunquam ægrotanti fuerat.

Relicto capite anatomen aggreſſi ſumus Abdominis, ubi primo nobis occurrit Hepar, & in eo abſceſſus, pilæ magnitudine reſpondens, puris libram ſemis exhibens.

Finem hic imponimus obſervationi noſtræ, quam nudam adeò proponere placuit, quo quæ illuſtrationis loco exhibere, Tibi Viro literato, animus pleniori ſtylo nobis offerantur; ſententiarum noſtros inter Medicos Chirurgoſvè mira varietas; ſunt qui volunt puris collectionem hepatis conſtitutioni morboſæ adſcribi debere, adeoque ex cerebro minimè defluxiſſe; Placet aliis, quorum numerus inſignis, purulentam materiam à cerebro per vias occultas ad hepar defluxiſſe, & hujus dicti rationem inde imprimis deducunt quod notatum fuerit, quoties in cerebri vulnere puris imminutio, toties in hypochondrio dolorem augmentum ſumpſiſſe. Lympha tua lucis plurimum commodiori huic deductioni puris ex capite ad hepar adferet; Galenus lib. 6. de locis affect. cap. 4. *Pus ſincerum ex Pulmone deferri poſſe ſcribit per arteriam venoſam in ventriculum cordis ſiniſtrum, ex hoc in arteriam aortam hinc in emulgentia vaſa, ſicque ex renibus per ureteres ad veſicam, quo cum urinâ evacuetur.*

Ambroſ. Paræus lib. 17. cap. 51. *in Secretario* Sarſet, *quoties brachium vulneratum parum exhiberet puris toties urinæ, alvique fœcibus multum ejus permixtum fuiſſe, teſtatur.*

Ampliſſ. D. Conſul Nicolaus Tulpius obſerv. Med. lib. 2. cap. 6. & cap. 27. *Hiſtoriam nobis proponit, ubi purulentia pectoris in ſponsâ quadam per umbilicum viam ſibi elegit, imò hepate collectum pus per os & alvum evacuari poſſe notatum.*

Clar.

Clar. Medicus Guilielmus Piſo, *Braſiliæ praxin exercens in ſervo cujus Craniumfractum, caſum ſimilem obſervavit, & hæc obſervatio occaſionem ipſi dedit, ex me, aliiſque, etiam me parario, ex Te, quibus viis materiæ dictæ translatio perfici queat, inquirendi.*

Vale, Vir ſumme, brevique quæ habes hûc facientia communica, nihil unquam, conſiderationis alicujus, hic occurret, cujus te non primo tempore participem faciam, interim

Officia mea & hîc & ubique
Tibi offero

Job à Meekren.

Reſponſoriæ hæ ſunt.

Vir curioſiſſime, Chirurge expertiſſime,

A*D ſolutionem quæſtionis propoſitæ reſpondeo, abſceſſum eum quem in caſu propoſito hepati innatum ſcribis, ad inſtar pilæ luſoriæ, materiæ purulentæ non exiguam copiam exhibentem, viſceris illius contuſioni, aut læſioni cuicunque adſcribendum eſſe, undè putrefactio ſecuta.*

Sententiam meam confirmant abſceſſus circumſcriptio, extenſio, quæque eo faciunt, pilæ etenim figuram formamque habebat in hepatis parte convexa notabilis.

Querelas quas dolores hypochondriaci cauſant Hippocrates defendit in aphoriſmis, dum dicit: dum pus fit dolores & febres augentur; at eo facto imminuuntur, imò deſinunt.

Sequi nihilominus quandoque abſceſſus hepatis, & meſenterii capitis vulnera libens concedo, ſola authoritate Petri Pigræi *motus, cujus* cap. 12. lib. 4. *videri poteſt. Placet ipſi abſceſſum Hepatis & Meſenterii originem ducere ex conſenſu partium, qui nervorum recurrentium diſtributioni variæ debetur. At hoc in hepate locum non invenit, cum Nervi dicti à ſexto pari provenientes hîc non inveniantur. Placent nihilominus quæ proponit Vir citatus, cum certum mihi ſit (concedantur pro libertate animi ſenſum proponere) ſimiliter ac nervi nihil aliud ſunt quàm cerebrum expanſum, membranas etiam nil niſi nervos extenſos & ampliatos eſſe, adeoque conſenſum partium æqui membranarum quam nervorum ope perfici.*

Vias ubique exactas eligere mathematici eſt, in cerebro noſtro tales fingere licet, aſt reipſa invenire impoſſibile.

Ipſa per oſſa purulentam materiam natura traijcere novit, Hippocrate *teſte, quid obſtabit, quo minus, faciliori etiam negotio, per arterias, vel etiam ligamenta ipſa, quorum beneficio hepar toti cohæret, eadem efficiat, corpus; ut enim totum perſpirabile eſt, ſic & fluxile.*

Imò ex ſententia Galeni lib. de loc. affect. 6. cap. 4. [*ſi benè memini*] *pus omne, per arterias, venaſque totius corporis variè agitato ſanguini jungitur, ſicque minimè eidem mixtum, ad renes deductum, cum urinâ excernitur, quæ omnia epiſtolio tuo proponere nobis placuit. Hæc ſimiliaque naturæ alicui proprietati, quæ chymicis archeus, faber, artifex, & Medicus naturæ, vocatur, adſcribuntur; opus hæc ſuum perficit non ratione vel judicio, ſed vi ſola atque virtute facultatis ſecretricis atque expultricis, uti in ſcholis loqui ſolent, vias ſibi eligens occultas.*

Seroſus liquor, æquè in vaſis ac extra ea detentus, vias, fæculentarum impuritatum acceſſu ſæpius impervias an diſponat, adeò ut puri ad hepar facilis concedatur aditus, conſiderari meretur.

Seroſam quod ſpectat humiditatem, quam copioſam repertam fuiſſe ſcribis circa integumenta ſpinalis medullæ, de quarum tamen partium læſione nunquam conqueſtus fuerat æger, lympham eam credimus fuiſſe innoxiam corpori, eo à naturâ ablegatam, quo à periculis præſervarentur partes.

Hæc ad propoſitum tuum. Vale, ſalutem meo nomine indices Clar. Guilielmo Piſoni, *cujus labores in deſcribendis Braſiliæ fructibus, Herbiſque valdè probamus.*

Nic. Zas.

Cap. III.

De Fracturis iiſdem.

Ad quæſtionem propoſitam quæ reſpoaderunt Medici adducti, Artis noſtræ cultoribus ſatisfacere poſſe credimus; nihilominus, cùm plurimi reperiantur, quibus ea diſpliceant, imò obſervata noſtra æquè ac ſententiæ diverſorum Authorum fabulis annumeranda habeantur, ex eo, quod, ſi quando abſceſſus in viſcerum internis reperirentur, haud adeò fracturis Cranii adſcribi debeant, quam quidem morbis eorum variis, placet obſervationem aliam prægreſſis jungere.

Die 7. menſis Junii curæ noſtræ ſubjectus *Henricus Henrici Oſnabrugenſis*, in quo ex ictu os frontis fractum, depreſſumque notabatur; duodecimo ab hoc tempore die obiit æger.

In hoc, æquè ac in aliis decumbentibus, de dolore lateris dextri, puris in vulnere imminutione, denique febre, atque delirio, querelæ fierent.

Calvariâ ablata, pituitoſa occurrebat, eaque corrupta materia, non ſolum in latere capitis dextro circa piam matrem, ſed & in ſiniſtro (eò quod ex concuſſione Cerebri arteriæ laceratæ) circa ſinus.

Relicto capite, quod de dolore hypochondrii dextri, dum in vivis æger, valdè conqueſtus, puriſque in loco affecto imminutio conſiderabilis, Ventris inferioris viſcera accipimus; ad hepar ubi devenimus palmæ ferè magnitudini accedentem inflammationem in eo reperimus, quæ ſine dubio purulentæ collectioni anſam dediſſet, ſiquidem diutius in vivis fuiſſet jam defunctus.

Obſervata hæc noſtra ultima quibus ſatisfacere nequeunt legant, quæ ſimili de materia habet *Petrus Marchette obſ. Medic. ſylog. obſ.* 14. Quintò inquit obſervavi ſæpiſſimè, quod quando in his vulneribus collum incipit dolere, parte potiſſimum poſtica, & laterali, tunc materia purulenta delabitur ad Thoracis, & abdominis cavitatem, quæ longiori mora cùm pulmones, tum pleuram, aliquas nempè ipſorum partes, erodit, ex quibus multa ſanies emanat, quæ poſtmodum ad abdomen defluit, cum Jecoris, & Lienis labe, in quibus varias puſtulas excitat, quibus diſruptis perindè ac ex pulmonibus, & pleura, ita & ex his materia

puru-

2. In fractura naſi, quod eminet, deprimendum eſt: quod autem eſt depreſſum, attolli debet ſpatula vel alio aliquo inſtrumento. Poſtea calamus vel canula naribus inſerenda, & externè emplaſtrum ad fracturam imponendum eſt. Si os à carie conſervetur, curatio intra decem vel duodecim dierum ſpatium perficitur.

3. Maxilla fracta reſtituitur digitis intra & extra os adhibitis: qui ſi nimium ſint debiles, aliquis caput retro, & Chirurgus antrorſum trahit, atque ita reponit. Curatur xx. diebus.

4. Os humeri ſi fractum ſit, alter brachium retro, & alter cervicem vel humerum ad ſe trahat: interea Chirurgus ſurſum trahit quod depreſſum eſt, & deorſum, quod ſe nimium attollit. Pilam ſi in axillarum cavitatibus collocaveris, & cubitum ad coſtas adduxeris, multo facilius hæc operatio procedet, & viginti quatuor dierum ſpatio ſanabitur.

5. Si *Omoplota* frangatur, ubi ſe conjungit cum brachio vel oſſe humeri, malum illud plerumque inſanabile habetur. Si frangatur, ubi ſe attollit, quod facili negotio perſentitur, humerus vel brachium manibus ſive faſciolis fortiter deorſum trahatur, & interim ſuo loco reponatur. Si in varia fruſtula frangatur, inciſionem facito, qua auferri poſſint, niſi adhuc perioſtio adhærerent: nam iſthoc caſu hæc naturæ permittito, quæ ipſa facit accreſcere, vel tandem ſua ſponte emittit & projicit. Sanatur hæc fractura xL. diebus.

6. *Sternum* aut *frangitur*, & tum inæqualitatem invenies, quę attacta digitis cedet, & aliquem fragorem excitabit; aut deprimitur, & tum inflexionem ſenties, quæ dolorem, anhelationem, tuſſim & ſanguinis ſputum movet. Patientem, ut probe curetur, magno lapidi ſuperimponas, utroſque humeros deorſum premens. Hoc

purulenta effluit; quanquam hujus obſervationis ignari exiſtiment, abſceſſus obortos in his partibus, quorum ratione patientes moriuntur, non ex capitis vulnere, quòd ex capite copioſum pus, poſſe ad inferna viſcera delabi, non ſibi perſuadeant: prout in pleriſque obſervavi, mediam thoracis, & abdominis cavitatem pure fuiſſe refertam. Quam obſervationem multis tum in Theatro Anatomico, tum in Valetudinario S. Franciſci demonſtravi.

a De

Hoc peracto, coſtas horſum & retrorſum moveas, uſque dum omnia ſuo loco inveniantur.

7. Simplex *coſtarum* fractura abſque magna contuſione & inflammatione vicinarum partium viginti dierum ſpatio, emplaſtro ad fracturam duntaxat adhibito, curari poteſt. Si extra promineat coſta, manu in priſtinum locum imprimenda eſt: ſi ad interiora vergat, ſpiritum comprimendo, foras eſt urgenda, interim tamen ei manibus opem ferens. Hoc ſi non ſuccedat, emplaſtrum glutinatorium imponito, quod toties vi abſtrahes, donec coſta in locum ſit reducta. Scarificationes in hoc caſu nihil proſunt.

8. Simplex *vertebrarum* fractura facillime digitis reducitur, & xx. diebus curatur. Verum ſi ſpinalis medulla tantopere lædatur & imprimatur, ut patientis brachia & pedes languidi inſenſibileſque fiant, neque urinam emittere, neque alvum pro arbitrio morari poſſit, rariſſime æger mortem evadit. Summa tamen ope nitere, & ſi oſſiculum unum & item alterum ſit ſolutum à perioſtio, inciſionem facito, & ea eximito.

9. Eadem hæc intelligas de fracturis oſſis coccygis & oſſis ſacri: hoc ipſis duntaxat peculiare eſt, ut digitis in anum inſertis, in priſtinum locum reduci queant.

10. Os coxendicis fractum, ſine ulla mora reponi debet, & tum viginti quatuor diebus ejus curatio perficitur, alias enim varia ſupervenient accidentia. Si autem fractura ſit multiplex, ſtatim in prima deligatura inciſio eſt tentanda, fruſtula jam ſoluta auferenda, & quodammodo adhuc fixa reducenda ſunt. Verum propter tendinum, muſculorum, venarum & nervorum copiam, quæ totum os tegunt, ejuſmodi inciſio non ſine magno periculo inſtitui poteſt.

11. Os brachii adjutorium ſi fractum ſit, cubitum primo verſus pectus flectito, deinde inferiorem oſſis adjutorii partem præhendito, eamque deorſum trahito, & ita in locum reducito. Sed hoc obſervandum eſt, brachium toto curationis tempore ea figura, qua extenditur, collocari debere; nam alioquin fractura rurſum diſſolvetur, ſi vel minima reponendi mutatio ei contingat. Hoc tamen volo, ut Chirurgus, quoties deligaverit poſt ſecundam

aut

aut tertiam deligaturam, patientis brachium in directum extendat, ne tendines, ab oſſe brachii adjutorio ad cubitum vergentes, & ſeſe diuturna quiete contrahentes, ibi immobiles redderentur. Attamen hæc tendinum contractio (quæ ad riſum uſque ab hodiernis quibuſdam Chirurgis nervi appellantur) facillimè intra duorum vel trium menſium ſpatium ſanatur, ſi ægro demandes, ut quotidie ponderoſum quid geſtet, & ipſe téndines emollire, humectare & decocto quodam (quod Belgice dicitur *Penſſop*) fomentis & aliis medicamentis laxiores reddere ſtudeas; interim tibi cave à ſpiritu vini & medicamentis attenuantibus. Cum fructu infraſcripto linimento uſus fui.

R. Axung. human. anatis an. unc. j. Ung. althea compoſ. unc. ſ. Ol. lumbricor. lilior. albor. Chamomill. an. drach. ij.

M. F. ſ. a. Linimentum.

12. Os humeri adjutorium quadraginta diebus ſanatur. Reſtitutio oſſis coxendicis parum ab illa differt.

Cubitus conſtat duobus oſſibus, majus dicitur *Radius*, & minus *Vlna*, & utrumque focilla appellatur. Focilla minor fracta facillimè reſtituitur, ſed curatu eſt difficilior, quàm major focilla, & multò difficiliùs utrumque os fractum ſanatur; quippè tum vehementior extenſio inſtitui oporteat. Cùm probe ſint reducta & deligata manus pectori eſt imponenda, ſed aliquanto ſublimius cubito: deindè poſt ſecundum aut tertium diem, ſed ſine vi & dolore, brachium debet extendi, ne adfluentes humores in juncturis diutius quam par eſt commorantes, ibi oſſium concretionem efficiant, qua neque amplius extendi neque inflecti poſſent. Curatio hæc triginta diebus abſolvitur.

13. Etiam *pes* duobus conſtat oſſibus, majus *Tibia*, minus *Fibula* appellatur. Curatio à præcedenti nihil peculiare habet.

14. Si patella genu in tranſverſum frangatur, patiens plerumque claudicat: ſi verò per longitudinem frangatur, fermè à muſculis ſurſum trahentibus, abſque manuum auxilio in locum reducitur, & viginti diebus ſanatur.

CAP. V.

De natura, differentia, ſignis, cauſis, prognoſi, & curatione Luxationum in genere.

LVxatio eſt receſſus oſſis è proprio ſinu & loco in alienam ſedem, motum arbitrarium impediens.

DIFFERENTIÆ ſumuntur I. à forma: aliquando os totum è ſinu prolapſum eſt, & propriè *Luxatio* ſive *Dislocatio* appellatur. Aliquando os paululum tantùm promovetur à ſinu, & tunc *ſubluxatio*, ſive *Elongatio* dicitur. II. à cauſis, quarum aliæ ſunt externæ, ut ictus, luctatio, caſus, ſaltus, curſus &c. aliæ autem internæ, nempè humores ad articulos fluentes.

CAUSÆ igitur ſunt duplices, 1. externa, uti caſus, ictus, curſus, luctatio & vehemens extenſio; quæ ſubinde obſtetricibus non admodum cautis evenit. Imò ictu aut lapſu gravi embryonum oſſicula in utero ſubinde luxantur.

2. Interna, ſcilicet cùm humores ad articulos fluunt, quibus ligamenta remolliuntur & laxantur, & oſſa de ſede ſua deturbantur.

SIGNA, præſertim in corpore macilento, ſunt ſatis manifeſta. Os illo in loco ad quem prolabitur tumorem & eminentiam; & in loco ex quo receſſit, cavitatem efficit. Si luxatio fit perfecta membrum ſurſum trahitur, & brevius evadit. Verùm ſi luxatio fiat ligamentorum laxitate, tum membrum evadit longius, dolore afficitur, & patiens pro arbitrio ſuo movere nequit. In Subluxatione pauciora habes accidentia, & rariſſimè omnia in uno eodemque ſubjecto conſpiciuntur.

PROGNOSIS. In infantibus & corporibus exilioribus oſſa faciliùs reponuntur, ſed difficiliùs ſuo loco retinentur: contrarium fit in robuſtis & ſenibus. Capitis luxatio lethalis, vertebrarum periculoſa, vetuſta curatu difficilis eſt. Quæ à cauſis internis proveniunt, tardius curantur, & faciliùs reponuntur.

CURATIO. Os è ſinu prolapſum aut manibus, aut faſciis, aut inſtrumentis in priſtinum locum eſt reducendum. Ex tribus hiſce mediis pro parte affecta moveberis commodisſimum eligere: attamen

hic

hic æque ac in fractura oſſis quadruplex hæc Chirurgia, nempè extenſio, coaptatio, deligatio, & depoſitio, exerceri oportet. Tamdiu membrum extendatur, uſque dum inter os, quod ſuo loco manſerit, & inter os prolapſum, cavitas quædam reperiatur, ne oſſis caput ſuperciliis ſinus in coaptatione nimium allidat, unde poſtea graviſſima, imò incurabilia accidentia exoriri poſſent. In coaptatione ſive depoſitione, neque os, neque muſculos contorqueas, ſed naturalem figuram ſervent. Antequam te ad deligationem accingas, inflammationem à membro arceto, & ejuſmodi utere medicamentis quæ humorum influxum prohibent, denique ſequentibus remediis partem affectam corroborato.

Emplaſtrum corroborans.

R. Thuris, Maſtiches. Boli Armeni. Sang. Draconis an. unc. ſ. Far. Molendini volatilis unc. j. Rad. conſolid. maj. drachm. ij. Sævi arietin. unc. iij. Ceræ albæ q. ſ.

M. F. Emplaſtrum.

ALIUD.

R. Lithargyr. Ceræ, Reſinæ an. unc. iij. Liquefactis ſuper igne adde Symphyt. maj. Far. fabar. Boli Armeni an. in aceto maceratorum & Siccatorum unc. iij. Tragacanth. unc. ij.

M. F. Emplaſtrum.

Si neque dolor neque alia accidentia neceſſariò exigant, ante quintum, ſextum ſive ſeptimum diem faſciæ non ſunt ſolvendæ, & quantum ſit poſſibile, membrum immotum ſervandum. Denique partem æqualiter, & in tali figura deponito, ut non facile defatigetur.

Si Luxationi inflammatio adſit, cave membrum extendas, antequam ipſam removeris quod primò emollientibus, & deindè medicamentis attenuantibus præſtabis.

Linimentum emolliens.

R. Vng. altheæ compoſit. drachm. ij. Axung. porcinæ unc. ſ. Ol. lilior. albor. Roſac. myrtin. ana q. ſ.

M. F. Linimentum.

Emplaſtrum attenuans.

R. Colophoniæ, picis, thuris, Maſtiches ana unc. j. Sem. cumin. fœnicul.

ana drachm. vj. Ceræ & ol. anethini. q. ſ.

M. F. Emplaſtrum.

Cap. VI.

De Luxationibus particularibus.

1. MAxilla, niſi in infantibus, vix in aliam quam in anteriorem partem prolabitur & luxatur. Aliquando ex uno latere elabitur, & facili negotio reducitur: aliquando ex utroq; latere: ſed tunc difficillimè reponitur, imò valde periculoſum, & ſubindè etiam lethale fuit.

Rariſſimè Maxilla luxatur ex muſculorum debilitate, aliquando ex ligamentorum laxitate, ut plurimum tamen ex nimia oris apertione. Si in uno latere elapſa ſit, ſeſe obliquè ad partem affectam inclinat: proceſſus acutus protuberat: dentes inferiores non conſiſtunt ſub ſuperioribus, præterea etiam committi non poſſunt. Maxillam propellito ad partem oppoſitam, & ita in priſtinum locum reducito, quod non admodum eſt difficile; imò aliquando unico, ſed rigido colapho in locum repoſita eſt.

Si ex utraque parte maxilla luxetur, tota maxilla in anteriorem partem prominet: os manet apertum: proceſſus acutus ex utraque parte apparet prominentior: muſculi temporales ſunt extenſi. Miniſter aliquis caput teneat, vel ad murum illud applicetur: maxillam trahito, cùm ambos digitos pollices in os immiſeris, primò deorſum, deinde retrò, & denique ſurſum, atque ſic citiſſimè & facillimè reponitur.

2. Os humeri rarò luxatur, & etiam rarò ita reducitur, quin aliquantulum protuberet; quam ob cauſam patiens ſæpenumero manum ad os aut caput porrigere nequeat. Ut optimè reducatur, ægrum reſupinato, & lapidem ſive cacabum ſub humeris collocato; deinde brachium antrorſum & retrorſum extendito, in illo ſcilicet latere, ubi luxatio conſpicitur, & denique prominentem ſcapulam in propriam ſedem repellito.

3. Os humeri adjutorium magnum ſive ſupremum nunquam retrorſum luxatur, rariſſimè ſurſum & antrorſum, ſed plerumque deorſum. Certisſimum hujus rei ſignum eſt, cum ſub axillis rotundam quandam duritiem, & ſupra humeros cavitatem quandam per-

perſentias: brachium altero longius eſt, & patiens manum ad os porrigere minimè valet. Variis modis reducitur, ſed hi commodisſimi tutisſimique cenſentur. 1. Imponatur patiens articulis humerorum hominis robuſti, & ita teneatur: alius autem brachium deorſum premat, & deinde Chirurgus ſupremam partem in acetabulum elevet, & hoc modo brevisſimo temporis ſpatio in ſedem reducitur. 2. Scalam ſatis firmam ſumito, & infra juxta eam ſedem apponito, cui patiens inſiſtatur: ſupremus Scalæ gradus corpus quoddam habeat rotundum, quod cum alarum forma ad amusſim convenit: brachium affectum ei imponito, & deorſum trahito, os humeri horſum & retrorſum movens: miniſter interim etiam brachium ſanum deorſum trahat, & ſedem pedibus patientis ſubducat, ut os humeri, ipſo ita pendente, in priſtinum locum reduci posſit. 3. Alas patientis ponito ſupra humeros viri robuſti, quique altiori eſt ſtatura quam ægrotans: brachium luxatum deorſum trahat, proprium humerum elevans, quaſi æger penderet: prematur humerus deorſum, brachiumque horſum ac retrorſum moveatur, donec omnia in locum redierint. 4. *Gloſſocomium* ſive *Ambe* quam Hippocrates deſcripſit, Paræus emendavit & *fulcimentum ſubalare* appellavit: inſtrumentum eſt commodiſſimum cujus forma apud illos conſpici poteſt.

4. Cùm *vertebræ cervicis* luxantur, patiens humili ſede ſedeat, & humeri deorſum premantur: deinde caput utraque manu ſublevetur, horſum & retrorſum moveatur, ſed abſque ulla vi, & ita reponantur vertebræ: hiſce peractis, æger quodammodo liberabitur, & caput pro arbitrio ſuo movere poterit.

5. Si *vertebræ dorſi* extra excedant, patiens ſeſe in ventrem projiciat: duo miniſtri vehementer ipſum duabus faſciis extendant quarum altera ſub alis, altera vero ſupra femora alliganda eſt, & hoc modo vertebræ rurſum intrudantur. Si vertebræ ad interiora luxentur, malum lethale cenſetur.

6. Os ſacrum ſi luxatum ſit, digitos in anum inſerito, & extra in locum ſuum reducito.

7. *Coſta* luxata, ne diu extra locum maneat, nam alioquin graviora accidentia mox ſequentur. Si ſurſum verſus è vertebris ſit

prolapſa, patiens cum brachiis in januam propendeat, coſtamque ita in locum reponito. Si deorſum verſus luxata ſit, patiens ſeſe inclinet, & manus in genubus collocet, & tamdiu Chirurgus coſtam prominentem premat, donec in locum redierit. Si ad interiora luxata & prolapſa ſit, emplaſtrum glutinatorium imponito, quod ſæpiſſime vi detrahes, quo peracto, aliquando reponitur: ſi hoc non ſuccedat, malum lethale eſt, nam manuum auxilio nunquam in locum reducitur.

8. Cubitus luxatur ad partem anteriorem, vel poſteriorem; ad exteriorem vel interiorem, aliquando radius vel ſubſequitur vel ſubſiſtit, quod tactu dignoſcendum eſt. Si luxetur cubitus ad partem anteriorem, brachium brevius redditur, cubitumque inflectere non poſſumus: Os ad partem anteriorem protuberat, & cavitas inſueta in poſteriori cernitur. Os luxatum æque in hac, ac in aliis cubiti luxationibus celerrimè eſt reponendum, aliàs enim vehemens dolor, inflammatio, febris, vomitus bilioſus, imò aliquando mors ſubſequetur. Brachium oblique, & tam diu extendatur, ut oſſa in reponendo ſeſe non lædant: ſi manus ſint infirmæ, faſcias ſume, & brachium luxatum circum columnam, vel lecti caſtrenſis pilam ducito, ipſum extendito, & os retrorſum premito, donec in locum redierit. Si ad partem poſteriorem luxetur, brachium etiam brevius evadit, & præterea inflecti non poteſt. Os ad partem poſteriorem protuberat, & in anteriori parte inſueta cavitas conſpicitur. Si ad interiorem aut exteriorem partem luxetur, eadem reperies ſigna, ſed protuberantia in illo apparet loco, in quem os prolapſum ſit, & cavitas in illo, in quo receſſerit. Hæ tres luxationum ſpecies, poſt congruam extenſionem facillimè curantur, præſertim ſi non ſint vetuſtæ. Eadem hæc etiam de Radio intellige.

9. *Femur* quatuor modis luxatur, plerumque ad interiorem, exteriorem & anteriorem, ſed rariſſimè ad poſteriorem partem. Cùm ad partem interiorem luxetur, crus longius altero apparet, & vix inflecti poteſt, genu in exteriorem partem prominet, & caput oſſis femoris in inguina prolapſum eſt, & manifeſte ibi cerni poteſt. Quàm difficulter reponitur, tam facile rurſum excedit: hinc patiens in phtiſin incidit, & ſubclaudus evadit.

Ut

Ut femur in priorem reducatur ſedem, æger in medio ſcamni aut menſæ collocandus, & intra ejus pedes firmiſſimus teres, linteis obvolutus, inſerendus, ut cum illo crus ſuum vehementer extendat, & interim manibus Chirurgi reponatur.

Si ad partem exteriorem luxetur, crus brevius evadit, & pes ad interiores partes diſtorquetur. Patiens crus quidem movebit, ſed vix uſque ad terram porriget. Licet non reponatur, tandem dolor omnis peribit, & patiens ſine fulcimento incedet. Ægrum menſæ aut ſcamno, ut ſupra præſcripſi, imponas, & crus aut manibus aut faſciis fortiter extendas, & interim in locum priſtinum impellas.

Si femur prorumpat ad partem anteriorem, inguina intumeſcunt, & nates rugoſæ & excarnes apparent: crus affectum nec brevius, nec longius redditur, ſed inflecti vix poteſt, & urina ſupprimitur. Licet non reponatur patiens, tamen poſt aliquod tempus rectè incedet, ſed aliquando crus trahere neceſſe habebit. Si illud reponere ſtudeas, æger ſeſe in latus integrum & ſanum deponat, & hoc modo crus fortiter extendatur, & in priſtinum locum repellatur. Si manus huic negotio non ſint ſatis validæ, genu in ſedem intrudatur.

Si in partem poſteriorem promoveatur femur, patiens neque crus extendere, neque illud complicare, neque calce terram quatere poteſt, & hoc ſi cum labore tentaverit, in dorſum delabitur: crus altero brevius eſt: in inguinibus cavitas, & nates ſi comprimas, inſueta ibi protuberantia conſpicitur. Licet non reducatur, tamen interjecto aliquo temporis ſpatio, dolor evaneſcit, & crus ſe flecti permittit, ſed brevius & rectum manet: imò neque pes ad interiorem, neque ad exteriorem partem diſtortus eſt. Patiens in ventrem procumbat, crus fortiter extendatur, interim os femoris ſupra genu præhendens; quod trahendum ab integro crure ad partem exteriorem, & ejus os in acetabulum propellendum, in quo tamen non manebit, niſi patiens ab omni prorſus motu abſtineat.

10. Luxatio pedum eodem modo, quemadmodum luxatio cubiti ſanatur.

11. Patella genu ſi è ſua ſede prolabatur, patiens ſe recte erigat, eamque ſic rurſum impellito: in illo latere ex quo receſſit, concavam tabulam, quæ patellæ formam habet, & in ſinu illo pone

genu

genu compreſſas quaſdam collocato, & totum pedem tam firmè deligato, ut genu minime inflecti poſſit.[a]

Cap. VII.

De Herniis.

POſtquam oſſeas duraſque corporis partes duriter pertractaverim, ſequitur nunc ut molles carnoſaſque partes lenius pertractem, & earum *Syntheſim* deſcribam. Itaque à Peritonæo diſrupto initium faciam, quod nunc inteſtinis, nunc omento è naturali ſede in inguina ſive in ſcrotum deſcendendi anſam præbet, efficiens ibi *Enterocelen* ſive *Herniam Inteſtinalem* cum inteſtina, & *Epiplocelen*, ſive *Herniam omentalem*, cum omentum prolapſum ſit.

Peri-

[a] De Luxatione oſſis caudæ nihil habet Autor, è re itaque fuerit obſervationem à Curioſiſſ. Chirurgo Jobo à Meekren in hac materia ſcriptam adjicere.

Articulationis ope quæ juncta, luxatione facilè ſejungi poſſunt, una tamen aliâ majoris periculi.

Mulier quædam Anabaptiſtarum ſectæ addicta alvi excrementa deponere ſtudens, operculo locum ſecretum indebitè tectum ignorans, ex improviſo os coccygis lædebat, adeò ut nec ſtare nec ſedere valeret, ſed ab aliis in lectum deportari debuerit.

Altero die dolor ſummus, qui jam à primo tempore adfuerat, ſimiliter ac febris gravis, convulſionesque me advocari fecerunt, nec non Medicum ordinarium.

Conſiderandis conſideratis omnium ſymptomatum originem oſſis caudæ luxationem infortunio quodam contractam, pronunciavimus, nullo verò modo ea tolli vel imminui poſſe, niſi digito in anum immiſſo os idem ſuo loco reſtitueretur. At illa operationem hanc admitteret, nullis verbis, pudore ſuffuſa, induci potuit, quæ exigebat Topica nullius fructus declarabamus, quamdiu repoſitio debita haud peracta.

Quod nihil omninò hic efficere nos poſſe obſervaremus, relicta ægrotante miſerè decumbente, diſceſſimus.

Nox moleſta valdè, ob ſymptomatum, convulſionis imprimis, incrementum, quod commodum, imò unicum in hoc caſu medium heri declaraveramus, manualem nempè oſſis luxati repoſitionem, mane ſummo admitteret, urgebat.

Secutus adeoque modum à *Paræo lib. 16. cap.* 14. aliiſque præſcriptum, digitum ſiniſtræ manus Oleo Roſarum inunctum in inteſtinum rectum immiſi, mox manu dextrâ variis modis locum affectum tractavi, uſque dum cum ſtrepitu in locum ſuum oſſicula recederent, quod brevi effectum, ſymp-

Peritonæum conſtat duabus firmiſſimis, ſed mollibus membranis quæ omnia, quæ in ventre aut in infima cavitate ſunt, adeò concluſa tenent, ut inde naturaliter nihil procidere queat. In fœminis *Os pubis* [a] ultimus ejus terminus eſt: in viris extrema ejus membrana ulterius procedit, & primam propriamque teſticulorum membranam efficit. In inguinibus vaſa genitalia tanquam in vagina circomplectitur, quæ *Proceſſus* ſive *Productio Peritonæi* dicitur. Hæc ſi dilatetur, ſive diſrumpatur, cauſa proxima ſupra dictarum herniarum cenſetur.

Inguina igitur ſunt locus herniis conſuetus: verùm noli tibi perſuadere, peritonæum in aliis locis etiam non poſſe dilatari aut diſrumpi, & ibi herniam efficere: ſupra umbilicum contingit, ſed rarisſimè: infra umbilicum & ad ejus latera, & longè ſupra inguina non duntaxat ego juxta alios hernias vidi, [b] ſed cum illis tanquam cum abſceſſu agebatur, & Chirurgus non aliam ſui erroris rationem in medium producebat, quàm quòd ibi herniis conſuetus locus non eſſet. Hoc profectò ipſos, qui artem & proprium honorem diligunt, obſervare oportet.

Plerumque inteſtinum Ileum deſcendit: aliquando etiam alia ſubſequuntur & in ſcrotum prolabuntur: quod profectò ſimplici dilatatione ſupradicti proceſſus ſive vaginæ [c] fieri nequit, ſed in omnibus & ſimilibus magnis herniis, neceſſariò vagina illa diſrupta eſt.

Causæ

ſymptomatibus omnibus in totum ſublatis. Exterius Ceratum vigonis imponebatur ad curationis abſolutionem,

[a] Non in oſſe pubis terminatur, ſed alia ex ipſius membranis ligamenta uteri rotunda vulgò dicta, concomitatur, ita ut etiam in mulieribus aliqua peritonæi detur productio, ſed tamen minor quàm quæ in viris exiſtit.

[b] Mihi etiam videre contigit in Juvene, herniam ſupra penem collocatam quæ à Chirurgo advocato pro abſceſſu habebatur, & quàm difficillimum fuit per emplaſtra & ſubligaculum curare, quandoquidem ſubligaculi fabricæ peculiaris admotio, in loco tam incommodo vix perfici poterat: Hodie tamen equitationes etiam violentiores ſine moleſtia, & nullo ampliùs adhibito ſubligaculo, peragit.

[c] Membranaceæ corporis partes ſine diſruptione poſſunt ad prodigium dilatari, ſi ſenſim illud fiat, & vis per gradus adhibeatur; ſic veſicæ urinariæ animalium, per varias aëris inſufflationes & interjectas conquaſſationes, mirum in modum expanduntur.

[d] Quia

CAUSÆ, ob quas peritonæum diſrumpitur ſive dilatatur, ſunt caſus, ſaltus, percuſſio, magni ponderis portatio, vehemens vomitus aut tuſſis, durior alvus, concluſi undique flatus, & omnis corporis vehemens motus.

SIGNA. Tumor nunc major, nunc verò minor apparet; imò aliquando prorſus evaneſcit, ſed minima corporis motione revertitur: quantopere omentum ſive inteſtina protuberent, attamen digitis abſque dolore in priorem ſedem reduci poteſt, niſi flatus, & fæces impedimento ſint, quę herniæ dolorem vehementer augent.

Si inteſtina flatibus ſint repleta, totus venter eſt intenſus: murmur aliquando auditu percipitur: patiens ſurſum & deorſum flatus emittit. Si excrementa ſint indurata, etiam patiens ſtrictioris eſt alvi: tumor ponderoſior & durior paulatim evadit.

Si peritonæum tantum ſit relaxatum & dilatatum, tumor parvus paulatim increſcit: ſi ſit diſruptum ſubito deſcendit.

PROGNOSIS. In primæ ætatis infantibus [d] herniæ facillimè ſanantur, ſed nequaquam, vel ſaltem difficillimè in ſenibus: præſertim ſi peritonæum ſit diſruptum.

Si inteſtina flatibus ſive fæcibus ſint repleta, ſequitur dolor, & ſi non celerrime removeatur, etiam inflammatio, gangræna, & tandem etiam mors inevitabilis.

CURATIO. Reſupinetur æger, pedibus in altum elevatis & parum dilatatis, quo contingit ſæpius, inteſtina vel omentum ad priſtinam ſedem ſua ſponte redire: hoc ſi non ſuccedat, leniter digitis in locum urgeto: ſi autem flatus ſive induratæ fæces in cauſa ſint, quo minus hoc perficere queas, ſubſcripta medicamenta adhibere neceſſe eſt.

Si excrementa ſint indurata.

R. Rad. Althææ unc. ij. lilior. albor. unc. j. Herb. Malvæ. Violar. Parietar. an.

[d] Quia ſc. dum inteſtinum per ætatem majus evadit, peritonæi annulus non ita continuò dilatatur, (præcipuè ſi ſubligaculum adhibeatur,) ut inteſtinum grandius factum, per illum elabi poſſit.

[e] Pro

an. M. ſ. Flor. chamomill. Melilot an. p. ij. Furfur. M. ſ. Coq. ex aq. commun. & expreſſioni

Adde

Far. Hordei Fabar. an. unc. iij Lini, Fœnugræc. an. drach. ij. Ol. Roſac. lilior. albor. Axung. anatis vel gallinæ an. unc. j.

M. F. Cataplasma.

Si hoc Cataplaſma tibi non ſatisfaciat, vel non videatur ſatisfacturum, ægrum per horam unam atque alteram medicamentis emollientibus, lacte bovino, oleo, vel aqua concoctis, foveto, neque tamen clyſterum & purgationum eſto immemor.

Ad flatus diſcutiendos.

R. O l. Chamomill. Rutac. an. unc. j. Nardin. Anethin. an. drachm. iij. Spirit. vin. drachm. ij. Ceræ parum.

M. F. Unguentum.

Aliud:

R. Ol. Abſinth. unc. j. Nardini. Nucis moſchat. expreſſ. an. unc. ſ. Macis ſtillatit. Carui deſtillat. an. drachm. j. Vini Malvatic. unc. j. ſ. Coq. parum, addendo ceræ q. ſ.

M. F. Vnguentum.

Interne adhibe ſemen aniſi, fœniculi, carui, & alia inſuper flatus diſcutientia medicamenta, quæ etiam clyſteribus, hic admodum neceſſariis, admiſceri debent.

Emplaſtrum de cumino, quo nonnulli utuntur, hoc in caſu etiam conducere poteſt.

Vel

R. Emplaſt. Stictic. Croll. Gummi Carann. Tacamahac. an. drachm. ſ. Ol. Philoſophor. Carui deſtillat. an. unc. j.

M. F. Emplaſtrum.

Hiſce impedimentis ita ablatis, & omento inteſtiniſvè in priſtinam ſedem reductis, tam diu ſubligaculis ſive faſciis eadem intra contineto, uſque dum crepidines diſrupti peritonæi ita ſibi invicem ſint unitæ, vel muſculis ventris ita accretæ, ut nihil omnino inde decidere aut prolabi queat. Tanto citius eo pervenies, ſi infraſcriptum Emplaſtrum externe adhibeas, & interne medicamentis utilibus naturę opem feras. Sed non eſto immemor, crepidines diſrupti

 peri-

peritonæi in ſenibus & vetuſtis herniis callo ſubinde adeo eſſe induratas, ut ſibi invicem concreſcere nequeant, licet accuratiſſime ad mutuum contactum ſint adductæ, ſed in hoc caſu ſubligaculis res peragenda eſt: ſed in primę ætatis infantibus facillimo negotio concreſcunt, & faſciæ hic aptiores videntur, quàm commodiſſima ſubligacula: qui hujus rei habitum non habet, operam det, ut eum conſequatur.

Emplaſtrum ad Herniam.

R. Rad. conſolid maj. Biſtort. an. unc. j. ſ. Ariſtoloch. rotund. drachm. ij. Gallarum, Nucis cupreſſ. Cortic. granator. an. drachm. j. ſ. Flor. balauſtior. Roſar. rubrar. Fol. quercus an. drachm. ſ. Aloës, Sang. Draconis. Acaciæ, Lumbricor. terreſt. exſiccat. Thuris, Maſtiches, Myrrhæ, Sarcocollæ, Mumiæ an. drachm. j. Picis navalis, Colophoniæ, Gypſi uſti an. drachm. ij. Lithargyr. Bol. Armeni, Lapid. hæmatit. Chalyb. præp. an. ſcrup. j. Therebinth. Venet. q. ſ.

M. F. Emplaſtrum.

Hauſtus de quo æger bis vel ter de die quinque uncias ſumat.

R. Oſmundæ regal. Herniariæ an. M. j. Rad. conſolid. maj. Biſtort. an. unc. j. ſ. Flor. hyperic. M. j. Sem. aniſi drachm. ij. Coq. ex vino rubro: colatur. libr. j. ſ.

Adde

Syr. de ſymphyto Fernelii unc. ij.

M. F. Apozema.

De hiſce pilulis patiens mane & veſperi quinque aut ſex ſumat.

R. Mumiæ drachm. j. Galban. in aceto diſſolut. drachm. ij. Myrrh. Limaturæ chalybis, Stercor. Leporis ſiccat. an. drachm. ſ. Pulv. lumbricor. terreſt. ſcrup. ij.

M. F. pilulæ magnitudine piſi majoris. [e]

Si

[e] Pro Inteſtini reducti novo deſcenſu prohibendo Ambroſ. Paræus fotum habet ex corticib. granat. nucib. cupreſſ. gall. alum. caud. equin. ſumach. berber. aq. fabr. incoctis, imò amici fide magnetem in pollinem redactum commendat, & limacum rubror. pulverem. Crato in Bubonocele, deraſis pilis, tumorem terebinthinâ inungit, tum pulverem inſpergit, qui habet: Sang. dracon. maſtich. thur. myrrh. ãã. ℥j. ſumach. balauſtior. ãã. ℈ij. aloës, tormentill. mumiæ, coloph. bol. arm. ãã ℥jß. xyloal. ſpic. ãã ℥ß.

Hye-

Hyeronimus ab Aquapend. propoſitis Avicenn. Pauli, Celſi etiam medicamentis, & Emplaſtro quod ingrediuntur, malicor. bol. arm. Sang. drac. ãã ℥j. tegular. pulver. ℥ij. pulver. bis ling. ʒijß. cum ovi albumine, modico aceto & coloph. Ægrotantem quadraginta dies in lecto continet, riſu, venere, balneo prohibitis, ac bis de die ſequent. Electuar. ℥ß. præſcribit ℞. Rhabarb. aſſi, conſol. maj. nuc. moſc. nuc. cupr. cymin. tragacanth. gum. arabici, maſtich. bol. arm. Sang. drac. mum. picis græcæ ãã p. æq. in alcohol contundantur, & cum melle deſpumato fiat Electuar. Nonnulli pulverem leporis combuſti addunt. Propinetur vinum auſterum, vel aqua chalybeata, aut fluvialis cui folia cupreſſi, myrtique incoxerint.

Schroderus in Pharmacop. ad quamvis herniam, excepta hydrocele, Emplaſtrum poſuit, cujus ſunt, Gluten ex anguillar. exuviis parat. lap. hæmat. ſacch. ſaturn. ſtann. uſtum, gum. ammoniac. in aceto pluti radic. ſol. & cum myrrhæ ol. ℥iij. miſtum, reperiturvè in Gedanenſium Diſpenſatorio.

Michael Johannes Paſchalius: mihi crede, inquit, quòd ſi Iuvenis triginta reſupinus dies quieſcat, & de die ʒj. pulver. conſol. maj. vel minor. cum jure pedum arietis, vel vino adſtringente mane accipiat, recens curabitur hernia. (*Ego provunciare poſſum non ſine maximo fructu eadem methodo exhiberi pulverem lunariæ brotritidis ad* ʒj.) Nec virtute, ſi Medico fides, inferior valerianæ radix, ſuccus ſcabioſæ, pentaphyllonis radic. pulvis. Decoctum contra herniam, unguentum hernioſum, emplaſtrum contra herniam, Mynſichtus deſcripſit in Armamentario.

Chriſtophorus Koëslerus, Principis Lignicenſis Medicus, Filio cui inteſtinum dimidii digiti longitudine à Scroto prominebat, poſtquam digitis intrò adegiſſet, ſequentem pulverem præſcribit: ℞. folior. conſol. ſaracen. ſem. & fol. perfol. ãã ℥ijß. fol. piloſ. rad. conſ. maj. ãã ʒv. ſacch. pen. ʒv. f. pulv. quo in dies uſus in juſculo & horas aliquot quievit. Inſuper inguina inunxit oleo momordicæ, & emplaſtrum contra rupturam cum ſubligaculo adhibuit, quibus feliciter reſtitutus, mortem evaſit.

Ioh. Bapt. Sironius ad qualemcunque herniam emplaſtrum habet quod accipit: rad. conſ. utriuſque ãã ℥iij. Laventur optimè, ſiccentur, piſtentur, & in pulverem redigantur, deinde per horas duas in vaſe ferreo bulliant igne lento & addendo terebinth. ℥vj. optimè miſceantur poſtea maſtiches ℥ij. thur. ℥iij. pulver. & per ſetaceum trajiciantur ſemper agitando, donec bene miſceantur, jam adjic. gum. elem. in pollin. red. & tacamah. ãã ℥ij. remov. ab igne & uſui ſerva, ut diſtendi, urgente neceſſitate, ſuper corium poſſit.

Nicol. de Blegny in ſuis Ephemeridibus Medicis gallicè conſcriptis emplaſtrum communicat quod, ut ipſe habet, ad herniarum curationem miranda præſtare aſſeritur. ℞. Olib. vel thur. maſc. gum. ammon. & opopon. ãã ℥ij. cuncta hæc diſſolvi curat in acet. ſtill. ſ. q. demum ac-

cipe piper. alb. ſem. ſinap. fol. buxi ãã ℥j. ebull. omnia in aq. fabr. corylis tribus uſque ad duar. tertiar. conſumption. cola decoct. & fervens adhuc affunde gummat. diſſolut. cuncta hæc ſimul commixta lentiſſ. igni impone, digerique ſinantur per duas horas, demum igne per gradus adaucto, ut ferè ebulliat, adde ℥ij. olei lumbricor. ebull. quouſque omnis humiditas exhauſta ſit, addita poſtmodum iterum ſemilibra picis nigr. puriſſ. ad ignem tamdiu relinquas, quamdiu omnia rectè concorporentur, & in emplaſtri conſiſtent. abeant, quod alutæ inducendum, magnitud. & figura inguinibus convenientibus, quibus adhæreſcere permittes, quoad ſponte excidant.

Quid de Hollerii herba proferamus aut polygono minor. novem diebus rupturas conſolidante, ſi Hollerio credimus, Fallopio, Matthiolo, Piſoni? Quid de aqua ejuſdem ſtillat. cujus hauſtu puer ſanatus, & emplaſtro quod accipit: Emplaſtri cont. ruptur. & de gratia Dei ãã ℥j. Sang. drac. oſmund. regal. olib. ãã ʒij. cum ol. myrtill. f. Maſſa apud Valleſium?

Timæus puero Enteroceles extrupto in dextera parte peritonæo, laboranti ſeq. electuarium & emplaſtr. præſcribit poſt decoctum herniariæ ex vino rubello cum Syr. de Symphito dulcoratum. ♃ rad. conſol. maj. ℥ß. folior. herniar. perfol. ſanic. millefol. ãã ʒij. in pollin. redacta cum Syr. de Symph. q.ſ.f. Electuarium. ♃. pic. naval. ℥ß. aloës ʒij. lytharg. colophon. galb. ammon. ãã ʒjß. viſci quern. liquidi ʒvj. ariſt. rot. myrrhæ, thuris, maſtich. bol. arm. ãã. ʒiij. conſ. maj. ʒvj. lumbricor. terreſt. gallar. ãã ʒiij. ſarcocoll. ʒvj. terebinth. & ceræ q.ſ.f. Emplaſtrum.

Joh. Uldaricus Rumlerus, Medicus Auguſtanus, in obſervation. unguentum habet Medici cujuſdam Viennenſis, quod in magno ipſi ſecreto fuit, eoque infantes plurimos, nullum autem adultiorem, reſtitutos affirmavit. ♃. conſ. maj. ℥iß. conſ. Sarrac. agrimon. garyophyll. fœnic. ped. leon. millef. prim. veris, plantag. ãã. Mjß. maſtich. thur. cupul. gland. nuc. cupreſſ. gallar. ãã ʒvj. rad. torment. ſerpent. ãã ℥j. butyri majal. q.ſ.f.ſ.a. unguentum, cui admiſce vin. ſublim. ut fiat fluxile inſtar linimenti.

Hyeronim. Keuſnerus Medicus Nordlingenſis hanc curam proponit. ♃. beton. auric. mur. veron. alchim. pyrolæ, conſ. Sarrac. agrim. Sanic. ãã M. ß. rad. garyophyll. ℥ß. inciſ. & contuſ. coque in menſ. ij. aq. ad conſumption. med. bibat mane & veſperi hauſtum. Poſtea ♃. lap. magnet. maſtich. ãã ʒij. lap. calamin. Sang. drac. ãã j ℈ ferri, bol. arm. ãã. ℥ß. vin. ſublim. menſuræ quart. in hoc pannus duplicatus intinctus herniæ fortiter adligabatur, bis quotidie, manè & veſperi cum ſubligaculo, ac brevi convaluit.

Monachum Deggingenſem in utroque latere ex caſu hernia inteſtinali laborantem, præter alia Syr. quoque vulnerar. fœliciter ſanatum in iiſdem habet Obſervat. Ad Syr. autem conficiend. ♃. rad. garyophyll. ℥j. dictamn. alb. conſ. maj. ãã. ℥ß. herb. Leontopodii, Sanic. pyrol. auric. mur. ſolidag. ſarrac. conſ. med. vinc. perv. perfol. numular. agrim. ãã M. ß. rhapont. opt. acor. comm. ãã ʒiij.

rolar.

roſar. rubr. p. iiij. Sant. rub. ʒiij ß. calam. arom. ʒj. mac. nuc. moſc. ãã ℈ij. aq. font. ℔iij. ſtent 24. hor. in loco calido, vaſe bene obturato, & primùm lento igne, poſt vehementiore ferveant ad conſumpt. med. ubi refrixerint col. & cum Sacch. albiſſ. ℥vij. coque ad conſiſt. Syr.

Scultetus hoc ſibi habet inter aſſumenda expertiſſimum. ℞. Conſ. Symphiti ℥ij. roſar. antiq. ℥j. cort. citri cond. arant. cond. ãã ℥ß. pulv. herb. perfol. herniar. ling. ſerpent. rad. conſ. maj. ãã ʒjß. ſem. plantag. ℈iiij. cichorii, fænic. corall. rub. præpar. ʒjß. margar. præp. ʒß. lap. chryſol. præp. ℈j. Syr. myrtin. vel corallor. q. ſ. M. F. Electuarium, quatuor ante prandium, & tribus ante cœnam horis nucis juglandis quantitate deglutiendum, cui vini rub. auſteri, ſuſpenſo nodulo, hauſtum ſuperbibat. ♃. herbar. fragar. conſ. med. vinc. perv. equiſ. ling. ſerpent. perfol. ãã M. j. rad. ſigill. Salomon. ℥jß. conſ. maj. ℥j. ſem. plantag. ℥ß. cichor. ʒiij. fænic. ʒij. cumini ʒj. inciſ. & contuſ. miſc. ad Sacc. in trib. vini rub. vel albi menſ. ſuſpend.

Marcellus Cumanus medulla citri herniæ inteſtinalis curationem molitur ♃. medull. citri ſubtiliter inciſam, bulliat in axung. porci recenti, poſt coetur per petiam, & iterum ponatur ad ignem, in fine miſceatur maſtix, oliban. cera alba, eritque optimum unguentum citrinum.

Pro *Hydrocele* Lotichius, loco cum ſpongia fomentato emplaſtrum præcipit. ♃. herb. orig. rut. abſint. chamom. ãã M. j. baccar. laur. ℥j. ſem. aniſi, fænic. cumin. ãã ℥ . coq. in ℔ q. aq. comm. & aceti pro fotu. ♃. Emplaſtr. de baccis lauri, Stercor. capr. ãã ℥jß. cochlear. contuſ. cum teſtis ℥ß. ſem. cumin. ſulphur. ãã ʒij. malaxentur cum olei rutæ, chamom. ãã q. ſ. f. Emplaſtr.

Hyeronim. Reuſnerus nobilem quendam hernia aquoſa laborantem his remediis liberatum introducit. ♃. vini ſublim. quart. ß. olei chamom, cochlear. j. croci parum M. optimè in vitro, eoque calfacto ungatur quotidie hernia mane & veſperi; poſtea fac ſacculos ex geronio cocto in vino rubro, & inter duos orbes ligneos expreſſos calidiſſimè applica, ſemper applicatos relinque noctu & interdiu, donec humor omnis omnino abſumatur.

In *Pneumatocele* pulverem magnifacit Geierus qui; ♃. ſem. aniſ. fænic. carui, dauci, cumin. bac. laur. contuſ. ãã ℥j. liquir. raſ. gingiber. alb. galang. ãã ℥ß. caryophyll. cubebar. piper. long. ſem. rut. ãã ʒij. aniſi Sacchare obducti ℥iij. Sacch. ℥vj. M. f. ſ. a. Tragea. ♃ ſpecier. aromat. roſat. dianiſ. ãã ʒiß. olei fænic. ℈ß. Sacch. in aq. aurant. ſoluti ℥iiij. f. Tabellæ.

Rondeletius Ramicem fovet vino adſtringente & lixivio in quo ebullierint cumin. baccar. laur. ſeſel. rut. ãã ʒj.

In *Sarcocele* aquam virg. aureæ deſtillat. præclarè agere creditur.

Rolfincius ad herniam carnoſam ſuum quod Rolfincianum vocat, emplaſtrum commendat. ♃. ſucci ferulæ galbanifer. reſinoſ. ammon. reſinoſ. ãã ℥j. infund. per noctem in aceto ſcillit. ſolve ſuper igne & cola, ut à ſordibus liberetur. Facta leni aceti exhalat. adde rad. ariſtol. rot. ireos flor. ãã p. v. marcaſitæ Saturn. ʒj. lapid. calamin.

lamin. myrrh. ãã ʒiij. olei laur. & ceræ q. ſ. f. Emplaſtrum.

Scultetus pulvere radic. ononidis tumorem reſolvit, & emplaſtro quod habet gumm. ammon. galban. bdellii, ãã ℥ß. diſſolut. in aceto add. adip. anat. liq. & col. ℥jß. ceræ citr. ℥ij. olei lilior. albor. medull. crur. bovis ãã ʒx. M.F. Emplaſtrum.

Iohann. Uldar. Rumlerus herniam carnoſam curatam vidit, fotu teſticulorum ex vino ſublimato, & impoſito cataplaſm. ex abſint. malv. chamom. alth. & ſem. lin. ãã conſciſſ. & in lacte caprillo coct.

Georgius Hyeron. Vellehius ex Guilelm. Quarræi ad Joh. Prævotium Profeſſor. Patavinum literis adfert, viſam à ſe curatam Sarcocelen, tam contumacem, ut omnia fruſtra tentata fuerint, ſolo emplaſtro illo Paracelſi, quod in Tract. de curat. vulner. Chirurg. minori adnexo copioſè deſcribitur, & fodicationis alte um appellatur, quo ſcirrhos etiam duriſſimos & diuturnos ſanatos Prævotius quoque in ſecretis adnotavit.

Joſephus Donzellus in ſua Pharmacop. italico idiomate conſcripta, non ſine veritate commendat emplaſtrum nullos dolores creans quod ſic conficitur. ♃. Olei philoſophor. ℥vj. opopanac. galban. bdell. ãã ʒiij. liquefiant omnia ſuper igne lento, dein adde farin. fabar. ʒiij. pulp. ficuum ſicc. N°. iiij. camphor, rutæ ãã ʒj. F. ſ. a. Emplaſtrum.

In *Exomphalo* poſt inteſtin. aut epiploi reductionem ante ſubligaculi ſeu cinguli circumductionem hoc ceratum applicandum proponit Aquapendens. ♃. bol. arm. Sang. drac. maſtich. Sarcocoll. ãã ʒj. bisling. tegul. pulver. ãã ʒß. reſ. pin. ℥jß. ovi album. & ceræ ãã q. ſ. M. & f. ceratum.

Hyeronim. Reuſnerus puerum exomphalo laborantem facillimo remedio ſanatum vidit, herba nempè & rad. ſanic. in ac. coct. & calid. applic. Eodem cum inflammatione & humiditate adflicta filiola ſeq. pulver. inſperſa convaluit. ♃. bol. arm. ver. ʒj. myrrhæ ℈ij. pompholyg. ʒjß. f. pulvis.

Atque hactenus de medicamentis in omnigenis herniis applicandis abundè ſatis ex Autoribus ediſſeruimus, ſupereſt tantùm ut de ſubligaculis, eorumque præparandorum & conficiendorum methodo aliquid addamus, quod ita accuratè à Nicolao Lequin Chirurgo Herniario Pariſienſi abſolvitur, ut tractatulum quod hacce in materia gallicè conſcripſit, latine redditum integrum hic adnectere è re, & Lectoris maxima utilitate omnino crediderimus.

TRACTATUS DE HERNIIS.

Quo continentur earum cauſæ, ſigna, ſymptomata, remedia, addito ad Hernioſos conſilio, ut & methodo conficiendorum, atque adhibendorum ſubligaculorum, tum è chalybe, tum è filo ferreo.

Autore Nicolao Le Quin Chirurgo Herniario Pariſienſi.

INter omnes morbos quibus excruciatur corpus humanum, herniæ ſunt ſanè moleſtiſſimi, admodum turpes, & aliquando ita periculoſi, at

ut intra paucas horas hominem de medio tollant, idque revera ſæpiſſimè culpa ignarorum quorumdam, quibus ſui curam committunt ægri.

Quòd prædictæ Herniæ ſint moleſtæ, ſatis ſuperque teſtantur illi omnes qui iis vexantur, qui omnia movent ut iis ſe expediant.

Quòd ſint turpes, ſatis probatur ex eo quòd æquè occultò ferantur ac ipſe morbus gallicus, quia quamplurimi inepte arbitrantur ſic partes genitales enervari, unde etiam familiæ quędam ea de cauſſa matrimonia ſummè honorifica & fructuoſa rejecere.

Pericu'um quod ſpectat res eſt per ſe notiſſima, quandoquidem inde ſæpe enatum eſt quod Medici *Miſerere* vocant, in quo inteſtinum ad inſtar ſoricis per illud foramen tranſiit per quod regredi ipſi minimè eſt poſſibile, idque ſæpius propterea evenit quòd ſubligaculum aptum non haberent.

Ut illi occurratur morbo, oportet apprimè noſſe omnes Herniarum ſpecies; quandoquidem inter eas aliæ ſunt veræ, quibus ſubligacula è chalybe ſunt omnino neceſſaria, aliæ falſæ & impropriè ita dictæ, tumores nempe ſemper Scroto adhæreſcentes quorum curam Doctioribus Chirurgis relinquo: interim utramque ſpeciem explicabo, ſuperque iis ſententiam feram, dum tamen veris præcipuè inſiſtens quid annorum triginta ſex praxis edocuerit, demonſtrabo.

De Herniis Veris.

Herniæ veræ ſunt triplices, ut ipſe teſtatur Galenus lib. de Tumor. cont. natur. Enterocele, Epiplocele & Enteroepiplocele, quæ & complicatio inteſtini, & epiploi quæ ſimul delabuntur.

Hæ Herniarum ſpecies rurſus multifariam ſubdividuntur; nam etiamſi Autores eas tantum in completas & incompletas, majores, aut minores, diſtribuerint, interim plurium annorum praxis multas me edocuit alias differentias admodum neceſſarias illi, qui hernias curare, iiſque ſubligacula apta applicare, ſtudet. Differentiæ iſtæ petuntur & à motu Herniarum, & à partibus quas occupant.

Motum quod ſpectat, aliæ momento egrediuntur, aliæ ſenſim, aliquando ad inſtar fuſi apicis acuminatæ, aliquando ad inſtar bubonum. Herniæ reperiuntur quarum foramen proximè ad os pubis ſitum eſt; aliæ in quibus ad inguina, non tantùm magis ad corporis latera, ſed etiam in loco elatiori, poſitum eſt; aliæ in ipſo coxæ Flexu collocantur, quæ magis ſunt mulieribus, quàm viris familiares, & ſubligaculum cum ſumma difficultate admittunt: in aliis foramen eſt anguſtiſſimum; in aliis grandius; aliquando in tumorem aſſurgunt caput humanum exæquantem, & facillimè reducuntur per operationem *Taxim* dictam; aliquando olivæ, aut ovi columbini magnitudinem non ſuperant, & prædicta operatione minimè reduci queunt, ſed ad inciſionem propter inteſtini ſtrangulatum deveniendum. Ille ſtrangulatus ſemper propè reperitur in minoribus herniis ad inſtar fuſi apicis acuminati, in hominibus macilentis & tempera-

menti ſiccioris, quando foramen, parvum eſt & arctum, quandoquidem ſi tantùm parum admodum de novo anguſtetur neceſſariò dolorem, & inflammationem in inteſtinis parit, quibus humores ad partem affectam attracti illam tumefaciunt. In hiſce herniis ſumma opus eſt cautela ne cum iis erretur qui parum in earum cura verſati credunt eò minùs eſſe periculoſas quò minoris ſunt molis, contrarium ſiquidem teſtatur experientia, quâ comprobatur hernias minoris molis eſſe multò magis formidabiles, præcipuè in mulieribus mox deſcripti temperamenti in quibus operatio difficilior, quòd os pubis convexius quàm in viris reperiatur, unde evenit ut ſtrangulatus fiat in loco profundiori & coxæ proximiori, ſicque in parte magis concava, atque in quam difficile admodum ſit per inſtrumenta operationi apta devenire. Hic per tranſennam monitos velim Lectores, attendant ad ægri ſui ſitum, ſi enim operationem ſint tentaturi, eorum ſcilicet nates pulvinari ſatis craſſo ſuperimponant, ut in lectum non deprimantur, quod in hocce peragendo negotio maximè officit.

Herniæ dantur ita fugientes ut manus, inſtrumentorum verum inſtrumentum, eas continere minimè valeat, interim artis perfectio exquirit ut omnes etiam fugaciſſimæ, ſubligaculo apto adhibito in loco ſuo naturali detineantur; alias periculum admodum præſens imminet. Jam verò adnotandum venit cauſam frequentiorem propter quam hernię difficilius continentur, in eo eſſe quòd ipſarum principiis non ſatis citò obviam itum fuerit; ſic enim inteſtino & epiploo è propria ſede ſua ad inferiora devolutis, natura quæ vacuum omnino reſpuit, continuò eorumdem locum naturalem partibus adjacentibus replevit, & etiam ſi partes hæ omnes ſint molles, atque eapropter reduci non reſpuant, & aliquando etiam ita reductæ videantur, ut nihil ulteriùs agendum ſuperſit, evenit tamen quibuſdam poſt ſubligaculum applicatum, quô apprimè retinetur pars reducta, evenit, inquam, ut prædictum ſubligaculum minimè ferre queant, quia compreſſis inteſtino & epiploo inter partes quæ locum ab ipſis prius deſertum occupârant, & ipſum ſubligaculum, procreatur dolor internus ad inſtar colicæ qui neceſſario ſubligaculum abiicere cogit. Hocce in caſu oportet ut Medicus aut Chirurgus attendat anne adſit cauſa aliqua conjuncta cui difficultatis pars tribuenda veniat, magna ſc. repletio & inteſtinorum ſaburra; vidi enim ego aliquos qui poſtquam probe expurgati fuiſſent ſubligaculum prius ſibi intolerabile cum maximo fructu geſtavere, propterea neceſſarium erit ægro cum Medico ſuo communicare.

Partes quas prædictæ occupant Herniæ, ſunt ut plurimum Ilia, aut Scrotum, aliquando Umbilicus ubi enaſcitur Exomphalos.

Herniæ quæ Ilia occupant Bubonoceles dicuntur, Herniæ ſimplices aut incompletæ.

Si in Scrotum devolvantur, tunc adeſt peritonæi ruptio, aut ſaltem maxima dilatatio & Hernias faciunt completas, Enteroceles dictas, ſi earum materia fuerint inteſtina. Ex eo autem noſces ruptionem peritonæi adeſſe ſi ſubito & quaſi uno ictu fiat

pro-

procidentia, contrà quòd in relaxatione, aut peritonæi dilatatione evenit, tunc ſc. inteſtina & lentiùs & per gradus delabuntur, præterea idem deprehendes ipſa manu in reductione, in qua ægro pedibus ſtante, & poſito pollice ſuper annulis paulum ſupra os pubis, hernia non derepentè, ſed ſenſim reprimitur, obſervando quòd ſi fuerit à dextris pollicem ſiniſtrum adhibeas, ſi verò à ſiniſtris dextrum: Itaque hæc operatio ad earum claſſem debet referri quæ ambidextrum volunt operatorem, quales ſunt v. g. venæ ſectio & chataractæ depreſſio.

Peritonei ruptio ſemper aut frequentiſſimè cauſas habet externas, exercitia ſc. vehementiora, ut cornu canere, digladiari, pilâ ludere, concionari, tuſſire, ſternutare, luctari & cætera quæ ad vehementiora referuntur exercitia.

Minor tamen ſollicitudo quæ in relaxatione curanda adhibetur, efficit ut tandem in ruptionem veram abeat, ſicque hujus ruptionis cauſa eſt interna & præmemoratum ſymptoma ſæpè procreat, quòd ſc. ſubligaculum intolerabile fit ante depurata inteſtina per purgantia melioris notæ & validiora.

Relaxatio cauſam agnoſcit internam, humiditatem nempe quæ peritonæum dilatat, quod vis poſtea dividit.

Circa haſce Herniarum ſpecies obſervandum quod, quantumvis magna fuerit relaxatio, illa ſemper minuitur ſolô adhibitô ſubligaculô, quod ſc. partem exſiccat, dum inteſtinum in loco ſuo naturali retinendo, impedit, quò minus, ut priùs, per ſui deſcenſum humiditatem in peritonæi proceſſum deducat, ſicque maximam cauſæ morbi partem tollit, unde ſæpe evenit ut ſubligacula apta, nullis aliis adhibitis auxiliis, relaxationes in omni ætate ſanent, ut illud pluries à me viſum eſt.

Inteſtinum per peritonæi ruptionem devolutum, ſi in locum naturalem reductum fuerit & ibidem diu contentum mediante ſubligaculo chalibeo, anguſtatur foramen, corroboratur inteſtinum, atque craſſitiem priùs per ſui exitus & regreſſus ex parte amiſſam recuperat, unde hernia major & completa, minor ſaltem & incompleta fit, ſæpiuſque etiam curatur in viris obeſioribus; tunc enim evenit quod refert Ambroſius Paræus in ſuo de herniis tractatu, de Sacerdote S. Andr. Artium, cui ſubligaculum applicitum & aliquandiu geſtatum herniam completam perfectè ſanavit.

Quandoquidem autem omnes Herniæ dividunt aut extendunt partes, opus habent illæ & reunione & arctatione, quæ ſanè totam in curandis Herniis difficultatem faciunt, in illa verò cura tam pauci excelluêre, ut Veteres, Hernias inter morbos incurabiles poſuerint, præcipuè verò vetuſtas, completas, & quæ eſſent in ſenioribus; teſtis ſit Guido qui propterea miratur quòd Lanfrancus duos viros ſeniores, alterum ſc. ſexaginta, alterum quadraginta annorum, herniis completis & veris rupturis affectos remediis curaſſet; Sæpius miratus fuiſſet, ſi per ſola ſubligacula ab ejus temporibus inventa tam multos vidiſſet ſanatos; credibile etiam eſt, prædictum Lanfrancum ſubligacula tanquam

præcipua inſtrumenta in præmemoratorum duorum virorum cura adhibuiſſe, etiamſi noſtrorum notitiam non haberet, nec illorum mentionem faciat Guido.

Novi quidem quamplurima eſſe remedia topica, quæ ſublicaculum minimè excludit, in iis qui hæc ſimul adjungere expetunt, interim qui iis minùs confident non errabunt, ſed potius inſtructi erunt contra fraudes circumforaneorum.

Duabus de cauſis Veteres, Hernias pronunciarunt incurabiles, primò quòd Herniæ completæ & grandiores ſint curatu difficillimæ, ſecundò quòd meis tantùm temporibus reperti ſint qui in earum cura ſe præcipuè imò unicè exercuerint; illam ego Chirurgiæ partem aliis omnibus prçferendam cenſui, quòd ſit utiliſſima & maximè neceſſaria, nec minus corpus humanum pro ſubjecto ſuo habeat quàm omnes aliæ operationes, ſuper eo enim debet hocce in negotio fieri methodica manuum exercitatarum applicatio, pro *Taxi* ſeu reductione perficienda, & omnis generis ſubligaculis aptis admovendis.

Sed jam redeamus ad unionem & coarctationem, in quibus conſiſtit maxima pars, imò fere totum verarum Herniarum curandarum myſterium, peragitur autem per applicationem ſubligaculorum chalybeorum, aut è filo ferreo concinnè confectorum, hoc verò jam aperiam in gratiam eorum omnium qui Chirurgiæ operam daturi ſunt, ut & in publici magnum emolumentum: Sed priùs ingenuè mihi fatendum venit, jam à pluribus annis propria ſollicitatum fuiſſe conſcientia, ut hæc nota facerem propter magnos errores ignarorum quorumdam, qui ſubligaculis operam dantes, nulla priùs corporis humani & Herniarum cognitione habita, præjudiciis ſuis occæcati, falsò arbitrantur illud unicè faciendum quod ægri ſui ab ipſis expetunt, quod ſemper propè contrarium futurum eſt.

Vt autem illi errori pro viribus occurram ſcribere decrevi ſimplicem & nudam methodum eorum quæ in Herniarum & Subligaculorum praxi habui ab anno 1628. ad hæc uſque tépora; gratũ Deo O. ſic teſtaturus animum quòd hæc mihi aperire non recuſârit.

Jam verò ut hanc rem aggrediamur; pro conficiendis concinnè ſubligaculis quorum varietas tam multa eſt, ut priùs admonui, neceſſarium eſt omnino videre & cognoſcere partes ſuper quas applicari debent, inde enim ſolidæ deducuntur indicationes. Quòd autem in omnibus hominibus hę partes varient ex eo patet quòd v. g. alii ſint obęſi, alii macilenti, alii os pubis habeant convexius, alii depreſſius, in aliis vaſa ſeminaria quæ ſuper prædicto oſſe viam ſibi faciunt craſſiora ſint, in aliis contrarium reperiatur. Peritonæi proceſſus quantumvis relaxatus aliquando corrugatur & tumorem facit, qui ſi fuerit ruptioni propior difficilem admodum facit ſubligaculi applicationem, quæ propterea maximam exigit prudentiam, aliàs dolor excitaretur fluxionem ad partem movens. Hæc Herniæ ſpecies naſcitur aliquando ex retento à nativitate ſupra os pubis teſticulo, qui ibidem cum vaſis ſeminalibus auctus poſtea calore nativo & proprio pondere ad inferiora pellitur; quò ſecum trahit peritonæi proceſſum priùs

priùs corrugatum, & jam ex parte dilatatum, & tandem eum ſubſequitur inteſtinum, undè aliquando neceſſarium eſt omnia ſimul reducere, aliàs minimè contineri poſſet inteſtinum, aut ſubligaculum cum fructu admoveri.

Secundò probe advertendum eſt ad id quod procidit, & quomodo procidat, aliquid ſuper hoc argumento propoſui, dum de Enterocele verba facerem, ſed reſtant quædam ſigna magis ſpecifica; nam ſi inteſtinum fuerit, velocius reducitur quàm epiploum, & cum aliquo ſonitu & fremitu. Si verò difficilior fuerit hæc reductio, [quæ ſemper ante ſubligaculi admotionem neceſſaria eſt] probè attendendum ad cauſam illius difficultatis. Si enim pars tumida fuerit & imprudenter ab ignaro pertractetur periculum eſt ne mortificatio inducatur, ut illud ſæpius vidi advocatus, poſtquam vomitus & alia urgebant ſymptomata, quibus in caſibus inciſionem conſului, quam oportet rejicere ad ultimam neceſſitatem, non nimium tamen expectando, ne tandem inutilis prorſus ſit.

Guido in ſuo de Herniis tractatu ait; ſæpè inteſtinum Cæcum excidere, ſed ſæpius ipſe operationem inſtitutam vidi propter inteſtini ſtrangulatum, nec aliud unquam quàm Ileum repertum eſt, nec ad quamcunque inteſtini quantitatem in Scroti latus dextrum devolutam appendiculam notavi adjectam qualis in Cæco reperitur; itaque concludendum venit inteſtinum hoc raro admodum excidere, & ut idem Guido alio in loco adnotat, non eſt quod de nominibus anxii ſimus, dummodo res ipſæ probè intelligantur, & ſiquidem utrumque horum inteſtinorum eandem exquirit curam, ſi quis ex illorum prolapſu periclitetur de reductione agetur.

Quando excidit Epiploum major perſentiſcitur craſſities quàm ſi inteſtinum cauſa morbi foret, præterea faciliùs quidem egreditur & difficiliùs reducitur, cujus hæc eſt ratio quòd ſcilicet Epiploum ſit pars adipoſa atque eapropter magis lubrica, undè poſtquam proprium ſitum amiſit, ad inſtar pinguedinis frigido expoſitæ aëri, induratur & craſſeſcit, ſicque difficiliùs regreditur quàm egreſſu fuerit.

Sæpiſſimè non parum difficultatis in hac continenda hernia, eique ſubligaculo aptando in hominibus obæſioribus illi præcipuè obnoxiis, reperitur, methodum ſuo loco docebo, ſi priùs admonuerim, in hac ut in inteſtinali reductionem abſolutam neceſſariò præcedere debere; nam ſi adhæſio aliqua adſit, ut aliquando evenit, & interim ſubligaculum admoveatur, inde dolor enaſcitur, malum augetur, & pars ipſa tumet: Itaque nunquam violentiùs reducenda venit hæc hernia, ſic enim malum tantùm irritatur, & magis ac magis epiploum adhæreſcit, quod poſtea craſſeſcit magnumque parit incommodum; undè etiamſi ea affecti non in eodem verſentur periculo ac illi qui inteſtinali laborant hernia, attamen propter craſſitiem & pondus ſuum ſummè eſt moleſta, nec aliter illi occurri poteſt, quàm ſuſpenſoriis adhibitis.

Enteroepiplocele ex eo cognoſci-

tur quòd adſint ſigna in utraque Hernia inteſtinali ſc. & epiploicâ mox deſcripta, illius namque pars altera faciliùs, alia difficiliùs reducitur. Hæc herniæ ſpecies itidem admodum eſt lubrica, propterea quòd epiploum unctuoſitate ſua inteſtinum obliniat; ſtrangulatio hîc rara eſt, ſiquidem epiploum pulvinaris cui molliter inteſtinum incumbat vices gerit. Integra iſtius herniæ reductio fieri debet, ut in aliis, ante ſubligaculi admotionem.

Etiamſi hernioſi ſæpè ipſi reductionem faciant, interim hoc non perpetuum eſt, itaque opportunum fuerit quid praxis mihi demonſtrârit edocere.

Ægro in commodo collocato ſitu ejuſque natibus elevatis & humeris parum depreſſis, ſi adfuerit inflammatio linteola oxycrato tepido imbuentur, & per aliquod tempus ſuper parte affecta continebuntur, ea quater in hora immutando, poſt manu butyro recenti aut oleo amygdalarum dulcium illita leniter pertrectetur hernia, tentando ut id quod ultimò egreſſum eſt primùm retrudatur; cùm enim inteſtinum duplicatum delabatur in eo extremitas nulla reperitur, atque ſemper obſervavi, quòd illa inteſtini delapſi pars quæ oſſi pubis fuerit proxima ultima exciderit & prima reducatur, ſi verò pars primò egreſſa urgeatur, præterquam quòd reductio non perficitur, dolor excitatur admodum periculoſus, quique operationi magno eſt obſtaculo.

Si verò manus non ſufficiat neceſſarioque priùs emolliendum & reſolvendum veniat, cataplaſma ſubſequens cujus vires non ſemel expertus ſum adhibeatur.

Recipe foliorum malvæ, altheæ cum radicibus, meliloti, chamomillæ ãã M. j. ſeminis lini contuſi ℥iij. coquantur in aquæ ℔. xxiv. igne forti ad putrilaginem, poſt trajiciantur per ſetaceum. Tum ejus putrilaginis trajectæ, recipe quantùm ſufficiat toti herniæ comprehendendæ, adde oleorum liliorum alborum & chamomillæ, vel iis deficientibus, butyri recentis, aut axungiæ porcinæ quantum ſatis, ut cataplaſma non facilè exſiccetur; ſi verò quod per ſetaceum trajectum eſt nimis liquidum fuerit, admiſce farinæ fænugræci aut alterius ſimilis parum.

Vt hoc utaris cataplaſmate, abundantiùs extendendum venit ſuper linteo totius herniæ capaci, ut ſic emolliatur & dilatetur quod nimis arctatum eſt. Antequam autem cataplaſma confectum ſit, decoctione ipſa imbuentur linteola, iiſque pars calidè fovebitur.

Hoc ipſum cataplaſma utile etiam fuerit in Epiplocele recèns tumefacta, neceſſarium autem tunc erit illud ſæpius iterare, advertendo tamen quod priuſquam immutetur per duodecim horas parti adhærere debeat; Vidi aliquot quæ poſt hanc applicationem per plures dies continuatam commodè reductæ ſunt. Remedia interim generalia à Medico præſcripta non omittentur.

Tanti intereſt in herniarum cura, iiſque aptis ſubligaculis applicandis, viros peritos ſeligere, ut nullus ſine Medici aut Chirurgi conſilio illud facere

cere debeat; Nam errores hocce in negotio patrati difficillimè ſæpiùs reparantur, prout demonſtrabo dum, de methodo applicandorum ſubligaculorum verba faciam: Priùs tamen aliquid dicam de herniis falſis, ut promiſſo meo me expediam, & lux major pro veris cognoſcendis concilietur.

De Scroti Tumoribus Herniis impropriè dictis.

Omnes herniæ veræ è partibus & corporibus naturalibus conficiuntur, falſæ è contrà omnes è ſpiritibus, aut humoribus non naturalibus conſtituuntur. Earum autem tres præcipuè dantur ſpecies, Varicoſa ſc. Aquoſa & Carnoſa, Guido addit Ventoſam & Humoralem, ſed quandoquidem humoralis carnoſæ ſemper eſt principium, ſi humor fuerit frigidus: (nam ſi calidus foret, abſceſſum faceret, de quo hic non agitur) Ventoſam quod ſpectat vix ſine aquoſa reperitur, ſunt enim illæ comites perpetuæ, cumque aqua morbum ſemper præcipuè faciat ab illa denominatio petitur.

Varicoſa in duas ſubdividitur ſpecies, quarum alia cauſam ſuam habet in humore craſſiori venas ſcroti replente & dilatante, unde quaſi pampiniformes redduntur; hæc quamvis ut plurimum latus ſiniſtrum occupet, aliquando tamen in latere etiam dextro reperitur.

Alia verò quæ poſita eſt in relaxatione vaſorum ſeminariorum miliarium, in latere dextro nunquam viſitur. Nullum perlegi Autorem qui hoc adnotet, quod ipſe per plurium annorum praxim potiùs addidici, quàm per anatomiam, cujus rationes hoc in caſu explicandas relinquo Doctoribus Medicis; ſufficiat inſtituto meo impræſentiarum obſervaſſe, in hac hernia vaſa aliquando ita elongari, ut teſticulus ad longitudinem dimidii pedis infra ſitum proprium propendeat, tuncque ſemper prædicta vaſa videri infarcta ſanguine aut humore craſſiori ea ad inteſtinulorum molem elevante; deplentur autem hęc vaſa & recurrit humor in lecto, atque etiam extra lectum, ſi comprimatur hernia; Unde, quod probe obſervandum, imperiti ſubligaculorum confectores, ea tum imprudentius applicantes hallucinantur, & malum tantùm irritant, ſiquidem hic humor, ut & ejuſdem vaſa, quæ naturaliter in ſcroto eſſe debent, contineri per ſubligaculum nequeunt, quod itaque dolorem tantum parit, & inflammationem auget, quæ ſemper major minorvè adeſt pro herniæ magnitudine; Tunc ſufficiat ſuſpenſorium adhibuiſſe quo commodè ſuſpendantur, & teſticulus, & partes aliæ; teſticulus enim hocce in caſu ſemper mollior eſt, & flaccidior, atque itidem ſcrotum & elongatum & pendulum.

Attendendum autem ne aliquid extra ſuſpenſorium excidat dum corpus exercetur, ſic enim augerentur varices & dolor procrearetur; tum ſi inflammatio major fuerit, utile erit Ceratum Galeni, ſed præcipuè butyrum ſaturni, non neglectis remediis generalibus.

Inter omnes hernias hæc ſanè curam aliquam minùs agnoſcit, & quantumvis recens fuerit, per vitam ſuſpenſorio addicit, quod ſi omittatur, augetur

getur hernia, & inter progrediendum ſumma cum moleſtia in crus impingit.

Hernia aquoſa ſeu Hydrocele eſt humor pellucidus, [ſi profundius in ſcroto ſita non fuerit) cujus materia eſt aqua ſeroſa, pertrectata cognoſcitur, & admota ad illam candela, manuque, eadem ratione impoſita qua explorantur ova, ut cognoſcatur an recentia fuerint. Dum incipit, per totam productionis peritonæi longitudinem tumorem facit, fuſi figuræ non abſimilem, eamque præterea productionem ſæpiùs dilatat. Quando ſedem non fixit hæc hernia, ejuſque materia minùs abundans in ſacculo arctiori cõtinetur, evacuatur facilè & ſupra os pubis per compreſſionem rejicitur, ſed præcipuè, ſi flatus adſint, quod propè perpetuum eſt. In hac hernia minùs verſati hallucinantur, ſi tantùm ſubligaculum chalybeum illi applicent, ſicque ſe eam continere poſſe credant; reſolvi poteſt ſi minor fuerit, ſi verò major inciſione humori exitus parandus eſt. Familiaris eſt infantibus, & à nativo calore debili ſemper enaſcitur.

Hernia carnoſa, ſeu Sarcocele nihil aliud eſt quàm caro craſſior ſenſim aucta, ſcrotum gravans, figuræ aliquando rotundę, aliquãdo cornutæ & inæqualis. Nunquã propè ultra ovi anatini magnitudinem accreſcit illudque non prõpto incremẽto, ſed longiori temporis lapſu; aliquando teſticulo adhæreſcit, atque illum ſcirrhoſum facit. Tumor hic non aliter curatur quàm per teſticuli amputationem, quæ ad extremam remitti debet neceſſitatem, nec etiam peragi debet, ſi putredo non adveniat: Ei ſuſpenſorium convenit, ſumma arte præterea cavendo ne percutiatur, aut aliqua alia ratione contundatur.

Conſilium ad Hernioſos.

Omnes illi qui Hernias gerunt, ſive veras, ſive falſas, ſi prudentes fuerint ſobrietatem colent, venere immoderatè non utentur, ea omnia quæ harum invaletudinum cauſa eſſe poſſunt, vitabunt, & quandoquidem partes quas occupant debiliores evadunt, earum indulgendum imbecillitati, & ad diætã attendendum. Vitanda itaque veniunt omnia ipſis contraria, qualia ſunt legumina, fructus recentes, omne artocreatis genus vel panis arte confectus, & non ſatis excoctus, carnes muriã conditæ, piſces, & caſeus, inter equitandum lorum Scandularium brevius faciendum eo latere quod hernia afficitur, in ſede humiliori non ſedendum, nec brachia nimiùm elevanda, in extremos præterea aſſurgendo pedes pro aliqua re in altiori collocata loco arripienda, caligarum zona non nimiùm conſtringetur, alvus ſervabitur libera, & ſi aliquando difficiliùs ſolvatur, in ipſo niſu manus ſubligaculi pulvillo imponentur, violentiora devitabunt exercitia, præcipuè ſi herniis laborantes veris aptis & valdioribus ſubligaculis chalibeis aut aliis è filo ferreo confectis, non fuerint inſtructi. De hiſce ſubligaculis jam mihi verba veniunt facienda.

De Subligaculis chalybeis aut è filo ferreo confectis.

Subligaculum apud Gallos variis donatur nominibus, ſiquidem apud pluri-

apud plurimos, *bandage*, apud aliquos tamen vetuſtiori nomine, *brayer*, apud Normannos, *ceint*, apud alios, *retreintif*, *ceinture*, aliiſque ſinonimis inſignitur quorum primum, eſt & decentius & convenientius.

Pro conficiendo ſubligaculo apto vel è chalibe, vel è filo ferreo, attendendum ad ea omnia quæ in ſuperioribus de herniis curandis diximus, indeque indicationes veniunt deducendæ pro ſubligaculi forma, ut & è partibus quibus imponi debet; nam ſi corpus fuerit macilentum, alia debet ſubligaculum ratione confici, quàm ſi obæſum foret.

Viri macilenti & obæſi duas conſtituunt generales differentias formarum ſubligaculorum, ut & eorumdem applicationis, ſed aliæ eæque innumeræ particulares dantur, corpora ſiquidem omnia in ſua variant forma, undè neceſſarium eſt etiam innumeris modis ſubligacula variare, ut ſuperiùs adnotavi. Hoc non parum facit difficultatis ignaris, qui uniùs tantùm generis ſubligacula conficere nôrunt, arbitrati ſatis eſſe, ſi pro varia corporis craſſitie validè conſtringant.

Non ſic ſe gerit ille qui ad perfectionem tendit, quam magna revera hic demonſtrandum ſuſcipio, inter meam theoriam & praxim intercedit differentia, & quamvis Guido dixerit peritum practicum, operari pro modulo theoriæ ſuæ, dantur tamen quædam facienda quæ ſcriptis explicari nequeunt, & quæ in demonſtratione oculari poſita ſunt. Exempli gratia pro aptè flectendo ſubligaculo, illoque iis proportionibus donando quæ herniis maximè conveniant, neceſſariò ſubjectum inſpiciendum venit, aliàs in aliquibus ſemper deficit: Itaque multò commodius foret me operantem cernere, quàm docentem audire; ſed quandoquidem in omnibus Ditionis Gallicæ regionibus præſens adeſſe non poſſum, ut inſpiciar ab iis quos cupio doctos facere in cura Provincialium, qui tam ſæpè ineptis afflicti ſubligaculis Lutetiam adveniunt. Hoc unicum mihi liberum eſt, ſc. pro ea qua polleo accuratione ſcriptis edoceam methodum in ſubligaculis mihi familiarem, cui ſi adjungas perſpicaciam iis neceſſariam qui Chirurgiæ ſe dicant, non dubito quin facillimè acquiras quod ſummo plurium annorum labore conquiſivi.

Primum quod faciendum venit examinatis indicationibus neceſſariis, poſitum eſt in menſura craſſitiei, ſive viri, ſive mulieris, ſive puelli; hæc autem menſura inſtituenda eſt cum iis materiis quæ nec elongari, nec abbreviari facilè valeant, v. g. cum charta pergamena, vel tenia limbo donata validiori, incipiendo ab eo loco, in quo hernia apparet, & toto circumducto corpore ad eandem redeundo partem: Illa autem circumductio variè inſtitui debet, unde non parva tironibus creabitur difficultas; alii quippè ſubligacula altiùs collocata, alii inferiùs, pro corporis forma, gerere debent. Quibus altiùs ſunt applicanda ſubligacula, ſunt illi qui craſſiores habent nates, nam ſecundum earum majorem aut minorem craſſitiem ſubligaculum variè flecti & ad ſuperiora reflecti debet.

Iis verò quibus ſubſident nates minùs neceſſarium eſt ſubligacula ad ſuperiora reflexa dare, imò aliquando omninò hac ad ſuperiora flexione abſtinendum eſt.

Subligaculum, pro ſubjecti ſui craſſitie, debet ut plurimum ad duas ſuæ longitudinis tertias partes, aut paulò plus, è chalibe aut filo ferreo componi, reliquum verò debet ex chorio robuſtiori confici, ſi ſubligaculum duplicem pulvillum lamina armatum ferrea habuerit, pro ſecundi pulvilli longitudine minuenda erit chorii prædicti longitudo.

Chalybs autem debet eſſe melioris notæ & ejus generis quô effinguntur loricæ, ita ut illud ſubligaculum non poſſit abrumpi, etiamſi frigidum cudatur, & interim ea flexibilitate & vi elaſtica polleat, quæ aptæ corporis circumductioni neceſſaria ſit. Hæc Fabrum ſpectant Ferrarium, cui probè & accurate ſignificandum quod ab ipſo exquiritur, ut qui in Chirurgia inſtrumentum aliquod aliud adinvenit, illud operationibus ſuis inſtituendis aptum, cultrario cudendum exhibet.

Secundum quod in ſubligaculi fabrica attendi debet, eſt validitas neceſſaria.

Duabus de cauſis neceſſarium eſt ſubligacula ſatis robuſta effingere, primò in herniis majoribus, atque fluxibilioribus, ſecundò in obæſioribus ſubjectis, quod tamen committo prudentiæ chirurgi qui malum attentiùs examinavit, unum admonendo, attendat ſc. exercitio illius cui applicabitur ſubligaculum, nam ſi fuerit homo magni laboris, aut exercitiorum violentiorum, ſubligaculum debet eſſe validius, ne herniam patiatur elabi, aut inter utendum abrumpatur.

Tertium quod adnotari debet in eo poſitum eſt, quòd chalybs aut filum ferreum è quibus effinguntur ſubligacula, à ſcuto ſive pulvilli lamina, ad ſuæ longitudinis dimidium, unâ quarta parte validiora & craſſiora fabricari velint, ſenſim minuendo ad finem uſque, ut ſic vis major adſit elaſtica. Si verò neceſſarium fuerit pro duabus herniis ſubligaculum conficere, oportet ut illud ſcutum quod zonæ ſeu cingulo continuum eſt ponatur ſuper moleſtiori hernia, ſive illa à latere dextro, ſive à ſiniſtro fuerit. Obſervandum autem quòd omnium ſubligaculorum laminæ ſint ſuis pulvillis minores, nam hi illarum oras ad dimidii ſaltem digiti quantitatem excedere debent, & præterea quò magis elevare velis eoſdem pulvillos, eò minores debeant eſſe laminæ, inguina enim quibus applicantur, nequeunt grandiores laminas pulvillis inſtructas elatioribus ferre, præterquam quòd parum adferant commodi.

Quarta, eaque notatu dignior ſubligaculorum pars, pulvillus eſt, qui compreſſæ vices gerere, atque partibus è quibus herniæ elabuntur imponi debet, ut ſic impediatur quò minùs vel inteſtinum, vel epiploum, vel utrumque ſimul excidat.

Generalior regula exigit, ut quantùm fieri poterit pulvilli effingantur minores, nam ſic & utiliores & minùs importuni evadunt, & præterea ad peritonæi annulos commodiùs perve-

perveniunt, nec ita facilè de loco moventur ac grandiores. Interim neceſſarium eſt eos tam variè effingere, ut illud deſcribere ſit impoſſibile, in hoc judicium exercendum, advertendo ad herniarum exitum, unde tam multiplices enaſcuntur effectus. Præcipuè verò obſervandum ut prædicti pulvilli proportionentur parti cui imponuntur; nam aliquando requiruntur depreſſi & molliores, ut in ſubjectis macilentis, in quibus hernia non fuerit grandior, nec in inguine cavitas; ubi verò cavitas adfuerit major minorvè, pulvillus exigitur plus minuſvè elatus ac turgens, itaut cavitas repleatur, nec tamen pars ad atrophiam deducatur, quod evenit quibuſdam novis Sectatoribus qui inſtrumentis utuntur acuminatis, quibus præter dolorem, ſubſtantiæ deperditionem faciunt per impeditam ſpirituum irradiationem, & nutrimenti appulſum; ſic etiam annulos apertos ſervant, & unioni ad curam quàm maximè neceſſariæ, obſtant.

Omnes herniæ contineri debent in eo è quo egrediuntur loco, non verò in illo ad quem devolvuntur, itaque ſemper ſupra os pubis debēt reprimi adque coxam propiùs, ubi annulorum ſedes eſt, & ubi vaſa vitantur ſpermatica; nam ſi ſubligaculi ſcutum propiùs ad penem adducatur, dolor in prædictis paritur vaſis, quæ inter pulvillum & os pubis ſic arctiùs incarcerantur, præterea cùm os pubis ſit hîc elatius quam propè coxam, impedimento eſt ne pulvillus cavitatem repleat, ſicque hernia elabitur, præſertim inter ſedendum, aut corpus curvandum, jam verò hoc attentiùs obſervandum ut devitentur mala quibus vix mederi valeas pro voto, cùm ſubligaculum elabi ſinit inteſtinum, unde periculoſiſſima enaſcitur ſtrangulatio.

Regulam generalem flexionis ſubligaculorum quod ſpectat, attendendum, ut circum totum corpus circumducta illi undique quam accuratiſſimè & immediatè applicentur, ne ſc. facilè de loco moveantur, quod ipſorum operationi non parum officeret. Particulares flexionis differentias quod attinet, in variis ſubjectis, illæ nullatenus poſſunt edoceri, & etiam, ſubligaculum quantum ante applicationem poſſibile, ad perfectionem ſuam deductum, neceſſarium eſt ipſo applicationis momento variè flectere, ut corpori aptiùs accommodetur, propterea è melioris notæ metallo conſtitui omnino debet.

Qui ſubligacula è filo ferreo conficere norunt hoc fruuntur privilegio, quòd ſc. filum ferreum minùs facile in variis ſui flexionibus abrumpatur, ſi fuerit melioris notæ; quod è Germania adfertur ineptum prorſus eſt.

Hæc Subligaculorum ſpecies inter præclariſſima reponi meretur inventa, nam ſic omnibus propè in locis nulla fabri ferrarii adhibita opera, ſubligacula & apta & firmiſſima poſſunt effingi.

Pro condendo hoc è filo ferreo ſubligaculo, eadem quæ in ſubligaculo chalybeo ſunt adnotata, obſervanda veniunt, & quoad menſuram ſc. & quoad ferri longitudinem; validitatem verò quod attinet, ſiquidem variæ craſſitiei dantur fila ferrea, illud pro prudentia ſua ſeliget artifex, aptum illi firmitati ſuo ſubligaculo conciliandæ

quam intendit. Obſervandum tantùm quod cujuſcumque demum craſſitiei filo utaris ferreo, ſemper duplicandum ſit, ad utrumque ſc. ſubligaculi, ut & ejus ſcuti limbum, & quandoquidem filum ferreum ejuſdem eſt per totam ſuam longitudinem craſſitiei, igne temperandum eſt ut ab ea parte cui corium alligari debet minus rigidum evadat.

Conficiendum ſubligaculum poſtquam ad corporis modulum exegeris, & ad indicationes neceſſarias attenderis; validitatis aptæ filum ferreum ſeliges, ejus longitudinis ut commodè duplicari poſſit, & ab altera parte manuali aliquo inſtrumento flectes extremitatem rami ferrei ſuperioris, ut ex ea conſtituas ſcutum, vel à dextris, vel à ſiniſtris, ejus figuræ quam aptam videbis pulvillo ſuſtinendo herniæ tuæ continendæ accommodato. Hocce peracto, producetur menſura uſque ad fili ferrei partem igne temperatam, ubi ſubligaculi futura eſt extremitas, indeque illud duplicabis. Quando ſecundus iſte ramus duplicatus paulò ultra ſcutum deductus fuerit eum priori ſubjicies, & filo multipliciter complicato ſubligabis; tum ea extremitas quæ ſcutum excedet lima corradetur, ut depreſſionem aliquam acquirat, poſtea eandem ad interiora contorquebis ad prędicti ſcuti figuram, ut illud è ferro duplicato conſtruatur, ut ipſum cingulum. Continuabis validam ligaturam duarum extremitatum, quæ in unum ſcuti locum coïbunt; poſtea ſubligaculum pro lubitu flectes, duabus adhibitis manibus, flectere incipiendo quaſi ovalem aut aliam aptiorem figuram conficere in animo eſſet, recurvabis poſtea cingulum propiùs aut longiùs à ſcuto, prout neceſſarium fuerit altius illud applicare; reliqua & perfectior flexio malleolo conciliabitur, adhibito majori forcipe ferrea cochleata ſtabili, ad duorum digitorum latitudinem adaperta, ramum ferreum interius leviter tundendo, ut ad menſuram corporis exquiſitè adaptetur.

Quando ſubligaculum pro voto efformatum habueris, duos ramos ſimul deligabis, eos invicem complicando, & tænia filea tres lineas lata circumducendo: Hæc ligatura duplici adhibetur uſui, ſc. validitatis æqualitatem ramis duobus conciliat, & præterea prima eſt ſubligaculi inſtructio, cui ſecunda è tela confecta, bombace, aut lana tenui & bene carpta repleta, per totam longitudinem interius adluitur, ut ſic ferrum minimè lædat. Secunda hæc inſtructio non adſuetur, quin priùs extremitatem loro coriaceo, clavo adfixo, vel tela ſpiſſiori ad aliquam longitudinem producta, armaveris, poſtquam eandem illam extremitatem lima corraſam depreſſiorem feceris, ut ſic minùs craſſa fiat atque minimè lædat.

Pauci admodum cudendorum ſubligaculorum chalybeorum ſunt periti, nullique in Provinciis Gallicis tales reperiuntur, quantumvis aliis inſtrumentis cudendis apti; interim illud utiliſſimum foret, cui ego pro virili medebor, dummodo urbium chirurgi attentiori animo, & magno cum ſtudio legere velint quæ hactenus à me hic fuere perſcripta.

Verùm quandoquidem menſura à me deſcripta fabro pro conficiendo ſubligaculo eſt inſufficiens, conſulo unicuique

cuique chirurgo paret ſibi exemplar aptum ex unico filo ferreo ejus craſſitiei quæ facilè flecti poſſit, ut ſic aptè curvetur ad figuram corporis cui applicari debet, & poſtquam filum illud ferreum ad corporis menſuram exquiſitè exegerit, tum faber, viſo exemplari, facillimè ſubligaculum cudet, unicum ſupererit, ſc. præſcribatur & craſſities & latitudo cinguli, cui demonſtrandæ cartaceum omninò aptum fuerit: Scutum quod attinet conficietur ad normam illius quod per flexionem fili in altera extremitate, & quoad magnitudinem & quoad figuram neceſſariam, deſcriptum erit.

Habemus ſubligacula chalybea fracta miræ inventionis, quæ ſæpiſſimè Magnatibus exhibui. Unico aut duplici armantur ſcuto, prout libuerit.

Quæ duplex ſcutum gerunt per ſcuta ſua disjungentur, mediante cochlea à dextris vel ſiniſtris poſita, hoc eſt ſi è duabus herniis quas reprimere neceſſarium eſt major à dextris fuerit, cochlea in eodem latere poni debet, & à ſiniſtris, ſi hernia præcipua in eo fuerit latere. Hæc cochlea inſinuatur in ſtriarium cavum in altero ſcuto efformatum. Subligacula hæc, præter ſcuta ſua, è quatuor aliis concinnantur partibus, quarum prima, eaque breviſſima, cochleæ continuatur, hæc à ſecunda, ſecunda à tertia tertia, à quarta, & quarta à quinta concluditur; quintæ autem debet adfigi lorum coriaceum validum pro ſubligaculo claudendo.

Subligacula fracta unico armata ſcuto, è quatuor tantùm conficiuntur partibus, quæ clavo ferreo ita compinguntur, ut ad interiora tantùm flecti queant, ſic magnum ſubligaculum in pera geſtari poteſt. Eadem ratione muniuntur ac alia ſimplicia è chalybe aut filo ferreo, & in eo tantùm differunt quòd pro flectendis partibus clavo compactis, neceſſarium ſit tria foramina, ſeu potiùs aperturas, in inſtructione quæ ipſis adſuitur, conficere.

Subligacula hæc commodiora ſunt quàm quæ ex una tantùm conficiuntur parte, atque præcipuè iis qui de die & nocte ea gerere neceſſarium habent.

Omnia ſubligacula chalybea quæ noctu gerere animus eſt, latitudine trium aut quatuor pollicum breviora eſſe debent, quàm ferant duæ tertiæ craſſitiei corporis partes, ut quando ſuper ſubligaculi extremitate cubatur, minimè ſic ſcutum aut ejuſdem pulvillus de loco moveatur.

Pro infantulis faſciis ſuis adhuc dum circumvolutis, aut aliis excrementis ſe inquinantibus, componenda ſunt ſubligacula, quibus urina & ſordes adhærere non poſſint, ut ea putrefaciant, ejus conditionis ſunt quæ è duplici fili ferrei tenuis ramo concinnantur, ad modum quem ſuprà in majorum deſcriptione enarravi, ſed alia inſtruuntur ratione, rami ſc. duo non ſimul colligantur ut in majoribus, ſed inter eos cartaceum reponitur ſegmen, duas aut tres lineas latum, circum aſſutâ validâ è filo cannabino tæniâ, in totum cingulum productâ, & etiam multò ulteriùs pro pueruli craſſitie, quod ultra cingulum producitur ter replicatur, ut ſic ligulæ coriaceæ quæ hamulo aut productioni ferreæ è ſcuto ex linteo ad magnitudinem olivarem confecto, aſſurgit alligatur, vices gerat: mox

memoratum ſcutum parvæ adſuitur lamellæ, quô peractô, interſuetur tænia ramos ferreos inter & cartaceum per totam cinguli longitudinem, poſt ceræ albæ fuſæ per totam ſui longitudinem exquiſitè immergetur, ut ſic ab urina non corrumpatur: frigefacta cera cultello lævigabitur, atque ita ſubligaculum applicationi aptum habebis, quod de die & nocte geſtum neceſſariò hernias infantulorum inteſtinales, curabit, & iis minimè moleſtum erit.

Pro umbilico conficitur etiam ſubligaculum ex chalybe aut filo ferreo, ſed ad dimidias tantum; pro varia magnitudine corporis variè curvabitur, ut in aliis dixi, in hoc tamen differt quod ſc. partes quibus hocce in caſu applicatur, ſunt omninò diſſimiles iis quibus alia admoventur. Lamina media ſit grandior & ovalis figuræ, aliquando rotundæ, vaſtior conficitur hæc lamina, ut abdomen quod in obæſioribus ſemper propè acuminatur, contineatur.

Si ſubligaculum hoc fiat pro inteſtino, & inteſtinum integrè reduci valeat in media hac lamina collocatur mollior globulus ad umbilici formam conſtitutus, ut cavitas eo repleri poſſit.

Si ſubligaculum è filo ferreo conſtruatur neceſſarium fuerit poſtquam laminam mediam duplicata ſpiſſioris textus tela inſtruxeris, illi adſuas aliam laminam è tenuiori ſubere Hiſpanico, aut è duplici carta luſoria confectam, priùs appoſito atque alligato hamulo ferreo iſtius laminæ parti mediæ. Hujus ſubligaculi cingulum latius eſſe debet, per vaginam laneam aut xylinam, quæ propterea ab utraque cinguli parte frequentibus denſabitur punctis.

Subligacula omnia quantùm fieri poteſt, levia ſunt facienda, ſiquidem eorum majus pondus poſt aliquod tempus moleſtum eſt. Si materia è qua conficiuntur melioris fuerit notæ, frigidè facilè cuditur, & ſubligaculum exhibet leve, quodque eò validius eſt quò magis cuditur, ſicut tenuior lorica malleo probè cuſa, ictibus fortiùs reſiſtit, quàm quæ è peioris notæ metallo & ponderoſior fuerit.

De Subligaculorum inſtructu.

Subligacula chalybea, ut & è filo ferreo triplici volunt veſtiri inſtructu, tam quoad ſcuta, quàm quoad cingula.

Primus inſtructus è ſpiſſioris textus tela cannabina confici debet, quæ adſuetur tum laminis ſcuto ſuſtinendo deſtinatis, tum cingulis; ſed ſuper memoratis laminis ſemper duplicari debet, ut ſic ſcutum ſive pulvillus, validiùs colligari atque uniri poſſit, ut & hamulus ferreus ipſi commodè inhærere valeat in ſubligaculis è filo ferreo conſtructis.

In omnibus ſubligaculis hamulus cui ligula coriacea connectitur in media lamina pulvillo ſubjecta ſemper collocabitur; hamulus verò cujus mucro ad inferiora vergit commodior erit, & induſium non lacerabit.

Ligula coriacea cui oſcilla inſeruntur pro claudendo ſubligaculo, è corio conſtituetur valido, nè facilè elongetur & oſcilla cõfertim inſeri poſſint, ut ſic conſtrictio pro libitu fiat, & prædicta oſcilla nullatenus lacerentur.

Secundus inſtructus cinguli vagina erit, de qua mox verba feci, & quæ componitur è faſcia linea obliquè ſciſſa & goſſypio aut lana repleta, pòſt ſubtus cingulum chalybeum à pulvillo ad oſcilla uſque conſuta. Hic inſtructus efficit ut ferrum minimè lædat, utque rubiginem non contrahat; ejus loco poteſt etiam ſubſtitui limbus panni lanei tenuioris.

Pulvillos ad ſecundum inſtructum attinentes quod ſpectat, multipliciter in forma & materia variant; forma pendet ab ipſo artificis judicio; ſuperiùs pronunciavi minimos eſſe optimos, quod non ita intelligendum, quaſi omnes eadem ratione efformari deberent, penes judicium erit magnitudinem aptam ſeligere.

Si neceſſarium fuerit pulvillum paulò longiorem conficere, adeo ut uſque ſuper os pubis aſcendat, quia ſc. inteſtini eruptio juxta illud os reperitur, parſque macrior eſt, oportet pulvillus ſit mollior, ut prædictum os in illum pulvillum inſeri queat, aliàs vacuum fiet in loco unde inteſtinum elabitur, & præterea ſi durior foret pulvillus hoc in caſu, partem cui applicatur læderet; ut autem mollior evadat pulvillus replebitur lanâ carpta, aut goſſypio.

Quando agitur de duriore conficiendo pulvillo, adhibebitur tomentum panneum malleo contritum, & in ſacculum è largioris textus tela cannabina immiſſum, qui ſic melius ſuper lamina ferrea collocabitur; pilus equinus ad id etiam aſſumitur, qui medias inter lanam & tomentum occupat. Aliquando ſubere utor hiſpanico pro ea quam in pulvillo expeto duritie, ſemper ſatis lanæ ſuper imponendo, ejuſque bene carptæ; ut pars præ pulvilli applicati duritie non atrophietur aut marceſcat.

Pulvillus pro Epiplocele, in iis qui magnum gerunt abdomen debet breviſſimum fieri & obtuſum, atque in ſui ſuperiore parte depreſſum, læve, & inverſionis commodæ, ut abdomen non lædat, nec effectum impediat quem ab arcta compreſſione exquiris, hæc autem compreſſio per partem pulvilli inferiorem perficitur, quæ propterea magis aut minùs tumebit, pro cavitate partis; obſervandum præterea quòd ſemper pulvillus à parte coxæ magis turgere debeat, nec durior effici. Jam verò ut qui ſubligaculum gerit illud inferiùs quàm par eſt applicare non valeat, in quo error committitur ſatis ordinarius, oportet pulvillum magis in tranſverſum deducere, ut immediatè infra os pubis ſemper remaneat, oportet præterea eum & molliorem & depreſſiorem à parte vaſorum & penis efformare.

Tempus mihi deficeret ſi tot pulvillorum genera, quot herniæ pro ſua varietate conficere cogunt deſcribere tentarem, in hoc exercebitur artificis judicium, nec mirum ſi qui chirurgię genium non ſatis poſſident, nihil boni conficere queunt.

Medium omnium pulvillorum, cujuſcunque demum fuerint formę, durius eſſe debet, quàm ejuſdem limbi, excepto eo qui pro teſticulo retento adhibetur: Neceſſarium autem eſt pulvillos laminis ſuis probè aſſuere, & poſtea corio ovillo albo, aut potius caprino tegere; eadem ratione tegitur cingu-

lum

lum, hicque tertius & ultimus inſtructus eſt; ſutura verò tum pulvillorum, tum cingulorum, debet quantùm poteſt à limbis eorumdem removeri, ut ſic minimè lædat.

Aliquando faſcia quæ coxam complectatur opponitur, cujus aliud extremum cingulo appenditur, aliud verò hamulo ſcuti alligatur; hæc autem faſcia ante ligulam coriaceam hamulo debet inſeri, ut ſic ſolvi nullatenus poſſit.

Et quandoquidem ſæpiſſimè de vita proximi agitur qui ſubligaculis in ſuis herniis confidit; eorum faber per propriam tenetur conſcientiam, ſe in hoc negotio peritum reddere, & omnes herniarum ſpecies noſſe, propterea ſi artem cui ſe vovet dilexerit, in eaque delectetur peritus evadet, ſin minùs in difficultates multas impinget.

Debet præterea & prudens admodum eſſe, & in arcano tegendo religioſus, ne ſcilicet morbi ipſi commiſſi divulgentur. Inopibus etiam in charitate ſuccurret, ut ſic ab omni parte conſcientiæ ſatisfiat; ſed potiſſimum quod ipſi impoſſibile eſt nunquam pollicebitur.

Ultimam in hiſce omnibus quæ hactenus deſcripſi inferior aliis quibuſque forem, dummodo quæ Divinæ gratiæ mihi retegere placuit in publicum commodum, ſic in me non minuerentur.

Atque his Tractatum ſuum de Herniis & Subligaculis complet Nicolaus Le Quin, quibus quæ de Operatione Chirurgica in Hernia, aliàs minimè reductibili & curabili, affert Theveninus Chirurgus Pariſienſis Celeberr. in ſuo de Operationibus Chirurgicis Tractatu, gallicè conſcripto, hic adjungimus, ut ſic integra & abſoluta omnium herniarum, & hiſtoria, & curatio legi & addiſci poſſit.

SI herniarum curationem mediis commodioribus obtinere non valueris, ad operationem neceſſario devenies, quæ triplici peragitur ratione, ſc. per cauterium, per punctum aureum, & per caſtrationem.

Cauterium ſive actuale, ſive potentiale ſuper os pubis applicatur, eô ipsô locô quô inteſtinum decidit, advertendo ne vaſa ſpermatica ullo modo tangantur. Illic cùm cauterium & profundam & largam effecerit eſcharam, hæc dato commodo ſpatio per ſe ſinetur elabi, ut ſic natura & carnem, & ſolidam cicatricem gignere poſſit, quæ inteſtino exitum claudat, ſicque novum ejuſdem prolapſum impediat. Hæc operatio admodum eſt periculoſa, propterea quòd vix perficitur, quin vaſa tangantur, unde intenſiſſimus teſticulis conciliatur dolor.

Punctum aureum triplici peragitur ratione, ſive, ſc. filô aureô, ſive plumbeô, ſive cannabinô cerâ oblitô. Si peragatur, adhibito filo aureo aut plumbeo, æger corpore extenſo, natibus elevatis, & capite depreſſo, ſuper ſcamnum reponetur, ſicque validè ab Operatoris miniſtris continebitur; poſtea locus inciſioni aptus atramento notabitur, & inteſtino in locum naturalem reducto, è miniſtris unus,

unus, digitos indicem & medium foramini per quod inteſtinum elabebatur applicabit, ut ſic impediat quò minùs illud exire queat; tunc per tranſverſum & tegumenta & fibræ muſculares ipſis ſuppoſitæ, intacta peritonæi productione incidentur, poſt acus inflexa filo armata aureo aut plumbeo, ſubtus peritonæi productionem tranſigetur, atque productio hæc conſtringetur, advertendo ne vaſa ſpermatica ſic nimiùm comprimantur, ne ſic & tumor & dolor in teſticulos inducatur, tum quod erit fili ſuperfluum reſcindetur, & advertetur ne ejus extrema carnes lædant, & cicatricis efformationem impediant. Ligatura hæc nullatenus movebitur, ſed ſibi ipſi relinquetur, donec per ſe ſeparetur.

Per filum cannabinum craſſius cera oblitum ſic perficitur operatio, inciſione ſc. modô mox deſcriptô peracta, vaſa ſpermatica digito ad latus adiguntur, & acus filo prædicto armata, juxta hæc vaſa ſubtus & per productionis reliquum tranſigitur, ut vaſis tantùm via ſinatur libera; poſtea quod ligatura ſeu filo cera oblito apprehenſum eſt, validè ut in ipſa caſtratione conſtringitur, & hæc nullatenus movetur, ſed per ſe elabi ſinitur.

Tribus hiſce mediis teſticuli amputatio devitatur, ſed ſæpiſſime nullo cum fructu peraguntur, ſiquidem recidivam patiuntur ægri, eo ipſo momento quo inflammatio præteriit. Quidam Authores, productionis peritonæi apertionem, vaſorum ſpermaticorum ſeparationem, & prædictæ productionis à vaſis ſic ſeparatæ validam conſtrictionem, conſulunt.

Caſtratio hac factitatur ratione: Ægro ſc. ut in puncto dictum eſt aureo collocato, inteſtinum reductum à miniſtro reprimitur, tumque teſticulus ad ipſum inguen aſcendere cogitur, & ſuper eo inciſio per longum, ad ipſam uſque peritonæi productionem (quæ illæſa ſervari debet) conficitur. Per iſtam inciſionem productio ut & concluſus teſticulus extrahitur, poſtquam à partibus cohærentibus ſeparata fuerit; extracta, quàm altè, atque arctiſſimè fieri poteſt, filo cannabino cera oblito, conſtringitur; iſtius fili extrema per vulnus pendere ſinuntur, poſt & productio & vaſa dimidio infrà ligaturam digito reſcinduntur, & ligatura per ſe elabi permittitur. Vulnus ut alia omnia curatur accuratiſſimè tantùm devitando frigus, quod hiſce partibus ita moleſtum eſt, ut ſi ab ipſo lædantur, ægri in convulſiones, mortemque ipſam neceſſariò deducantur.

In hac operatione tria veniunt obſervanda; primò ut cùm inciſio fit, peritonæi productio minimè lædatur; ſic enim inteſtina omnia per vulnus egrederentur, ſi miniſter compreſſionis neceſſariæ oblitus manum annulo applicitam aliquatenus moveret.

Secundò. Ligatura ad ſuperiora quantùm fieri poterit elevabitur, quandoquidem ſi aliqua ſacculi pars relinqueretur in illa inteſtinum bubonocelem crearet. Omnino abſtinẽdum ab herniis irreductibilibus, quandoquidem inteſtinum per ſui in ſcroto moram diuturniorem productionis fundo tandem adhęreſcit, unde exſcindi non poteſt, intacto inteſtino, cujus vul-

Si vulnus inteſtina protuberare faciat, introducenda ſunt, antequam aëre calorem naturalem ſive colorem amittant: hoc enim ſi fieret; exigua curandi ſpes remaneret.

Si inteſtina ſint læſa, labia vulneris filo cera illito conſuito, & in locum urgeto ſimul cum omento protuberante, niſi etiam naturalem calorem & colorem amiſerit, tum enim in loco integro ligari debet, & in non ſana parte abſcindi: interim tamen filum acui adhæreat, ut inde poſt ſuppurationem commode deduci valeat.

Tunc

nus mortis inevitabilis cauſa exiſtit.

Tertiò. Peritonæi productio fortiùs retrahi non debet, ne ſc. convulſio inde enaſcatur. Quamvis autem hæc operatio præcedentibus multò ſit periculoſior, tutior tamen eſt, ſiquidem effectus durabilioris, & recidivam magis arcentis, exiſtit.

Sæpè evenit ut inteſtinum in inguina aut ſcrotum excidat fæcibus plenum, quæ ipſius reductioni ſunt obſtaculo, unde ſtrangulatur, inflammatur, vomitus facit, & eam paſſionem colicam quæ *miſerere* vulgò dicitur. Si per ſitum commodum reduci non valeat, per clyſteria, cataplaſmata emollientia, aquæ frigidæ lenem fotum, & manus dexteritatem, ad operationem deveniendum, quæ tam ſæpè ita neceſſaria, ut inteſtinum intra tres aut quatuor dies non reductum gangrænam contrahat, operationemque infructuoſam faciat; propterea ſi eò malum devenerit ab ipſa abſtinendum, quandoquidem excruciando ægro, morti jam neceſſario vicino, tantum inſerviret.

Pro hac operatione, ut decet, perficienda, poſtquam ægrum, ut in præcedentibus dictū, collocaveris, inciſio in inguine ad ipſam peritonæi productionem adigetur, tum productio parum elevabitur, ut in illa minima apertura fiat in qua inteſtinum exquiſitiſſimè devitabitur; hoc autem facillimè ex eo agnoſcetur quòd nigrius multò ſit quam productio ipſa. Poſtea lentè & leniter ſpecillum cavum per productionis annulum in abdominis cavitatem deducetur, & per ſpecilli cavum parvum inſtrumentum dilatatorium è duobus ramis confectum immittetur, ut ſic dilatetur ſtrangulatus; in id etiam adhibebitur novacula acuminata & recurva quâ reſcindetur annulus; tum reducetur inteſtinum, & peritonæum pluribus punctis ad modum pellionibus familiarem conſuetur, quàm altè fieri poteſt acum adigendo, ut illud ſic magis conſtringatur, ſicque ut & per carnes & cicatricem duriorem in ſequentibus gignendas, inteſtini novus elapſus prorſus prohibeatur.

Quidam vulnus tantùm linamento replent, nullamque aut ſuturam, aut ligaturam efficiunt, nec tamen inde morbus minus ſine recidivæ metu curatur: Interim multò tutius eſt teſticulum elevatum per vulnus extrahere, atque ligatura quàm maximè ad ſuperiora fieri poteſt peractâ, quidquid productionis ſupererit dimidio infra illam digito reſcindere;

Tunc etiam occaſio urget, ut vulnus ventris & peritonæi hoc modo unias. Acum accipe & filum cera perunctum, qua externe cutim & muſculos ad peritonæum uſque trajicies, quod ab hac parte intactum relinques, ſed aliam præhende, quam tranſadige, & ſimul etiam muſculos & cutim atque labia ad mutuum contactum contrahito: deinde ſpatium digiti tranſverſi intermittens, cutim & muſculos acu tranſigito, ubi ultimo ipſam eduxeris: peritonæum in illa parte rurſum intactum relinquens; ſed aliam præhendito, cujus cutim & muſculos trajicies, quod ita ad terminum vulneris uſque eſt perficiendum.

Sed quoniam continuo ventris motu conſuturæ facili negotio diſſolvi poſſint, & cum præterea nimia feſtinatio, quæ hoc in caſu requiritur, non permittat eam accuratiſſimè perficere, ſemper neceſſarium erit, conſuto vulneri Emplaſtrum glutinatorium ſuperimponere.

Ad haſce hernias etiam pertinet *Exomphalos*, ſive *Hernia umbilicalis* quæ eandem cauſam habet, & iiſdem curatur remediis. Tantùm hoc obſervandum eſt, pro magnitudine herniæ, in medio emplaſtri rotundi ad herniam, fruſtulum protuberantis ceræ, idoneis & adſtringentibus medicamentis commixtæ, figendum eſſe, ut ita perfectè, uti decet, in locum urgeri & contineri poſſit.

Hoc etiam animadverſione non indignum videtur, peritonęum rariſſime diſrumpi In apertis diſſectiſque cadaveribus aliquoties expertus ſum & demonſtravi, umbilicum cum ſubſequentibus inteſtinis inſtar capitis virilis protuberaſſe: adeò ut muſculi ventris recti ad latera impellerentur, & à ſe invicem ſepararentur: attamen peritonæum erat expanſum, ſed nuſquam diſruptum.

Hæ ſunt ſimplices herniæ & compoſitæ, prout vulgò deſcribuntur: ſed nobis plura alia praxis demonſtrat, & quæ apud ſcriptores non reperiuntur: nam experientia me docuit, peritonæum etiam in parte poſteriori verſus dorſum poſſe diſrumpi, & ibi herniam efficere. Experimur etiam proceſſum peritonæi in inguinibus ita poſſe diſrumpi, ut inteſtina non in ſcrotum, ſed inter cutim & muſculos verſus femur ſeſe urgeant. Præterea non ſemel tantum obſervavimus *vas deferens* corrugatum in ſcrotum deſcendiſſe, & ibi herniam effeciſſe,

quæ manuum ope facillimè reduci poterat, imo quæ, ſi corpus reſupinaveris, ſua ſponte intro recedit, à qua tamen nihil mali exſpectandum aut metuendum eſt.

Modus curationis nihil habet peculiare, quàm quòd idonea ſubligacula ſint excogitanda, quæque partes prolapſas ita in priſtinam ſedem reducunt, ut integræ non lædantur.

Inter haſce hernias plerumque etiam diverſi tumores numerantur, qui ad alia capita pertinent, ubi illos etiam deſcripturi ſumus: ſed ut juventuti ſubveniamus, neceſſarium exiſtimo, ut hernias illas enumerem, quæ in hodierna praxi cognitæ ſunt.

1. *Enterocele*, *hernia inteſtinalis.*
2. *Epiplocele*, *hernia omentalis.*
3. *Omphalocele*, *hernia umbilicalis*,
4. *Pneumatocele*, *hernia ventoſa*,
5. *Hydrocele*, *hernia aquoſa.*
6. *Bubonocele in inguinibus.*
7. *Circoſocele*, cùm venæ ſpermaticæ ita intumeſcunt in ſcroto, ut tertium teſticulum videantur.
8. *Hernia Veneris*, cùm teſticuli impuro concubitu indurantur.
9. *Hernia Humoralis*, cum ſcrotum humoribus præternaturalibus repletur.
10. *Hernia carnoſa.*
11. *Bronchocele*, Hernia gutturis.
12. *Spermatocele*, [f] impropriè à me ita appellata, cùm vas ejaculatorium corrugatum in ſcrotum delabitur.

dere; ligatura autem in vulnere relinquetur, donec per ſe decidat. Atque hæc eſt caſtrandi methodus.

[f] Non ſemel vidi [ut in noſtra adnotatur Bibliotheca Anatomica] in viris ſalacioribus, per obſtructionem in aliqua epididymidis parte à ſeminis particulis concreſcibilioribus efformatam, teſticulum mirum in modum auctum fuiſſe, ſemelque etiam ſperma ſic aggeſtum epididymidis tubulum perrupiſſe, & euffiſione ſua in ſcrotum copioſam abceſſui materiam ſuffeciſſe, cui exitus phlebotomo neceſſariò parandus erat; pus cùm ſic effluxiſſet, parſque mundificata fuiſſet, oculis ſe exhibebat epididymidis pars inter ejuſdem globulos media, unde non amplius pus, (quod nullum reſtabat) ſed materia ſeminalis incorrupta, abundantiùs erumpebat. Haſce ſeminis

aggeſtiones in teſticulis ab obſtructione, ſine ulla cauſa venerea effectas, teſticulumque ad ingentem attollentes molem, liceat potiori jure, quàm Author noſter facit, Spermatocelas vocare, de quibus, iiſque præcipuè, in quibus perrumpuntur epididymidis tubuli nihil apud Practicos videmus.

Super Hernia hanc habet obſervationem Clariſs. Ioh. Muys Medic. Arnhemienſ. in ſua Praxi Chirurgica Rationali.

Septuagenarius in ſcroto vexabatur tumore valdè magno ac dolorifico, ejuſdem cum cute ſana coloris; tormina ſentiebat in abdomine ac evomebat quicquid aſſumebat; jam per viginti quatuor horas hoc in ſtatu conſtitutus opem meam implorabat. Æger inter examen à me inſtitutum retulit, ſe jam per longam annorum ſeriem laboraſſe hernia, quæ ſæpius eum, inteſtino in ſcrotum prolapſo, mirum in modum moleſtabat, ac iterum nullum afferebat incommodum, cùm inteſtinum in locum ſuum receſſiſſet; inteſtinum autem hoc nunquam antehac tamdiu extra abdomen exulaverat, quàm jam; & quicquid moliebatur æger, illud reponere non potuit.

Morbum hunc ſatis periculoſum eſſe, amicis prædixi, quia tamdiu extra abdomen permanſerat inteſtinum; (Sic vir 40. annorum Ultrajecto Arenacum pedes profectus incidit in herniam ſcrotum infeſtantem, cui antea etiam obnoxius erat, ſed tantùm in inguine, & tamen adhuc per 4. horas inceſſit pedibus, unde tumor valde excrevit, eratque valde durus & dolens; æger interim ſemper vomebat, ac frigori expoſitus in ſtramine per totam noctem jacebat apud ruſticum; poſtero die curru advectus eſt Arenacum continuò vomens. Mixtura ægro propinabatur flatus diſcutiens, ſed eadem mox vomitu rejiciebatur; tres præterea clyſteres injecti ſunt, ſed ſine fructu; æger in bono ſitu poſitus eſt, fotus humidi ſiccique imponebantur parti affectæ, ſed his nihil juvantibus ægrotus quarto ægrotationis die è medio ſublatus eſt pulſu ſenſim diminuto. Aperto cadavere inteſtinum ileum inventum fuit gangræna affectum ſpithamæ longitudine, ac ſitum in ſcroto cum flatibus & excrementis duris; præterea magna pars omenti continebatur in ſcroto convoluta inſtar pilæ cum vaſis ſanguiferis valde diſtentis.) Interea autem amicos ægri admonui, ne animum nimis deſponderent, ac eum in finem iis narravi obſervationem octavam Riverio communicatam à Domino Ozia Aimar Chirurgo Gratianopolitano, in qua poſt multa remedia per novem dies in caſſum uſurpata, inteſtinum per totidem luces in ſcroto commoratum, repoſitum fuit feliciter inciſione facta uſque ad productionem peritonæi quæ inteſtinum ſtrangulabat.

Sed unde provenit, quod in hernia inteſtinum prolabatur in ſcrotum, aliaſque partes? Ob relaxationem peritonæi, quæ exoritur ex eo, quòd multi ejuſdem tubuli obſtruantur, inque illis ſtagnent ac coacer-

ventur humores, qui progreſſu temporis ſe inſinuant inter fibrillas peritonæi, illudque hoc pacto relaxant.

Cur jam inteſtinum in ſcrotum noſtri patientis delapſum, non tam facilè rediit, in abdomen, quàm inde egreſſum eſt, cùm via ſit eadem? Hoc præcipuè contigit, quia inteſtinum tandiu extra abdomen permanſerat, ubi minor eſt calor; nam pori inteſtini eo modo aliquatenus obturati impedivere quò minùs vapores ob minorem calorem, etiam aliqua ex parte condenſati, ex inteſtino in ſcroto decumbente liberè quaquaverſum egrederentur, quapropter illi coacervati ſunt in inteſtino, illudque diſtenderunt flatibus vulgò nuncupatis.

Hinc igitur manifeſtum ſatis evadit, præcipuam hujus mali medelam conſiſtere in eo ut pori inteſtini extra ventrem exulantis obſtructi recludantur iterum, ac vapores aliquouſque condenſati, majore motus ac agitationis quantitate donentur, ut ſic rurſus citato gradu circa propria ſua centra torentur.

Utrumque hunc effectum conſequutus ſum lino nendo recenter contorto ac nondum coctione depurgato, nam ubi hoc priùs in lacte dulci coctum, calidè per quadrantem horæ fuiſſet impoſitum parti affectæ, inteſtinum blanda manus agitatione, in abdomen ægri in bono ſitu collocati remigravit.

Æger hoc pacto ex vicinis orci faucibus, ereptus poſtea cum piſcatore ictus ſapuit, ac geſtavit vinculum ferreum externè veſtitum ad inteſtinum intus retinendum: nam homines provectæ ætatis à tali malo prorſus velle ſanare, eſt oleum ac operam perdere, contingit enim admodum raro, quod Fabric. Hildanus refert in lib. ſuarum obſervation. nimirum ſexagenarium per 20. annos hernia magna laboraſſe inteſtinali, quæ à nullo Chirurgorum aut Medicorum potuit ſanari, eumque ſenem poſtea ſine medicamentis in totum eſſe reſtitutum priſtinæ ſanitati, poſtquam morbo aliquo periculoſo decubuerat in dorſo per ſemeſtre ſpatium, ideoque optimum contra herniam remedium citatus Autor eſſe affirmat quietem & decubitum in dorſo.

Hernias verò puerulorum ſæpiſſimè ſanatas eſſe vidi, & quidem præſertim circa octavum ætatis annum, bona faſcia ex linteo confecta ac emplaſtro carminante Sylvii extenſo ſuper corium, quod reperitur prax. lib. 1. cap. 12. tit. 58. in quo tamen unum errorem, quem neminem ſecuturum ſpero, annotare lubet, ſc. quod gummi galbanum, aliaque ſolvantur in aceto ſalem volatilem eorum non parum infringente.

Juramentum Medicorum in Academia Ultrajectina jubet, audita vel viſa inter curandum, non enuntianda involvere ſilentio, hocque ſtrictè obſervandum puto in herniis juvenum, quandoquidem hoc malum puellis inviſum magis eſſe ſolet quàm par eſt, quod, antequam hanc obſervationem finiam, exemplo declarare mihi propoſui.

Recenter nupta virgo, ubi prima vice lectum cum ſuo ſponſo eſſet ingreſſa, intrepida manu mox illas mariti partes contrectat, quas Adamus ſibi

ſibi ficuum foliis ſtatim poſt lapſum contexiſſe legitur, atque ita eundem hernia divexari ex vinculo, quod geſtabat animadvertit, unde fere in furorem acta, hæc in verba erupit: pudeat te, conjux, quòd Amaſiam tuam tam impiè deceperis; quid conſilii mihi miſeræ? Perii profectò; num tam malè conformatum corpus puellæ in flore ætatis conſtitutæ, ac annum decimum octavum nondum egreſſæ ſatisfacere poteſt? Minimè, actum eſt de me; emori mallem, quàm tecum ampliùs habitare.

Maritus, hac ſuper re interea temporis feriò philoſophatus, placido ſermone tandem reſpondit; bono animo ſis, anima mea, vanam ac ſupervacuam hanc, meum corculum, depelle ſolicitudinem, quoniam polliceor tibi, me pro virili conaturum efficere, ne unquam hac de re conqueraris ampliùs, ac novem menſibus vix elapſis experientia mariti verba confirmavit gemellis, quos enixa eſt uxor, poſtea mutire vix audens de imaginaria conjugis impotentia.

Cap. VIII.

De Vteri procidentia.

Uterus non facilè laxitate, multo minus diſruptione latorum ligamentorum prolabitur, uti maxima pars ſcriptorum ſibi imaginantur. Gravi parturientium fœminarum niſu, & incauta ſecundinæ extractione alii nobiſcum, fundum uteri in pube plane inverſum viderunt, adeò ut pars intima extrema eſſet. Etiam experti ſumus (præſertim in illis, qui alvi duritie & ventris dolore vexabantur) membranas pubis ſe eo uſque extendere, ut homines Chirurgiæ imperiti eas pro ipſo utero ſumſerint, & etiamnum ſumant: nam uterum [a] ſine vitæ periculo poſſe exſcindi, quemadmodùm multi doctores ſcribere auſi fuerunt, perito anatomico intolerabile cenſetur.

[a] Ancillam Venetiis uterum ſibi præcidiſſe, quòd ſubinde deſcenderet, Saxonia comprobat. Joh. Georg. Volcamerus, fœminam uterum ſerico priùs conſtrictum poſt quatuor ſeptimanas ficus inſtar compreſſæ corrugatum & demortuum, præcidiſſe Germanorum Miſcellaneis Curioſis inſeruit. Unde cum Diemerbroëckio, plurima alia exempla citante, legitimè concludi poteſt, hallucinatum fuiſſe Kerkringium, dum aſſerit, uterum nunquam excidere poſſe. Sed curioſius quid huc habemus adducendum, videlicet uteri morbo conſumpti hiſtoriam raram à Clariſſ. D. Nozet Archiatro Friburg. Celeberr. nobis communicatam.

Ut

Sic

Sic autem Ille.

Fœmina annorum circiter 33. inſolenti affectui miſerrimè ceſſit. Erat ea temperamenti æquò calidioris & ſiccioris citra tamen inſignem functionum noxam, animæ paſſionum turbinibus ludebatur vel citra anſam, in quas naturali pondere admodum proclivis erat, cæteroquin conſtitutionis naturaliter prorſus amicæ; patiebatur levem dyſuriam ſenſim creſcentem, cujus vexationes annum circiter tacitè tulit, dein malo tanto hoc tempore ſuperbo, urina cæpit fætoris tetri exhalatione acri malum delitefcens patefacere, & graviori acrimonia afflictam inclementiùs urere, ita ut brevi poſt ejulatu horrifico terreret præſẽtes, nec non proximarum domuum vicinos & fætoris petulãtis inhumanitate arceret præter neceſſarios, omnes. Simul queſta eſt de femoris, nec non tibiæ ejuſdem lateris dolore atroci, alto, & oſſium medullam lacerante, liquante, & qui remediorum infinitorum vim fefellit, adeò, ut ſolo opio in tripla doſi tertia quavis nocte ſumto miteſceret ad tempus. Poſt tyrannicas circiter anni unius torturas rogatus fui in opecias ferendas rei conclamatæ; judicavi poſt aliquod laborantis examen, populante & polluente ulcere uterum exedi, & in ſpurcam ſaniem fluere, obſtetricem adhibui, & inſtruxi, quæ manu exploraret num ulcus jam corpus uteri perforaſſet, poſt patientem indagationem retulit ea omnino perviam eſſe ulcere uteri cavitatem in vicina & externa ſpacia: difficilè utique mihi non fuit abſolutè deſperatam prognoſim inſtituere, cùm has partium ſpermaticarum ruinas reſarcire impoſſibile evidenter ſit, tamen in ſolatium, non ſalutem miſeræ intentus præſcripſi injectiones in uterum detergentes quarum beneficio & fætor & dolor urinæ plurimùm remiſere, dum ſimul uteretur juſculis diureticis & ptiſana ejuſdem functionis, juſculis enim incoquebantur radices petroſelini, fæniculi, apii, aſparagi, ononidis, folia cerefolii, fragariæ, naſturtii aquatici, acetoſæ, mutatis ſæpiùs alternatim iſtis pro guſtus caprizantis commoditate; ptiſana hujus erat confectionis. ♃. ſem. hyper. contuſ. ʒij. a kekeng. contuſ. ʒiij. ciner. plant. geniſt. ſtipit. fabar. ãã ʒiij. fiat decoct. in aq. com. ℔. iiij. ad conſumptionem part. 3. coletur, clarificetur & aromatiſetur cinnam. pro ſitis uſu. Ut importunis ſollicitationibus non inſenſilis audirem addidi emulſionem quoque diureticam. ♃. amygdal. dulc. excortic. ℥vj. ſem. milii ſol. ʒj. ſem. 4. frigid. maj. ℥ß. contund. affundendo ſenſim aq. parietar. ℥iiij. in expreſſo ſolve ſyr. fragor. ʒvj. f. Emulſio ſæpiùs ad libitum expetentis iteranda. Ut femoris & tibiæ dolori caſtigando proſpiceretur, conſului balneum aquæ dulcis cum qua coqueretur hordeum mundatum, herbæ hyoſciami, ſolani, malvæ, althææ, ſempervivum minus, flores verbaſci, meliloti, chamomillæ, inſuper vaporem adhibui cum radicibus altheæ, mandragoræ, & ſeminib. papaver. albi, hyoſciam. cum fol. ſempervivi utriuſque, lacte omnibus coctis: præterea alio vapore pro ſolatio nauſeantis, ſcil. remedia omnia mox memorata cum aceti urentis ℔ j. ſach. ſaturni ʒjß. opii Thebaci ʒj. camphor. ℈ij. in exhalationem calore

rare-

rarefaciente attenuabantur, quò partes dolore cruciante miſeras amicè ferirent, nonnihil his corrigentibus cicurabatur; ſed moles tumoris ædematoſi ſenſim latiùs ſe explicabat: interim naſcitur tuſſis violenta & frequens, cum ſputis ſanguine tingente conſtanter rubeſcentibus, quæ pulmonum ulcus recens excavatum evidenter loquebantur: præſcripſi pulverem ſequentem, ut aliquo ſolatio ſui nimium delicatè amantem reficerem. ℞. pulver. anti-hect. Poterii ℈ij. ſacch. ſaturn. ℈j. pulver. Abbat. Hælii ʒjß. ſacch. roſat. ℥jß. f. pulvis bis quotidie ex cochleari ſumendus, ſimul ptiſanam coqui juſſi vulnerariam, ſic & pulmonis & uteri ſtatui annuentem. ℞. rad. conſol. maj. ℥ß. fol. veron. ſcord. flor. roſar. rubr. āā Mß. antimon. crudi nodulo ligati ʒiij. bulliant cum aq. comm. ℔v. ad remanentiam ℔iiij. pro potu ordinario; ſed omnia ut facile erat prævidere in caſſum ceſſêre, exſiccante famelica tabe tot malorum lethalium obruentium prole funeſtiſſima, febriſque hecticæ inſatiabiliter populantis pediſequa, fatis imperantibus paruit. Secui corpus opera uſus experti & amici chirurgi, ſterno utrinque ſecto ſurſumque in faciem jacente, apparuit pulmo ambobus ſuis lobis univerſim tribus ulceribus peręſus: cordis conus diaphragmati mutuæ ſubſtantiæ intimo coitu firmiter infixus accreverat: arteriam magnam polypus decem tranſverſorum digitorum longitudine notabilis imprægnarat; ſed quod monſtrum hactenus inviſum, nulla deprehendere licuit curioſè ſpectantibus uteri veſtigia, præter ramenta quædam fracida, eaque parva in tetricam materiam eunti: a eadem ſors veſicam ad collum uſque perdiderat, cæteris partibus pepercit iniquitas dictis malis ſatur; & ne in minimis curioſitati meæ deeſſem, volui inciſione patere tibiæ femoriſque afflicti partes internas, illico ultra lib. ij. ſeri limpidi ſtillatim effluxit, & nervus quæ ſitus externus quarti cruralis propago circa poplitem partitus magnitudine digiti mediocris apparuit ſtupentibus, humore lentante confertim turgidus, ſine tamen ulla, quod mirêre, convulſione aut paralyſi prævia; hinc in dubium meritò vocari poteſt de utriuſque affectus cauſa, ſententia vulgaris, nec enim ubique ſeroſo latice merſus nervus, in latitudinem notabiliter explicatus contractione ob extremorum approximationem brevior evaſit, nec is ipſe humor omnes internæ ſubſtantiæ poros infarciens ſpirituum animalium commercium, hoc pacto præpediens ſenſum tibiæ ſuffuratus eſt. Huic cladi anſam dediſſe cum rationabili probabilitatis conjectura dixerim binam cauſam, una eſt partus arduus, prima iraſcentis Numinis in ſexum muliebrem pæna ob ejus ambitioſam inſaniam, quo ruſtica obſtetrix placentam ab utero barbarè avulſit, laceravit, ut locus ſpurcus humoribus copioſis, acribus, & tandem putrentibus fædè ſcatens, proprio ſcelere elaborarit ulcus altum, omnemque ſubſtantiam inhumaniter devorarit. Secunda cauſa eſt mariti ad veneris effrenis officia generoſiſſimi penis inſolitæ longitudinis, ex confricatione illius allidentis immodeſta & frequentiſſima, uteri orificium excoria-

Ut malum hoc curetur, patientem reſupinato, genubus ſurſum elevatis, & pedibus ſeparatis: deinde candelam [b] ex cera ſumito juſtæ craſſitudinis, cui aſſa fœtida ſive caſtoreum eſt admiſta, eaque leniter uterum intrudito, poſtquam candelam vinculo alligaveris: externe ventri Emplaſtrum Barbarum, ſive ſequens imponito.

R. Rad. cyperi. Biſtort. an. drachm. j. Gallar. Acaciæ an. drachm. ſ. Nucum cupreſſi, Oſſ. dactylor. Sem. myrtillor. an. drachm. j. Picis & colophoniæ q. ſ.

M. F. Emplaſtrum.

Porro patienti demandabis, ut pedibus conduplicatis quietiſſime decumbat, & ſibi à clamore, rixis, & iis omnibus, quæ tusſim & ſternutationem movent, prudenter caveat. [c]

Imprimis hic obſervandum eſt, ne candela ex cera ſive obturamentum crasſius ſit quam oportet, & continua attritione album fluxum promoveat, naturamque ad ſeminis ejaculationem impellat, qua neceſſario corporis vires debilitarentur. Attamen malum hoc neque prorſus, neque ſemper prudentia tua auferes: quapropter optime illi & cum ratione agere videntur, qui candelam per longitudinem perforant, ut humoribus adfluentibus idoneum exitum præbeant.

Cap. IX.

De procidentia inteſtini recti.

SI inteſtinum rectum prociderit, illud oblinito oleo roſaceo & myrtillorum, parum pulveris Gallarum commiſcendo, & ita digitis vel linteo leniter reducito: inflammatio ſi impedimento ſit, anum hiſce medicamentis foveto.

R. Flor. ſambuc. Chamomill. Hypericonis an. M. ſ. Roſar. rubr. p. ij. Summit. abſinth. Melilot. an M. ſ.

M. &

ri, altiusque ſenſim lacerari, tandem humore ſpurco perenniter irrorante rodi, & putredine accerſita facilè actionis ejuſdem ſocia, vorari potuit.

[b] Peſſaria juſtæ magnitudinis, variæque figuræ in ſuo de mulierum partu Tractatu, deſcribit & depingit Franciſc. Mauriceau Chirurg. Pariſienſ. Celeberrim.

[c] In uteri procidentiæ cura Mercuria-

M. & coq. ex lacte vel vino rubro. [a]

Imprimis neceſſarium eſt, inteſtinum rectum prolapſum externo frigore non corripi: nam ſubito gangræna, cum plane ejus eſſes immemor, ſe proderet. Quare operam dato, ut quàm primum intrudatur, & interea temporis naturalem ejus calorem, præſcripto fomento & linteis calidis, diligenter conſervato.

Sed

curialis lumbis & pectori ceratum parat, quod habet maſtich. galban. ſtyracis, picis āā ℥j. nuc. cupr. ℥ß. ſang. drac. ʒvj. oleor. maſtich. myrr. āā. q. ſ. & ceræ q. ſ. ut f. Ceratum.

Saxonia accipit album. ovor. n°. 4. ſucci moror. immatur. vel ſylveſtr. ℥iiij. tragac. ℥ß. far. volat. molend. ℥ij. bol. arm. ℥j.

Auguſtanæ Obſtetrices globulos curioſiùs & ad mentem Georg. Hyeron. Velſchii ſuperſtitioſè hoc modo compingunt. Juglandem majorem excavatam ſiccatamque, faſciola ex linteo ſepulchrali circumdatam, filo primùm craſſiori, deinde ſubtiliori obvolvunt, ceraque, priùs herbis traumaticis & adſtringentibus decocta, ut alchim. conſ. maj. veron. verbaſc. & ſalv. hort. accurate induunt, ne ulla ſui parte dehiſcat, uſuſque tempore unguento ex ceruſſa, oleo roſac. ſebo cerv. lythargir. & pulvere malicor. inunctos globos ſinui intrudunt, filo pendulos, ut ad arbitrium extrahi poſſint.

Quòd ſi poſtliminio prolabatur, conſilio Joh. Raim. Fortis per 40. dies utantur decocto ex lentiſci è Chio ℥jß. ſant. rub. ℥j. lign. roriſmar. ℥ß. aq. comm. ℔iiij. Infuſ. per 24. horas add. turturem, vel dimid. columbam turricolam, bulliant ad conſumptionem dimidii, fiat colat. & ſervetur pro tribus diebus matutino tempore aſſumenda; in qua infundant. gutt. v. tinctur. corall. chymicè extractæ. Dum aſſumetur hoc decoctum qualibet hebdomada uti debet aliquo hydragogo.

Benedictus Victorius Faventinus, Ceratum imponit regioni matricis, idemque in dorſo è regione, quod ingreditur ſem. acetoſ. plantag. coriandr. præpar. āā ʒij. coral. rub. ſem. roſ. rub. āā. ʒj. hypociſt. acac. thur. āā ʒjß. gallar. cortic. granat. balauſt. āā ʒij. contund. omnia in pulver. minutiſſ. miſce cum oleo roſ. omphac. deinde cum cera & pice q. ſ. f. ceratum.

Hildanus ſacculum conſuit aliquoties de die loco affecto applicandum. ♃. folior. plantag. ſalic. meſpillor. quercus, prunor. ſylveſtr. ſummit. roſar. āā Mj. rad. torment. conſ. maj. biſtort. āā ℥j. balauſt. nuc. cupreſſ. āā ℥ß. ſem. aniſi ℥jß.

Daniel Wincklerus Electuarium habet quod accipit, conſ. roſ. antiq. torment. āā ℥jß. diacydon. ℥ß. corall. rub. prep. ʒß. trochiſc. de carab. de terr. ſigill. de ſpod. āā ℈j. f. cum ſyrup. cydon. electuar.

[a] Hercules Saxonia reſoluto ſphinctere, glandes parat ex caſtor. & Sinap.

Mercurialis, Rhaſis pulverem extollit.

Sed aliud inſuper adhuc reſtat curationis medium, quod primo intuitu quidem riſu dignum videtur, ſed quod in hoc caſu valde conducit. Nates patientis extenſa manu quinquies, aut ſexies, aut pluries verberato, quo muſculi ani levatores inteſtinum rectum ſtatim in priorem ſedem attollant. Sed antequam hiſce verberibus excipiatur æger, inteſtinum rectum oleo roſarum & myrtillorum circumliniri neceſſe eſt.

Cap. X.

De operatione ſecunda Diæreſi dicta.

HActenus ſeparata conjunximus, nunc continua ſunt ſeparanda: agemus itaque de ſecunda operatione *Diæreſi* dicta, quæ nos æque

tollit. ♃. ceruſſ. agrimon. gallar. alum. ãã ʒiij. applica, poſtquam illinitus fuerit oleo myrt. vel omphacino anus.

Quod ſi reductum inteſtinum rurſus elabatur, ilibus præcinctis, & ſubmiſſa retrò faſcia, ano intus propulſo, ſpongia mollis aqua calida, in qua lotri ſcobes incoxerint, madefacta admovetur, ſpongiaque expreſſa, eadem aqua anus perfunditur: tum faſcia intra media crura ſubjecta, ad umbilicum religatur.

Galenus ad prælabentes podices, prælotis partibus vino auſtero, aridum pulverem conficit ex fruct:b. ericæ, gall. acac. ceruſſ. ſucc. hypociſt. cortic. pini, thur. myrrh. ſingul. ʒiiij.

Scribonius Largus inteſtinum prolapſum vino calido lavat, reponit, & pice liquida perungit, aut cineres ex ſarmentis, ac alumen tritum bene adſpergit.

Claudinus 40. dies decumbenti, ſingulis mane pulveris ʒj. cum ℥iij. ſucci vel aq. plantag. propinat. ♃. pell. ariet. combuſt. ℥ß. myrtillor. nuc. cupreſſ. acac. corall. rub. ãã ʒij. folior. oliv. ſumach, ãã ℥ß. contuſis tertia ſacchari pars adiicienda.

Jeremias Martius, Fratri ſuo ani prolapſum paſſo fotum adhibuit ex roſ. rub. plantag. utriuſque, fol. quercus ãã. M. j. cupul. gland. M. ß ſyr. cydonior. ℥j. aq. pluv. incoctis, & cum ſpongia admotis, inſperſo deinde pulvere. ♃. maſtich. thur. nuc. cupreſſ. myrrh. gallar. cortic. granat. ãã. ℥jß.

Relapſum vino calido ablutum, & ſebaceo, vel quod commodiùs ol. roſ. retruſum retinuit emplaſtro adhibito quod habet: maſtich. thur. ſumach. roſ. rub. cortic. granat. ãã ℥ß. balauſt. myrtill. ãã Mß. cum vino rub. contuſa piſtentur probe & calida applicentur.

Nicolaus de Blegny Tractatu de Herniis cap. 8. machinam ad anum in ſtatu naturali coërcendum proponit.

Ego ſummo cum fructu poſt fotum vini auſteri, uſus ſum adſperſione teſtæ cochlearum in tenuiſſimum pulverem redactæ.

De

æque in duris, quam in mollibus corporis partibus *inciſionem* & *uſtionem* docebit. *Inciſio* in mollibus locum habet; ſed in duris fit ſeparatio continui quadruplici operatione, nempe *terebratione* ſeu *perforatione*, *raſione*, *limatione* & *ſerratione*. *Vſtio* fit *cauterio actuali* vel medicamentis, id eſt, *cauterio potentiali*, uti ſpeciatim declarabimus.

Cap. XI.

De Venæ ſectione.

Venæ ſectio, præſtantiſſimum quod universa medicina agnoſcit remedium, aliquando tantopere neceſſaria, & aliquando tantopere periculoſa cenſetur, ut non procul ille à levitate abeſſe videatur, qui eam rationibus non vehementer urgentibus inſtituit. Præſtabit igitur ex mea quidem opinione, quòd meus extra terminos vagetur calamus, quàm quòd Chirurgi & Doctores rerum imperiti, parum de pauperum damno ſolliciti, illud re ipſa commonſtrent.

Sanguis naturæ filius exoptatiſſimus exiſtimatur, cujus ope omnes ſuas operationes perficit, & quem ei ſine damno vix ſubducere poſſumus: attamen ars poſtulat, ut illi, qui cum ipſo rem habere deſiderant, neque audaces, neque meticuloſi, ſed prudentes & cordati, neceſſitatem pro virtute amplectentes, ad venæ ſectionem procedant, non aliis, quàm hiſce quatuor rationibus infraſcriptis commoti.

1. Venæ ſectio in Plethora conducit, ut hoc modo natura nimio pondere liberetur, & naturalis calor à ſuffocatione conſervetur.

2. Conducit etiam ad ſanguinem, & ei admiſtos humores revellendos, cum nimio fluxu ad hanc aut illam partem properantes, curationem impedient. Hoc in caſu ſemper vena ex parte oppoſita eſt eligenda, aliquando remotiſſima à parte affecta, aliquando verò ei magis propinqua.

3. Præſtat etiam ad ſanguinem jam in partem delapſum alio derivandum, ſi ſcilicet ibi fixam nondum habeat ſedem, neque extra venas vagetur. Hac de cauſa in vicina regione vena eſt aperienda.

4. Prodeſt præterea venæ ſectio ad ſanguinem refrigerandum, cùm tanto ardore ſit inflammatus, ut neque medicamentis refrigerantibus, neque in tempore extingui poſſit.

Sed putant nonnulli ſed hiſce terminis nimium coarctari, cupientes ſanguinis corruptionem, æque ac quatuor jam enumeratas rationes, nos ad venæ ſectionem impellere, ut natura à portione corrupti ſanguinis exonerata, reliquum ſanguinem tanto commodiùs corrigere & emendare poſſit. Verùm hoc magnopere exoptarem, 1. evacuationem hanc abſque virium tantopere neceſſariarum diſpendio fieri poſſe. 2. vellem eos, ægrotantis ad lectum aſſiſtentes, accurate indicare, ad quem corruptionis gradum jam ſanguis aſcenderat, ut hinc ſciri poſſit quantum ſanguinis, & quoties venæ ſectione ſit depromendus, quoniam venæ ſectionem in omni ſanguinis putrefactione non permittant, ſed tantummodo in illa, in qua nondum ad ſublimem gradum pervenit. 3. Oporteret eos manifeſte indicare, quam ob cauſam majorem corruptionem purgatione, minorem vero venæ ſectione curandam eſſe velint, cum huic æque ac iſti verum Cacochymiæ nomen tribuant: monſtrent, inquam, ſecundum magis & minus differentia ſpecie differre, & ideò propter ſpecie differens indicare remedium.

Ulterius procedunt alii, qui in omnibus febribus innoxium ſanguinem profundunt, neque petechias, [a] neque peſtem, neque venenum excipientes; liberantes ſe itaque hoc modo à multo labore & moleſtia, quem aliàs multiplices febrium differentiæ Doctori exhibent. Sed quoniam veneni & malignorum humorum natura præcipuè in eo conſiſtat, ut continuo ipſum cor hominis aggrediantur, & vires robuſtiſſimi, cujuſque ſubito proſternant; & venæ ſectio interim utrumque præſtet, non tantum vires diminuendo, ſed etiam malignitatem ad cor trahendo, & illud, quod natura ad ejus ſublevationem

[a] De hiſce, quia ad Chirurgiam non pertinent hic non agimus; conſuli poſſunt inter alios Clariſſ. Sidhenam tract. de morbis acutis, ubi de Peſte, Petrus à Caſtro de febribus petechialib. Botallus de curatione morborum per venæ ſectionem, &c. ut quid in praxi ſeligendum veniat, exquiſitè ponderatis rationibus, videatur; atque hac præterea de cauſa ad hujus capitis calcem, elaboratiſſimam Clar. Thomę Willis de Phlebotomia Diſſertationem integram adjicimus. De diffuſa, atque regulis geometricis innixa Sanguinis miſſionis doctrina, à Clar. Laurẽtio Bellini explicata nihil addimus, ſed curioſos Lectores ad Volumen de Urinis, pulſibus, ſanguinis miſſione, febribus, morbis capitis & pectoris ab ipſo conſcriptum remittimus.

De Phlebo-

tionem emiſerat, ad ejus oppreſſionem rurſum impellendo: non potui, quin omnes hujus artis peritos orem &admoneam, ut neque in peſte, neque in aliis malignis febribus, nec etiam in omnibus accidentibus, quibus homines externè & internè veneno afficiuntur, ad venæ ſectionem procedant, præſertim ſi animi tranquillitatem & ſalutem ægri opem implorantis ament, & ſeriò illis cordi ſit.

Galli, Itali, Hiſpani & Luſitani, acerrimi venæ ſectionis propugnatores, mihi regerent, naturam venæ ſectione aërem quaſi haurire, & aliquo modo exonerari, ut tanto facilius reliquam malignitatem ejaculet: atque hoc verum videtur: nam ſanguis aërem haurit, ut tanto meliùs ejus ſpiritus avolent, & iſtis ſublevatur viribus, quibus neceſſario indiget: Hiſce peractis, natura ægri vitam morte commutat, & ex circumſtantium oculis lachrimas pellicere facillime novit.

Non alias allegantes rationes, porro ſuæ experientiæ innituntur, ſed utinam probe ei inniterentur: nam mane ejuſmodi ægros extra periculum verſantes, & poſtquam venæ ſectione quinque aut ſex uncias ſanguinis emiſiſſent, eos veſperi frigida rigidaque morte è medio ſublatos invenimus. Hinc igitur rectè colligere poſſumus, quid illi experientiam nominent, ſcilicet; æger ſi mortem forte fortuna evadat, venæ ſectioni is honor tribuitur: ſed ſi mortem obierit, uti fit plerumque, malignitas in cauſa fuit. Experientiam igitur experientiæ oppono, maximas Deo agens gratias, ipſum iis omnibus, qui ſine invidia, passione, & ſine alterius ſervitute morbos rectè conſiderant, multo certius & melius remedium exhibuiſſe & demonſtraſſe.

Alii ut hac in re moderatiores viderentur, venæ ſectionem in principio morbi admittunt, antequam malignitas ſe externè manifeſtet; quod facile iis aſſentior, ſi hoc fiat, 1. in calidis regionibus. 2. in corpore pleno. 3. cum humores ad caput aſcendentes, gravia ibi accidentia moveant: in tali caſu venæ ſectionem in manu aut in pede plurimùm profuturam exiſtimo. Sed qui in cunctis corporibus, & ſine diſcrimine in hiſce frigidis humidiſque regionibus venæ ſectionem inſtituere volunt, illi certo certius experientur, rem non properè ſucceſſuram: imò vix rationem allegare poterunt, quæ ab arte pro genuina agnoſcatur; præſertim cùm ipſi liberè ac ingenuè confiteantur

antur, talia aliquando occurrere tempora, in quibus tantopere ab ipſis laudatam venæ ſectionem inſtituere non audeant potionibus ſudoriferis & refrigerantibus rem optime perficientes. Sed hæc impræſentiarum ſufficiant.

Quot uncias ſanguinis unica vice depromere liceat, tibi morbi magnitudo, & ægri minores vel majores vires indicabunt. Sed præſtat defectu, quàm exceſſu peccare. Viro robuſtiſſimo & maxime ſanguineo ultra duodecim uncias non detraxi: neceſſitate id exigente potius viginti uncias duabus vicibus, quam quindecim unica vice emiſi, atque ita rem proſpere evenire expertus ſum.

In ejuſmodi morbis in quibus venæ ſectio non diu eſt procraſtinanda, ut angina, pleuritide &c. non opus eſt anni tempus & diei horam anxiè obſerves: aliàs enim ver, & tempus, matutinum optimum judicatur.

Venæ quæ vulgo aperiuntur hæ ſunt: in ſyncipite *Vena frontis*: in temporibus *Vena Temporalis*: in ore *Vena ſublingualis* ſive *Ranularis*: in cervice *jugularis externa*: in brachio *Vena Baſilica*, ſub qua arteria; *Mediana* ſub qua nervus, & ſub utraque tendo reperitur; & *Cephalica*, juxta quam neque arteriam, neque nervum, neque tendinem reperies, atque ob hanc cauſam minimo cum periculo aperiri poteſt. Ultima hæc unicum habet ramulum, qui in capitis regione conſpicitur, unde vena *Cephalica* dicitur, verùm non magni intereſt quænam harum aperiatur, quia hę tres circa alas unum tantum ramum conſtituunt. In manu inter minimum digitum & ei vicinum *Salvatella*; in pede *Saphena* & *Iſchiatica* ſunt aperiendę.

Modus ſecandi venam eſt notiſſimus, adeo ut non magnopere neceſſarium exiſtimem, eum hoc loco pluribus deſcribere. Sed ardentiſſimis votis hoc eſſet exoptandum, quod illi qui venam ſecant circa ſanguinis uncias, quas ægro detrahunt, accuratiorem conjecturam facere poſſent, ne loco ſex aut octo pręſcriptarum unciarum, duodecim, ſexdecim, octodecim, imo viginti duę uncię reperiantur. Sed ut turpiſſimus hic error avertatur, cuperem ſtanneas aut ęreas pelves concinnari, in quibus unciæ eſſent ſignatæ; ſed Chirurgi rerum periti iis minimè indigent, probè ſcientes ſanguinem in ſe ipſo multò ponderoſiorem eſſe, quam externè appareat.

THOMAS

THOMAS VVILLIS.

De Phlebotomia.

INter univerſa Philoſophiæ documenta, aut medicinæ ſubſidia, nulla unquam Theoria, vel Praxis, aut antiquior, aut generalior extitit, quam ſanguinis ſpeculatio, ejuſque per *venæ ſectionem* extramiſſio. De priori alibi ſæpius agentes ſanguinis naturam & partes conſtitutivas explicavimus; quinimò ejuſdem virtutes, & energiam explicantes, ipſum revera accendi, & ab accenſione ejus vitæ animalis, quaſi lampadis flammam incipere, ac perennari demonſtravimus. Ad *Phlebotomiam* vero quod ſpectat præcipui omnes cujuſque ſeculi Authores hujus mentionem fecerunt: quin eadem apud cunctas nationes utcunque barbaras ac incultas in uſu medico ſemper fuit. Nec mirum hoc, ſiquidem ἐγχειρήσεως iſtius neceſſitatem & viam natura ipſa imprimis commonſtravit, etiam lex divina circumciſionis ritum, quaſi ſymbolum ejus præcipiens, innuere videtur, ingenitas naturæ humanæ impuritates aliquatenus per ſanguinis miſſionem expurgari debere.

De magno hoc remedio, ut methodice diſſeramus, imprimis conſiderare oportet, quot modis, item ob quas cauſas, & fines *Sanguinis Emiſſio*, aut ſponte naturæ contingit, aut per Jatricem indicatur: dein ſecundò præcipuos evacuationis hujus effectus, tum bonos, tum malos, ſive commoda ac incommoda ſubdemus, ſimulque regulas quaſdam, & cautiones circa phlebotomiam rite adminiſtrandam obſervandas proponemus.

Quoad prius, Hæmorrhagiæ Spontaneæ (quæ phlebotomiæ uſum ſuggeſſerunt) cùm multiplices, ac diverſimodæ fuerint, ad bina hæc capita ſive claſſes vulgò reduci ſolent: nempe dicuntur illæ, vel criticæ; natura aliquid bonum ac ſalutiferum moliente; vel ſymptomaticæ, quæ ut plurimum, hac à regimine ſuo dejecta, & omnia ſuſque deque habente, contingunt. Prioris generis eruptiones cruentæ rurſus diſtinguuntur, quod vel ſine febre excitantur, & ſunt vel periodicæ, quæ ſtatis ſæpe temporibus eveniunt, uti catameniorum fluxus muliebris, ac in nonnullis vaſorum ſedalium, inque aliis naſalium apertiones ſolennes, aut aliàs, aſſuetæ quæ ſæpenumero juxta magnas anni τροπὰς aut aëris mutationes ſuccedunt: vel ſunt vagæ ac incertæ, uti cum ſanguis è locis iſtis ac è multis aliis, modò in hac, modò in iſta corporis parte, haud incommodè erumpit. Porrò ἐκκρίσεις ſanguineæ interdum in febre contingunt, eamque non raro judicant, prout Hippocrates olim annotavit, & etiamnum ex obſervatione maximè vulgari conſtat. In ſingulis hiſce caſibus ſanguis erumpit, quatenus intra vaſa turgens, & ſupra modum rarefactus, ſpatium amplius deſiderat, quapropter ni portio quędam abſcedit, tota ſtatim maſſa conſtipari, ejuſque tum

motus inhiberi, tum accenſio ſuffocari & craſis perverti periclitantur.

Enimvero duæ ſunt præcipuæ, rationes, ſive προφάσεις propter quas hujuſmodi ſanguinis turgeſcentiæ oriuntur: in quantum ſcil. liquor ejus tum inflammabilis, tum fermentativus exiſtit.

1. Quoad prius horum, ut ſanguis pro vita tuenda, ejuſque functionibus ritè exercendis debitè accendatur, particulas hujus ſulphureas inſitas nitroſis ab aëre adventitiis proportionari oportet. Quotieſcumque igitur cruor valdè effervefcens & rarefactus, in compage ſua plurimum aperitur & laxatur, adeò ut ſulphur ſolutum in majori copia accendatur, etiam ad nitrum uberius hauriendum reſpiratio creberrima & laborioſa inſtituitur. Quod ſi hoc modo ſulphur exuberans efflagrando abſumi, flammaque vitalis regulari nequit, proxima ſtatim pabuli ſulphurei minuendi ratio eſt, ut ſanguinis rarefacti portio quædam foras erumpat. Hinc non tantum in febribus, ſed poſt vini potum, balnea, inſolationem, aliaque à quibus ſanguis valdè turgeſcit accidentia, aut Hæmorrhagiæ ſponte ſuccedunt, aut ſæpe opus eſt talis evacuationis ſpontaneæ defectum per Phlebotomiam ſupplere. Quod autem hujuſmodi ſanguinis effuſiones, ſive per naturam, ſive per Chirurgiam factæ vulgò dicuntur calorem, ſive æſtum ejus compeſcere, revera hoc ſolummodo agunt, quatenus pabuli ſulphurei, velut olei partem ſubtrahendo, cruoris, accenſionem diminuunt.

2. Verùm inſuper ſecundo ſanguis, in quantum liquor fermentativus, etiam ad extravaſandum aptus eſt. Iſte nimirum, ſi quando heterogeneum aliquid, ac non miſcibile latici ejus confunditur, inſtar vini in dolio effervеſcit valde, ac in vaſis ad incongruum illud excludendum ebullit; quod ſiquidem nec ſubigere, neque per diapnoen, urinam, aut alias exterminare poſſit, ipſe cruor ſui portionem quaſi vehiculum pro materia iſthac foras ableganda, qua data via excludit. Propter hanc rationem [viz. ut quidpiam incongruum, ac indomabile è maſſa ſanguinea excernatur] diverſimodæ hæmorrhagiæ, tum in febribus, tum citra ipſas, variè contingunt; quæ omnes, prout etiam illæ quibus ſanguinis nimia accenſio deprimitur, à natura propter boni intentionem excitantur: quod autem ſecus frequenter evenit, variis accidentibus, & circumſtantiis imputari debet. Ut plurimum verò circa hæmorrhagias ſpontaneas criticè inſtitutas delinquitur, aut primò quia ſanguis inter effervеſcendum effluxus modum neſcit, ideoque in ὁρμὴν concitus nimis exundat; vel ſecundò quia vaſorum ora ſemel aperta haud denuò ſtatim connivent, aut occludi poſſunt; vel tertiò quia natura excretionem ſanguineam moliens, eam per loca magis patentia, ſed ſæpe incommoda facit; uti cùm per pulmonem, per renes, inteſtina, aliaque viſcera hæmorrhagia contingit, quę idcirco è critica in ſymptomaticam, & non rarò malignam cedit.

Nec tantùm his modis, ſed præterea ob multa alia naturæ delicta, aut

aut impedimenta hæmorrhagiæ ſymptomaticæ, contingunt; in quibus omnibus, aut ipſe ſanguis, aut vaſa eum continentia, aut ſimul utraque potiſſimum in culpa eſſe ſolent.

Primò ſanguis præter rationes ſupra citatas (quatenus nempe ſupra modum inflammabilis, aut fermentiſcibilis exiſtit) inſuper ad extravaſandum aptus eſt, quia latex ejus aut venenatus, aut aliàs corruptus, debitam mixtionem retinere nequit; quin ad coagulandum aut putreſcendum aptus, in partes ſecedit, quarum dum aliæ, hic illic defixæ, maculas, exanthemata, cæteraque malignitatis ſtigmata accientes, cutim & carnes diſcolorant, proprioſque ductus obſtruunt, aliæ alias excurrentes, & qua data via erumpentes, variis in locis excretiones cruentas producunt; uti paſſim cernitur, in peſte, variolis, morbillis, & febribus malignis: imò aliquatenus forſan in affectibus ſcorbuticis, uti maculæ, & vibices, ita & hæmorrhagiæ tam familiares exiſtunt. Secundò vaſa ſanguifera pluribus variiſque modis, potiſſimum verò his tribus peccantia, hæmorrhagiæ ſymptomaticæ cauſa exiſtunt. Primò viz. imprimis ſi forſan alicubi illorum aliqua obſtruatur, quoties ſanguis rapidiùs movetur, aut ibidem, aut in vicinia, quandoque item in partibus longinquis erumpere cogitur. A tali cauſa hæmoptoe ſæpenumero procedit; quinetiam catameniorum, aut hæmorrhoidum ſuppreſſioni, ſanguinis ſputum, aut hæmorrhagiæ narium crebro ſuccedunt. Secundo vaſorum oſcula (ob fibras carneas quibus ſtipantur laxatas, aut reſolutas) interdum malè conformantur; ità cùm arteriarum fines nimis dehiſcant, venarum oſcula connivent. Propter hujuſmodi affectionem ſcorbutici, & cachectici hæmorrhagiis, prout alibi notavimus, plurimùm obnoxii reperiuntur. Cæterùm tertiò frequenter accidit, vaſa ita malè conformata, etiam ſpaſmodica affici, proindeque cauſa morbifica quaſi duplicata, malum hoc plurimùm augeri, ita ut vaſorum fibræ muſculares inordinatè contractæ ſanguinis ῥοπὰς ſubitas, & violentas, modò ſuperiora, modò inferiora verſus, faciant; proindeque illorum oſculis interea patentibus, hæmorrhagias immanes concitent. Enimvero in quibuſdam obſervavi, quando ſanguinis rivus, cum pulſu exili & debili, ſatis tenuis fuerat, vaſorum ſpaſmos alicubi exortos, & prorſum modò huc, modò illuc, ſub ſpecie flatus variè tranſcurrentis propagatos, cruorem ut ut ex ſe demiſſum, impetuoſiùs, compuliſſe, inque eruptiones violentas coëgiſſe; ac in hujuſmodi caſibus, cum Phlebotomiæ, & medicamina ſanguinem refrigerantia, ac attemperantia minimè profuerunt, à narcoticis, antiſpaſmodicis, & ligaturis maximam juvaminis rationem fuiſſe.

3. Verùm tertiò ſi forſan hæc ſanguinis, & vaſorum vitia complicari, ſimulque noxas ſuas conjunctim exercere contigerit; exinde neceſſe erit malum hoc intendi atque hæmorrhagias & crebriores & immaniores concitari; quarum rationes cùm ex prædictis ſatis eluceſcunt,

non opus aut opportunum erit iis explicandis hic ampliùs immorari: quin potiùs, cùm hactenus naturæ circa ſpontaneam ſanguinis effuſionem actiones, & ritus tum bene inſtitutos, tum perperam & improbè coactos deſignavimus; jam proximè oſtendere oportebit, quantum Ars, naturæ plerumque ſimia, atque interdum ejuſdem magiſtra, aut moderatrix, circa ſanguinis emiſſionem pariter bene, aut meliùs agere poteſt, & quomodo interdum deterius ſolet.

Super his in genere advertimus, Jatricem in quibuſdam ſanguinis emittendi caſibus, naturam imitari, in aliis eam excedere, & non rarò prævaricantem regulare aut reducere. Porrò nonnulli extant caſus, in quibus natura circa excretiones ſanguineas Artis efficaciam longè ſuperat: de ſingulis hiſce breviter dicemus.

Primò igitur in quibus effectibus Hæmorrhagiæ ſpontaneæ juvamen conferre ſolent, ſi quando hæ deficient, medicina naturæ pediſſequa rectè Phlebotomiam ſubſtituit. Itaque ſi fortè ſanguis ob ſulphur ejus ſolutum nimis & evectum ſupra modum accenditur, vena ſecta pabuli iſtius inflammabilis quod ſuperfluum eſt effluet, quinetiam cruoris turgeſcentiæ immodicæ, propter quoddam indomabile ei confuſum, hac ratione ſedantur. Quapropter ſanguinis miſſio contra febres tum continuas, quæ à cauſa priori, tum intermittentes, quarum paroxyſmi ab hac altera procedunt, commodè adhibetur. Pariter item quoties evacuatio ſolennis ſuppreſſa, aut humor à partibus externis repercuſſus, aut ſubita pororum conſtipatio, aut ſi crapula, vini potus, aliaque hujuſmodi accidentia cruoris (quatenus particulas heterogeneas ei impingunt) turgeſcentiam inferunt; Phlebotomia remedium ſæpe præſentiſſimum exiſtit.

Secundò Jatrice circa ſanguinis Emiſſionem, non ſolùm imitatur naturam, ſed non rarò præcellit; quin etiam hanc laborantem, & errantem frequenter ſublevat, aut reducit. Si quando enim ſanguis velut ὁρμῇ percitus, verſus partem aliquam ἀθρόως irruit, ibidemque aut ſtatim inordinatè erumpit, aut affatim aggeſtus inflammationem parit, vena in loco remoto pertuſa, præternaturalem iſtam ſanguinis ῥοπὴν ſiſtit, & non raro αἱματόχυσιν aut φλογῶσιν tollit. Quamobrem in pleuritide, angina, peripneumonia, in ſanguinis ſputo aut vomitu cùm natura ſuccumbit, aut quaſi furibunda ſibimet manus violentas injicere videtur, Chirurgia ſanguinem aliò revocans, & emittens, rem pene deperditam reſtituit.

Porrò ſępenumero medicina naturam in ſanguine effundendo nimis prodigam, aut prævaricantem cohibet, aut reducit, enimvero hæmorrhagiæ quæque immodicæ frænis ſemper, ac minimè calcaribus indigent. Cæterùm in peſte, variolis, & morbillis eruptis, inque febribus malignis, quandoquidem ſanguis ſpontaneè effluens plerumque malum portendit: idcirco in affectibus iſtis medicamenta ἴσχαιμα ſive ſanguinis eruptionem ſiſtentia, potiùs quàm venæ ſectio conveniunt.

3. At-

5. Attamen è contra Αἱματοχύσεως à natura inſtitutæ caſus nonnulli extant, quos medicina neutiquam imitari, neque ſi fortè deficiant per Phlebotomiam ſupplere poteſt. In febribus circa morbi criſin, ſcil. poſt materiæ pepaſmum, h. e. ad ſecernendum præparationem, Hæmorrhagia ſpontanea, ſiquidem in tempore facta, Phlebotomiæ cuicunque cujus tempus optimum neſcitur longè præſtat; porrò catameniorum & Hæmorrhoidum fluxus naturæ inſtinctu eveniens longè utilior eſt, quàm ſanguinis miſſio in iis locis ab arte provocata.

Inter Phlebotomiam, & hæmorrhagiam ſpontaneam diſcrimen adhuc notabile (quamvis non magni ex praxi medica momenti) occurrit; quoad utriuſque viz. ſubjectum, & materiam; quippè in hac, ſanguis floridus, & per totum coccineus, ferè tantum ex Arteriis effluit; verùm in evacuatione altera cruor atro purpureus, cum cremore coccineo, & tantummodo ex vena hauritur. Undenam ſanguinis rivus qui intra vaſa omnia unus eſt, & per totum continuus, tam diverſimodam apparentiæ ſpeciem acquirat, cum alibi oſtendimus, haud præſentis inſtituti eſt, in Ætiologiam hanc altiùs inquirere: etenim pro curando quopiam affectu, non multum refert è quo vaſe ſanguis emittatur, modò liberè effluat: quòd autem veteres nondum cognita ſanguinis circulatione, in quibuſdam caſibus Arteriotomiam commendant, & venæ ſectioni longè præferant, quo jure id fiat, alibi diſquiſivimus.

Hactenus de Phlebotomia comparata cum hæmorrhagia ſpontanea: jam proximè incumbit uſum, & effectus ejus in praxi medica, tum bonos, tum malos deſignare. Itaque imprimis in genere oſtendemus, qualem hæc evacuatio maſſæ ſanguineæ alterationem inducat; dein quos, aut totius corporis, aut partium ſingularium morbos immediatiùs reſpiciat.

Circa priùs ſatis obvium eſt, ſanguinem, à venæ ſectione, & quoad *quantitatem* ejus, & quoad *temperiem*, ac *craſin*, & quoad *motum* ejus alterari.

Prima & communiſſima Phlebotomiæ indicatio eſt, ut per hanc adminiſtrationem ſanguinis copia minuatur. Et quidem ad plethoram tollendam, aut præcavendam hoc perquam vulgare remedium eſt. Unuſquiſque vel è plebe, ad habitum corporis athleticum accreſcens, abſque medici conſilio venam tundi procurat; quinimo ruſtici, & agreſtes ſanitatis præſervandæ ergo, & ſibimet, & jumentis ſuis ſemel, aut bis in anno ſanguinem detrahi faciunt. Quamvis autem hæc conſuetudo apud quoſdam cruoris ſui valde prodigos, in tantum inolevit, ut à leviſſima occaſione, imò nonnunquam citra cauſam ullam manifeſtam, venam aperiant: attamen reperire eſt multos alios, contra hunc morem non minùs obſtinatos, ut nulla de cauſa, niſi cum maxima urgebit neceſſitas, quicquam ſanguinis amittant.

Super hac re (cum pro utraque parte depromuntur argumenta) quod ſtatuendum videtur ut paucis decernam, imprimis concedere oportet, contra plethoram aut factam, aut incipientem, ſanguinis miſſionem con-

L 3 venire

venire: nullo enim alio remedio iſtius affectionis mala meliùs tolli, aut præcaveri ſolent. Attamen hujus evacuationis neceſſitas, qua licet evitari debet: quoniam ſc. exinde (prout alibi innuimus) ſanguis fit magis ſulphureus, & minùs ſalſus, proindeque homines fere quoſvis ad febricitandum, & pingueſcendum diſponit. Porro venæ ſectio magnum remedium, ſi ad parvas quaſque occaſiones proſtituatur, quando opus erit, ad grandes affectus minùs efficax evadet. Cui accedit, quòd juxta vulgi obſervationem, quô familiariùs, quiſpiam phlebotomiam utitur, eò crebriùs hac indigebit: quippe ſanguine ad plethoram evitandam emiſſo, maſſa reliqua denuò citiùs ad plethoram aſſurget: longè ſecus ac quorundam fert opinio, qui verentur ne cruoris penus crebra phlebotomia abſumatur: quoniam è contra hoc modo fit, quantitas ejus auctior, licet craſis deterior: ita namque cruor ſale balſamico & contra putredinem præſervativo multùm ſpoliatus, loco ejus, ſulphure pinguifico, & συςατικῷ magis ſaturatur.

2. Phlebotomia ſanguinis mixtionem, & temperiem ſæpe emendare ſolet, adeoque multiplici reſpectu. Primò enim ſi quiddam heterogeneum maſſæ ejus confunditur, quod ſcil. nec rectè ſubigi, nec facilè ſecerni, ac amandari poſſit: vena pertuſa, ſanguis effluens materiæ iſtius portionem non rarò multam ſecum foras convehit, proinde ut reliquas perdomari, aut expelli queat. Enimvero vaſis foramine aperto, ſtatim ſanguis fermenteſcens particulas extraneas, quà licet unà congregat, & ſui portionem iſtam in quâ plurimæ aggregantur, foras extrudit: hinc obſervare eſt quando cruor primò, ac ultimò effluens ſatis rectè habet, medio tempore emiſſum ſæpe corruptum apparere? Pariter item ſecundò, ſanguis à temperie ſua deſciſcens, non raró per Phlebotomiam reſtituitur. Cum enim maſſa ejus ſulphure, aut ſale fixo, vel ſimul utriuſque exaltatis, in acrem, ſalſum, aut ſalino-ſulphureum degeneraverit; cruoris portione detracta, nova ſtatim ejus fermentatio oritur, & non raro particularum omnium ejuſmodi fit metatheſis, ut deinceps ſpiritus cum ſale volatili paululum emergant, & dominium ſuum recuperent, ſulphure & ſale fixo (uti par eſt) ſub jugo miſſis. Ob hanc rationem eſt, quod ſanguinis miſſio, non tantùm in febribus, ſed inſuper in ſcorbuto, ictero, imò in phthiſi incipiente, magnum ſæpe juvamen confert: enim verò ſanguis poſt vaſa inanita, velut ſtomachus exoneratus, humores quoſvis ingeſtos meliùs coquit, & aſſimilat, quodque heterogeneum eſt faciliùs ſecernit, ac amandat.

At verò ſi cruoris mixtio plurimùm ſolvi, & peſſum ire incipit, uti in peſte ac febribus malignis, à Phlebotomia omnino abſtineatur; quippe ſanguine detracto, ſpirituum (quorum unicè intereſt maſſam ſanguineam à putredine & corruptione vindicare) penus diminuitur; proinde ut ſtatim omnia in diſſolutionem exitialem tendant. Porrò ſi dyſcraſia ſanguinis ejuſmodi fuerit, ut principiis nobilioribus, ſcil. ſpiritu, ſale

volatili,

volatili, ac ſulphurę depreſſis vel abſumtis, particulæ aquoſæ ac terreſtres præpolleant, ſanguis haudquaquam emitti, ſed tanquam vitæ theſaurus præſervari debet; quippe cum ſpirituum copiæ tantum exiguæ ſunt, illorum quodvis diſpendium functiones omnes vacillare facit, inque morbi partes cedit; quare in hydrope, cachexia, Tabe, aliiſque, ubi principia activa ſummè deprimuntur affectibus, venam ſecare fere idem eſt, ac hominem jugulare.

In prædictis caſibus ubi ſanguinis craſis reſpicitur, determinatu obvium erit, utrùm Phlebotomia conveniat, nec ne? verùm in quibuſdam aliis, uti imprimis in febre continua putrida, quando ſuper hoc cardine vita ac mors verſantur, maxima deliberatione opus eſt: ac ita potiùs, quia morbi eventus omniumque in toto decurſu ejus accidentium ſucceſſus, ſive bonus, ſive malus, ſanguinis miſſioni modò peractæ, modò neglectæ imputari ſolet: atque hinc eſt quod medici de propria exiſtimatione tuenda nonnihil ſoliciti, ſuper hac re in conſiliis ſuis maximè ambigunt. At verò in difficili hoc nodo, ne vulgi Phlebotomiam [uti ſors feret] modò probantis, modò damnantis rumore, ſed auſpiciis certioribus ducamur: conſiderare oportet ſanguinis ſtatum, materię morbificæ tendentiam, & naturæ vires. Primò, quoad priorem, ſi in febre putrida ſanguis plurimum æſtuans, calorem ingentem cum ſiti, vigiliis, & faucium ardore excitabit, nullaque ſudoris copioſi, aut exanthematum eruptio apparet, aut brevi expectatur, vênæ ſectio ita planè indicatur, ut eam ſit nefas omittere; verùm è contra ſi in corpore languido, febris lenta, ac remiſſa, ſed continua, cum pulſu debili oriatur, ſanguinis detractioni parcatur, ejuſque per διαπνοὴν, urinam, & veſicationem ex purgatio procuretur. Attamen in medio cruoris & febris ſtatu, Phlebotomia ex ſe ferè indifferens, quoad alia determinetur. Itaque ſecundò perpendere oportet materię morbificæ tendentiam, ſive ῥοπὴν quæ ſi in maſſa ſanguinea ſegnis, ac ad ſecernendum inepta maneat, adeoque [uti frequenter aſſolet] metatheſi loco criſeos in caput facta, cerebro & nervoſo generi minatur, venæ ſectio, qua hęc mala præcaventur, tempeſtivè adhiberi debet. Attamen ſi materies iſthæc citò in ὁρμὴν concita, & vel intus ad viſcera imi ventris ruens, vomitationem immanem, aut affectus dyſentericos cieat, vel extus propulſa, variolas, morbillos, aliavè exanthemata illatura videatur, talis quicunque naturæ impetus, ſi bonus non perturbari, ſi malus non in pejus incitari per Phlebotomiam debet; nam in his caſibus ſanguinem mittere non modò periculoſum, at ſæpiſſimè etiam valdè ignominioſum exiſtit. Tertiò circa Phlebotomiam in caſu dubio adhibendam, inſuper ad patientis vires attendatur: nam in conſtitutione ſana, ætate vegeta, morbo incipiente, & functionibus, tum vitali, tum Animali adhuc in ſtatu vivido aut mediocri exiſtentibus, ſanguinis miſſionem, niſi aliquid contra indicet, confidenter præſcribere

bere licebit. Attamen quando ſecus quoad conditiones iſtas habebit,haud temerè ad evacuationem iſtam procedatur.

Tertiò ſanguinis motus inordinati quando nimirum iſte tanquam œſtro percitus, in partes modò has, modò illas aut impetuoſè irruit, aut materiem noxiam transfert, per Phlebotomiam optimè cohibetur aut reducitur: quapropter ad cephalalgias immanes, inſultus quoſque ſoporoſos, aut convulſivos, ad catarrhos, ophthalmiam, ac tuſſim, Aſthma, paroxyſmos Arthriticos, & nephriticos, aut phlegmonas, Eryſipelata, quinimo ad complures alios affectus ob ſanguinis aut ſeri fluxiones excitatos, venæ ſectio communiſſimè præſcribitur, & quidem uti bono plerumque cum ſucceſſu, ita cum recta ratione; quippe vaſis inanitis, ſanguis ſpatium liberius nactus, placidè ac imperturbatè circulatur, porrò quicquid hujus aut ſeri extravaſatur reſorberi, inque curſum ſuum reduci ſolet.

Deſignatis ad hunc modum effectibus tum bonis, tum malis, qui ſanguini in diverſimodo ejus ſtatu per Phlebotomiam accidunt, jam proximè diſquiramus quos præcipuè morbos, aut totius corporis, aut privatæ cujuſque regionis illud remedii genus immediatiùs reſpiciat. Et primò ad affectus generales quod ſpectat, ſatis vulgo notum eſt ſanguinis miſſionem ab intemperie calida & ſicca indicari, & ab humida & frigida prohiberi. In omni febre proponi ſolet, nunquam verò in hydrope. Dein ſi morbos particulares conſideremus, nulla corporis regio, aut pars eſt; quin uti ſanguinis vitalis ſimul ac nutritii (dummodo rectè habeat) influentia gaudent, ita quoties alicubi tumultuatur, aut loco ſucci benigni, incongruum aut irritativum exporrigit, avocationem & extramiſſionem ejus poſtulat. Singulos indicati hujus caſus, ſi notare vellem, ferè totam corporis humani pathologiam hic recenſere oporteret. Caput dolens, cerebrum ſanguine, aut ſero (unde naſcitur malorum Ilias) oppreſſum, aut inundatum, oculorum phlogoſis, faciei, oris ac gutturis inflammatio, pectoris ac præcordiorum morbi omnes (utpote quibus ſingulis inordinatio ſanguinis originem, aut fomitem præbet) pariter jecoris, lienis, aliorumque viſcerum obſtructiones, aut affectus inflammatorii, quin etiam uti totius corporis plethora, & habitus Athleticus, ita & cujuſque membri tumores, & pathemata dolorifica aut convulſiva ſanguinem, velut mali ominis Authorem accuſare videntur, ejuſque miſſionem quaſi vindictæ genus quoddam exigunt.

In his & perpluribus aliis affectibus, ſi quando ſanguinis detractio planiſſimè indicatur, priuſquam ea peragitur, ſuper his quatuor deliberare oportebit, viz, in quo loco, quali modo, & inſtrumento, quo tempore, & quanta copia ſanguis eximi debeat.

1. Quoad prius, etſi juxta circulationis ſanguineæ leges, quoties maſſa ſanguinea diminuenda fuerit, parum interſit, à quo vaſe, modò ſatis amplum hoc fuerit, ejus portio emittatur: tamen quia præter generalem

ſanguinis

ſanguinis evacuationem, interdum partialis derivatio propriè dicta (uti cùm ſanguis è privato ubi aggeritur loco educendus eſt) ac inſuper revulſio, quando in hanc aut iſtam partem revocandus eſt, intenduntur; idcirco in corpore humano varii quaſi termini ſtatuuntur, è quorum modò hoc, modò iſto, vel alio, ſanguis pro data occaſione ac ad uſus maximè requiſitos emitti queat.

Si quando igitur ſanguinis evacuatio univerſalis indicatur, vena brachii mediana optimè ſecatur; hæc enim ſatis ampla facilè aperitur, atque ad orificium ejus ſatis patens cùm è toto corpore æqualiter fluit, cujus liberiori effluxu non tantùm plethora adimitur, ſed vaſis majoribus hoc modo ubique inanitis, ſanguis alicubi ſtagnans, in motum vindicatur, atque extravaſatus denuò in venas reſorbetur. Quare in magnis affectibus, ubi ſanguis in cerebro, aut circa præcordia aggeſtus citum exitium minatur, optima non tantùm generalis evacuationis, ſed & revulſionis via eſt, è vena brachii largiter pertuſa ſanguinem pleno fluento emittere.

Sin verò abſque magna plethora, ſanguis è toto evacuari, & à corporis regione ſuperiori verſus inferiorem revelli debet, uti in fluxus menſtrui, aut hæmorrhoidalis ſuppreſſionibus, cruorem è pede potiùs, aut vaſis ſedalibus per hirudines educere conveniet. Quòd ſi poſt ſanguinem è toto evacuatum, ipſe inſuper è privata quadam parte ubi aggeritur derivandus ſit, detractio ejus propè locum affectum fiat. Hinc in morbis Cephalicis, venam frontis, temporum, aut Juguli aperimus. Ad ſanandos tumores aut dolores in artubus excitatos, infra, aut juxta eas, aut vas ſecamus, aut ſanguinem per cucurbitas, vel hirudines extrahimus. Pariter in affectibus Thoracis, ac imi ventris, aut regioni laboranti cucurbitæ, aut vaſis ſedalibus hirudines applicantur.

Quod autem vaſa nonnulla peculiarem reſpectum erga viſcera quædam gerere, in eorumque affectibus pertundi debere perhibentur; uti nimirum ſunt vena brachialis externa quæ caput, ac interna quæ hepar, item vena manus exterior ad digitum penultimum tendens, quæ lienem reſpicere dicuntur, atque id propter hæc Salvatella, atque illarum prior Cephalica, & altera Jecoraria appellantur, totum hoc merè vulgaris error eſt, qui nulli rationi aut obſervationi Anatomicæ innixus, neſcio unde originem cepit. Quamprimùm igitur de vena ſecanda, ejuſque loco convenit, accipiatur vas ſatis amplum, & maximè conſpicuum, ut faciliùs aperiri, atque ab Arteria, nervo ac tendine remotum, ut ſecuriùs pertundi poſſit; quare in brachio ſæpiſſimè eligitur vena mediana; quamvis exterior cephalica dicta, vaſis aliis minus ſtipata, tutiùs ſecatur.

Vena jugularis, in jumentis quoties ſanguis mittendus eſt fere ſemper pertundi ſolet, mirum quòd non ita mos obtinuit in homine, cùm hujus canalis amplus ac eminens, & facillimè omnium ſecari poteſt; quippe nec arteriam habet ſociam, & procul à nervo omni incedit. Porrò ex hoc vaſe, æque ac alio quovis pertuſo, ſanguinis evacuatio univerſalis fit à

toto corpore, ſimulque optima derivatio ejus à capite, proinde ut cruoris ſerique ſtagnationes aut aggeſtiones illinc expediantur.

Circa vaſa in pede, aut manu, haud magna delectus ratio, quin accipiatur vena maximè tumida: de loco parum refert, niſi quòd ſupra aut propè malleolum, ſi incidenda fuerit, ſummè cavendum eſt ne tendo lædatur; quod à chirurgis imperitis, aut temerariis, cum magno patientis damno interdum accidit. Porrò curetur, ne vena ſecetur propè Anaſtomoſin ejus cum arteria; nam ſi hoc fiat, ſanguis per totum coccineus impetuosè exiliet, ejuſque effluxus non facilè ſiſtitur; nec vaſis orificium citò occluditur.

Deſignatis ita ſanguinis mittendi præcipuis locis, oſtenſoque vaſorum delectu, jam proximè dicendum eſſet de modis, ſive inſtrumentis, quibus ſanguis extrahitur: quod nempe fieri ſolet, aut venæ ſectione per cultellum, aut ſectione per hirudines, aut per cucurbitas poſt ſcarificationem. Attamen ſuper his non opus erit multa diſſerere, quoniam hæ ſingulæ ἐγχειρήσεις paſſim apud agyrtas, Barbitonſores, & mulierculas in familiari ſunt uſu; & omnia quæ ad eas ſpectant tam vulgo nota, ut nulli domus magis ſit ſua; quare verbo tantùm dicemus.

Venæ ſectionem nuper Helmontius, & adhuc quidam ſectatores ejus Pſeudochymici, & Fanatici, ab omni medicina ejecerunt; quia ſcil. evacuationem hanc naturæ (quam aut proprio marte, aut ipſorum panacæis adjutam per ſe πᾶν νοσερὸν ſuperare volunt) maxime injuriam eſſe putant; certè haud minus ridiculum hoc, quàm quod olim Chryſippus Apæmantes, Strato, & quidam alii (uti Galenus refert) remedium hoc damnarunt, quia vena difficile internoſcatur ab Arteria. Profectò experientia ſatis triſti conſtat, inter venam ſecandam, arteriam quandoque pertundi; unde vel mors, vel membri abſciſſio nonnunquam ſequuntur, cujus ratio eſt, non, uti vulgò dicitur, quòd Arteriæ Tunicæ, magis nerveæ aut membranaceæ quàm ſunt Tunicæ venoſæ, ægre aut non omnino perſanari poſſunt: cùm revera vas illud, fibris carneis pluribus & craſſioribus donatur; attamen cauſa eſt quòd Arteria pariter, ac cor ipſum inceſſanter vibrare, ac pulſare debet, fibris ejus ſyſtolῶν ac diaſtolῶν, vices perpetuas iterantibus; quapropter foramen in canali ejus factum, propter continuum vaſis motum, & ſanguinis effluxum ferè inſanibile exiſtit. Longè ſecus habet in vena, cujus apertura denuò ſtatim ſponte occluditur: hujus enim tunicis parum operis contractive incumbit, quinimò hoc tantùm ut fibris ejus leviter pro data occaſione diductis, ſanguis ultrò refluens, blande propellatur; atque poſt Phlebotomiam iſtæ, vaſe inanito, otiari permittantur; interim ut foramen inciſione factum, facile agglutinetur. Venæ ſectionem, ſiquando Medicus, aut patiens adhiberi verentur, ſanguinis extractio per hirudines, aut cucurbitas ſcarificatas ſatis aptè, & cum pari ſæpe commodo defectum ejus ſupplebit. Porrò hæ adminiſtrationes, ad tollendam morbi cauſam conjunctam,

ctam, ubi nimirum derivatione, ſive evacuatione partiali potius quam generali opus eſt, non raro Phlebotomiæ præferantur: utriuſque ἐγχειρήσεως modis & effectuum rationibus, etiam vulgo ſatis notis, non opus eſt hic amplius explicandis immorari; quin ad alias procedentes ſanguinis mittendi *tempus*, *quantitatem* jam proximè perpendemus.

Sanguinis mittendi opportunitas tanti ſæpe momenti eſt, ut cum evacuatio hæc uno tempore profit, in alio quodam ſummè officiat. Sunt autem varii temporum reſpectus, qui circa Phlebotomiam ritè faciendam in conſiderationem veniunt: potiſſimum verò hi quatuor, ſc. tempus morbi, ætatis, anni, & diei; primus horum patientis curationem, & reliqui ejus præſervationem præcipuè concernunt.

Primò igitur ſi in morbo quopiam ſanguis mitti debet, maximè opportunum erit hoc fieri circa initium, aut augmentum ejus, minime verò, aut cautè admodum in ſtatu, aut declinatione. Quippe in illo, dum natura criſin moliens maximè occupatur, adeò ut ſpiritus ſummè laborent, & ſanguis valde fermenteſcat, iſte ſupremus ejus nixus perturbari non debet; atque in morbi παρακμῇ aut natura victrix ſubſidio iſto non indiget, aut victa talem evacuationẽ non feret.

Secundò, ſi quando προφυλάξεως gratia de ſanguine mittendo deliberatur, infantes, pueri, & ſenes, ex ſolenni omnium nationum ritu manumiſſionem obtinent: gravidis etiam evacuatio hæc olim interdicebatur, nunc autem communiſſimè præſcribitur. Homines conſtitutionis vegetæ ac mediæ ætatis Phlebotomiam ſatis bene tolerant, eaque ſæpenumero indigent. Attamen prima & ſecunda vice eam non ſine magna occaſione inire debent, quia ſemel incepta, & dein iterata, citò in conſuetudinem inevitabilem tranſibit. Hinc qui Vere & Autumno ſanguinem mittere ſolent, poſtea evacuationem hanc non ſine diſcrimine omittere poſſunt. Quibus autem utile, aut neceſſe erit, ſemel aut bis in anno venam aperiri, tempora ad hoc maximè opportuna erunt, ſub initia Veris, ac Autumni, quando nimirum ſanguis de novo fermenteſcere aptus, craſin ſuam mutare periclitatur. Phlebotomia tempeſtiva adhibita præcavet, ne ſulphure ac ſalibus exaltatis, intemperiem febrilem, ſcorbuticam, aut alias vitioſam contrahat; item ne fluorem paſſus, recrementa ſeroſa, aliaſque fæculentias cerebro, pulmoni, aut ventris imi viſceribus ſuffundat. Circa ſolſtitia, cùm corpora noſtra maximè frigent, aut æſtuant, ſanguis uti & vegetabilium omnium ſuccus, in ſtatu fixiori, ac ad turgeſcendum inepto poſitus, niſi cauſa quadam urgente extra mitti non debet.

Quod autem nonnulli circa Phlebotomiam, pariter ac ruſtici circa Animalium Caſtrationes, ad cœli poſitum, atque lunæ & ſiderum aſpectus religiosè, ſeu potiùs ridiculè advertunt, omnino frivolum videtur; ideoque potiſſimum hic mos damnandus eſt, quod pſeudo-Aſtrologi in Almanachis ſuis figuram habent, in qua ſingula Zodiaci ſigna particularibus quibuſque corporis noſtri mem-

bris appenduntur; proindeque ſub quo ſigno luna verſatur è reſpectiva hominis parte ſanguinem omnino detrahi vetant: certè qui ἀλόγως cœlum obſervant, toto (uti dicitur) cœlo errant. Porrò vulgaris hic error non tantùm abſurdus, ſed non rarò maleficus exiſtit, quatenus ſcil. multi plebei à Phlebotomia utcunque indicata abſtinebunt, ſi modò ſignum (uti aiunt) in ſanguinis mittendi loco ſit.

Quarto ad tempus diei quod ſpectat, in morbis acutis, quando Phlebotomia confeſtim peragenda indicatur, medicus accerſitus, poſt corpus præparatum, qualibet diei aut noctis hora operationem iſtam præſcribat: ſecus autem ſi mora concedatur, tunc potius in aurora, cum ventriculo jejuno & vaſis per Diaphoreſin nocturnam inanitis, rivus ſanguineus maximè ſedatus, & ab illuvie ſeroſa immunis exiſtit, venæ ſectio commodiùs celebrabitur. Quinimò etiamſi neceſſitas urgeat, parumper ea differatur, donec recens ingeſtorum ſuccus in ſanguinem tranſierit; vaſa enim inanita chymum non modò crudum, ſed non rarò ſanguini incongruum, aut improportionatum in ſe corripient, unde non ſolùm motus ejus perturbatur, verùm & flamma vitalis nonnunquam obrui periclitatur. Novi quoſdam à Phlebotomia paulò poſt potum pleniorem, aut liquoris vinoſi ingeſtionem adhibita, in leipothymias terribiles incidiſſe, quæ perquam diu, donec ſpiritus vitalis ſemiobrutus denuò emergeret, perduraverunt.

Quintò inſuper his venæſectione indicata, ejuſque tempore ſtatuto, reſtat adhuc conſideratio non minima de quantitate ſanguinis mittendi, in quo puncto ſæpè plurimum delinquitur, dum quidam nimis audaces, aliique haud minùs timidi, ejuſmodi terminos figunt, quos ultra citraque rectum plerumque conſiſtit. Nam ut prætereaam illos qui Phlebotomiam (prout ſuprà innuimus) ægrè aut vix omnino admittunt; etiam ut aliorum qui ſanguinem uſque ad leipothymiam haurire non verentur praxi non facilè aſſentiam: inſuper intra fines moderatos error non levis momenti committitur, dum in quibuſdam caſibus ſanguis nimis parca, inque aliis liberiori quàm par eſt manu detrahitur. In febre ardente, Pleuritide, Peripneumonia, Angina, Phrenitide, Apoplexia, aliiſque magnis morbis, à ſanguinis turgeſcentia aut incurſu φλεγμονώδη oriundis, Phlebotomia diminuta ſemper plus officit quam prodeſt. Præterquàm enim quòd morbi cauſam antecedentem, ſc. plethoram non tollit, inſuper conjunctam, ſc. inflammationem, aut ſanguinis irruptionem, augeri facit. Enimvero conſtans obſervatio eſt, à cruore parciùs detracto, totam illico maſſam ejus inſigniùs efferveſcere, novaſque in partem affectam ῥοπὰς habere: cujus ratio eſt, quòd in magna plethora, plures & ſanguinis & ſeri portiones, in receſſus & anguſtias protruſæ illic reſidere cogantur; quæ poſt vaſa perpaulum inanita, in maſſam ſanguineam impetuoſè regurgitant, ipſamque valde exagitant, & huc illuc impetuoſiùs adigunt. Quapropter hoc etiam reſpectu

pectu vaſa permultum depleri opus eſt, viz. ut præter laticem priorem ab anguſtiis liberandum, etiam ſucco ab exilio reduci ſpatium concedatur; qui ſecus cruori minùs congruè adveniens tumultuatur, ipſumque in effervescentias & eruptiones concitat. Hinc advertere licet, quoſcunque ferè homines ſtatim à Phlebotomia magis incaleſcere, qui tamen ſanguine ſufficienter evacuato, paulò poſtea temperatiùs habent.

Quemadmodum autem ſanguinis detractio minuta in quibuſdam caſibus non tantùm fruſtrà, ſed etiam noxiè celebratur; ita in aliis nimia ejus effuſio raro impunè cedit, & nonnunquam inſigne ſanitatis detrimentum adfert. Nam ſi quando aut vires languent, aut corpus inſigni cachexia laborat, ſanguini parcendum erit, ejuſque detractio aut prohibetur, aut propter accidens quoddam indicata non niſi in parva quantitate conceditur. Quare in hominibus conſtitutione tenera, debili, aut frigida præditis, inque tabidis, febre longa, aut maligna affectis, item in hydropicis aut valde cacochymicis, vena haud temerè ſecetur, ſaltem è ſecta non multum ſanguinis effluere ſinatur. Impoſſibile erit, quoad ſingulos cujuſque individui caſus regulas generales præſcribere, quibus ſanguinis mittendi quantitas, juxta morbi vires & patientis tolerantiam, exactè proportionetur; quin hoc præſentis, & quidem prudentis medici judicio relinquatur, ejuſque præceptum religiosè ſemper obſervetur; nec ita (paſſim uti fit) agyrtis, empiricis, & barbitonſoribus, de vita humana ludendi venia concedatur, qui Phlebotomiam temerariè, ac improbè celebrant; & ſi forſan cruor liberiùs exiliet, aut diſcolor apparebit, idcirco de vaſe bene perpetuoſo gloriantes, eum quia malus videtur, uberius emittendum clamitant, cùm ſæpius è contra ei parcendum fuerit.

Quamprimùm ſanguinis detrahendi quantitas determinatur, proxima tunc cura eſſe debet, ut facto orificio largiori, idem æqualiter mixtus tempore citiſſimo effluat; ſecus enim, ſi ex foramine exiguo aut ſtillatim, aut cum virgula minuta exibit, maſſa ſanguinea fermenteſcens in partes ſecedet, quodque ſubtilius, & magis ſpirituoſum eſt erumpet, portione craſſiori & fœculenta pone ſubſiſtente. Hinc obſervare eſt, ſi quando ſanguis ex orificio amplo, cum fluento pleniori emiſſus, digito impoſito parum ſiſtatur, & paulò poſtea effluere ſinatur, cruor ſecunda vice exiens, priori multo purior & ſplendidior evadet, quia nimirum in effluxus intervallo, particulæ ſubtiliores craſſioribus extricatæ, & ſimul agglomeratæ, ſeſe ad avolandum accinxerunt. Quapropter ſi Hippocratis præceptum, pro ſanguine ad coloris mutationem obſervandum fuerit, procurare oportet, iſte ut cum pleno; non interrupto fluento citiſſimè emittatur. Super his, item quæ ad ſanguinis vena emiſſi, & infrigidati alterationem, ejuſque inſpectionem, & judicium pertinent, cùm alibi ſæpe diſſeruimus, ea nunc conſultò præterimus, ad alia deſtinantes.

Cap. XII.

Quo pacto abſceſſus aperiantur.

HUmores hic & illic congeſti, ſepiſſimè tumorem efficiunt; qui non ſemper à natura diſſipatur, niſi ars idoneis medicamentis ei auxilium præbeat, quibus ſi non obediat, eam ad ſuppurationem impelles, & exſpectabis, donec ſpontaneam apertionem faciat, niſi neceſſitate coactus fueris eam maturiùs inſtituere; & perfectam ſuppurationem non exſpectare. Hoc plerumque contingit, 1. cùm materia valde acris & maligna vicinas partes corrodat, & os, & tendines, & nervos corruptioni obnoxios reddat. 2. cùm nobiliorem partem poſſit lædere. 3. cùm in articulis ſita ſit. 4. cùm criſi ejiciatur.

Antequam te ad apertionem accingas, diſtinguendum eſt, an materia propria tunica, ſive folliculo ſit contenta, an verò ſine folliculo. Si ſine folliculo ſit, nunquam tranſversè, ſed per longitudinem ſemper & rectitudinem ſub cute jacentium muſculorum incides: exempli gratia in capite ſecundum capillorum ductum per longitudinem: in palpebris tranſverſe: in temporibus, in naſo, in cervice, in pectore, in dorſo, in brachiis, in pedibus & articulis per longitudinem: in lateribus ventris parum obliquè, in medio per longitudinem: in inguinibus parum tranſversè, ſed non admodum profundè, ob vaſa ſpermatica ibi ſubjecta. In genere cave tibi, ne venam magnam, arteriam ſive nervum attingas, licet fibras tranſversè ſecares, aliàs enim ex minori majus malum produceres.

Locus apertioni commodisſimus eſt pars abſceſſus ſuprema & mollisſima, quæ tamen magis ad inferiora quàm ad ſuperiora vergere oportet, ut tantò aptiùs à pure exonerari posſit: porrò hunc in finem vulnus inflictum turunda apertum conſervabis, uſque dum pars illa ab humoribus præternaturalibus prorſus ſit purgata, & priſtinam operationem exercere queat.

In ipſa apertione cave, ne lanceolam nimis profunde, neque ulteriùs quàm ad pus uſque infigas: quàm primùm hoc animadverte-

verteris, eam paululum retrò trahito, & cuſpidem ſurſum vertito, & porrò apertionem tam magnam efficito per cutim, quàm materia incluſa deſiderare videatur.

Si abſceſſus in propria jaceat tunica, ſemel tantùm; ſi parvus ſit, per longitudinem incidito: ſi magnus, bis, hoc eſt, in modum crucis. Præ cæteris tibi cave, ne folliculum lædas, alias ulcus fœdum & ferme inſanabile ſequetur.

Hoc bene peracto, folliculum, qui rarò aut nunquam cuti affixus eſt, & libenter ſequitur, digitis eximito: arteriam, qua alimentum acceperat, tranſversè abſcindito: & rurſum tibi cave, ne fruſtulum folliculi ei adhæreat, ſi jam ſupradicta incommoda evitare velis.

Quia plerumque in abſceſſuum apertione comperio, hunc Chirurgum *lanceolam*, alterum Cauterium potentiale eligere, & longe præ alio extollere, rem paucis declarabo.

Cauterium potentiale hoc habet commodi, quod ægros puſillanimos nullo pavore percutiat, & quod dolorem timentibus non admodum ſit doloroſum, præſertim ſi hodie ſatis decantata remedia adhibeas: nam calx viva Hollandico ſapone commixta profunde ſatis carnem corrodit, attamen multò lenius quam Ambroſii Paræi corroſivum holoſericum. Verum hoc habet incommodi.

1. Quòd, prout cutis & corpora infirmiora vel firmiora ſint, etiam multò profundius corrodat, quàm ſit neceſſe: in altero enim cutim & muſculos, ad ventris cavitatem uſque perroſiſſe; & in altero proceſſum peritonæi, & vaſa ſeminalia in eo ſita inſanabili modo læſiſſe, experientia comperi.

2. Corroſivum illud ſe etiam ulterius ad longitudinem & latitudinem extendit, quam quidem deſideras, præſertim ſi ſub axillis in inguinibus vel articulis collocari debeat: nam quàm primùm incaluerit, profluere incipit, imo emplaſtrum tuum defenſivum parum curabit.

3. Neceſſario aliquot horarum ſpatio indiget, antequam operationem ſuam perfecte abſolvere queat; ſed plus temporis in hoc, quàm in iſthoc corpore deſideratur. Verum hoc tibi humor non ſemper permittet, præſertim ſi ſit malignus.

4. Cruſta,

4. Cruſta, quam induxeris, non ſtatim decidit: & humoribus, ſi e veſtigio exitum præbere ſtudeas, lanceola tum eſt utendum. Quàm prudenter circumſpexeris, incommoda hæc non evitabis.

Contrà vero lanceola hoc habet incommodi, quod plurimi ægrorum eam reformident, quaſi dolorem moveret. Sed timor ſilentio eſt anticipandus, & dolor ſane non eſt magni momenti. Interim à lanceola hæc exſpectabis commoda.

1. Lanceola apertionem tam longam & profundam efficere potes, quam morbus & tua curioſitas requirat.

2. Statim habes materiam, & patiens relevatur.

3. Materia reliqua) & nondum concocta maturiùs ad concoctionem movebitur, naturæ idoneis medicamentis, tam externis quàm internis opem ferens.

4. Atque ita fiet, ut ſtillationem diuturnam non habeas: nam ſtillatio ſi naſcatur, certus ſis, culpam hujus rei penes te eſſe ſitam. Rationem ſi deſideres, hanc accipe.

Omnes fermè tumores qui ſe poſt aures, in cervice, ſub alis & in inguinibus produnt, ex induratis glandulis & ab humoribus præternaturalibus valde penetratis originem trahunt: omnes hæ glandulæ propria circum veſtiuntur tunica quæ ſi à lanceola ſive medicamentis cathæreticis lædatur, neceſſario ſtillatio ſequitur: nulla enim glandula ſe ipſam aut ſuos humores tunica aperta conſervat: & hæc ſtillatio tamdiu durat, uſque dum tunicæ foramen curatum, vel tota glandula in auras diſſipata ſit.

Cap. XIII.

Quomodo partes clauſæ, quas natura apertas voluit, ſint aperiendæ.

Intra aurem exilis reperitur membrana, ſed mediocriter firma, quæ *tympanum* dicitur: hoc ſi ab alia quadam præternaturali membrana, ſive carunculæ accretione obſideatur, patiens auditum amittit, quod nequaquam Chirurgia, & ægrè medicamentis ſanatur. Verùm ſi auris cavitas in principio meatus auditorii membrana obducatur, atque hanc ob cauſam auditu privetur, eam apto quodam inſtrumento aperias, & quàm primùm poſſibile ſit, cicatricem inducas.

Alvum

Alvum qui ſubducere nequit, illius res non proſperè ſe habent, attamen ſæpiſſime pueri *ano non perforato* in lucem eduntur; qui digitis, ſi membrana ſit tenera & exilis; ſi autem craſſa & robuſta, lanceola per longitudinem aperiri debet: poſtea vero cannula plumbea & exſiccantibus medicamentis anus aperta contineatur & ſanetur.

Aliquando puellarum *pubes* præternaturali membrana obducitur, & graviſſima efficit accidentia, cum nubiles evadant: aliquando tota eſt concreta: aliquando labia, poſt malè tractatum ulcus, ſibi invicem concreſcunt, & haſce partes viris prorſus impenetrabiles reddunt: aliquando caruncula quædam præternaturalis uteri orificium occludit. Duo priora mala inſtrumento acuto, & partim linteis circumvoluto, per longitudinem aperienda, & ſecundum artem ſananda ſunt. Ultima quæ maximam exhibet moleſtiam, ante, & poſt operrtionem ſpeculo matricis, & circa curationis finem cannula, tranſversè & ſecundùm longitudinem perforata, indiget, ut cicatrices induci poſſint.

Hic nobis jam erit licitum, de lingua aliquid ſcriptis mandare; non de longa & acuta, cui aut nullum, aut non aliud, ſaltem præſtantius medicamentum novi, quàm eam floccifacere, pati & commiſerari; ſed de curta & adſtricta, qua infantes primùm ſuctione, & deinde loquela privantur. Facillimo negotio malum hoc tollitur, cùm anaciloglosſum ſive vinculum illud ſub lingua ſemel, iterum ac tertiò tranſversè forfice ſecamus, donec univerſum ſit diſſectum, & vulnus ter vel quater de die rhodomeli oblinimus. In ſectione hac partes vicinæ & venarum ramuli, magna adhibita cura, ſunt vitandi; imò ductus ſalivales in ſexto nervorum pari huic vinculo tam prope adjacent. Ut profunda ſectione facillime lædi poſſint, quæ ægrum miſerrimis accidentibus afficit. Hoc interim & Chirurgum ſcire oportet, inter centum infantes vix unicum reperiri, qui hac Chirurgia indigeat; & iſtas obſtetrices, tam leves quàm ignaras eſſe, quæ ſectionem hanc in omnibus infantibus recèns natis inſtituunt; qua ſæpius integras partes lædentes, infantes lacte tam neceſſario, & ſubſequentibus accidentibus vita privant.

Cap. XIV.

De Paracentheſi.

Licet *Paracenteſeos* nomen ſolummodo ſeparationibus continui punctis conveniat, attamen ars ut plurimum idem nomen etiam perforationi abdominis in Hydropico, & pectoris in empyemate attribuit, ſed pluries iſti quàm huic.

Operatio hæc admodum antiqua & periculi plena eſt, attamen ægrum aliquando in vita conſervavit. Natura & caſus nos audaculos reddiderunt, quare hanc alibi exercuimus, & ejus apertiones imitavimus: ſed experientia nos docuit maximam difficultatem in eo eſſe ſitam. 1. Partes jam debilitatæ & calore naturali privatæ, poſt apertionem facillimè intermoriuntur. 2. Cùm lympha emittitur, etiam ſpiritus avolant. 3. Aqua jam adurgens vix ita cohiberi poteſt, quin te invito profluat. Et cannula ſi arctiùs, ut vulnus tantò meliùs occludatur, ei infigatur, tum gangræna intra breve temporis ſpatium & libenter ſequetur.

Qui hujus operationis finem exoptatum deſiderat, is eandem moliatur duntaxat in corpore non macilento, neque tabe conſumpto: in hydrope ſubito exorto, nondum longe durato, & qui ad uſum idoneorum medicamentorum recedere noluit: in ægris qui neque febri, neque reſpirandi difficultate divexati, partes nobiliores adhuc ſanas & integras habent: in hominibus mediocri ætate: nam neque in ſenibus, neque in infantibus hæc operatio proſperè ſuccedit.

Ad locum quod attinet, ſi umbilicus protuberet, nullum alium inveſtigato, & ibi apertionem facito: verùm ſi valde ſit contractus, uti plerumque in hydropicis contingit, huic operationi prorſus inidoneus eſt: in tali caſu locum, tribus interpoſitis digitis, infra umbilicum eligito, non autem in alba linea, quam à quibuſdam, non ſine magna admiratione, ſuppoſitam vidi: ſed ad latus muſculi recti, & in muſculo qui *obliquè deſcendens* dicitur. Locum prius atramento ſcriptorio ſignato, & deinde parvam ſectionem per cutim, per muſculos & peritonæum ad omentum

tum ac inteſtina uſque facito: ſed inteſtina non lædito, quæ etiam propter interjacentem aquam vix ledere potes. Qui modum aperiendi accuratiſſimè moliri deſiderat, ille juxta fibrarum ductum, obliquè parum & deorſum, in ſiniſtro latere ad hanc figuram, & in dextero ad hanc, eandem inſtituere neceſſe habet.

Quàm primùm aquam animadvertas, injicienda eſt aut aurea, aut argentea, aut plumbea fiſtula ſive cannula ſequentibus conditionibus prædita 1. Sit polita. 2. Obſtaculo, quaſi nodo, aut ala, ne interius poſſit delabi, inſtructa. 3. Per totam longitudinem tribus aut quatuor foraminibus perforata. 4. Ne ſit longior quàm ipſa apertionis profunditas, hoc eſt, digiti tranſverſi longa. 5. Ad extremum parum incurvata. 6. Fiſtula quàm exactè inſtrumento perforanti reſpondeat. Talem apertioni inferto, & deinde emplaſtrum glutinatorium imponito (alii ſpongiam ſumunt, ſive quadruplicatum linteum) ægrum deligato, & duas horas aut tres quieſcat: Deinde deligaturam reſolvito, & duas aut tres, rariſſime aut nunquam plures aquæ libras emittito, atque hoc tam diu ſemel vel bis de die continuato, uſque dum æger fermè ab omni aqua ſit exoneratus: nam omnem emittere aquam non licet, quin partes vehementi frigore lædentur, & patiens jam tot calamitatibus & laboribus exantlatis, etiam animam emittet. Cannula ex apertione nequaquam eſt extrahenda, ſed toto curationis tempore in vulnere relinquenda, quod tandem ſecundum artem curabis.

Ad hydropici ventrem aperiendum, hic modus omnium illorum, quos veteres reliquerunt, eſt tutiſſimus & uſitatiſſimus: Sed percurioſum poſterorum ſtudium, multo præſtantius inſtrumentum excogitavit, quo non duntaxat maximam ſupra dictarum difficultatum partem commodiſſimè evitamus, ſed etiam ægros planè inſanabiles commodiùs in vita conſervamus, cùm eoſdem à ventris intenſione, dolore & gravitate pro noſtro arbitrio, vel pro ratione virium ſuarum liberemus, & exoneremus.

Inſtrumentum illud, quod nunquam ſatis laudari valet, primus omnium peritiſſimus Iacobus Blockius, Chirurgus Amſtelodamenſis ordinarius, in celeberrimum hoc emporium ex Italia advexit,

N 2 & in

& in magnum ægrorum emolumentum ad praxin revocavit

Locum vulgo eligit jam ſupra à nobis electum, nempe ſub umbilico interpoſitis tribus digitis (quem locum in omnibus non accuratiſſime tamen obſervat) ubi etiam muſculos & peritonæum ad aquam uſque inſtrumento hoc perforat, & rarò ultra quas libras ſimul & eodem tempore emittit.

Deinde inſtrumentum illud rurſum extrahit, & facto foramini nihil aliud imponit quam plumaceolum ſiccum & emplaſtrum glutinatorium, quibus optimè impeditur, ne aquæ gutta, te invito, exeat: nam poſt inſtrumenti extractionem perforatæ membranæ, muſculi & peritonæum motu naturali facillime tam longe à ſe invicem diſtrahuntur, ut foramina deinde nequaquam ſibi mutuo accuratè reſpondeant.

Hoc peracto, ægri vires deinde conſideramus, & duos, tres vel etiam plures expectamus dies, antequam eandem hanc operationem rurſum inſtituamus. Tum hic Chirurgus idem eligit foramen, vel parum eſt ſollicitus de alio perforando, præſertim ſi comperiat aquam alio loco vel latere commodiùs emitti poſſe.

In *Hydrocele* jam ſupra nominatus Chirurgus tam dextere ex ſcroto ope hujus inſtrumenti aquam emittit, ut poſtero die foraminis veſtigia ægre aut non invenire posſis.

Perforatio mihi parum videtur incommodare: quare inſtrumentum hoc aliquantulum immutatum volui: cuſpis igitur ne ſit rotunda, ſed lanceolæ in modum utroque latere acuminata: tum enim celerius per cutim & muſculos adigi poteſt. Hujus Chirurgi inſtrumentum ex argento poteſt, meum ex chalybe parari debet.

Ut jam à nobis dicta tanto melius concipiantur, inſtrumentum illud aliquoties nominatum, & modum aquam emittendi, in figura mox ſequutura demonſtramus.

CAP.

Hiſce quæ de Abdominis Paracentheſi hactenus ſcripſit Clariſſ. Author non inutile fuerit annectere quædam de Hydrope Aſcite confirmato & complicato, Auguſtæ Taurinorum, in viro ſeptuageſimum annum excedente, curato: ut & de acubus atque cannulis, quibus *D. Thouvenot* Conſiliarius & primarius Sereniſſimor. Sabaudiæ Principum Chirurgus hoc in negotio uſus fuit, prout illa omnia reperiuntur deſcripta

cripta in literis ad compilatorem Ephemeridum Gallicarum miſſis ab ipſo Hydropico ſanato nomine *Boule*, & profeſſione Chirurgo. Prædictus *Dom. Thouvenot*, inquit ille conſideratis gradibus & circumſtantiis mali hujus per ſe naturæque vires omnino incurabilis, ſitum ægri diverſimode permutat, prout ſc. tenſionem majorem vel minorem, majorem itidem aut minorem fluctuationem aquarum contentarum obſervat. Itaque ægrum, vel in lecto, vel in ſedili collocat, aliquando etiam vel reſupinum eſſe, vel erectum, vel ad latus pungendum decumbere jubet, compreſſa per faſcias abdominis ſuperiore regione, præſertim ſub curationis finem, quo tempore minùs abundantes generantur aquæ. Punctionem ſemper inſtituit in loco tribus tranſverſis digitis ſub umbilico,ut & ad latus ejuſdem conſtituto; atque illas quantùm poſſibile eodem in loco ſemper repetit; urgente tamen neceſſitate ſæpius permutat. Inſtrumenta quibus in hac operatione utitur ſunt acus & cannulæ quintuplicis generis, duæ ſcilicet ſunt ſimplices atque apertæ, tres autem aliæ ſunt compoſitæ, quæ per cochlidia, organa elaſtica & claves obturantur & occluduntur, ſuntque laboris eximij & politiſſimi. Nulla earum longitudine ſua duos excedit tranſverſos digitos. Acuum materia eſt chalybs depuratiſſimus: cuſpidem gerunt & acutiſſimam & perfectè rotundam.

Cannulæ ſunt ex auro vel argento & ejuſdem propè figuræ atque longitudinis ac acus ipſæ: Artificium præcipuum in earum capite conſtituitur quod occluditur clave, cochlidio & organo elaſtico imperceptibili, ita diſpoſitis & aptatis, ut ne minimum quidem aëris per cannulam ingredi aut egredi valeat; hocque rurſus notatu dignum quod poſſint magis aut minùs recludi ſeu aperiri, ita ut aqua effluat ad unius capilli, vel duorum vel trium craſſitiem, pro variis exigentiis ægrorumque viribus.

Acus iſtæ, & cannulæ, addit idem, nullatenus ſunt ſimiles iis quas *D. Barbette* Medicus Amſtelodamenſis in ſua Chirurgia deſcribit, ut nec iis quæ Venetiis ſunt in uſu, quarum cuſpis argentea facile obtunditur doloremque intenſiorem creat. Si una vice *D. Thouvenot*, tantum poſſit extrahere aquarum quantum placet, ſimplices adhibet cannulas quæ clave minimè occluduntur, illaſque aquas ad quantitatem librarum 7. 8. 10. imò viginti fluere una vice ſinit, ratione habita ægri virium, quas in pulſu explorat; ſed in iis quorum vires ſunt debiles, quique jam ſeniores ſunt, adhibet cannulas compoſitas & occluſas, atque aquas una vice ad quantitatem librarum 5. 6. ad 10. horis matutinis extrahit, quo peracto cannulas occludit ad veſperam qua eandem rurſus quantitatem educit, totum abdomen ſic intra dies duos aut tres evacuando. Dexterè introducit cannulam in foramen ab acus cuſpide confectum, dum ſc. illam rectà & eodem cum hac momento protrudit; cannula extracta neque vulnus, neque dolor ullus ſupereſt. Dum vero abdomini affixa relinquitur, perſentitur tantùm vel

inter ridendum, vel inter tuſſiendum; quòd ſi horum alterutrum eveniat, dum extrahuntur aquæ, ſubito ſupprimitur earum fluxus, magnaque opus eſt induſtria pro ipſo revocando. Si poſt primam evacuationem novæ accumulentur aquæ, quod ſane ſemper propè evenit, operationem intra dies viginti repetit, idque pluries ſi neceſſitas adſit. Cùm tantum pauciſſimæ ſuperſunt aquæ punctionem non ampliùs aggreditur, verùm ægro medicamina exhibet diuretica qualia ſunt varia ſalia aperitiva, puerorum urina, atque leviora quædam hydragoga, ſed durante operatione ægrum nutrimentis boni ſucci, atque cardiacis reficit, quò ſcil. corpus moderatè exercere, hilarem ſe præbere, ſomnumque capeſcere facilè poſſit. Hiſce mediis ſubjungit ille, in integrum fui ſanatus.

Explicatio Fig. I.

A. *Magiſtri Jacobi Blekii cannula argentea cuſpide rotunda.*

B. *Foramen per quod aqua è ventre in cannulam fluit.*

C. *Stylus ſive ferramentum cannulæ poſt operationem mundificationi inſerviens.*

D. *Auctoris cannula chalybea, cuſpide lanceola in modum acuminata.*

E. *Foramen ut ſupra.*

F. *Ferramentum ut ſupra.*

Explicatio Fig. II. quâ exprimuntur acus & cannula à Dom. Thouvenot in Paracentheſi Abdominis, ut deſcriptum inſtituenda uſurpatæ.

A. *Prima acus eſt ſimplex & ex chalybe* B. *Ejuſdem cannula ex argento cum capite duplici ſuoque organo elaſtico, cujus clavis* C. *inſeritur capiti argenteo ejuſdem acus.*

D. *Eſt ſecunda acus ſimplex rurſus ex chalybe cum ſuo manubriolo argenteo.*

E. *Eſt ipſius cannula cum capite & cochlidio duplici organo elaſtico munito.*

F. *Clavis inſerviens occludendo & reſerando magno organo elaſtico.* G. *verò retinaculum ſecundi organi elaſtici. Prædicta cannula confici poteſt ex auro vel argento.*

H. *Eſt acus ſimplex è chalybe cum ſuo manubriolo argenteo.* I. *ejus cannula argentea, caput autem ab aliis eſt diverſum: Nam hic reperitur cochlidium* 3. *peculiaris figuræ, ſupra quod adeſt parvulum caput quadratum* 2. *cujus* M. *clavis eſt,* L. *verò operculum ſtriatum occludendo capiti* 2. 3. *inſerviens.*

CAP. XV.

Quomodo Thorax ſit aperiendus.

THoracis cavitas aliquando aqua, aliquando autem pure repletur.

Aquæ collectio fit, aut diſruptis vaſis lymphaticis, aut ſanguine aquoſo & non ſatis cocto. Poſt inflammationes gutturis, pulmonis, membranæ pleuræ, &c. pus ſequitur.

Pus jam collectum *Empyema*: aqua congregata *Hydrops pectoris vel pulmonis* dicitur.

Signa aquæ in thorace collectæ ſunt tuſſis ſicca, laborioſa gravitas, reſpirandi difficultas ad ſuffocationem uſque, vehemens ſitis, appetitus parvus, facies pallida: aliquando crura intumeſcunt, aliquando febris adeſt, quotieſcunque æger ſe convertat & moveat, auditu murmur quoddam percipis.

Signa puris collecti ex ſubſequentibus dignoſces. Si poſt venæſectionem & alia medicamenta idonea pulmonis aut membranæ pleuræ inflammatio non ſatis recedat, quatuordecim dierum ſpatio Empyema eſt metuendum. Plerumque abſceſſus intra vigeſimum aut trigeſimum diem perrumpit. Gravitatem in thorace abſque inſigni dolore ſentis: ſed dolor, ſi poſtea ſuccedat, nova tibi affluentia eſt exſpectanda, quæ venæ ſectione eſt revellenda. Æger anhelat, & ſi ſe moveat, murmur audis; vel ſaltem perſentis materiam locum mutare, & latus affectum altero calidius eſſe tactu intelligitur. Phlegmata purulenta projicit, nec eum, aut tuſſis aut ſitis facile derelinquunt. Ejus cor anxietate undique coarctatur, & exiguus ipſi eſt edendi appetitus.

Cum hoſce humores neque expectorantibus, neque ſudoriferis, neque hydragogis, neque aliis medicamentis purgantibus profligare poſſimus, ad Chirurgiam accedimus, & in thorace apertionem molimur, ut ita naturam ab inimicis liberemus.

Abſque periculo hoc non contingit, neque contingere debet, ſi æger debilis, & partes internę jam corruptæ ſint. Attamen hæc operatio minori periculo objecta eſt, quam illa, de qua ſtatim egimus:

egimus: imo in hoc caſu ſæpiſſime ægri mortem evadunt; & ſcriptores non indocti, ſe multa, tali facta ſectione, & deinde adhibitis per ſiphonem injectionibus, pulmonis ulcera (ex quibus alioquin incurabilis tabes oritur) facillimo negotio cura viſſe affirmant.

Ad locum quod attinet, ubi ſectio hæc eſt molienda, de illo non parum inter ſe diſcrepant docti, & hujus rei ratio facile excogitari poteſt. Nam aliquando diaphragma in illo homine altius aſcendit, quam in alio, adeò ut hoc in cauſa ſit, quare prolapſi in diaphragma humores in altero ſublimiores, quàm in alio reperiantur. Secundò, quidam habent pectus protuberans, quidam verò planum, quod etiam multum mutationis exhibet. Præterea pulmo ſæpius tam firmiter pleuræ cohæret, ut pus non facile in diaphragma poſſit dilabi, quare non bene feceris, ſi infimum circa diaphragma locum eligas. Et quandoquidem tum in hoc, tum in aliis tumoribus, locus excelſiſſimus ſectioni maximè idoneus cenſeatur, non eſt impoſſibile, ſi morbus Chirurgos impulerit, nunc hunc, nunc alium pro loco convenienti eligere. Hac de cauſa Hippocrates, Guido, Amatus Luſitanus &c. pectus intra tertiam & quartam coſtam, ab inferiori parte numerantes, aperiunt: Finus, Riverius, aliique quamplurimi inter quartam & quintam: Paulus Ægineta, Vidus Vidius, Fabricius ab Aquapendente, Sennertus &c. inter quintam & ſextam, qui locus ipſis & etiam nobis omnium tutisſimus videtur: nam ſectionem ſi altius inſtituas, pericardium, & inferius, diaphragma lædetur, uti triſtisſima hujus rei exempla nobis fidem faciunt. Verum in turbida hac diſcordiæ ſcriptorum aqua, ſigna jam à nobis propoſita te in tutisſimum portum impellent.

Omnibus igitur probe conſideratis, unum jam ſupra enumeratorum locorum eligito, non ante neque poſt pectus (nam ab anteriori parte tibi ſternum erit impedimento, ut in thoracis cavitatem deſcendere, & à parte poſteriori coſtæ ſibi invicem tam arctè cohærent, ut ibi abſque aliqua vaſorum læſione ſectionem moliri nequeas) ſed in latere, à ſterno quatuor aut quinque digitorum latitudine interpoſita: rurſum neque propè ſextam, neque in medio utriuſque coſtę (nam paulo infra, & prope ſextam ęquè ac

omnes

omnes alias coſtas vena, arteria, & nervus reperiuntur, quorum rami ſe uſque ad intercoſtalium muſculorum medium extendunt) ſed paulum ſupra tertiam, quartam aut ſextam coſtam.

Poſtquam locum hunc atramento ſcriptorio ſignaveris, patienti demandato ſpiritum tam diu emittere, quam poſſibile ſit, & interim obliquam, ſed exiguam inciſionem facito, cui argentea ſive plumbea cannula eſt infigenda, & per eam quotidie materiæ purulentæ tres, quatuor aut quinque uncias emittito. Si non rectè profluat, in latus affectum decumbat æger, & tuſſim moveat; & ſi ob viſciditatem nondum profluat, in cavitatem ſiphone medicamenta quædam detergentia, exſiccantia & conſolidantia injicito.

℞. Seri lactis caprin. unc. xviij. Mell. roſac. unc. iiij. Succ. chelidoniæ. Apii an. drachm. vj.

Miſce. Vel.

℞. Rad. conſolid. major. unc. j. Saniculæ unc. ſ. Fol. betonicæ, Agrimon. Vinc. pervinc. Pimpinell. an M ſ. Flor. 3 cordial. P. ij. Sem. hyperic. Card. benedict. Vrtic. Roman. an. drachm. j. Coq. ex hydromelit. & Colaturæ lib. j. ſ. detur uſui.

De hoc medicamento, ſiphone injiciendo, æger etiam quotidie bis vel ter uncias quinque hauriat.

Hic etiam obſervandum eſt, Empyema aliquando in propria contineri tunica, & hinc fit, ut ſe externe ſua protuberantia prodat, & tunc à Latinis *Vomica pulmonis* appellatur: quo in caſu tunicæ diſruptionem ne exſpectes ſpontaneam; nam poſtea pus quaquaverſum fluens multò difficiliùs ex thorace hauritur; ſed prima ſe data occaſione apertionem facito, neque alium locum, quàm prominentiorem tumoris partem eligito.

Quandoquidem autem plerumque Pleuritidem Empyema ſequatur, & interim etiam quotidie comperiatur, Chirurgos imperitos omnes lateris, ventris & pectoris dolores, licet ex flatibus originem ducant, pro Pleuritide accipere, & è veſtigio venam ſecare, magnopere neceſſarium duxi tantum hoc loco de Pleuritide conſcribere, quantum Chirurgo ſcitu ſit neceſſarium, ut in poſterum ejuſmodi errores evitarent.

Pleuritis eſt inflammatio membranæ pleuræ, & plerumque ſimul etiam

pulmonis, ſanguine cauſata, & cum dolore, tuſſi, ſputo ſanguineo, reſpirandi difficultate, febri continua, pulſu duro & celeri conjuncta.

CAUSA aliquando ſolus eſt ſanguis & veram pleuritidem; aliquando autem aliis humoribus admiſtus, & tunc pleuritidem tantùm notham efficit.

SIGNA, ut in deſcriptione apparet, tam manifeſta ſunt, ut illi excuſatione minimè ſint digni, qui pleuritidem à colico dolore rectè diſtinguere non norunt.

PROGNOSIS. Quanto citius ſputum ſuppuratur, quantò albicantius & levius projiciatur, tantò citiùs & certiùs boni eventus ſpes affulgeat. Si reſpirandi difficultas & tuſſis ſputi projectione non diminuantur, malum ſignum habeto: & patiens, ſi tertio aut quarto nihil omnino projiciat, ad ſeptimum uſque diem vitam ægrè producet. Si dolor poſt venæ ſectionem & alia idonea remedia non ceſſet, aut patiens vitam cum morte commutabit, aut pleuritis in tabem aut empyema ſe convertet.

CURATIO. Venæ ſectio hic neceſſarium & certiſſimum eſt remedium: & ſi in tempore inſtituatur, antequam venam obturaveris. à dolore patiens, & aliquando prorſus à morbo liberabitur. Hactenus nullum cognovi morbum, qui tibi cum ægri emolumento tantum ſanguinis unica vice depromere permittat.

In quo autem latere vena ſit ſecanda, eruditorum opiniones diſcrepant: Verùm is exiguam morbi experientiam habuit, qui non experiri poterat, ægros præſertim in hiſce regionibus multò meliùs & citiùs liberatos fuiſſe, cùm in brachio lateris affecti, quàm cùm in oppoſito vena ſecaretur.

Dolor ſi venæ ſectione non remittat, cogimur eandem, bis, ter quaterve, quatuor & viginti horarum ſpatio, plerumque in eodem brachio reiterare, ſed interim accuratiſſimè virium rationem habeto.

Poſt venæ ſectionem, aliquando neceſſariò purgantia, ſudorifera & expectorantia requiruntur, ſed illa Medico demandamus.

Unicum novi medicamentum, quod ob ſuam præſtantiam communicandum videtur. Diligentiſſimus Medicus Iac. Hadden in ſua Pleuritidis deſcriptione idem ſummopere commendavit: & ipſe poſt

poſt venæ ſectionem, ſemper in principio morbi, maximo cum ſucceſſu uſus fui hoc modo:

R. Succ. Taraxaci depurat. unc. j.ſ. Aq. plantaginis unc. ij. Card. bened. Scabioſ. Syr. papav. errat. an. unc. j. Ocul. cancr. ſcrup. j.ſ.

Miſce.

Sumat æger de hac mixtura ſingulis ſemihoris cochleare unum alterumve, donec fluxus ſit cohibitus. Poſtea alia adhibenda ſunt remedia.

CAP. XVI.

Cataracta quo pacto auferenda.

CAtaracta, Græcis ὑπόχυμα, *Suffuſio*, Latinis Batavis & Germanis *de Staer* dicta, *eſt ſuperfluorum humorum concretio, paulatim ſeſe in præternaturalem membranam ſive pelliculam commutans inter corneam tunicam & humorem cryſtallinum, pupillam aut totaliter aut partim obtegens, & ita viſionem vel auferens vel impediens.*

DIFFERENTIA. Imperfecta eſt, cùm humor ſit tenuis, & totam pupillam non obtegat: vel perfecta, cùm ſe aut in pelliculam commutet, aut totam pupillam inveſtiat.

Aliquando Cataracta alba eſt, aliquando cinerea, flava, viridis, lutea, prout viridis, flava aut atra bilis ſe vero humori admiſceat.

Sedem habet à Cornea tunica uſque ad humorem Cryſtallinum, aliquando huic, aliquando vero alteri vicinior eſt.

CAUSA eſt humor pituitoſus, oculorum imbecillitate ibi collectus, vel minima ſua copia à cerebro delapſus.

SIGNA. In principio æger omnia geminata, & variis interſtincta coloribus intuetur: aer ipſi muſcis, reticulis & nubeculis ſcatere videtur: aerem calore vel luce intenſiorem non patitur. Deinde viſio diminuitur, & omnia ipſi quaſi commaculata apparent, & tandem cæcus evadit. Cùm exactè in medio pupillæ cataracta inſedit, univerſam pupillam non obtegens, ſed circa viſionem relinquens ſpatium aliquod liberum, tunc ipſi omnia quaſi perforata videntur. Pupilla, cum oculum digitis perfricueris, ſi dilatetur,

Cataracta imperfecta cenſetur: Verùm ſi immobilis maneat, de ejus perfectione non eſt dubitandum.

PROGNOSIS. [a] Imperfecta Cataracta externis medicamentis in principio facillime curatur, præſertim ſi corpora ſint ſana, & patientes mediocris ætatis. Quantò minus pupilla dilatetur, tantò minor curationis ſpes affulgeat. Cataracta humori Cryſtallino quantò ſit vicinior, tantò periculoſior eſt habenda. Oculum ſanum ſoli ſi obvertas, & patiens ne lucis crepuſculum quidem percipiat, nullum hac operatione emolumentum eſt exſpectandum. Si oculi humores naturales acu inter ſe commiſceantur, cæcitas tamen, Cataracta optime depoſita, aut remanebit, aut mox talis ſubſequetur, quæ curatu impoſſibilis erit. Si in ipſa operatione araneam lædas, patienti aër capillis & muſcis plenus apparebit. Cataracta ad annum tertium uſque tam mollicula manet, ut acus ductum ſequi nequeat; verùm anno tertio ſive quarto, adeo eſt indurata & concreta, ut nulla omnino arte diſſolvi poſſit. Sanguinis profuſio acu cauſata, nullum adfert periculũ, ſiquidem tandem ſponte ſiſtatur. Licet Cataracta non ſatis intra pupillæ

[a] Cataracta quæ fuerit coloris nigri plumbei, viridis, flavi, gypſei, & argenti vivi æmula, eſt ferè inſanabilis; contrà quæ colore corticem caſtaneæ æmulatur, quæ cœli, ſeu aquæ marinæ colorem habet cum quadam albedine, quæ margaritas, aut turcicam gemmam, atque etiam colorem è viridi & cinereo mixtum refert, ſanabilis eſt, & operatio fœliciter ſuccedere ſolet. Præter colorem videndum an pupilla dilatetur & cataractæ ſubſtantia acum ferre poſſit, quod cognoſcetur ſi obturato oculo ſano, aliûs palpebræ digitis leviter perfricentur, pòſt ſubitò aperiatur oculus; tum enim ſi pupilla nihil dilatetur aut diffundatur intelligere eſt obſtructionem ſubeſſe in nervo optico, adeò ut decuſſa quantumvis fœliciter cataracta ſuperſtes cæcitas ſit manſura; aut etiam eò ſignificatur cataractam uveæ adhæreſcere, tumque etiamſi per partes ſui ſuperiores & ad latera acus cuſpide ſepararetur, cùm difficillimum ſit eam itidem per inferiora ſeparare, depreſſa in locum priùs occupatum continuò recurrit. Præterea advertendũ dum pupilla poſt frictionem dilatatur, num cataracta diſcerpatur, aut fibras materiam colligantes non habeat, tunc enim præ ſiccitatis aut potius conſiſtentiæ defectu, acus per eam quaſi per aquam, non ſatis congelatam adigeretur; itaque expectandum donec ſiccetur & ſpiſſior evadat, quod facillimè videbitur, ſi inter candelam admotam & oculum, phiala aqua repleta interponatur, quæ radios congregatos ſuper pupillam deferat.

[b] Jo-

pillæ regionem ſit depreſſa, dummodo in particulas ſit diviſa, perfecta viſio intra ſex aut octo ſeptimanas ſæpiſſimè redit, licet tota operatio abſque ullo fructu peracta videatur, quod, aliquoties experientia edoctus, loquor.

CURATIO. In non firmata Cataracta auxilium à medicamentis petito, & valeat operatio Chirurgica. Patientem purgato, ſtomachum curato, caput conſerva Majoranæ, Roriſmarino, Betonica, pulv. Diambræ corroborato, & externe ſequentia medicamenta adhibeto.

R. Gumm. Tragacanth. in aq. Euphraſ. ſolut. drachm. ij. Alumin. uſt. ſcrup. j. M. fiat Collyrium.

Vel

R. Aq. chelidoniæ unc. j. ſ. Vin. alb. Gallic. unc. ſ. Spir. vin. drachm. ij. Vitriol. alb. gr. vj. Tut. præp. ſcrup. j. Vitr. antimonii gr. v. Sacchar. cand. drachm. ij. ſ. Camphor. gr. vj. M. F. Collyrium.

Vel

R. Succ. fœnicul. Chelidoniæ an. unc. ij. Fol. rutæ, Majoran. an. P. j. Euphraſiæ M. j. Fell. bovin. unc. iiij. Gallinæ unc. j. Myrrh. rub. Aloës drachm. j. ſ. Sarcocoll. unc. ſ. Camphor. ſcrup. ij. M. & diſtillentur in B. M. [b]

Si

[b] Joſephus Donzellus in ſuo Theatro Pharmaceutico mirè extollit ſequentes aquas, tum pro corrigendis oculorum inflammationibus, tum pro viſus debilitatibus ſanandis, tum pro cataractis incipientibus diſſolvendis. ♃. aq. roſar. albar. euphraſ. fœnic. ℔. j. croc. metall. ℨij. M. & digere in loco calido per duos dies; ejus aquæ, guttæ aliquot ſingulis diebus, matutinis horis in oculos injiciuntur, & uſus in plures dies protrahitur. Alia aqua eaque multò majoris momenti ex eodem hæc eſt. ♃. vin. græc. potent. ℔. vj. aq. roſ. alb. ℔ j. chelidon. euphraſ. rutæ, fœnic. āā ℥iiij. antim. crud. ℨij. tutiæ præp. ℥ vj. croc. orient. ℈j. camph. & aloës āā ℥j. garyophyll. aromat. ℔ ß. ſacch. canti ℥ß. virid. æris ℨij. pulveris. pulveriſanda & immittantur phialæ longioris colli, illis affunde vin. græcum & aquas memoratas, atque probè miſce; poſtea vas hermeticè ſigillatum ſoli, & cœlo veſpero per quadraginta dies exponatur, ſingulis diebus ſæpius illud agitando. Fidem facere poſſum, addit idem, aquam hanc omnes oculorum inflammationes, rubores, & fiſtulas lachrymales, non tantùm tollere, ſed etiam cataractam incipientem, albuginem, glaucoma; corneæ & humorum oculi obſcuritatem levare; oculis per deperditum humorem aqueum diminutis magnitudinem ſuam reddere, &c.

 [c] Dantur

Si jam confirmata ſit Cataracta, Chirurgia unicum tuum præſidium eſto: ſed tamen ab operatione abſtineto, ſi patiens jam antea de capitis aut oculorum dolore conqueſtus ſit, & etiamnum conqueratur: ſi totum corpus, & præcipuè caput non ſit purgatum, & patiens quotidie adhuc febri, ſternutatione, tuſſi & vomitu divexetur.

Opportuno anni tempore, aurora, decreſcente luna, & aëre claro ſerenoque electo, patiens collocetur in ſedili, & contra eum Operator, ſed paulò altius; oculus ſanus vitta impoſita obligetur, & ambabus manibus medium ejus circumplectatur, quas immobiles tenebit, ipſo operationem inſtituente: circumſtantium aliquis à parte poſteriori caput contineat, & cum occupatus ſit in palpebris ſeparandis aut dilatandis, ægro mandabit, oculum verſus naſum torquere: hoc quamprimum fecerit acus ſubito per Corneam, ad latitudinem dimidiati ſtraminis à pupilla, eſt adigenda, & ad Cataractæ medium ducenda; eâque leniter ſuperne verſus inferiora tamdiu deprimito, donec hæſerit: ſi autem te invito continuo reſiliat, eam in diverſas particulas dividito, & haſce particulas, ſive totam Cataractam ad breve tempus acu ſupprimito, ne expleto jam opere poſt aliquot horas rurſum in pupillæ regione appareat. [c] Deinde acus extrahenda, & uterque

ægri

[c] Dantur cataractæ lacteæ quæ ſtatim ac acu tanguntur diſcerpuntur & in partes abeunt, quod cùm evenit, acus circumquaque per eas eſt adigenda, ut quod craſſius eſt ima petat, & quod tenuius exhalet. Præcipuè advertendum in operatione, ne uvea lædatur; nam ſic præterquàm dilatari poſſet, venulæ quibus intertexitur diſrumperentur, unde ſanguis in oculi interiora ſtillaret, qui hypopion faceret. Aliæ aliquando occurrunt cataractæ tam duræ, ut acui ad inſtar cartæ pergamenæ reſiſtant, & quæ uveæ ita adhærent per filamenta quædam, ut depreſſæ ſtatim ad ſuperiora recurrant, iſtæ per inferiora ſunt acu invertendæ, & ſic demittendæ. Acus quæ adhibetur debet eſſe longitudinis quinque digitorum, ſc. manubrium trium, cuſpis verò duorum ſit mediocriter ſubtilis, ne faciat nimis magnum dolorem, & nimis magnum in oculo foramen. Non ſit nimis acuta, ſed ita mediocriter, ut facili negotio ingrediatur; ſi enim nimis acuta eſſet, interius nimis facilè uveam, aut criſtallinum læderet & exaſperaret. Debet etiam eſſe rotunda & valde lubrica. Rotunda, quia debet valde leviter in orbem volvendo intromitti, ut ſic quàm minimè oculum inquietet; Ideoque planæ non valent. Sunt nonnulli ut Albucaſis, qui ut ſubtiliores

vide-

viderentur, excogitaverunt acum perforatam, per cujus foramen poſtquam jam ingreſſa eſſet, ſuctu cataracta extraheretur, ſed ridiculum eſt inventum; nam ſic humor extraheretur potius quàm membrana ipſa, adde quòd talis canaliculus ſine maximo dolore induci nequeat. Alii voluere quidem talem canaliculum immitti, ſed non ſuctu cataractam extrahi, ſed per foramen citharæ chordam imponi uncato cuſpide, quæ cum uſque ad cataractam permota eſſet, illam apprehenderet, & foràs educeret. Sed & illa operatio omnino nugatoria eſt. Acus debet eſſe ex argento, ferro, aut auro; præſtat autem ex argento eſſe, propterea quòd illa propter albedinem meliùs in pupilla reluceat, poſtquam jam eſt introducta.

ægri oculus tam integer quam affectus compreſſionibus eſt devinciendus, quæ prius aqua roſarum & albumine ovi cum alumine conquaſſato ſunt humectandæ. [d] In ipſa operatione tibi prudenter cave, ne humorem Cryſtallinum & ſanas tunicas lædas.

Cap. XVII.

De Hirudinibus.

Hirudines ipſis ſcarificationibus præſtantiores, & ipſa venæ ſectione multò certiores magno cum emolumento robuſtis æquè ac infirmis corporibus applicari poſſunt, ſi in magno morbo interno magnam aliquam venam, vel in morbo externo parvo, parvas venulas ſugant.

Verùm

[d] Quidam opere ſtatim peracto adſpectabile aliquid ægro videndum exhibent, ſed tutiùs eſt ſtatim ab educta acu ovi albumen in aq. roſac. cum alumine agitatum molli linteo excipere, & adſtrictionis, arcendæque inflammationis gratia oculo ac vicinis partibus imponere: tumque unà etiam ſanum deligare, ne ſi ad intuendum moveatur, unà per connexionem quæ ipſis per nervos intercedit ægrum quaſi rapiat, & ad motum incitet. Poſt hæc lecto molli æger trahendus eſt, atque ita collocandus, ut capite ſit altiori: procul ſit ab omni ſtrepitu, ne loquatur, nec quid mandat durius, ne maxillæ laborent: liquidis ergo nutriatur, ut panatella, hordeato, colatitiis, aut expreſſis carnium euchymarum ſuccis, gelatina, ovis ſorbilibus, & aliis hujus generis. Octavo demum die reſolvenda, quæ oculos obvallat faſcia ipſi aqua roſacea proluendi ſunt, oppoſitiſque ſpecillis, aut ſerico panno, ſenſim lumini ac diei æger eſt aſſuefaciendus, ne

ne repentino lucis occurſu offendatur. Quòd ſi paucis poſt diebus ſurſum referatur ſuffuſio, decutienda iterum illa eſt, ſed novo foramine, priori enim dolet oculus. Theveninus præcipit ut per tres tantùm ab operatione dies oculus claudatur, & interea ſæpius remedia renoventur, quô tempore candela ſemper ponè ægrum locanda, ne ſc. ſplendore ſuo lædat.

Verùm enimverò non perinde habetur quales hirudines eligas; nam illæ, quæ magno ſunt capite, virides, ſcintillantes, & quarum terga lanugine & lineis cæſiis ſunt obductæ, veneno non carent, nec præterea etiam illæ, quæ in aquis fœtidis reperiuntur. Exiles igitur & longas elige, quæ capite ſunt parvo, & ventre rubicundo, quæque ſe in fluminibus & puris aquis abſcondunt.

Antequam ad uſum applicentur, ad minimum per diem in aqua pura ſunt collocandæ, & exiguo ſanguine nutriendæ, ut omnem impuritatem abjiciant. Poſtea locum, cui eas applicare velis, fricato, donec rubicundus evadat, & ſi ſugere nolint, locum ſero lactis ſive ſanguine columbæ illinito, vel aciculæ punctura parum ſanguinis emittito: verùm ſi jam ſugentes non ſatis extrahant, earum leviter vulnerato caudas: & ſi poſtquam ſatis jam ſuxerint non decidant, ſale & cineribus aſperſis, ab epulo, quod ſubito deſerent, ſunt fugandæ: nam vi non ſunt avellendæ, ne in vulnere oris ſui aculeos relinquentes, omnigenis & gravibus accidentibus, imo & ipſi morti cauſam præbeant, uti triſtiſſima exempla hoc docuerunt. Verùm & illud obſervatione non eſt indignum, eas plus ſanguinis ex arteriis, quàm ex venis ſugere, adeoque etiam minus extrahere debere.

CAP. XVIII.

De inciſione in partibus duris.

INciſio in duris partibus, uti ſupra commemoravimus, quadruplex eſt: nempe, *Raſio*, *Limatio*, & *Terebratio*.

In fiſſuris & oſſium corruptione radendum eſt, & præterea etiam cùm dentes tartaro ſunt obſiti. Tam diu radendum eſt, donec fiſſura ſive corruptio penitus ſit ablata, & oſſa albicantia & parum ſanguine rubicunda evadant, & tum pulvere exſiccante aſperguntur. Pericranium

cranium ſive perioſtium prius eſt ſolvendum, quod æquè ac labia vulneris inſtrumento deraſorio tangi non debet.

Limatio locum habet in dentibus tam procul ſe exerentibus, ut hominibus in edendo & loquendo impedimento ſint. Inſtitui debet abſque vicinarum partium læſione, non ſemper unica vice, neque nimis fortiter, ne dens vehementi limatione radicibus ſuis divellatur & ſolvatur.

Serra utimur in oſſe ſphacelato auferendo de quo mox acturi ſumus.

Modiolo ſive *Trepano* utimur in profundis oſſium corruptionibus, & præſertim in affectibus, qui fiſſuras, fracturas & cranii contuſiones efficere poſſunt. Sed quandoquidem hæc Chirurgia non abſque gravi periculo exerceri poſſit, diligentiſſimè inquirendum & diſtinguendum, quo in loco neceſſaria ſit, nam fiſſura quà fiſſura, & fractura quà fractura, non ſemper à Trepano auxilium implorat, ſine quo ſæpiſſimè rectè curari poteſt. Imò parva contuſio non ſemper tam gravia ſecum fert accidentia, quin Trepanum multò graviora & majora moliri poſſit: ſanguis enim profuſus aliquando tam exiguus eſt, & patiens tam robuſtus, ut natura eum ſua ſponte perire faciat, ſi ejus calor externo frigore non debilitetur, quo in caſu Trepanum ferme idem efficeret, licet maximam curam adhibueris. Præterea ſanguis ſępenumero ſe inter craſſam & tenuem meningem profundit, & tunc rurſum ſine fructu modiolum adhibere videberis. Sed in ejuſmodi caſu non multum moverem ſcrupuli ad duram matrem incidendam: nam ipſam rurſum conſolidari, & gangręna laborantem arte & natura curari poſſe, experientia cognovimus.

Tres igitur ob cauſas plerumque commovemur ad Trepanum adhibendum.

1. *Cum oſſium eminentiæ & fruſtula meninges pungunt*, quod continuo dolore punctorio recognoſces, de quo patiens, ſi mentis adhuc ſit compos, ſtatim conqueretur; ſi ejus ſit impotens, manum ſæpenumero ad locum vulneratum adducet: in ejuſmodi ægro aliquando oculorum contorſiones & membrorum contractionem obſervabis; præterea & inſtrumentum, quo fractura eſt cauſata, hac in re tibi aliquid luminis afferet.

2 *Cum ſuprema tabula integra, ſed depreſſa, & infima diſrupta ſit,* tum enim cranii fracti particulæ, licet à natura & tempore optimè eſſent ſeparatæ, attamen exitum nullum invenirent. Hujus rei ſigna ſunt, oculi obnubilati, vertigo, febris, vomitus & aliquando Apoplexia. Tactu etiam percipies, pulſum more ſolito non penetrare, præſertim ſi circa tempora ſentias, nam ſanguinis circulatio in cerebro, oſſe depreſſo, quodammodo impeditur.

3. Cùm ſanguis extravaſatus corruptione ſua, niſi hoc impedias, hominem jugularet. Sanguinem jam eſſe corruptum vel corrumpi ſequentia ſigna indicant: Febris continua; caput aliis corporis partibus calidius, vigiliæ vel ſomnus implacidus, oculorum inflammatio, phantaſiæ, manuum politio. Sed corporum temperies hoc loco optimè eſt diſtinguenda: nam in Plethoricis, præter jam ſupra nominata ſigna, etiam reperies riſum, ſermones abſurdos, & rubrum totius faciei colorem: in Cholericis oculorum flavedinem & faciei, ardor acris, mania in Phlegmaticis accidentia ſunt minora, aliquando iis Apoplexia, & aliquando Paralyſis accidit Melancholici facilè percelluntur, flent, & ſtulè ſermocinantur.

Ubi igitur modiolus eſt neceſſarius, in tempore debet adhiberi, ne ſanguis putreſcens ubique moleſtiam creet: Perforatio igitur ſtatim poſt ſecundum, tertium aut quartum diem eſt inſtituenda.

Modus Perforationis hic eſt: Deraſis capillis cutis in formam crucis uſque ad pericranium, prudenter muſculos temporales & ſuturales cavendo, eſt incidenda, & pro hac vice vulnus obligandum, niſi ſanguinis profuſio, quæ Chirurgum aliquando diem unum atque alterum detinet, tam perpauca eſſet, ut ſimul etiam pericranium à ſubjecto cranio diduci poſſet. Poſt aliquot horas (cranio jam ab externis membranis denudato) obturentur ægri aures, & modiolum maſculum dictum ſumito, cujus cuſpis firmiter in cranio eſt collocandus, ſed tam procul à fiſſura ſive fractura, ne dentibus ſuis eam, multo minus ſuturam attingat; quanquam nonnulli ſuturas non magnopere vitent, & nos certiores reddant,

ſo

ſe eas [a] tam feliciter, quàm alios locos perforaſſe. Tum modiolum manu ſiniſtra fortiter teneto, eum dextra circumducendo, donec circulum mediocriter profundum incideris: poſtea Maſculus quieſcat, & fœmina laborem ſuſcipiat, eandem ut antea circumducendo: interim ſcobem auferto, & modioli ferramentum oleo intingito, ut magis lubricus circumagi poſſit, & ſubinde in aquam immittito, ne nimium calorem ob continuam circumductionem excitet. Sanguine jam reperto, ſignum eſt, te ad ſecundam tabulam penetraſſe, & tum lenius premendum, ne fortè modiolus incautè in meninges demergatur, & ab ipſo offendantur, unde ſæpiſſimè ſubita mors ſequitur: nam dura mater internè cranium inveſtit, uti pericranium externè: ſed tam firmiter ei non adhæret, quin caſu, ſive ictu facillimè à cranio ſeparari poſſit.

Ubi vacillare incipit oſſiculum, vectim inter crepidines inſerito, eaſque prorſus diſſolvito, & illud volſella eximito. Si poſt terebrationem fruſtulum quoddam oſſis, ſive eminentia aliqua cranio adhuc adhæreat, qua meninges pungi & lædi poſſent, illud *Lenticulari* auferto: & ut deinde ſanguis concretus & ſanies exire poſſint, dura mater inſtrumento decuſſorio eſt deprimenda Præterea non peccabis ſi ægrum mente adhuc ſana, naribus & ore clauſis, ſpiritum continere jubeas, quo cerebrum verſus cranium urgetur, & ſanguis concretus ſive corruptus ſua ſponte per aperturam ejicitur. Sed ægri hoc tam accuratè non peragunt, quin ſupra dicto Decuſſorio, ſpongiis & aliis indigeas. Inſtrumenta apud Ioh. And. à Cruce, Ambroſ. Paræum & alios reperiri & conſpici poſſunt. Vide etiam caput quartum hujus Chirurgiæ, ubi capitis fracturæ deſcribuntur.

CAP.

[a] Ego non ſemel hoc expertus ſum; nec eſt ſanè quòd multùm reformideris fibrillas è dura meninge per ſuturas projectas, nam præterquam quòd ſunt paucæ, ac propterea in parvo quod modiolus occupat ſpatio, ſæpe nullæ, quando adſunt facillimo negotio & ſine magna duræ meningis irritatione lacerantur aut excinduntur; non tamen inde concludendum hunc locum potiùs quàm alium eſſe ſeligendum, ſed tantùm neceſſitate ad id cogente non multùm exhorreſcendum.

Cap. XIX.

De Uſtione.

IAm ſatis ſectum, nunc parum urendum eſt: nam cum neque medicamenta neque ferrum auxilium præſtent, eò procedendum: quod æquè in duris quàm mollibus corporis partibus perficimus, ſemper tamen curantes, ut partium affectarum oræ plumaceolis defendantur, ne attingi poſſint. *Cauterium actuale* longè certiſſimum eſt, ſed ægrorum metu aliquando ad electionem Cauterii potentialis, quod acribus & cathæreticis conſtat medicamentis, impellimur. Sive hoc, ſive illo utaris, cave tibi prudenter, ne cruſtam obductam ſolo butyro ſive oleo oblinias, quod aliquando gangrænæ mater fuit, præſtat enim emplaſtrum diapalma, ſive lintea vino madida.

Cap. XX.

De Fonticulis.

FONTICULI *ſunt ulcuſcula ſecundum artem cauterio actuali, lanceola, forfice, aut medicamentis cathæreticis, in ſanis corporis partibus facta, ut per ea humores ſuperflui & corrupti evacuentur, morbi curentur, vel etiam anticipentur.*

Verùm ejuſmodi moleſti hoſpites rariſſimè invitantur, niſi alia remedia non ſatis efficacia reperiantur, & totum corpus bene purgatum ſit.

In quibuſcunque membris fonticulum excitaveris, cave tibi, ne principium, medium, aut finem muſculi eligas, ſed ſemper locum inter duos muſculos: Ut hoc perficias Anatomiæ ſcientia tibi eſt pernecеſſaria, niſi juxta exemplum maximè tolerabilium circumforaneorum, te experientia docuerat, obcæcatis oculis locum eligere. In *capite* in medio ſuturæ coronalis ſæpius ab aliis efficiuntur, quàm à noſtra gente: in Cervice multò minùs excitantur, quam quidem decet: Itali eum in tergo magno cum

emolumento collocant: aliis in locis non ſunt ſatis commodi, & admodum moleſti.

Modus quo fonticuli efficiuntur varius eſt. Si tibi placeat *cauterium potentiale*, ſume emplaſtrum glutinatorium, cujus medium habeat foramen ad piſi magnitudinem, illud ad locum electum applicato, & corroſivum imponito: tegumento quodam illud obtegito, & aliud emplaſtrum imponito: poſt duas, tres pluresvè horas emplaſtra auferto, & cruſtam ſi idoneam invenias, diapalmam ſumito, eaque ulcerationem bis de die donec cruſta deciderit, deligato.

Inciſio ſi magis tibi placeat, cutim tenacula, vel potius ipſis digitis præhendito, eamque forfice, vel ſi malis, lanceola incidito.

Si alterius cutim ferro adurere cupias, carnem excuſabis: & cave tibi ne muſculos attingas, imò ipſam cutim non ſemper perures.

Poſtquam eſchara deciderit, ulcerationem globulis ex lino carpto apertam conſervato, eos medicamentis detergentibus obliniendo; & hoc modo pergito, donec aptam ſatis cavitatem habeas, quam deinde globulo ex cera, ligno, ſive argento, vel etiam piſo tam diu apertam retinebis, quàm diu morbus illud requirat, & ægri vires permittant.

CAP.

His adjiciemus quod Clariſſ. THOMAS WILLIS habet.

De Fonticulis, ſive Fontanellis.

PRæter *Veſicatoria*, quæ ſeri, aliorumque humorum exteriùs deductalium Emiſſaria velut extemporanea, ſolummodo propter occaſiones quaſdam excitantur, & deinde poſt ἐνέργειαν ſuam parumper editam, ſiccari permittuntur; alia quædam habentur, quaſi fontes perennes, ac idcirco *Fonticuli*, ſive *Fontanella* dictæ, è quibus ichor, ſive humor ſeroſus, ſcaturigine conſtanti effluit. Priora iſtæc, ut plurimùm *curationis* gratia, in morbis acutis, aut aliis, quorum materies νοσερὴ ablationem citam exigit, requiſita, Affectus cauſam conjunctam imprimis tollendam reſpiciunt; atque idcircò latiora, ſed ſuperficialia tantum fiunt, ut talia cutis ulcuſcula ampliora, multùm evacuent, & dein facilè ſanentur. E contra autem Fontanellæ, *præſervationis* gratia potiſſimum indicata, ad morbi cauſam procatarcticam

ęticam aut amovendam aut ſuperandam deſtinantur; quapropter orificio anguſtiori, ſed & profundiori per totam cutis craſſitiem facto, conſtant, proinde ut cùm materiam morbificam uſque in minori copia emittunt, eam longiùs derivent, & diutius elutriare perſiſtant.

Circa Fontanellas, tria erunt præcipua hæc diſquiſitionum capita; ſc. primò quos potiſſimum humores emiſſaria iſtæc evacuant, ac undenam eos deducunt, ſecundò in quibus morbis, ac conſtitutionibus meliùs, aut minùs conveniunt: dein tertiò in quibus locis, ſub qua forma, & qualibus inſtrumentis perfici debent.

1. Quoad prius Fonticuli, pariter, ac veſicatoria humores quoſcunque intra cutim, minori licet ambitu defixos, aut per eam à vaſis tum ſanguiferis, tum nerveis traductos, elutriant; nec tantum ut illa ſuperficiem cutis exteriorem proritant, & quaſi emulgent, ſed corium totum perforando, quicquid è foraminis lateribus per vaſa abrupta exundat, quicquid etiam ſubtus foramen aliunde prolabitur, foras convehunt; Quare ad fonticulos confluunt non tantùm humores intra cutis poros, aut glandulas aggeſti, aut per arterias, & nervos illuc advecti; ſed inſuper recrementa ſeroſa ſubtus cutim, per muſculorum & membranarum interſtitia de loco in locum trãsferri aut prorepere ſolita, undequaque ad eos tendunt, & exitum inveniunt. Porrò humores morbificos ad partes alias priùs debiles, & diu afflictas deferri aſſuetos, fontanella in via conſtituta anticipat, adeoque ab aliorum incurſu partem modò hanc, modò illam liberat, & munimenti inſtar ab hoſte defendit. Hinc materies aut arthritica, aut nephritica, aut colica, imo interdum paralytica, aut aliàs ſcorbutica, inter tranſeundum è mineris ſuis ad nidos ſive locos νοσέρυς, per Fonticulos non rarò intercipitur; adeoque ſolitis morbi inſultibus evitatis foras convehitur: nec minus emiſſarium hoc, tanquam colliciæ ad derivandam uliginem excitatæ, humores cuilibet corporis parti, aut regioni impactos, ibidemque noxam facientes, inde ſenſim elutriant, adeoque diatheſin morbidam præcavent aut curant.

2. Ex variis hiſce juvandi rationibus, quibus fontanellæ in genere prodeſſe ſolent, facilè colligitur ad quos potiſſimum affectus requiruntur; nam licet nullus fere occurrat morbus cui hoc remedium aut noxium, aut inutile fit, attamen in quibuſdam caſibus plusquam aliis neceſſarium videtur. Ad ſingulos fere capitis morbos, tum externos tum internos, etiam vulgò præſcribitur; ad infantum ac puerorum motus convulſivos, ipſorum ophthalmiam, tumores ſtrumoſos, quinetiam ad adultorum, aut ſenum cephalalgias, affectus coma ώδεις, vertiginoſos, aut ſpaſmώδεις unuſquiſque vel è plebe Fontanellam, inſtar omnium habet. Nec minus contra morbos pectoris hoc remedium prædicatur. Ecquis tuſſi, ſputo cruento aut tabido, vel Orthopnœæ obnoxius, corio imperforato diu fruitur; Pariter etiam ad effectus imi ventris fonticuli commen-

commendantur. Nullus fere hypochondriacus, aut mulier hyſterica, nullus itidem Arthriticus, aut cacheƈticus, quin cutim multis in locis, plùs quàm murena perfoſſam habet. Immenſi operis eſſet, ægritudines omnes, ad quas fontanellæ juvamen conferunt, hic particulatim recenſere.

3. At vero hoc remedium utcumque ex ſe utile & benignum, non omnibus congruit, neque igitur quibuſvis indifferenter præſcribendum erit: nam duo ſunt hominum genera, qui tametſi ægrotarent, à fontanellis excuſari poſſunt, in quantum ſcilicet Emiſſarium hoc in quibuſdam evacuat nimis, inque aliis parum, aut minùs quàm oportuit, atque interea dolorificum valde ac intolerabile exiſtit.

Fontanella interdum non bene convenit, quoniam nimis evacuat, vel abſumit humorem, aut Spiritus. Etenim obſervavi in nonnullis, fontanellam in qualibet corporis parte excitatam, ichorem quantitate immodicum, & qualitate vitioſum profundere: ex illa nimirum crebra vice; ſi non continuè, latex aquoſus tenuis, ac fœtidus, piſum & integumenta ſæpe atredine inficiens in magna copia exudat, proindeque à nimio hujus effluxu vires ac carnes atteruntur.

Cujus ratio videtur eſſe, quòd in quibuſdam mala ſanguinis & humorum diatheſi præditis, ſolutio continui facta, & à ſanatione præpedita, brevi in ulcus fœtidum, & cacoethes degenerat; cujus latera fermenti acidi corruptivi naturam induunt, à quo ſcil. ſanguinis illuc continuè appulſi portiones inquinantur adeò & diſſolvuntur, ut ſerum ejus ſulphure ſoluto, aliiſque corruptelis imbutum, à venis repudiatum, copioſè illic foras exundet. Portò σηπανῶδες hoc Fontanellæ inquinamentum, ſanguini communicatum, totam ejus maſſam aliquatenus depravat, & exinde ſaltem [ſimulque ob nimium ſeroſi laticis impendium] minùs nutritium reddit: porrò à ſanguinis ſulphure juxta fontanellæ parietes ſoluto, & cum ſerô effluente, ichor emanans adeò fœtet & lintea denigrat. Fontanella quandoque ichorem haud immodicum profundens, ſpiritus, ac vires plùs debitò abſumit; quod equidem ab effeƈtu, & interdum non niſi à poſteriori dignoſcitur; in quantùm ſcil. nonnulli dum fonticulum unum, aut plures apertos gerunt, languidi & macilenti perſtant; iis verò occluſis, illico vegetiores ac magis toroſi evadunt. Porrò vulgaris obſervatio eſt, multos à fontanella propè caput excitata, ſubinde quoad viſum defeƈtu quodam, ac imbecillitate correptos fuiſſe; hinc ut eam propediem occludere cogerentur: quod ideo contingere videtur, quoniam ubi ſpirituum penus exilis, & conſiſtentia pertenuis eſt, parva horum, vel ſucci è quo procreantur, impendia, ſi modò ſunt conſtantia, ægrè feruntur.

Cæterùm alio, & quidem diverſo reſpeƈtu Fontanellæ, prout etiam veſicatoria, quibuſdam interdicuntur, aut cautè admodum præſcribuntur; quia ſcil. cùm parum aut minimùm evacuant, locum in quo excitantur, plurimum divexant. Nam quibus temperamento bilioſo, aut aliàs calidiori præditis, cruoris maſſa debito

debito craſſior, atque ſero minùs diluta, in compage ſtrictior exiſtit, in his ſolutione continui propter fonticulum facta, & reſervata, ſanguis ipſe [ſiquidem quò evadat, ſerum non ſatis exuit] in tranſitu hæret, proindèque extravaſatus, Phlogoſin valde dolorificam ciet; ac interea cum talis fontanella ichoris perexiguum profundit, inutilis æquè ac moleſta exiſtit. Fonticulorum operatione, ac uſibus, eorumque indicationibus nunc deſignatis, ultimò oſtendendum erit, in quo loco, ſub qua forma, & quibus inſtrumentis excudi, & quomodo tractari debent.

Fonticulorum loca conſtitui ſolent, ſecundùm medendi fines, ſive intentiones ab iis requiſitas; qui potiſſimum ſunt hi tres, ſcil. primò humorum è toto corpore generalis evacuatio, ſecundò evacuatio & ſimul à particulari quodam membro revulſio; tertiò evacuatio, & ſimul à membro particulari derivatio. Reſpectu prioris fontanellam in Brachio ſiniſtro incidi expedit; intentio ſecunda eam procul à parte affecta, & tertia fonticulum prope ipſam excitandum poſtulat.

Propter hos fines, ſcil. modò hunc, modò illum, vel iſtum, fonticuli in quibuſque corporis regionibus, viz. in capite, in pectore, ac abdomine, inque brachiis, ac cruribus, imo in pleriſque ſingulorum partibus, vel per inciſionem, vel cauterium, vel perforationem procudi, inque illorum foveis aut foraminibus, ut aperta ſerventur, piſa, vel pilulæ ligneæ, Turundæ, vel Teniolæ indi, ac aſſervari ſolent. Corporis noſtri partes, ac membra percurrendo, fonticulorum præcipua loca, ac genera notabimus.

1. Fonticulus in ſutura coronali, per cauterium inurendus à quibuſdam præſcribitur; ac ad humores è cerebro, & integumentis ejus exteriùs avocandos, evacuandoſque commendatur. Hoc quamvis nonnulli in familiari habent praxi, in pluribus tamen minùs feliciter ſucceſſiſſe comperi; adeò ut multos fonticulos ita in ſummitate capitis excitatos occludi præceperim; atque hoc non ſine ratione, æquè ac experientia edoctus; quippè ſanguis verſus locum, ubi recrementa ſua deponere aſſuefactus eſt, fæculentias plures transfert, eaſque in tota vicinia, ac potiſſimum in parte affecta (utpote debiliori & magis ſuſceptibili,) deponit; unde ſæpius morbum augeri potius, quam ſanari contingit. Propter eandem rationem, nempe ad humores à capite interiori ad extra derivandos, alii in Bregmate ſupra ſuturam ſagittalem, aliique in occipite circa initium lamboeidis fontanellas excudunt: verùm eadem contra hæc, ac priorem manet exceptio. Multò certè rectius materiam morbificam περὶ τὸν ἐγκέφαλον deponi ſolitam fonticulus in Brachio anticipat, in crure revellit, & paulo infra caput excitatus, eam inde derivat. Hinc ad graviores cerebri aut meningum affectus, infantibus, ac pueris, foveam nuchæ incidimus; adultis, ac ſenibus cauteria ex utroque ſpinæ latere, inter Homoplatas applicamus, ibidemque duas fontanellas plurium piſorum capaces, cum

magno

Prax. chir. 121



magno ſæpe commodo procudimis. Quoad foramina pone aures inciſa, vel inuſta, aut ſetaceum lobo ejus carneo trajectum, rariùs hæc emolumento, ſæpius verò moleſtiæ fuiſſe obſervavi; in quantum ſcil. ſolutio continui in his locis facta, ichorem nec multum nec diu profundit; etenim fovea, aut foramen, quamvis piſo, aut pilula oppleta, cuticula invitis omnibus ſuccreſcente obducetur.

Fontanellæ in dorſo non ſolum ad morbos capitis, materiam νοσερὰν evacuando, & derivando, ſed inſuper ad arthritin, nephritin, & colicam omnem, morbi fomitem anticipando; eamque dum ad nidos ſuos tendit, intercipiendo, egregiè conferunt. Quod equidem per experimenta, & obſervationes ab ægrotantium juvamine deſumtas, planè comprobatur.

Ad pectoris morbos fontanellæ inter homoplatas, item in brachio, aut crure, ad humores verſus pulmonem affluentes, evacuandos, aut anticipandos, etiam propter eoſdem illuc depoſitos avocandos, conducunt. Quomodo fonticulus in ipſo Thorace, inter coſtas inciſus, materiem tabificam à pulmone nonnunquam immediatiùs derivat, alibi oſtendimus.

Abdominis regio ad fonticulum, in ulla parte ſui geſtandum, inhabilis videtur. Attamen quorundam praxis, etſi rarior, ad affectionem quamque hypochondriacam, multum prædicata eſt, fonticulum amplum, & plurium piſorum capacem, ſupra Lienis regionem per cauterium inuri. Hoc in nonnullis ſine magno commodo, certè non quantum talis remedii moleſtiæ compenſandæ par eſt, factum novi.

Per Fontanellam in inguine, lumbaginem immanem, quibuſque aliis remediis obſtinatam; inque alio, affectionem Iſchiadicam inveteratam feliciter olim ſanavi. Enimvero emunctoria glanduloſa illic loci conſtituta, ſanguinis & liquoris nervei recrementa quamplurima imbibunt; quæ ſi ex illis, per emiſſarium idoneum protinùs & continuè amandentur, multum hoc conducet ad partes vicinas à minera quavis morbifica liberandas.

Femur, membrum mole amplum, fonticulis pluribus, & magnis, qui ſcil. è toto corpore humores copioſos elutrient, geſtandis ſatis idoneum videtur. Attamen non ita in multis ſuccedit; partim quia ob figuram ejus inſtar coni inverſi nimis declivem, deligatio piſum in foramine continens non apta inſtituitur; & partim quia ſolutio continui inter tendinum plurimorum concurſus facta, ſæpenumero inflammatoria, & dolorifica evadit; proinde ut neceſſe interdum fuerit fontanellam inibi excitatam, propter doloris & claudicationis moleſtiam tollendam, rurſus propediem occludi: attamen in quibuſdam ſecùs, ac meliùs habet, quia phlogoſis non ſemper loco perforato ſupervenit; & caligas ſupra genu ſtringere ſolitis, deligatio eidem adhibita, immota perſtat.

Porrò circa fontanellam, non tantùm in corpore, ſed inſuper in mem-

bro cui incuditur, locum idoneum deligere oportebit; quod imprimis Medici aut Chirurgi periti judicium exigit; etenim ſedulo cavendum erit, ne ſupra, aut nimis propè tendines aut vaſa majora, cauterium aut Inciſio adhibeatur; cæterùm non in ipſo corpore muſculi, ſed in ſpatio, ſive interſtitio inter muſculos fonticulus excitetur; ubi foramen totam cutim, ac uti *Ioannes Heurnius* doctè obſervat, *euſque ulterius pervadere debet, donec muſculi ſubjecti membranula exeditur.*

Quapropter hæc ἐγχείρησις haud temerè Agyrtis, aliiſque Anatomiæ ignaris committenda eſt; quoniam ab hac malè peracta, non tantùm boni ominis fruſtratio, ſed exinde magna ſæpe incommoda, imò interdum uſque ad vitæ periculum eveniunt.

Non eſt pro fonticulis excitandis, ut cauterium præparandi, & componendi modos, aut inſtrumenti inciſorii figuram, & uſus, utpote quibuſvis è plebe notiſſima, hic deſcribere ſatagam. Attamen quo ritu ſymptomata, quæ emiſſariis iſtis, poſtquam excuduntur, accidunt, eorumque energeias impediunt, aut pervertunt, tractare oporteat, non abs re erit hic nonnihil diſſerere.

Cùm plures & diverſimodi affectus fontanellis contingunt, non ad eos omnes, ſed tantùm qui majoris ſunt momenti, medela requiritur. Hac itaque imprimis opus erit, ſi quando parti aut loco ubi extat, inflammatio ſupervenit. 2. Si foramen debitò plus, aut minus ichoris profundit. 3. Si ulcus ſponte exiccari, & ſubinde cuticula obduci: vel ſi illud carne ſpongioſa, circa labia ſuccreſcente luxuriare aptum fuerit. Quoad minora vitia, uti cùm ulcus in hæmorrhagias crebras erumpat: vel ſi locum mutans, in alium minus commodum irrepſerit, cum multis aliis quibus prævaricari ſolet, non operæ pretium erit hic advertere.

1. Inflammatio fontanellæ frequenter accidit, eaque tam gravis interdum, ut ſphacelum minetur, imò & nonnunquam inferat. Talis autem affectus aut foramini recens excuſo ſupervenit, vel poſtea ob ſanguinem, & humores occaſionaliter commotos, & ἀφεῖως ad focum iſtum irruentes contingit.

Cum fontanella primò excitatur, propediem ob continui ſolutionem, & conſequenter, ob ſanguinis in eo loco circuitum aliquatenus præpeditum, Phlogoſis quædam, & moleſtia ulceroſa quibuſcumque eveniunt. In aliquibus verò ſanguine præfervido, ſeroque minus diluto prædictis, hæc multo immanior ſuccedit. Enimvero ſanguis per arterias illuc oblatus, ſiquidem abſciſſis, ſimulque occluſis vaſorum finibus, nec foras exire, nec per venas ſtatim regeri poſſit, ibidem in tranſitu hærens, magis uſque ac magis aggeritur, & demum extravaſatus, atque cutis & carnis vicinæ poros omnes inferciens, ac implens, tumorem cum rubore ac calore intenſis excitat, quo facto, aut ſanguis ita aggeſtus, & extravaſatus, brevi ob conſtipatio-

nem

nem ſit immobilis, proindeque à reliqua ejus maſſa quaſi abſciſſus extinguitur, & necroſin paſſus, parti ſphacelum inducit: Vel ſecundò cruor ita ſtagnans, quoad particulas ſuas quadantenus agitatur, ac flamma uſque vitali potitus, ab eadem intenſiori facta, velut excoquitur, adeoque in pus abſceſſu evacuandum mutatur: Vel tertiò, quod ſæpius accidit, & in noſtro caſu ſemper procurari debet, ſanguis Phlogoſin acciens, in vaſa reducitur, & circulationi per alios, in quos urgetur ductus reſtituitur.

Verùm ut reducatur iſte, hæc duo erunt neceſſariò requiſita, ſcil. primò ut ſero illuc ubertim affluente, ſeu potius in partem protruſo, multùm diluatur; dein ſecundò ut vaſa ponè tumorem inanita cruorem à ſero dilutum, & repercuſſum abſorbeant; etenim ſanguis verſus tumorem compulſus, cùm non ultra progredi, tamen ut mole diminutus regredi queat, ſerum à ſe copioſè amandat, inque loca obſtructa propellit; quod cruorem ſtagnantem ſubiens, eum diluit, inque loca ejus ſuccedens, eum retrò in vaſorum ductus adigit, illudque interea ſerum prorſum tendens per poros exhalat, adeoque ſanguine, qui extravaſabatur, per ſerum diluto, & remandato, ipſoque ſero evaporato, tumor cum Phlogoſi ſenſim evaneſcit. At verò ſi [prout in temperamentis calidioribus ſæpe aſſolet] cruor extravaſatus, poriſque impactus, ſero copioſius appellente, non diluitur, haud tantum illic pertinaciter hærebit, ſed Phlogoſin immaniorem, cum febre, aliiſque horrendis interdum ſymptomatis acciebit. Non ita pridem, cùm Theologus inſignis ſanguine craſſiori & calido præditus, fontanellam in tibia interiori inciſam habuerat, etſi cutis tantummodo ſecaretur, inflammatio brevi inſequuta eſt, quæ intra paucos dies eò atrociter accrevit, ut vix remediorum quorumcunque uſu, ne in Gangrænam cederet, impediri potuerit. Quapropter cùm ſanguis, ob ſolutionem continui extravaſatus, atque ſeri, quo diluatur & reducatur affluxu carens, in Phlogoſin immaniorem tendit, Fotus & Cataplaſmata ex emollientibus exteriùs adhibita, ſæpe multum juvant; in quantùm ſcil. particulæ humidæ, & lenes ab his deciduę, cruorem ſtagnantem ſubeunt, ac diluunt adeoque blande commoventes in vaſa faciliùs redire faciunt; hinc ut ejuſmodi applicationes humidę exteriùs habitæ, ſeri interni ad cruorem diluendum requiſiti defectum impleant: attamen ut ſanguis ita dilutus, ac in motum accitus, circulationi reddatur, inſuper opus eſt vaſa eum exceptura ſatis inaniri, in quem finem præter victum tenuem, Phlebotomia & catharſis ſæpè neceſſarii ſunt uſus. Et quidem ex more ſolenni cacochymicos, & plethoricos paulò ante, vel poſtquam fontanella excuditur, purgamus, & non rarò iis ſanguinem detrahimus. Nec tantum in fontanella recenti, hæc remedia propter inflammationem præcavendam aut tollendam conveniunt, ſed etiam utilia ſunt, quoties affectus iſte foramini

cutis antiquo ſuperveniet. Si quando enim ſanguis valde impurus, ſimulque febriliter effervescens turgeſcentiam ἐκκειτικὴν inibit, ſæpè accidit eum recrementa, & fæculentias ſuas aliàs expurgari inhabiles, circa fontanellam exuere, ibidemque ab iis aggeſtis in circuitu præpeditum extravaſari, proindeque Phlogoſin immanem acciere. Nuper talis affectio in ſene perilluſtri contingens ac ab initio neglecta, brevi in Gangrænam ceſſit; ex qua tamen remediorum appropriatorum, tum intrà, tum extus ſedulò adhibitorum, ope, non ſine magno vitæ diſcrimine evaſit. Circa inflammationis, uti & Apoſtematis & ſphaceli Ætiologias, & remedia, poſt hæc forſan aliquando, de morbis cutaneis agentes, fuſiùs dicemus. In præſenti alia fonticulorum ſymptomata perpendemus.

Si quando igitur fontanella ichorem nimium, qui plerumque tenuis, & valde fœtidus, & nonnunquam diſcolor eſt profundat, ita ut tam vaſta humoris impendia, ſimulque graveolentia, vix tolerabilia medelam exigant; in tali caſu duæ erunt præcipuè intentiones therapeuticæ, ſc. primò ut ſanguinis mixtio, ne compages ejus in diſſolutionem, & effluxum ſeroſum nimis apta foret, corroboretur: & ſecundò ut loci per fontanellam ulcerati tonus præſervetur, ac à fermento quovis putredinali vindicetur; adeò ut nullum miaſma ibi reconditum ſanguini inter circulandum pertranſeunti inquinamentum impertiat, à quo venenatus iſte in partes illico ſecedat, ſerumque illic copioſius exuere cogatur.

Prior iſte medendi ſcopus, vix quidquam præter chatarſin ex intervallis moderatam, & rectam victus rationem præcipit; nempè ut ab omni crapula, & immoderatione, quoad alimenti copiam, qualitatem, & aſſumendi tempora; item ſpecialius ut à vini tenuioris, pomacei, aliorumque liquorum acidorum, quibus ſanguis fundi, ac in effluxus ſeroſos cogi ſolet, temperetur. Enimverò taliter affecti quemvis in victu errorem & inordinationem, moleſtia ſubinde circa fonticulum excitata, certiſſimè luunt.

Propter loci ubi fontanella excitatur tonum ritè præſervandum, & à putredine quavis vindicandum, imprimis ſedula detur opera, ut ſorditie omni vitata, tum ſolida foramini indenda, tum integumenta, ſive ea ſint emplaſtra, vel hederæ folia, vel pannus vernice obductus, bis in die mutentur; nam in nonnullis quodlibet ex his citò fœtorem contrahit, & illico fontanellæ ulcus putere facit. Quòd ſi hoc in putredinem tendit, ſtatim loco piſi, aut pilulæ ligneæ, indatur pilula ex cera virginiana, cum ſantalo rubro & viridi æris incorporatis, inſuper & fotus ex decocto hyperici, millefolii, Centaurio, &c. veſperi & manè adhibeatur.

3 Interdum accidit fontanellam, quaſi fontem aridum, parum aut nihil humoris effundere: cujus ratio ſolet eſſe, vel quia foramen nimis profundum cutim haud totam penetrat, quod facilè ipſum altiùs infigendo

gendo curatur; vel ulcus, licet cavum ſatis, ac amplum, uſque tamen exiguum manet, qui ſerum è maſſa ſanguinea, propter compagem hujus minùs ſtrictam, non facilè nec copiosè abſcedit; & tunc unicum remedium eſt, ſolida, quæ magis irritent, & vaſorum ora inſigniter vellicent, intra foramen geſtare: in quem finem pilulæ ex ligno hederæ, aut buxo, vel ex radicibus gentianæ, aut hermodactylorum parantur, & ſæpè cum fructu adhibentur.

(4) Sæpe accidit fonticuli foramen nimis breve, & ichorem parcè exudans, cuticula cum piſo incluſo intus obduci, & cum fovea ſanari; cui vitio remedium idoneum vix adhiberi poteſt. Quare fontanellam iſtam (potiùs quàm in corium uſque incaſſum deſævire) præſtat occludere, aut in alium locum transferre.

5. Fonticuli ulcus ad ſanationem tendens, & ab ea prohibitum, ſæpiſſimè circa labia, & quandoque in cavitate carnem ſpongioſam accreſcentem habet. Cujus ratio eſt, quòd liquor nutritius ad arteriarum & fibrarum nervearum fines delatus, & ab ichore ſeroſo non ſtatim ablutus, ibidem hæret; & aſſimilari incipiens, utraque hæc vaſa ad cavitatem carne implendam protendit, inque hæc carnis rudimenta & ſanguis & ſpiritus animales copiosè fluunt; atque ſanguis interea illuc advectus, pro reditu ſuo intra molem iſtam propagines venoſas procudit: attamen caro iſthæc adhuc rudis & informis, quoad maximam partem à foramine excluſa, ſupra marginem accreſcit; cumque adeò altiùs aſſurgit, quàm ut cute & cuticula de novo obduci & tegi queat, nuda uſque ac ſpongioſa manet. Excreſcentia hæc ſatis facilè, ſc. pulveres eſcharoticos, ex alumine uſto colchotare, aut mercurio præcipitato inſpergendo curatur; hujuſmodi enim pharmaca, acrimonia ſimul ac ſtipticitate carnem ita luxuriantem exedunt, humorem nutritium repellunt, atque ora vaſorum obſerant. Quando circa fontanellæ marginem caro iſta ſuperflua continuò, ac multum accreſcit, indicio eſt illuc humorem nutritium, uberiùs quàm excrementitium profluere; proindeque in taliter affectis, emiſſarium iſtud non uſque adeò beneficum fore. Quare ſub hujus rationis prætextu multi remedium iſtud [plerisque certè innocuum, etſi non omnibus pariter utile ac commodum] valde averſantur. Præcipua ejus incommoda, item quæ objiciuntur ſcandala ſupra expendimus; reſtat tamen quoddam aliud juxta vulgi ſententiam, ſeu potius errorem, contra fontanellas notabilis objectio, quam hic coronidis loco nunc ultimò diſcutiemus.

Apud plures hic in Anglia (neſcio an ita in aliis regionibus] opinio nunc pervicax increbuit, fonticulum ſive unum, ſive plures, ad ſterilitatem diſponere. Quapropter fœminis quibuſque maritatis, & ſobolem expetentibus, hoc remedii genus, utcunque aliàs ad ſanitatem conducibile, religioſe interdicitur: cujus tamen interdicti ratio adhuc nulla profertur, ſed tantùm hiſtoriæ mulierum quarundam cum fonticulis ſterilium citantur;

Cap. XXI.

De Setaceo.

SETACEUM fonticulo multò incommodius habetur, ſed majus etiam emolumentum præſtat, & ubi bini fonticuli nullam opem tulere, ibi unicum *Setaceum* aliquando totum malum abſtulit.

In brachiis, pedibus & aliis in locis quamplurimis excitari poſſet, ſed in Nucha inter primam & ſecundam, vel inter hanc & tertiam, imò & quartam vertebram hic ſolummodo, ſed rarò nimis admittitur.

Chirurgia hæc tribus inſtrumentis peragitur, Forcipe, Acu & Setone. Forceps duo habeat foramina, Acus circa cuſpidem triangularis ſit, paulo tenuior quàm forcipis foramina, & filum ſericum craſſitudinem craſſiſſimæ partis acus habeat. Ægri cutis forcipe præhenditur, quę aſtricta ſenſum amittit, & ſubitò acus bene rubens & candida traducatur, & ligula, quam antea capitello ærato coaptare oportet, in acu inflictis foraminibus hæreat. Primo die ad dolorem mitigandum linteum imponito, aqua roſarum & albumine ovi madefactum. Deinde idoneis medicamentis operam dato, ut digeſtionem habeas, ubi eam nactus fueris, ſingulis diebus à ſiniſtra ad dextram, vel à dextra ad ſiniſtram partem trahito, quod tam diu peragendum, donec ligula extra ulcerationem purulenta appareat. Hoc modo hæc operatio ad finem perducitur, & patiens hæc ulcera tam diu aperta conſervet, quàm neceſſitas vel ipſe deſideret.

Hoc modo nonnulli veterum ſcriptorum & hodiernorum Chirurgorum Setaceum excitari cupiunt, ſed multò minori cum dolore & moleſtia operatio hæc perfici poteſt, cum miniſter aliquis cutim

tantur; cùm æquè facilè eſſet plures ſine fonticulis pariter ſteriles: cumque illis multas alias prolificas recenſere, & quidem hunc potiſſimum elenchum contra opinionem iſtam (cùm redargutione alia non opus ſit) retorquere ſoleo.

a Si

cutim infra, duobus digitis, & Chirurgus ſiniſtra manu cutim cervicis ad ſuperiora trahat, & dextra manu bene acuminatam acum certiſſimè tranſadigat. Non opus eſt ut acus ſit candens: præterea etiam præſtat loco chordæ ſericæ craſſorum filorum congeriem, cera illitam adhibere, quæ chordæ magnitudinem efficit.

Cap. XXII.

De Globulorum extractione.

NUnc pergimus ad tertiam Chirurgiæ partem, *Exæreſin* dictam, quæ illa aufert quæ naturæ noxia & ſuperflua ſunt: quæ duorum generum reperiuntur; nam quædam intus in corpore noſtro ſua ſponte gignuntur, & quædam aliunde, id eſt forinſecus adveniunt.

De iis quæ ultimò nominavimus incipiemus, & loquemur de *globulis plumbeis*, quæ à corpore ſunt extrahendi: illud autem factu non admodum eſt difficile, cùm conſideremus & diligenter inveſtigemus, an globulus vulneri, an verò parti ad quam penetravit vicinior ſit. Illi ſi ſit vicinior, idoneo ad hanc rem forcipe extrahatur, ſi autem huic ſit vicinior, cutim & muſculos ad globulum uſque incides, & eum ita eximere ſtudebis. Eum ſi ſtilo immiſſo non reperias, æger in latus affectum & tali figura decumbat, ut globulus ſua gravitate ad vulnus redeat, & ita auferri queat. Hoc ſi proſpere non ſuccedat, vulnus conſolidabis, & donec globulus ſe tandem aliquando ſua ſponte circa cutim prodat, exſpectabis. [a]

[a] Si globulus oſſi impactus fuerit, quàm commodiſſimè fieri poterit, elevatorii apice in ipſum defixa extrahetur. Quòd ſi tam citò avelli nequeat, relinquendus eſt per aliquot dies, ſic enim per carnium ſuppurationem foramen grandius fiet, & os globulum minus arctè conſtringet; Neceſſarium interea fuerit illum ſingulis diebus movere; & ſi fortè nimis adhęreat extremum remedium in variarum oſſis partium terebratione per trepanum pyramidalem, poſitum erit, ut ſic elevatorium intromitti poſſit quo & blandè concutiatur & extrahatur; Si verò globulus parvus ſit atque medio tibiæ oſſi, aut coſtæ, aut ſterno, aut cuipiam

piam è cranii oſſibus, defixus, terebrandum foret prædictum os, trepano ſic poſito ut ipſius cavitatis medium globulus occupet, ut ſic unà cum oſſis fruſtulo auferatur. Quòd ſi globulus articulationis cujuſpiam v. g. tibiæ cum femore, medium penetret, quàm blandè fieri poterit, ab una parte femur ab alia tibia trahetur, ut ſic ligamenta & tendines qui articulationem conſtringunt dilatentur; ſic ſpatium inter oſſa fit laxius, itaut parvo adhibito forcipe cujus extrema in cochlearis formam ſint excavata, facilè apprehendatur & extrahatur; ſed ſi metus ſit ne ſic nimius procreetur dolor, curandum genu flectatur, ſic enim oſſa magis ad invicem accedentia, globulum & comprimunt & ad extra propellunt, unde ſimplici facta inciſione facilè excutitur. Verùm ſi globulus vi ſua os quaſi contriverit & in plures particulas diſcerpſerit, interque illas vel permanſerit, vel ulteriùs progreſſus ponè ipſas tantùm conſtiterit, tutiſſimum fuerit vulnus dilatare quantùm pars affecta permiſerit, ſive per ſui ingreſſum, ſive per exitum, ſi adfuerit; eodemque momento adhibitis digitis, vel alio inſtrumento apto exquirendæ veniunt particulæ oſſis à ſuo toto ſeparatæ, eademque via globulus, ſi in vulnere remanſerit, ut omnia, quàm blandè fieri poterit, eximantur; & ſi grandiores aliquæ reperiantur ſchidiæ, quæ aut toti ſuo, aut perioſtio, aut ligamentis adhæreant, vi non ſunt eximendæ, ne ſic magnus dolor & etiam convulſio accerſatur, è contra oportet eas toti ſuo reaptare; ſæpius enim natura eas foràs eliminat ſine ullo dolore, in ipſo ſuppurationis negotio, aut per ſe ſeparantur, dum novæ excreſcunt carnes quæ ipſas ad exteriora propellunt, aut in ſubſequentibus, parti readunantur, eique ſuſtinendæ inſerviunt.

De extractione globuli plumbei per ſex annos circa linguam hærentis, & loquelam gravem facientis hiſtoriam ſcribit Celeb. Jobus à Meek'ren quam hic legere commodum fuerit.

Operatio eſt chirurgica & antiqua, & nota, balbutientium linguam ponderum appropriatorum ope deprimere, quo tardius loqui adſueſcant.

Actio contraria nobis in noſocomio noſtro obvenit. *Franciſcus Wouters*, miles, antè ſexennium globulum ſclopetarium linguâ receperat, vulnere à nucha ad locum dictum penetrante, unde gravis ipſi adeò loquela, ut non niſi longo tempore ſententiam aliquam proferre valeret.

Hujus (ſiquidem poſſibile) quo curatio inſtitueretur, præmiſsâ *purgatione* commodâ *venæ ſectioneque* inſtitutâ largiore, ſiniſtrâ manu, linteo munita (quo firmior certiorque apprehenſio) linguam apprehendimus, mox eo loco ubi globulus hærebat, dextrâ ſcil. linguæ parte, eâque ad poſtica vergente ſectionem inſtituimus, foramine facto, cyſtique, cui incluſus globulus, diſſectâ, beneficio inſtrumenti incurvati, commodi, ſenſim globum extraximus.

Sanguinis ad fluxum cohibendum, vulneriſque ad mundificationem collutio hæc præſcripta.

Cap. XXIII.

De Fœtus mortui ex corpore materno, ut & Secundinæ extractione.

VT partus naturaliter & optime procedat, fœtum toto geſtationis tempore brachia & pedes contractos convolutoſque habere neceſſe eſt. Caput verſus inferiora, facies verò ad matris dorſum converſa eſſe, & totus fœtus non per uteri longitudinem, ſed eò uſque tranſversè jacere debet, donec ampliorem locum exigens, exitum quærat, quod aliquando ſeptimo menſe, aliquando octavo, ſed plerumque nono contingere ſolet. Tum caput infantis

℞. *Fol. Plantaginis.*
Agrimoniæ.
Violar.
Acetoſæ an. M. j.
Flor. Roſar. rubr. M. ß.
Balauſt. ʒij.
Nuc. Gallar. ʒß.
Coquantur in Aq. hord.
Colat. ℥v. *adde.*
Mell. Roſ. ℥ j.
Ol. Vitriol. g. iv. M.

Collutione inſtitutâ *linctus* hic uſurpatus.

℞. *Syr. de Symph. Fernel.* ℥ j.
Violar.
Mell. Roſar. an. ℥ß.
M. f. Linctus.

Et horum ſolo uſu ſex ſeptemvè dierum ſpatio integrè æger hic curatus, debitaque gratiarum actione habitâ, diſceſſit.

ad uteri orificium deſcendit, & membra antea contracta, & quaſi conglobata expandit, & ita membranæ, quibus toto geſtationis curſu erat incluſus, diſrumpuntur; & aqua profluit, quæ partes genitales lubricas, & hoc modo partum faciliorem reddunt.

Si unum ex hiſce requiſitis deſit, tum horum quatuor hoc contingit. 1. Vel & mater & fœtus, etiamſi vivant, nulla tamen ſequitur excluſio. 2. Vel infans extinguitur & mater vivit. 3. Vel fœtus vivit, & mater extinguitur. 4. Vel mater & infans moriuntur.

Causæ partum impedientes hæ ſunt.

1. Cùm parturiendi conatus vel nulli, vel nimis ſint debiles.

2. Cùm mater ita ſit debilitata, ut parturiendi conatus premendo tranſmittere non poſſit.

3. Cùm infans robuſtus & magnus, contra vero mater parva &

tenera ſit : vel cum viæ tam valde ſint anguſtæ , ut infans per illas exire nequeat.

4. Cùm duo pluresve fœtus in utero contenti , eodem tempore exitum quærant.

5. Cùm infans non ſit ſitus in jam commemorata ſuperius figura , ſed tranſversè , vel alio quovis modo.

6. Cùm infantis caput , matre jam parturiente , ſupra oſſa pubis anteriora prolabatur , quod profectò ſcriptores omnes quos novi non obſervarunt , neque etiam maxima pars noſtrarum obſtetricum. Hæc res profectò animadverſione non eſt indigna ; nam quanto fortiores ſint parturiendi conatus , & quanto magis adlaboret , quanto minus partum ſit productura , niſi infantis caput ſurſum verſus atque ad matris dorſum , & tandem ad inferiora , vel ad latus oſſis pubis obſtetricis manu dirigatur.

7. Cùm infans ſua debilitate nihil ad excluſionem conferre poſſit , quod alioquin ſani & robuſti conſuevere.

8. Cùm fœtus jam ſit mortuus.

9. Cùm os coccygis non ſatis ad poſteriora recedat : nam oſſa pubis non niſi in partu graviſſimo , & tunc quidem rariſſimè à ſe invicem ſecedunt.

SIGNA *fœtus mortui.* Mater motum infantis non amplius percipit , etiamſi hauſtus corroborantes adhibeat. Sed ut hoc in caſu , cùm infans quaſi defatigatus ſe parum moveat , multo certius ſignum habeas , medulla panis vino malvatico irrorata matris umbilico imponenda , & levior in pede venæ ſectio inſtituenda , hiſce peractis , ſi infantis motus non ſequatur , malum ſignum eſt. Mater quando ſe de latere in latus convertit , fœtum ex una parte in alteram inſtar lapidis magni ponderis dilabi percipit ; facies & imprimis labia pallent , manus pedeſque , ut & regio uterina ventris valde frigent : Mammæ flacceſcere incipiunt , anhelitus fit fœtidus , hiſce cordis anxietas & deliquia , capitiſque dolores accedunt : totus inflammatur ſanguis : fœces tenues , peſſimo colore & odore præditæ : ſi etiam ante fœtum ſecundina excludatur , fœtum diu ſupervivere poſſe impoſſibile eſt. Omnium certiſſimum ſignum eſt , ſi membrana capitis fœtus , jam in ipſo excluſionis punctò verſantis , haud

haud amplius tenſa obſervetur; nam quamdiu tenſa maneat, tamdiu etiam vita fruitur.

PROGNOSIS. Quanto diutius fœtus mortuus in corpore materno maneat, tanto etiam majori periculo fœtans objecta eſt. Si febris non ſit magna, non eſt quod alia ſymptomata, etiamſi horrenda, extimeſcas, nam mulieres graviſſima paſſæ, ſæpe numero reſtitutæ fuere: verum hac de cauſa noli minorem adhibere curam, nam omnia in hoc caſu periculi plena ſunt.

CURATIO. Medicamenta, laboreſque & matris & obſtetricis, quòd ſi nihil effecerint, chirurgiæ negotium committendum, niſi gravida valde debilis, vel fœtus jam per aliquot dies demortuus fuerit, quo in caſu & famam & operam perderes.

Diligenter adeoque primo diſcernendum quænam cauſarum partum impediat. Major ſi ſit fœtus, & via anguſtior, dilatatio hujus fiat; hanc obſtetrices nonnullæ inſtrumentis commodis perficiunt, ſicque vivum fœtum extrahunt, quibus deficientibus, Obſtetrix manum in pugnum arctiſſime contractam, in ipſam vulvam uſque ad uteri orificium inſerat; & deinde digitos ſucceſſive, per orificium, in uteri interiora, quo in ſtatu conſtitutus fœtus explorandi gratia, intromittat. Hic quòd ſi brachium aut pedem illegitime collocatum reperiat, leniter ſurſum adigat, caput [a] verò deorſum, quod

[a] Non ita commodum eſt caput infantis partui vicini, ſed in malo ſitu collocati, deorſum adigere, ut utraque poſtea manu extrahatur, præſtat ſanè remotis partibus ſuperioribus pedes exquirere, per eoſque extractionem moliri, nam ſic liberior manibus operatoris aperitur via; aliquando revera ille ſitus ita moleſtus eſt, ut quæcunque demum adhibeatur vis, inverſio ad pedes ſit prorſus impoſſibilis; cujus caſum ſatis rarum nuper nobis videre contigit in muliere Neocomenſi quæ partus doloribus diu vexata, opem meam imploravit, acerſito Domino Jona Anton. Pury Chirurgo experientiſſimo, ille omni niſu caput ad os pubis per mentum allidens atque quaſi impactum & brachia foris pendula ad ſuperiora rejicere, aut alia ratione parturienti auxilio eſſe per plures horas, quamvis ſumma cum dexteritate, in caſſum tentavit; hancque tandem pro deplorata relinquentes de ea prorſus conclamatum credidimus; ſed aliàs ſe res habuit, nam natura, efficacia ſalis cujuſdam volatilis amari & aromatici

meæ compoſitionis, quem ægræ ad guttas aliquot vino admiſtum aliquoties propinavi, maximis conatibus fœtum per pectus duplicatum tanto cum impetu excuſſit, ut coſtæ extra ſitum diſſilirent, & vertebræ dorſi præ compreſſione quam ab occipite patiebantur intus non parum adigerentur, & propè diſtumperentur; vixit tamen poſtea mulier ſine ulla vel colli uteri, vel pudendorum laceratione, atque integræ ſanitati reſtituta, hodie laboribus ſibi ordinariis non minus quam antea inſudat.

quod ubi orificio proximum, alteram quoque manum, ſi poſſibile, per pudendum in uterum immittat, quo ſic utraque fœtum amplecti & extrahere queat. Hoc ſi impoſſibile ſit, hamo, ori, oculo, aut auri fœtus, firmiter (cavendum enim ne recedat, & uteri interiora lædat) inſerto, fœtum leniter educat. Et ſic ſequi ſi recuſet fœtus, hamo alio, exterius lævi, intus acuto, Ventrem, Thoracem aut Caput fœtus diſſecet: brachium vero, aut pedem, ſi ad exteriora diducere liceat, exſtirpet, ſicque tandem membris variis ablatis, reliquum extrahat & operationem ad optatum finem perducat. Verùm ſi neque hoc modo liberetur gravida, cultello forti atque acuto membra ordine amputentur, ſicque per partes fœtus educatur, neceſſe eſt, ſed hoc efficere nullius eſt, niſi Anatomici expertiſſimi.

Secundina fœtum illico ſequatur, nullius enim, illo excluſo, uſus eſt. Imò mox à partu arctè admodum os uteri clauditur, ut non niſi ſummo cum labore in eum inſerere manum liceat. Obſtetricis adeoque eſt primo ſtatim tempore eam extrahere, digitiſque, ſi utero arctius adhæſerit, leniter ſeparare, nam vi ſi eam avulſerit, patiens ſine ullo dubio peribit. [b] Et quamvis ſcriptorum varii,

[b] Perquam accuratè adnotat Franciſcus Mauriceau in ſuo elaboratiſſimo gallico tractatu de morbis mulierum prægnantium & parturientium, multò ſatius eſſe ipſa manu ſecundinas extrahere, quàm remediis intus adhibitis eas expellere; nam quandoquidem ea omnia quæ in id aſſumuntur ſunt intenſioris caloris, febri efformandæ non parum faciunt, & ſæpiſſimè enormes hæmorrhagias, alvi fluxus, uteri aut inflammationes, aut relaxationes, aut prolapſus, producunt, unde multo plus imminet periculi quàm à Chirurgi dextre è operantis manu.

De

varii, obſtetriceſque communioris ſortis, parvi æſtiment ſecundinam utero adhærentem non ſtatim poſt partum prodire, fundamento tamen valido me inſiſtere cenſeo, ſi inter ſymptomata puerperii ex graviſſimis eam habuero. [c]

[c] De molarum extractione nihil habet Autor, cujus tamen hiſtoriæ multæ apud Practicos exſtant, duæque rariores in Bibliothecæ noſtræ Anatom. Vol. 1. pag. 474. reperiuntur; in harum altera mola veſicularis ſeu hydatodes ſolo naturæ niſu ejecta, in alia verò mola oſteo-carnea inter uteri membranas firmiter impacta, ibidemque inflammationem & gangrænam, quam poſt varia ſymptomata, mors ſubſequebatur, deſcribuntur. Extractionem molæ quod ſpectat manu neceſſariò perficiendam propter ſui adhæſionem aliaſvè cauſas, ea ſic peragitur. Muliere eodem in ſitu collocata qui prò fœtus mortui extractione quàm maximè conveniens eſt, Chirurgus manum in uterum introducet, ſi ſatis fuerit dilatatus, molamque foras extrahet; quòd ſi tam magna fuerit, ut integra commodè exire nequeat, (quod tamen rarum eſt, quandoquidem illa eſt corpus molle viis ſe faciliùs accommodans quàm ipſe fœtus) adhibebitur hamus, aut cultellus, pro ea vel extrahenda, vel in duas pluresvè particulas, prout id neceſſitas exegerit, diſpeſcenda. Si Chirurgus eam utero adhærere agnoſcat, ſeparationem apice digitorum quàm blandè fieri poterit inſtituet, eos per illud latus quò minus utero adhæret ſenſim inſinuando, eademque ratione pergendo, donec tota ſit ſeparata, advertendo interim, ne aliquid ſubſtantię ipſius uteri vel lædatur, vel laceretur. Raram molæ remediis excuſſæ habet hiſtoriam Clariſſ. Isbrand. de Diemerbroeck. Obſervat. & Curation. Medic. 16. quæ quæ eſt. Uxor Gerardi Antonii, Sartoris, menſe Majo puerpera erat, & jam tertio à puerperio die lotium non reddiderat, unde vehementer angebatur, adeoque debilis erat, ut vix ampliùs loqui poſſet. Obſtetrix partum ſatis feliciter ſucceſſiſſe, ſed ſtatim poſt eundem lochia ſuppreſſa fuiſſe, atque in puerperæ ventre inferiore ab altero latere, adhuc aliquid duri latere & ſentiri referebat. Hinc judicavi vel alterum fœtum, vel molam, vel ſimile quid adhuc intus remanſiſſe, quod os uteri & veſicæ comprimeret. Ad mali curationem ut lochia & urina ſimul provocarentur, hoc apozema præſcripſi.

℞. Rad. petroſ. oſtrut. valer. eryng. ononid. āā ℥ß. ariſtoloch. rot. glycirr. raſ. āā ʒij. fol. ribeſii nigri, artem. puleg. naſturt. aq. āā M. j. Sabin. flor. chamom. āā M. ß. Vini albi q. ſ. coq. ſ. a. fiatque apozema ad ℔. jß.

℞. Dicti apozemat. ℥iij. olei ſucc. per deſcenſ. deſtill. gut. xx. f. hauſtus. Hunc prima vice calidum aſſumpſit, eundemque cùm poſt tres horas reiteraſſet, paulò poſt ſupervenientibus parturientium conatibus, peperit mo-

lam rotundam, magnitudinis capitis infantis, undiquaque oculos humanos perfectiſſimos habentem. Hac feliciter expulſa, ſtatim urina & lochia ſatis copioſa ſubſequebantur, & ægra ab inſtanti periculo liberata fuit.

Supereſt jam ut de Partu Cæſareo quem intáctum relinquit Autor, hic aliquid addamus, in quo vivens fœtus matre in Puerperio agoniſante, vel mox moritura, vel mortua, exſecatur. Sic olim Scipio Africanus, & alii multi fuere exſecti, ſic Eduardus ſextus Henrici octavi Angliæ Regis filius luci datus, per Janæ Semeræ matris ut multi narrant, latus apertum. Illa ſectio fit, vel antequam mater mortua eſt, ſed agonizat, vel poſtquam mortua, & tunc debet medicus morituræ mulieri aſſidere, ut mox cùm anima expiraverit, fœtum exſecet antequam ſuffocetur. Hic de illa præcipuè loquimur quâ matre adhuc viva exiſtente, & fœtu vivo abdomen ſecatur, & per foramen fœtus vivus educitur, ad illum finem, ut & fœtus & mater ſupervivere poſſint. Contra hanc operationem non parum invehitur Paræus, dum etiam ſcribit, ſe mirari inveniri homines, qui dicant id factum eſſe, quandoquidem fœtus per ventrem extrahi nequit, niſi muſculi epigaſtrii maximo vulnere ſecentur, & ſimul etiam ipſum uteri corpus, unde magna ſequetur hæmorrhagia parturienti neceſſariò læthalis; & noviſſimè Franciſcus Mauriceau in Rouſſetum acrius inſurgit, qui tractatu peculiari de hac operatione agit, atque minimè impoſſibile eſſe ut mulier ex ea evadat per experientiam ſtatuit. Verùm Antonius Mizaldus aſſerit pluribus mulieribus fœtum per ventrem ſic fuiſſe extractum, quæ multis poſtea annis ſupervixerint, conceperint, & pepererint. Caſparus Bauhinus narrat hiſtoriam de quadam Eliſabetha in Turgois quæ ſic ſecta fuit & convaluit, & poſtea adhuc gemellos, & poſt illos adhuc quatuor alios pueros peperit. Matthias Cornax ſcribit quòd quædam Margareta Karlinger Viennæ fœtum mortuum, pluſquam quatuor annis in utero geſtaverit, & poſtea venter ei fuerit apertus, & fœtus per foramen extractus, & ipſa curata, quodque poſtea ſecundò adhuc conceperit, ſed propter neglectam tum iterum ſectionem mortua ſit. Sic & egoipſe Genevæ vidi mulierem quampiam ex vicinia, quæ poſtquam fœtum mortuum per aliquot annos in utero geſſiſſet, tandem in latere dextro exortus eſt tumor, ex quo aperto extracta fuere fœtus oſſa adeò corrupta, ut mephitim intolerabilem longè ſpargerent, ſanata eſt tamen illa, & nec à corruptione quam intus tamdiu geſſit, nec à tumore, ſubſequutaque ſectione, occiſa, per plures annos ſupervixit. Sennertus Inſtitut. lib. 2. part. 1. cap. 9. habet hiſtoriam herniæ, in quam cum uterus contentuſque fœtus devolutus fuiſſet, mulier affecta à doloribus tempore partus ſupervenientibus aliter expediri non potuit, quàm ſectis ad latus & muſculis & utero, unde fœtus per annos novem vivax, eductus eſt, mater

ter verò poſtquàm à 21. die Aprilis, qui fuit operationis dies, ad 16. Maij, vitam ſuam prorogaſſet, tandem lypothimia correpta, atque præ paupertate non bene tractata, vitam cum morte commutavit; in ejus utero aperto omnia ſalva inveniebantur. Sic & aliam adfert Doringius Epiſtola ad Guil. Fabr. Hildanum, de paupercula Nieſſæ Sileſiorum vivente, cui itidem ob herniam ſub geſtationis finem ad genua uſque propendentem, & fœtum cum utero ad maturitatem uſque concludentem, latus fuit exſectum, ex eoque poſt multos labores & ſolicitudines, fœtus ſatis vegetus extractus, qui ſeſquiannum ſuperſtes vixerit, dum mater tertio à ſectione die, poſt multos dolores & cruciatus piè in Deo obdormiverit. Rodericus à Caſtro in ſuo de morbis mulierum tractatu operationem Cæſaream omnino poſſibilem ſupponit; ſic & Clar. Isbrand. de Diemerbroëck, dum ſcribit Anatom. lib. 1. cap. 35. pag. m. 232. in partu quocunque demum tempore fiat, fœtus aut per viam naturalem excluditur, aut per alienam, ſc. per ſectionem in abdomine & utero factam, quæ vulgo partus Cæſareus appellatur, de qua chirurgia egregium tractatum conſcripſit Franciſcus Rouſſetus. Addit præterea, rariſſimè autem viſum eſt ipſam naturam ſua ſponte per vias alienas fœtus excluſionem moliri, cujus tamen caſus memorandam habet hiſtoriam Bartholin. lib. de inſolitis partus viis, de muliere quæ primò ex umbilico tumido ac diſſecto, deinde ex apoſtemate infra umbilicum aperto, ac tandem ex ulcere in ilio ſiniſtro ſuborto, plurima fœtus humani oſſicula, non ſimul & ſemel, ſed diverſis vicibus, imò diverſis, multumque inter ſe diſtantibus annis, excrevit, eaque tam multa, ut pro gemellorum oſſibus ſufficere potuerint. Thomas Fienus lib. de præcip. art. chirurg. controverſ. tract. 8. ſectionem hanc pluribus rationibus, iiſque magni ponderis, abundè ut mihi videtur confirmat; nam ut ipſe ait periculum tunc erit, vel à læſione muſculorum abdominis, vel peritonæi, vel ipſius uteri, verùm primò abdominis vulnera etſi majuſcula non tamen propterea ſunt lethalia, ut ipſa experientia ſatis comprobavit. Peritonæum in modo herniam curandi antiquorum, cum ſubſtantiæ deperditione exſcindebatur, & hodie in eadem cura magna ſectione perforatur, ſine ullo mortis metu. Vterum quod attinet illius vulnus non eſt adeò periculoſum, nam etſi eo tempore quo fœtu eſt diſtentus uterus, debeat fieri valdè magnum, tamen fœtu exempto, quia contrahitur, exiguum fit, & propterea in parte carnoſa, nativo calore abundante, & à circumſitis partibus probè munita poteſt facilè à natura conſolidari. Legimus magna uteri apoſtemata, vulnera & ulcera ſæpe fuiſſe curata, ipſum uterum ſine vitæ detrimento fuiſſe exſectum, (*de quo ſupra in ejuſdem prolapſu*) & aliquando totum excidiſſe; (*ut illud ſatis teſtatur hiſtoria à Clariſſim. Domino Nozet Archiatro Friburgenſi amiciſſimè nobis communicata quam ſuprà legere licuit.*) Hìc addo, etiamſi vaſa uteri ſint multa, & maximè dilatata graviditatis & partus tempo-

tempore, non propterea tamen tam enormem hęmorrhagiam pertimeſcendam; nam præterquàm quòd non ſunt undique æque magna, & poteſt à Chirurgo perito locus ſectioni aptior ſeligi, vaſa quæ maximè varicoſa fuerint, exciſa profundent quidem ſanguinem contentum, & poſtquam extrema ab utraque ſectionis parte ſe contraxerint, neceſſaria diligentia adhibita ſatis facilè occludentur, ut in aliis vaſorum ſectionibus evenit, adnotandum inſuper quod depleto utero, à fœtu contento, illius corpus nòn parum concidat, ſicque vaſa ſecum corrugata ſanguinis effuſioni minus habilia faciat quod in mulieribus inter partus dolores occumbẽtibus quarumque uterum mox poſt mortem excidimus, fœtu adhucdum in illo concluſô, perque vulnus educto, non ſemel vidimus.

Poſita hactenus authoritatibus, experimentis & rationibus partus cæſarei poſſibilitate, reſtat ut de ejuſdem perficiendi methodo verba faciamus. Mulier ſupra lecti margines conſtituatur, & in dorſum incumbat, ſic, ut tibiæ è lecto nonnihil propendeant. Pedes ejus conjuncti à robuſtis brachiis blandè retineantur. Si mediocriter adhuc robuſta ſit, non jaceat, ſed elevatior adhuc in dorſum tantùm inclinet: ſin debilis ſit, ferè decumbat; decubitu enim in dorſum magis ſyncope vitatur. Tum cogitandum in quo latere ſectio eſt facienda, quod operatori anatomiæ perito committitur; advertendum tantùm quòd ſi hernia laboret, debet fieri ſectio in eodem latere, in quo hernia eſt: ne, ſi à ſectione hernia fortè altera remaneat, ab utroque latere ſit hernioſa. Deinde quia in partem hernioſam magis incumbit uterus, & magis tumet, prout in hiſtoriis ex Sennerto & Doringio ſuprà citatis manifeſtum fit. Notetur atramento locus incidendus, linea ad illum modum & longitudinem ducta, quibus ſectio fieri debet. Locus eſt inter umbilicum & inguen verſus pecten, quinque digitis ab inguine. Notandum tamen, quòd præſtat paulò altiùs aſcendere, propterea quòd quò propius ad uteri fundum devenitur, eò minùs frequentiora & grandiora vaſa reperiantur, & conſequenter hæmorrhagia ſic meliùs vitetur. Linea ergo ducatur recta, ſecundùm longitudinem abdominis, & ſecundum fibras muſculorum rectorum, longa dimidium circiter pedem. Super illam lineam, in quatuor aut quinque diſtantibus locis, ducantur quatuor aut quinque parvæ lineæ tranſverſæ, quibus poſtquam ſectio facta erit, denotetur locus, per quem acus porrecta pro facienda ſutura tranſmittatur. Tum fiat ſectio ſuper lineam longitudinalem cum acuta novacula, quæ ad pinguedinem uſque adigatur. Poſtea eodem ſectionis tramite, profundiùs muſculi epigaſtrii incidantur: ſed cautè, quia immediate uterus ſubjacet. Tum uterus ipſe incidatur ea dexteritate, ne fœtus, membranis ſuis exolutus, ſubtus vulneretur, & loca teſticulorum & præcipuorum vaſorum rami caveantur. Dein fœtus & ſecundina extrahantur. His ita peractis, linteis carptis multiplicatis, locus foveatur, quò ſanguis ex parte ſiſtatur, & ſanies abſtergatur. Decoctum erit

ex

ex vino rubro, cui ſalvia, roſa, meliſſa, betonica, alchimilla, ſanicula, artemiſia, flores chamomillæ, radices cyperi, nuces cupreſſi, incoctæ fuerint. Iis factis uterus leniter in locum retrudatur, ſine ulla alia adhibita cura; utero enim à contentis evacuato, labia vulneris per ſe facilè concidunt, & arctè conjunguntur, & conſolidatio ſoli naturæ eſt relinquenda. Verùm vulnus quod in abdomine factum eſt, debet conſui, (alioquin uterus aëri expoſitus protinus alterationem aliquam & putredinem contraheret) ſed paucis & diſtantibus ſuturis, ut inter eas ſit ſufficiens exitus ſanguini & ſordibus ex utero, & ventre adhuc exeuntibus. Sutura debet fieri decuſſatim in illis punctis, ſibi mutuo oppoſitis, ante ſectionem atramento notatis. Debet autem ſutura comprehendere cutem abdominis, & ex parte peritonæum, ad præcavendam, ſi fieri poteſt, herniam. Inter ſuendum videndum ne inteſtina foramini occurrant, & ipſa acu tangantur vel comprehendantur, aut inter labra vulneris conſuta includantur, quapropter ſi occurrant à miniſtris diligenter ſunt removenda. Iis factis, vulnus abdominis curandum, prout vulnera reliqua curari ſolent, ſuperpoſitis emplaſtris deſiccativis & conſtrictivis. Interim uti per interna habenda eſt ratio, tum medicamentis per os datis conſolidantibus & utero confortando appropriatis, tum aliis ſubtus adhibitis, ut peſſariis, clyſteribus uterinis, aliiſque, quæ primùm fieri debent ex anodynis, dolorem ſedantibus: inde verò conſolidativis uterinis & mediocriter detergentibus.

Cap. XXIV.

De membri emortui exſtirpatione.

Pars emortua nullum omnino amplius præſtat uſum, & ne vicinis partibus noxam inferat, tollenda eſt. At quo in loco? commodiſſimus Articulus, aſt exſtirpationem talem ſequitur Curatio difficilior, uſuſque abolitus. Præſtat itaque loco, duorum, trium, pluriumve digitorum ſpatio ab articulo remoto, exciſionem fieri, niſi mortificatio ſe extenderit ad brachii aut femoris ſuperiora, hic enim Articulum [a] ipſum eligere cogimur. At rurſum quo in loco? *An in parte ſana vel demortua?* certior [b] eſt ablatio

[a] Præſtat ſanè hocce in caſu ſupra articulum aſcendere, & in femore v.g. ſupra genu, in humero ſupra cubitum partem affectam exſcindere.

[b] Non tantùm certior eſt hæc ſectio, ſed unica tuta, nam præterquàm quòd ſi aliquid ægræ carnis relinquatur, maximum ſemper eſt pericu-

tio in ſana, majori licet cum dolore ſit conjuncta.

Modus vulgatior Veterum atque Chirurgorum Recentiorum.

Cibo potuque antea roboratus Æger imponatur lecto, mox partis ſanæ cutis cum carne ſubjecta à viro forti, quantum fieri poteſt, ſurſum trahatur atque ita contineatur: tum ad latitudinem pollicis, ſupra locum in quo exſtirpationem fieri volueris, vinculo, haud ita lato attamen forti, pars arctè conſtringatur: hoc peracto, inſtrumento commodo cutis cum carne uſque ad os ipſum circumquaque ſeparetur, imo ſi poſſibile ſit, unica tantum inciſione facta: porrò etiam perioſtium ancipiti cultello ab oſſe abradatur, & in membro duabus inſtructo fiſtulis, caro quoque interjecta cum ligamentis reſecentur; Hiſce peractis, ſerra acutiſſima os præcidatur, & parum ſanguinis emittatur. Verùm ſanguinis fluxus, ut plerumque contingere ſolet ſi ſit levior, medicamenta eum ſiſtentia applicaſſe ſufficiet; aſt ſi deſiderio tuo non ſatisfaciant, & parum præſtent cauterii actualis ope inhibeatur, ita tamen ut non niſi majoribus vaſis applicetur. Solvatur deinde vinculum, fiatque deligatio juſta.

Ab igne quod ſi abhorreat aut æger aut Chirurgus, mox ab exſtirpatione filo cera illito, quatuor diſtinctis locis, ſibi è regione oppoſitis, cutis cum carne perforentur: poſtea ſoluto vinculo, deorſum hæc ducantur, quo, ſi poſſibile ſit, ſe invicem attingant: ſic hæmorrhagia aliquomodo ſiſtetur, os ab omni corruptione præſervabitur, vulnuſque citius curabitur; At modus hic dolorem excitat inſignem, imo moleſtus eſt, & rariſſimè neceſſarius. [c]

Modus

periculum, ne ab ea ſphacelus ad partes ſanas ſerpat, quod eò facilius, quia ſæpè gangræna interiùs in brachio ulteriùs aſcendit quàm exteriùs indicari poſſit; accedit etiam primò, quòd gangræna aliquando ipſum os invaſerit, unde iterum ſerpit: Secundò quicquid gangrænoſi ſupereſt maximo cum dolore ſeparari deberet, per plura cauteria profundè urentia, & ad ſanam uſque carnem penetrantia. A parte hæmorrhagiæ nihil interea pertimeſcendum, quia ab arcta ligatura vaſa ita conſtringuntur ut parum ſanguinis, imò aliquando nihil prorſus fundant; eâdem præterea ligaturâ inſenſile aliquatenus fit membrum, ſicque dolor ex parte præcavetur.

[c] In eadem eſt ſententia Clar. Van Horne

Modus Aquapendentis.

Cum ſummum artificium in eo præcipue conſiſtat, ut corruptio ſiſtatur, dolor etiam minimus excitetur, ſanguiniſque fluxus impediatur, omnia hęc obtineri poſſe Chirurgus ille celeberrimus cenſet, ſi in parte emortua, ad partem ſanam portionem corruptæ, quanta eſt craſſities unius digiti, relinquendo, hæc ſectio inſtituatur, & pars illa putrida relicta undique ferramentis candidis tamdiu inuratur, donec æger perſentiat vim ignis. Ita enim ſanguinis fluxum cohiberi, dolorem leviorem induci, triduique aut quatridui ſpatio ſeparationem mortui à vivo apparere, ſcribit. Sed cauſas bene diſtingui debere cenſemus: in ſphacelo enim, à cauſa externa, in corpore alias ſano, generato, hic modus optimus eſt, at vero in eo, qui ex ſolo caloris innati defectu oritur, præcedens prę́ſtat. [d]

Horne ſcil. nec approbat cauterii actualis applicationem, ne eſchara decidente fiat novus ſanguinis fluxus, nec cutis per fila trajectæ ſuper os adductionem, ne ut ipſe loquitur, æger minimè profuturis carnificinis excrucietur. Longe felicius, addit, abſolvitur curatio, ſi fungus ille, quem crepitum lupi appellant, in uſum ducatur; nimirum ut in ſpatio intra duo oſſa medio, portiunculæ ejuſdem, pulveribus ſanguinem ſiſtentibus plenæ, & ovorum albumine madefactæ applicentur, imò ex eodem fungo excavato veluti ſcutella conficiatur, pulvere ſtegnotico repleta, cui tunc extremitas membri immittatur; qui apparatus detinebitur in ſitu, beneficio cruciatim eum ambientis emplaſtri defenſivi & glutinantis; quibus omnibus veſica bubula ſuper inducatur; [donec hæmorrhagiæ metus tranſiverit] tandem verò cruciata faſciatio inſtituatur. &c. Ego per ſolam applicationem pulveris è ſucco plantaginis ſali marino maritato confecti, vidi hæmorrhagias in hiſce caſibus omnino ſuppreſſas, interim tamen, cruciatam carnium perforationem hacque mediante earundem ſuper os exciſum adductionem ſemper neceſſariam credidi, ut ſic extrema vaſorum ulteriùs claudantur; ut os ab injuriis aëris externi defendatur; ut vulnus faciliùs conſolidetur, & illa cutis oſſi tanquam pulvinar quoddam ſupponatur.

[d] Quid de hacce membrorum exſcindendorum methodo ſentiendum veniat mox enarravimus; interim ſi ægri vires non aliter ferant, quod poſſibile eſt moliendum.

Antehac autem crus paulò infra genu reſecabatur, etiam ſi malum ſupra pedem non multum aſcenderet, quia ſcilicet cùm tibia artificialis

CAP. XXV.

De Sarcocele.

SARCOCELE ſive HERNIA CARNOSA *tumor eſt præternaturalis ex ſanguine impuro copioſius ad teſticulos adfluente, ibique paulatim in carnem degenerato, originem habens.*

In definitione hac, apud præcipuos Medicos atque Chirurgos recepta, duo notari volo. 1. CAUSAM tumoris hujus haud eſſe ſanguinem impurum, cum etiam optimus eum producere queat; nec ſimpliciter abundantem, cum etiam in corporibus macilentis ſe exhibeat, licet in his nec celeriter adeo generetur, nec ad eam magnitudinem deveniat, quam in illis. Sed enim veram hujus herniæ cauſam in eo conſiſtere exiſtimo, cum membranæ, quæ vaſorum capillarium oſcula, ne ſanguis nutritius nimis ſubito in partem perfluat, claudere ſolent, vel eroſæ, vel diſruptæ, aut dilatatæ ſint; quo tunc contingit, plus ſanguinis in partem ruere, quam ad ejus nutritionem requiritur. Natura interim ſanguinem, qui alias putreſceret, in carnem mutat. 2. Carnem hanc quandoque adnaſci tunicarum ſcroti communium ſecundæ, non vero teſticulis, quo in caſu ſine horum læſione aut exciſione, tolli poteſt.

SIGNA ſunt tumoris durities, inſenſibilis augmentatio, moleſtia major quàm dolor, niſi pravi humores accedant, intumeſcentia in inguine nulla.

PROGNOSIS. Sarcocele medicamentorum ope vix tollitur, Chirurgiæ vero opera raro ſine ablatione Teſticuli. Ad inguina ubi ſe extenderit, fere incurabilis habetur.

CURA-

ipſi genu complicato ſupponenda veniret, quod reſtabat cruris in poſteriora longè exporrecti non parum moleſtum erat. Verùm hodie excogitaverunt Chirurgi Hollandi, & inter eos Experientiſſimus Dominus Verduin novam methodum, quam etiam apud nos non parum illuſtravit ſolertiſſimus Dominus Sabourin, quâ incommodo huic medentur, tibiamque artificialem eô demum locô quô crus reſectum fuerit commodè ſupponunt.

De

CURATIO. In principio ubi ſanguinis nimiam copiam exire permittunt membranulæ vaſorum eroſæ, ruptæ, aut dilatatæ, Venæ ſectione, medicamentorumque repellentium & adſtringentium uſu multum efficimus. At augmentum, ſi ſumere inceperit, medicamenta illa ad malum averruncandum non ſufficiunt; tamen ſequentibus mediis res eſt tentanda. Fiat foramen exiguum in ſcroto, ſuperiori magis quàm inferiore in parte, per illud, petiæ ope, medicamenta applicentur ſuppurantia, ut hoc modo, ſi poſſibile ſit, caro ea tolli poſſit: quavis tamen viſitatione omne pus non eſt emittendum, ut tantò meliùs carnis reliquiæ conſumi poſſint.

Quòd ſi nec hæc ſucceſſerint, teſticulus ſimul cum hernia extrahendus. Hoc peracto, acus filo ſerico inſtructa eſt ſumenda, & ſemel ſupra tumorem, per proceſſum peritonæi tranſadigenda, quod eodem modo per idem foramen reiterandum. Deinde fili utraque extremitas ab inferiori parte eſt trajicienda, ut hoc modo extremitas dextera ſiniſtra, & ſiniſtra dextera evadat, & proceſſus peritonæi nodo conſtringi poſſit. Hiſce ita effectis, teſticulus cum hernia ſectione auferendus, fili extremitates extra ſcrotum emittendæ, & vulnus ſecundum artem curandum.

Non poſſum quin hìc amicè moneam, 1. Cauſam diligenter inveſtigari debere, antequam ad operationem ipſam accedat Chirurgus. Paraſtatæ enim adeo intumefactæ quandoque, teſticulis imprimis ſchirroſis exiſtentibus, ut herniæ carnoſæ ſpecie facile te deciperent, curioſe ad omnia haud attendentem, uti hoc aliquando contingere videmus. 2. Obſervandum eſt, fili ope perficiendam ligaturam, & quam fieri poterit tumori viciniſſimam, quo enim altiori loco peritonei proceſſus perforatur, eo craſſior obſervabitur, quæ res efficiet ut ſuppuratio & fili caſus retardetur. Nervorum interim convulſiones ſupervenientes mortem prænuntiant. 3. Vaſa ſpermatica, ſcroto detenta, ſæpius, naturæ luſu, ipſos teſtes magnitudine excedere, nihil incommodi, præter metum ſolum, adferentia, quod verum in non uno obſervavi. [a]

CAP.

[a] De Sarcoceles remediis, atque operatione [in ipſa aliis remediis rebelli] inſtituenda, vide quæ ſuprà Cap. de Herniis ſatis abunde attulimus.

Cap. XXVI.

De Calculi ex veſica urinaria extractione.

CALCULUS *corpus durum eſt, ex materia lenta, ſalſa aut terreſtri, & vi inſita lapideſcente concretione generatus: loco quo detinetur dolorem, obſtructionem, aliaque ſymptomata movens.*

CAUSA pituitoſa, ſalſa, aut terrea materia eſt, quæ nec calore, nec frigore, ſed vi inſita lapidifica in calculum mutatur.

SIGNA. Urina alba eſt, lenta, cruda, turbulenta, urinali facile adhærens, quandoque ſanguinolenta, aliquando arenoſa aut calculoſa, nonnunquam filamentis referta: non raro ſuppreſſa. Sitis adeſt gravis, urinæ excretio frequens, ſed cum dolore, & ſtillatim fit: Crura decuſſatim collocantur; genitale ſemper manibus tractat æger, ventriſque inferiora premit; penis ſemper rigidus; & ſedere & ambulare difficile; in regione veſicæ pondus adeſt; excretioni urinæ ſemper conjuncta excretio alvi. Inteſtini recti procidentia adeſt, imprimis in junioribus. [b]

Signa

[b] Signa hæc nunc plura, nunc pauciora, vix imò nunquam omnia, ſimul in eodem individuo reperiuntur, & etiamſi illud contingeret non minùs forent fallacia; quia ſunt æquivoca, & aliis veſicæ, partiumque vicinarum morbis communia. Rarus eſt caſus Illuſtr. Caſauboni, in quo concurſus aderat omnium propè ſignorum enarratorum, interim, eorundem cauſa non in calculis, qui tantùm minimi & exquiſitè rotundi, in veſicæ rugis profundioribus viſi ſunt; ſed partim in corpore carnoſo meatus urinarii radicem occupante, & foris intrò reſiſtente; partim & præcipuè in veſicæ hernia, quæ quaſi in ſaccum aberat capacitatis ad veſicam ſextuplę, prout hæc omnia fusè, nec minùs docte deſcribit D. de Mayerne in hiſtoria veſicæ monſtroſæ magni Caſauboni, quam proprio nomine evulgavit Broüardus; & nos Bibliothecæ Anatomicæ Vol. I. pag. 387. & ſequ. inſeruimus. Signa univoca quod ſpectat, ea non ſunt alia quam exploratio per ſpecillum in veſicam immiſſum, vel digitos in anum introductos; nec etiam iis ita fidendum quaſi nunquam prorſus fallerent; ſic Clar. Von Hammen in Epiſtolica ad Clar. Pechlin. de mendaci veſicæ calculo enarratione, dicit ſe in viro ſexagenario variis calculoſorum cruciatibus afflicto, corpus durum per ſpecillum in veſica inveniſſe, quod dum evocare per ſectionem tentaret, illud non calculum, ſed veſicæ tumorem eſſe vidit, quem tamen fruſtillatim

ſtillatim illæſo cui adhærebat veſicæ ſphinctere, educere licuit. Præterea ſpecillum etiam fallit quando lapidem contentum non adinvenit, cujus rei hiſtoriam raram profert Bened. Sylvaticus in Epiſtola ad Beverovicium de Nobili Veneto, qui ſtranguriâ laborans cum ſubſidentia materiæ tartareæ, diureticis refrigerantibus & lacte caprillo quaſi ſanatus, catheteri immiſſo nullum præſentis calculi ſignum præbuit, & poſtea & curru & equo ſine magna moleſtia iter habuit; dum verò tandem tabefactus obiret, veſica aperta calculum magnitudinis ovi gallinacei, nec mucoſitate nec membrana aliqua involutum, in ſui cavitate commonſtravit. Sæpè etiam inhabiles fallit, conflictus ille qui inter urinam & aërem per catheterem ſe inſinuantes, oritur, nam eo audito crederes in corpus aliquod extraneum & durum allidi.

Quam autem infida ſit etiam ipſa calculi per ſpecillum, ſeu catheterem exploratio, nobis nuperrimè ſatis ſuperque conſtitit in Matrona apud Noſtros Nobili, quæ cum diu calculoſorum doloribus, non tantum afflicta, ſed quaſi contrita fuiſſet, de Clariſſ. Medicorum Ordinariorum ſententia (renuentibus licèt aliis) calculo veſicæ laborare creditum eſt, atque eapropter exploratio à peritiſſimo Lithotomo è Vicinia advocato inſtituta, qui prima vice calculum ſibi occurrere, ſed muco, ſeu membrana veſtitum affirmavit, ita ut opinatus fuerit calculum veſicæ parietibus impactum, & immobilem, membrana ejuſdem interiori contegi; poſt tamen aliquas injectiones detergentes, exploratorio inſtrumento rursùs adhibito, idem ille jam in calculum nudum, in quem etiam cum ſenſibili atque evidentiſſimo ſono allideret, ſe incidere pronunciavit: Sic itaque omnia ad extractionem in tempeſtate commoda methodo ordinaria peragendam parantur; interea tamen moritur Ægra, præ morbo inducias dare neſcio, & cruciatus novos, quaſi totidem malignos, atque nimis funeſtos fœtus in dies pariente. Cadaver, me abſente, quamvis priùs aliquoties conſulto, à Dexterrimo Chirurgo D. Jacobo Coudougnant, ſtatim de Nobilis Matronæ Mariti petitione, præſentibus D. Medicis Ordinariis, aperitur, cumque ad vias urinarias rectà perventum eſſet, ren dexter calculo minoris caſtaneæ magnitudine, multoque pure, ſcilicet ad uncias circiter octo, obſeſſum reperitur, veſica verò urinaria omnino vacua, & per fibras ſuas, præ irritatione & acrimonia fera, ita contracta, ut in cavitatem ſuam vix fabam majorem admitteret. Reputabant prædicti Clar. Medici laceratam fuiſſe veſicam à minùs attento, ut temerè volebant, chirurgo, ſicque contentum calculum in abdominis cavum erupiſſe; verùm perquiſitione diligentiori facta, contrarium tandem perceptum: revera veſicæ fundum aliquatenus lacerum deprehenderunt, & duplicaturæ peritonæi undique adhęrentem; ſcilicet ichor ille qui continuò è rene, ut ſuprà dictum, infarcto depluens, urinæ in veſica immiſcebatur, non tantùm dyſuriam creabat, ſed etiam à prædictæ veſicæ parietibus imbibitus,

Signa hæc omnia quàm manifeſta videantur, Medicum tamen aliquando fallere [c] poſſunt. Mos fuit, ope Catheteris, per urethram

tus, eas ſenſim & attrivit, & viciniæ præter naturam univit; Sic videmus præputium balano, pleuram pulmonum lobis, aliaſque partes, per ſeroſos & corrodentes humores ſæpiùs invicem necti, & non ita pridem mihi in cane à Clariſſ. Domino Zvviky Glareano Helvetio Medicinæ Candidato & Anatomico eximio, apud me exſecto videre contigit coſtas aliquot inferiores per ictum priùs inflictum diſruptas, ſaniemque interiùs ſtillantes, medio propè diaphragmati intimè adhæſiſſe, vulnere aliàs abſolutè ſanato; ut & in eodem majorem hepatis ſuperficiei partem peritonæo undique alligatam, propter vim iſti viſceri factam in ictu præmemorato, unde ex eo ſeroſus ichor tranſudavit qui glutinis vices egerit. Sed ad rem revertamur, & expiſcemur quid cauſæ fuerit, cur peritus atque verſatiſſimus Lithotomus de calculi veſicæ præſentia tam confidenter cum Medicis aſſidentibus, pronunciarit, exploratione dexteriter per ſpecillum facta? Super hoc recurrendum credimus ad ea quæ mox attulimus, nec ampliùs verbulum addimus.

[c] Calculi veſicæ ſigna, ut & ejuſdem prognoſis, ſic accuratiſſimè deſcribit Clariſſ. Joh. Groenevelt in ſua Diſſertatione Lithologica. 1. In principio, cùm calculus adhuc minor eſt, fit, ut calculoſus excreta jam urina, obtuſiorem dolorem in glande ſentiat, qui dolor à glande per urethram vergit ad veſicam, eodem modo ac ſi ſtranguriam pateretur. Aſperitate enim ſua, quamvis calculus minor ſit, veſicæ tamen cervicem pungit, adeoque dolorem glandi infert, qui dolor à glande revertit ad veſicam.

2. Calculoſus anteriorem virgæ partem ferè ſemper, præcipue verò urinam redditurus, digitis fricat, comprimit, trahit, ac mulget, & hinc fit quòd infantes calculoſi ſemper manum brachiis admoveant, & vellicando membrum virile, dimidia ferè parte ſolito longius faciant.

3. Si gravior ſit calculus, dolorem tunc gravativum ſentit calculoſus, ac ſi grave quoddam pondus infimo ipſius ventri ac inteſtino recto inter oſſa pubis incumberet, eaque deorſum deprimeret, dolorem patitur tunc præterea circa umbilicum, quia fundo ſuo per urachum umbilico jungitur veſica.

4. Si calculus meatum urinarium non omninò obſtruit, natura ad expellendam urinam ſæpiùs irritatur, ſed fruſtrà; aliquando efflat paululum; aliquando continuò nolenti volenti urina emittitur, dolore interim ſemper ægrum affligente.

5. Surſum elevatis pedibus, capite ad terram demiſſo, ſæpiùs evenit, ut calculus ad veſicæ fundũ delabatur, urinaque liberiorem exitum nanciſcatur.

6. Extra

6. Extra paroxiſmum videmus non rarò calculo afflictum crura ſua tranſverſim complicare, eo enim modo calculus aliquo modo è collo veſicæ ſurſum elevatur, ità ut urina exitum liberiorem habeat.

7. Urina detenta, acris & ardens, præ doloris magnitudine, quam excitat, ſpiritus ad virgam allicit, ſicque virile membrum in infantibus æquè ac adultis, tenditur & erigitur, non ex venereo quodam appetitu & libidine, ut alias quis crederet.

8. Ex conſenſu ſphincteris ani & veſicæ, ob nervorum, quos ab uno ramo recipiunt communionem & colligentiam, *ſimultaneos deſiderandi meiendique calculo afflictus habet conatus*. Sed irritationes illæ fruſtraneæ ſunt, & ſi quid excernatur, parum eſt, idque cum cruciatu; in infantibus ſæpiùs ſummus fit inteſtini recti prolapſus.

9. Calculoſi plerique continuò ſitiunt, & ſæpiùs multum potum appetunt, quia, quamvis parum urinæ ſingulis vicibus excernunt, ob frequentem tamen ac crebram excretionem multum urinæ emittunt, & ſic ſerum ſanguinis abſumitur, quod natura quidem compenſare, adeoque interiora viſcera in conveniente ſuo temperamento ac ſymmetria naturali conſervare ſtudet: ob continuos porrò dolores, vigiliæ & inquietudines oriuntur, ſalſum in illis acrius redditur, ſanguinis etiam maſſa magis indies incaleſcit, undè multum ac crebrum refrigerium requiritur; aliquando etiam Icterici, Hydropici, ſimileſque affectus ſequuntur.

10. Ab opiatis aſſumptis melius ſeſe habent calculoſi, à diureticis verò potentioribus in pejorem vergunt intemperiem.

11. Hippocrates (Aphor. 79. Sect. 4.) veſicam calculo laborare ex urinis hoc modo judicat Ὁκόσοισιν ἐν οὔρῳ ψαμμώδεα, &c. Joh. Zechius in Conſult. Med. libr. conſult. 58. per ψαμμώδεα intelligit ſabulum craſſum, cœnoſum excrementum (narium veluti mucum) matulæ fundo tenaciter adhæreſcens, quod calculi majoris in veſica, & diu illic concreti ſignum eſt pathognomonicum.

12. Certum eſt cùm digitum in anum puerorum intrudunt, vel catheterem per urethram in veſicam adultorum immittunt, & explorant ſæpiùs, calculus an ſit, vel quotuplex ſit, magnus an parvus, unus vel plures, multum enim intereſt Medico hæc exactè noviſſe.

Huc quoque cauſarum antecedentium conſideratio ſpectat, nim. temperamenti, diætæ, quam habuit æger, ſymptomatum quę ſubiit; ſine dubio enim crudelem fuit paſſus dolorem, ſi calculus ſit magnus, durus, & inæqualis, porrò an ſacculo incluſi ſint calculi, & veſicæ membranæ cum eo adhæreſcant, cognitu quamvis ſit neceſſarium, difficillimum tamen, niſi cathetere vel digito inveſtigetur. Diagnoſticis itaque ſignis breviter hoc modo examinatis, ad prognoſtica progredimur.

Pueri, inquit Hippocrates 6. Epidem. maximè veſicæ; ſenes renum calculo magis ſunt obnoxii. Et aphor. VI. Sect. VI. renum & veſicæ vitia in

thram immiſſi in veſicam, & digiti unius aut duorum in anum inſerti, non ſolum calculum ipſum & calculos, ſed ſimul etiam eorum magnitudinem explorare. At exploratio hæc tam gravem & intolerabilem movebat dolorem, ut æger nullis omnino conditionibus præ metu doloris ad ſecundam permittendam commoveri potuiſſet. Et hæc res occaſionem dedit inſtrumenta omnia ad Calculi exſciſionem neceſſaria, explorationis tempore, parata habere, quo, Calculo notato operationem ipſam illico aggredi Chirurgus queat. Sed Omnipotens ſummuſque medicorum princeps miſer-

ſenibus difficulter ſanantur.

Lithiaſis à parentibus in ſobolem, primigenia ſeminis labe, omnem fermè, quamvis alioquin generoſiſſimam ſpernit eludetque medicinam tam prophylaxeos quam curationis ergò adhibitam, unde Aretæus multò difficilius eſſe putavit, renes aut veſicam, diſpoſitionibus calculi obnoxia, artis beneficio ab illis generandis impediri, quàm uterum fœcunditate luxuriantem à concipiendis fœtibus.

Veſicæ calculus pharmacorum reſpectu curatu difficilior quàm qui in renibus eſt; ſi verò chirurgiam ſpectemus, longè ſæpè facilior; aliquando tamen, doloribus ad ſpinæ muſculos extra vergentibus abſceſſu facto, illac calculos excretos, & ulcus conſolidatum fuiſſe, [c]conſtat. Calculus vehemens & periculoſum eſt malum, inflammationes, exulcerationes, dolores atroces, vigilias, febres, urinæ ſuppreſſionem, aliaque graviſſima ſymptomata inferens.

Si calculus non ſit magnus ſed parvus, non in corpore cachexia, nec humorum ad calculum generandum magna copia, ſi non hæreditaria ad illum diſpoſitio, bona, contraria verò ſi adfuerint, mala exinde prognoſis haurienda eſt.

Si calculus ſit ſatis magnus & durus, æger operationi chirurgicæ, quamvis periculi plenæ, ſi ab eo liberari velit, ſeſe ſubjiciat, neceſſe eſt.

Quod ſi lapis ſit inconſuetæ magnitudinis & ponderis qualem in plurium præſentia eduximus è cadavere N. L. juxta Noſocomium S. T. qui 19. uncias & tres drachmas pendebat, tales pro deſperatis habendi ſunt, & minimè, dum vivunt attingendi.

Qui calculum ſive folliculo incluſum, ſive ſolum, veſicæ membranæ tamen annexum in ſuo geſtat corpore, in eodem prædicamento verſatur, ut & ſenes debiles, pueri & infantes, minori ætate, ſed infirmi.

E contra, ſi vires conſtent ægris, viſcera benè ſint diſpoſita, calculus non ſit nimis magnus, quamvis ſint plures, implorato Dei auxilio, operatio animosè aggredienda, & de ejus ſucceſſu benè ſperandum eſt.

Feliciùs & ſecuriùs ejiciuntur & extrahuntur calculi in mulieribus, quàm in viris, quia brevem & amplum habent urinæ meatum.

[d] Artem

miſerrimis hiſce ægris tales hodie Chirurgos conceſſit, qui non tantum ſine Cathetere, ſed etiam abſque ullo dolore, & in ſenibus & in infantibus certiſſimè Calculum explorare poſſunt. Atque hoc eſt quod eos, etiam ipſis Gallis adeo decantatis, antecellere facit. Quare & aliis regionibus ſimiles artifices omnibus votis optare ſoleo.

PROGNOSIS. Calculus friabilis admodum rarò, denſus nunquam medicamentis comminui poteſt, quicquid etiam dicant jactatores. Mollis adeo ſæpius, ut etiam vel ſolo cathetere in collo veſicæ conteratur, atque educatur; quandoque propter exilitatem integer exit. Nonnunquam urethræ inhæret, ex qua ſine periculo doloreque ſingulari eximi non poteſt. Intra veſicæ tunicas quòd ſi hæſerit, aut ſi ſuperficiei ejus interiori adnatus ſit, non niſi cum morte ægrotantis per ſectionem aufertur. Quo major calculus, eo periculoſior, laborioſiorque operatio. Ex veſica muliebri calculi ſæpius extrahuntur Olivæ aut juglandis magnitudinem habentes abſque omni ſectione: at modus hic per dilationem [d] extrahendi calculum

[d] Artem calculum non nimis magnum educendi deſcribit Proſper Alpinus lib. de Medicin. Ægypt. quam dicit ſe propriis oculis vidiſſe practicatam in aliquibus principibus viris. Ratio artificii conſiſtit in eo, quòd illi membri virilis cavitatem & collum veſicæ aëris inſufflatione plurimùm dilatent, quod mirum videri non debet, ſiquidem penis totus eſt ſpongioſus & cavernoſus, atque propterea minùs obſtat quin urethra dilatetur. Dilatatâ urethrâ aërem immiſſum exſugant quem lapis contentus cum impetu ſequitur. Modus faciendi non eſt omnibus chirurgis idem: alii ſc. ligneam cannulam capiunt ſatis craſſam, eamque penis canali admovent, pòſt fortiter inſufflant; & ne flatus ad anteriora regredi valeat, altera manu extremum membri ſtringunt, tum foramen cannulæ claudunt, ut interim canalis latior fiat, & intumeſcat. Eo facto, digitum in anum immittunt, & lapidem paulatim ad urethræ extremum deducunt, cumque præputio appropinquaſſe ſentiunt, cannulam ab urethra cum impetu removent, ſicque lapis evolat. Alii multas habent cannulas variæ magnitudinis, è ſubſtantia cartilaginea valde dilatabili confectas; harum graciliorem in virgæ canalem primò intromittunt, quouſque ad veſicam pervenerit, moxque quantum maximè poſſunt eam per inſufflatum aërem dilatant; poſtea cannulam paulò craſſiorem, ſicque gradatim, donec ad

lum periculoſus adeo, ut nonniſi viris exercitatis & inſtitui & concedi debeat.

CURATIO. In Renibus, veſica, aliiſque corporis partibus (in omnibus enim generari poſſunt) detenti calculi, quo modo in genere tractari debeant, Medicum ſpectat. Nos hoc loco non niſi de modo ex veſica eum per ſectionem educendi agimus, Varii à variis proponuntur, maxime vulgaris certiſſimuſque eſt qui ſequitur.

Imponit lythotomus ægrotantem ſinui, pulvinari molli impleto, viri cujuſdam robuſti, poſtquam ter quaterve ex loco altiori in inferiorem proſiliit, mox manum utrinque valide alligat plantæ pedis, genu vero utroque latere adſtantes duo miniſtri detinent, ita ut quam maxime à ſe invicem diſtent. Deinde ſiniſtræ manus digitum primum ſolum, aut ſi neceſſitas exegerit, duos priores, oleo liliorum alborum, roſarum, aut amygdalarum dulcium madefactos, in anum dimittit, dextra verò pubis ſuperiora leviter comprimit, quo ſic ſub oſſe pubis ad perinæum transferatur calculus, quem ubi digitis dictis eo adegit, in ſiniſtro latere, inter teſticulos & anum, proxime ad ſuturam perinæi, cultro utrinque acuminato vulnus pro calculi magnitudine facit, ad calculum uſque cultrum deducendo: ex vulnere ſi ſua ſponte, aut digitorum inſertorum propulſione, exire detractet calculus, forcipe, aut, quod præſtat cochleari ſ. lapidillo eum foras extrahit. Extracto calculo, vinculis

quartam quæ maxima eſt, devenerint, imponunt. Et cùm ſic membrum dilataverunt, ut viam ſatis amplam eſſe putent, ut per eam calculus tranſire poſſit, digitos in anum introducunt, & calculum ad veſicæ collum, ad majoris cannulæ extremitatem inibi exiſtentem, deducunt: tum altero cannulæ extremo, ore excepto, ſpiritum fortiter retrahendo calculum ſimul attrahunt tanto impetu, ut ſi calculus aliquando major ſit, quàm ut per urethræ extremum tranſire poſſit, ſæpè in fruſta rumpatur.

In mulieribus ſine ulla ſectione aliquando facilè calculus non admodum magnus eximitur, quia via nec eſt longa, nec flexuoſa, ſed recta, & ob humiditatem dilatabilis; in id autem digiti in genitalia tam profundè imponuntur, eos ſurſum verſus veſicam inflectendo, quouſque calculus tangatur, tum ille duobus digitis quaſi comprehenſus, in veſicæ collum trahitur, indeque ad urethræ extrema ita truditur, ut exeat, vel forcipe impoſita eximatur. Si via ſit anguſtior debet fomentis & balneis laxari.

Ut

vinculis omnibus ſolutis, vulnus obligat modo debito, ſanguinem ſiſtentibus adhibitis mediis, v. gr. farina, bolo, &c. brevique tempore ut conſolidetur [e] ſummam curam adhibet, ne urinæ per locum vulneratum ſtillicidio laboret æger. Atque hic eſt calculum extrahendi modus, quem *apparatum minorem* vocare conſueverunt Chirurgi, in pueris imprimis locum habens, quamvis ſint qui etiam in adultis hoc modo procedant; imò noſtris in regionibus ſemper ejuſmodi ſectio inſtituitur ab illis, quibus digiti ſunt eam ad operationem accommodati.

At in adultis quandoquidem, digitis in anum immiſſis, calculum attingere, dictoque modo ad perinæum deducere difficile, ſi non impoſſibile, æſtiment multi; modum alium excogitarunt, quem *apparatum majorem* dicunt. Æger eodem modo ut ſupra, bene ligatus menſæ imponitur, & in ea detinetur, mox *itinerarium* [f] per urethram in veſicam intromittit Chirurgus uſque ad calculum, factoque foramine, [g] ut ſupra, in ſulcum itinerarii per vulnus *Conductorem* immittit, deinde, itinerario ex urethra ablato, per vulnus inflictum *forcipem*, lapidillum, aut inſtrumentum aliud, extrahendo calculo accommodatum, immittit, quo ſic & apprehendere calculum, & integrum foras educere queat, digitis ne quidem in anum inſertis, niſi ſumma neceſſitas illud exegerit. Calculus foramine major ubi exire recuſat, vulnus factum ampliatur, aut ipſe forcipis

[e] Ut promptiùs & faciliùs conſolidetur vulnus, ſicque fiſtula non ſubſequatur linamenta vulneri non ſunt diu immittenda; ſed illud balſamo excalfacto ſæpiùs inungendum, quia urina continuò per ſui ſtillicidium partem lavat, & ab adhibitis remediis ſpoliat. Pueri pedes poſt calculi extractionem ſunt colligandi, ut labra vulneris conjungantur, illudque ſic faciliùs conſolidetur: divaricatio enim pedum labra unioni inepta, atque dehiſcere facit.

[f] Antequam itinerarium immittatur viæ primò candela cerea ſunt dilatandæ, poſtque ſpecillum quo calculi locus & ſedes exploretur inducendum.

[g] Cavendum ne foramen in ipſa perinæi ſutura fiat, quia cùm ſit corpus calloſum & exſangue, ſi ſecaretur, vulnus non poſſet bene conſolidari, & remaneret fiſtula. Cavendum præterea ne propiùs ad anum ſectio fiat, periculum enim eſſet, ne dum calculus revelleretur, venarum hæmor-

pis opera in fruſta dividitur, ſicque per partes educitur. [h] Hoc facto deligatio vulneris & conſolidatio inſtituitur ut in pueris, adhibita, ſi nimis magnum fuerit, ſutura, impoſitaque ad dies duos aut tres [i] cannula argentea, evacuationi ſanguinis concreti, pituitæ, urinæque arenoſæ apta.

Modus idem in fœminis obtinet, modo digiti inſerantur, non in anum, ſed in uterinam vaginam, & catheter adhibeatur rectus, minime incurvus, & altero multo brevior.

Occurrit & *alius calculum extrahendi modus*: digitis in anum immiſſis, Chirurgus calculum verſus anteriora ventris detrudit, mox, per foramen, ſecundum fibrarum ductum in muſculo recto ſupra os pubis factum, ope lapidilli aut forcipis calculum extrahit. Hoc modo ſi procedat operatio, urinæ ſtillicidium nunquam eſt metuendum, & præterea amplior calculo educendo conceditur locus: ſed interim per ſe periculoſa atque moleſta hæc eſt operatio; nam ſi labia vulneris in veſica facti haud uniantur muſculis abdominis, exulceratio veſicæ ſequitur, quæ non tantum inſignem dolorem movet,

morrhoidalium aliqua diſrumperetur, (unde difficilis hæmorrhagia) vel ſphincter muſculus aut veſicæ corpus dilaniaretur.

[h] Si calculus tam magnus fuerit, ut ſine veſicę laceratione extrahi non poſſe putetur, nec frangi queat, deſiſtendum ab opere, quod ſanè conſultius eſt quàm per operationem obſtinatè continuatam violentam mortem inferre, tumque, vel per fiſtulam in perinæo inductam, de qua infra Fienus, urina guttatim ac continuò ſtillans in lagenulam inſtrumento apto colligatam eſt excipienda, vel etiam cultello exciſis quibuſdam ex orificii veſicæ urinariæ fibris, ei tanta debilitas venit concilianda quæ per uretram tale ſtillicidium procuret, ut aliqui forſan temerariè promittunt: Nam exciſio corporis ipſius veſicæ per ſui ſuperiora ſeu fundum; quam etiam in ſe ipſo adhibuit ruſticus ille de quo in Miſcell. Curioſ. quæque olim in uſu apud aliquos fuit, hodie omnino exulavit apud Artis Peritiores. Si extrahatur videndum an ſit integer, vel adhuc ſubſint alii. Si ſint fruſta, vel arenulæ, illa debent extrahi, per aliud inſtrumentum curriculum dictum, ad formam oblongi cochlearis fabrefactum. Si alius calculus adhuc ſubſit, debet eodem modo ut prior extrahi.

[i] Continuanda eſt cannulæ immiſſio, donec urinæ puræ & claræ evadant, nec ampliùs ſanguine, aut aliis extraneis in veſica relictis, &c. inquinentur.

[k] Totam

movet, ſed & ipſo calculo incurabilior habetur; quæ incommoda etiam hoc effecerunt, quod minus operationibus aliis haberi cœperit à Practicis veris. [k]

CAP.

[k] Totam calculi veſicæ eximendi methodum & hiſtoriam, tum in junioribus, tum in adultioribus, tum in viris, tum in fœminis, perquàm accuratè explicat Clariſſ. Groenevelt Medic. Doct. & Lithotomus inſignis, in ſua Diſſertatione Lithologica, ut eam hic legendam tradere conſultum crediderimus.

Diæteticis itaque atque pharmaceuticis remediis jam breviter excuſſis, ſupereſt ut ultimum illud, ſcilicet chirurgicum jam exponamus.

Venæ ſectionem, ſi plethora, vel nimius ſanguinis æſtus adſunt, ex uſu poſſe eſſe ſtatuimus.

Cucurbitulas in regione lumbari poſitas, in dolore nephritico calculum unum vel plures ad veſicam derivaſſe, experientiâ ſæpiùs obſervatum.

Si veſicæ lapis major ſit quàm ut expelli queat, nec defectu requiſiti ad id medicaminis reſolvi poſſit, ſi atrocitas morbi nullis medicamentis ſuccumbat, tunc duriori nodo durus adhibendus eſt cuneus.

Circulatores plerumque enim omnes ridemus hîc & Empiricos, qui calculum veſicæ medicamentis ore aſſumptis terere fabulantur: idem evincunt literæ paucis jam elapſis diebus ad nos datæ.

J. G. Eques Auratus,

IOANNI GROENFELDIO,

M. D. S. D.

CUM mihi in mentem venit, cum quo mihi res impræſentiarum agenda eſt, viro nempe eruditione & experientiâ notiſſimo, confiſus ſpero, quod non me argues vel ingratitudinis, vel imprudentia, cùm de ſalute filii ſollicitus eſſem, libentiſſimè enim vellem, ità me movente paterno affectu, & naturali, ſοργῇ ut qui Tyrannidem tantam ſubiit, modo leniſſimo ſanaretur, ideóque ſanè ſpes mihi affulſit major, quod inveni quendam [qui Veſtras fuit, qui in Arthritide & Hydrope curandis, & nuperrimè quoque in comminuendo calculo, ſummus voluit eſſe myſta, ſolâ ſpe lucri, fractis omnibus pudoris repagulis, ahenea jam diu fronte fuit indutus] qui affirmavit intra viginti dierum ſpatium ſe potuiſſe frangere *& expellere calculum, per medicamenta intus aſſumpta, etiamſi calculus tantus eſſet, ut pugni magnitudinem excederet: ſed ah! quanta de ſpe decidi cum filio meo, cum fallacia & impudentia ignorantis Empirici miſerè fallebamur, & filius meus adhuc*

ſubit

ſubit torturam calculi graviſſimam.

Ad Te itaque, tanquam ad aſylum, confugio, opem implorans veſtram, ut tentares an calculum in veſica concretum invenire poſſis, & ſi invenias, ut eandem adhibeas curam, (cum bono Deo) habuiſti, reſpectu fratris ejus Senioris, quem biennio abhinc per Lithotomiam à calculo liberaſti, & manet adhuc in perfecta valetudine.

Deum precor ut Reipublicæ bono Te diu velit ſuperſtitem eſſe & valere.

Noſtra Reſponſio.

Eximie Domine,

A*Ccepi Literas à Te 2. Martii* 1684. *datas, quibus certior factus ſum de bona valetudine filii Tui, natu majoris [quem non ità pridem à calculo* σὺν Θεῷ *liberavi.] Sed me ſtatim dolor aggreſſus eſt, cùm literis iiſdem percepi, filium tuum juniorem eodem malo oppreſſum eſſe, quo priùs ſenior afflictus fuit, quem [veſtrâ me invitante Dominatione] hodie viſitavi & calculum inveni, juglandem magnitudine excedentem, ſolidum etiam & confirmatum.*

Quoad iſtum, cujus audaciâ fuiſti ſeductus, benè novimus Thraſonem eſſe vanum, & qui gloriari ſolet de rebus impoſſibilibus & extra ſphæram activitatis humanæ poſitis, nec erubeſcet de rebus etiamſi turpiſſimis; qui nihil honoris vel ingenuitatis habet, nihil quoque ipſi detrahi poteſt. Ingentem offendimus talium Impoſtorum gregem, perniencioſam hominum fæcem, qui ruditate & inſcitiâ ſuâ imponentes, & in circulis civitatum verſantes, vaniſſimo verborum ſtrepitu panaceæ miracula jactant. His verò mendacibus, & inanibus Medicaſtris præſtaret tacere, quàm in detrimentum proximi nociva remediorum crepitacula credulis obtrudere. *Ten Rhyne Tractat. de Arthr.*

Quod ad nos attinet, ut talem licentiam nobis nunquam aſſumemus, ità in aliis & contemnendam & ſupprimendam duximus.

Id nobis aſtipulavit jure nobiliſſimus ipſe Galenus, Medicorum Princeps, qui aſſerit quòd medicamentum integris viribus veſicam attingere non poteſt, atque ſi concedamus attingere poſſe, vis medicamenti infringitur, tum amplitudine veſicæ, tum involucris & pituitâ multâ quâ circumvolvitur.

Itaque jam tandem ad ultima remedia progredimur, quę ſi tentanda ſunt, exſectio inſtituenda eſt (de qua vid. Paræum, Schultetum, Hildanum, Cornelium Celſum, &c.) diebus verò aliquot antea, victu corpus præparandum eſt, ut modicos ſalubreſque cibos & minimè glutinoſos aſſumat, & inter hæc ambulandi exercitatione utatur, quò magis calculus ad veſicæ cervicem deſcendat, ut ipſe Celſus.

Cujus rei ubi fides eſt, pridie id corpus tenui victu nutriendum, & tunc loco calido curatio adhibenda eſt, quæ diverſis modis ordinari poteſt.

PRIMUS apparatus vocatur minor, ægri continet, & in quo omnibus præparatis index & medius digitus manûs ſiniſtræ in anum immittuntur, dextrâ manu venter inferior verſus veſicam deprimitu, [à violenta compreſſione hic ſummoperè cavendum, hinc enim atrociſſimi dolores,

dolores, inflammationes, imò ipſa gangræna.)

Ex quibus evenit, ut in anguſtum compulſa veſica faciliùs capi poſſit, quo capto in perinæo ſuper calculum fit inciſio, digitiſque, ſi minor ſit lapis extruditur, ſin verò major, hamulo extrahitur.

Minimè feſtinanter hac in re agendum, ſed ità, ut quam maxime tuto id fiat, nam læſâ veſicâ nervorum diſtentiones cum periculo mortis excitat.

SECUNDUS eſt Hildani, qui fit hoc modo: omnibus præparatis Medicus catheterem, [non talem intelligo, quali ad urinam ſuppreſſam utimur, ſed qui ſulcum ſeu foſſam habet, vid. Paræum, lib. 17. cap. 44.] in veſicam immittit ſuper calculum, tum novaculâ media ſui parte obvolutâ, inciſionem facit ad catheterem uſque, poſtmodum ſuper catheterem ſive itinerarium per vulnus conductorem immittit, catheterem, ut virga ſit libera, extrahit conductore, ſi ſit opus, vulnus dilatat, tùmque per latus conductoris cochlearia immittit, extracto conductore, immiſſoque in anum digito, hamulo prehendit & extrahit [Tortorem] calculum, ſive integrum, ſive fruſtulatim, ſi nempe major juſtò aut tenerioris compaginis fuerit.

TERTIUS MODUS, quando modo præcedenti vulnus eſt inflictum, ſuper conductorem tenaculam immittit, quo extracto prehendit Medicus calculum, & ſic eum extrahit, quod locum habere poteſt, cùm lapis hamulo extrahi nequeat.

QUARTUS operandi modus Lithotomia Franconina appellatur, ab Authore Petro Franco, qui fit hoc modo:

Inciſione præcedenti modo factâ, circa extractionem calculi nihil molitur Lithotomus niſi calculus in vulnere compareat, ſed vulnus more ſolito ligat, poſt aliquot dies [niſi calculus ſuâ ſponte per vulnus excidat, quod ſibi in ſua praxi aliquoties accidiſſe dicit inventionis hujus Author Petrus Francus] calculum extrahere conatur, qui operandi modus locum debet habere, quando æger eſt valde debilis, ut judicat Hildanus.

QUINTUS Modus eſt cùm calculus eſt tam magnus, ut per vulnus in collo veſicæ factum, tranſire non poſſit, niſi ſubſtantia membranea veſicæ, vel ejus ſphincter lædatur: quod Author Petrus Francus non proponit, ut ipſum aliquis imitaretur. Sed in caſu tanquam deſperato, coactus precibus parentum infantis, in quo operationem inſtituebat, fecit.

Æger erat infans bimulus, qui calculus ovo gallinæ non minorem in ſuo gerebat corpuſculo (in adultis hanc operationem locum non habere vult notari Author) ſectionem inſtituebat in inguine & ſuperiore oſſis pubis parte, ut ferè partus cæſareus fit, & ſic fundum veſicæ transfodiebat, & extrahebat calculum.

Infans quamvis maximè debilitatus, fuit reſtitutus, & vulnus ſanatum: tale Hildanus alibi in ſuis obſervationibus quoque commemorat exemplum.

SEXTVS & ultimus modus fit in-

K ſtrumento

ſtrumento quod excogitavit Hildanus: factâ eo modo [uti dictum) inciſione, immittit per vulnus ſuum inſtrumentum ſuper calculum, illud quando eſt immiſſum dilatari poteſt (inſtar inſtrumenti quod Speculum matricis vocamus) poſt dilatationem conatur Medicus calculum apprehendere, apprehenſumque extrahere.

Pariſienſis ille Lithotomus, cui *Collet* nomen eſt, plurimos hoc modo ſatis feliciter ſecuit, ex cujus, ut & aliorum curioſa inſpectione tantùm profecit Tractatuli hujus Author, ut hunc cum cæteris quoque Operationis modis aggreſſus fuerit,& adhuc quotidie peragit.

In fœmineo Sexu, ſive ſit Virgo, ſive nupta, longè minori negotio, & citra ſectionem magnamvè ſanguinis effuſionem, hanc operationem inſtituere & peragere licet: quia veſicæ foramen in pudendo ſtatim occurrit viſui, ſufficit ſolum catheterem immittere, & infra ejus ſulcum dilatatorium inſtrumentum indere, denique forcipe lapidem extrahere: Interdum tamen ob calculi nimiam quantitatem in veſicæ orificio parva inciſio facienda eſt, à qua nihilominus, ut & à nimis violenta dilatatione, periculum metuendum eſt, ne læſo ſphinctere, ſequatur involuntaria urinæ emiſſio.

Iam ſequitur, ut, extracto calculo, agamus, qua ratione ſit regendus æger, non ſtatim ille in lectum erit reponendus.

Si valens fuerit corpus, nec magnopere vexatum, ſinere oportet ſanguinem fluere, quo minor inflammatio oriatur.

Tunc deſidere debet in ſemicupium, ità ut à genibus ad umbilicum aqua teneat (cætera veſtimentis circumdentur) quo ſanguinis hæmorrhagia ſiſtatur.

In corpore imbecilliori hæmorrhagia ſtatim ſiſtenda erit, agglutinanda aliquando cucurbitula & inguinibus & coxis, & ſuper pubem, ſi ſanguinis fluxus cohiberi nequeat, qui ſi cohibitus, æger reſupinus in lectum collocandus eſt.

Venter interim inferior ab umbilico ad lumbos, itidem & pudenda, oleis convenientibus paululum calefactis optimè inungatur.

Vulneri linteolum duplex vel triplex, aſtringenti medicamento madens, imponatur; cannula aliquando vulneri immittirur, quâ arenulæ & ſanguis extravaſatus poſtmodum commodius expurgentur, per illam & ſipho quoque immitti poteſt, quo, neceſſitate urgente, veſica ſyringetur, ſicque continuò excernatur, quicquid præter naturam in ea continetur.

Si Lipothymia ſuperveniat, cardiacis removeatur, ægerque placidè ad quietem reducatur, qui niſi obrepat, anodinis mitioribus promovendus.

Sicque, ſi vires ferant [hæc ipſa Celſus ῥητῶς tradit] interpoſitis viginti quatuor horis, balneum iterum ingrediendum, & pro virium conſtitutione in eo demorandum, ſi ſudor aliquis erumpat, ſpongiâ detergendus erit.

Inter hæc ſi ſomnus blandiatur æqualiſque reſpiratio adſint, ſi lingua ſit madens & modica ſitis, & venter

infimus

infimus ſedit, & mediocris cum modica febre dolor, curationem feliciter procedere, certum eſt.

Denique, quantum poſſibile eſt, & cibis & medicamentis allaborandum eſt, ut natura, quæ ſaluberrimum balſamum ſuppeditat, corroboretur, ſicque vulnus conſolidetur.

Omnibus itaque, ad renum & veſicæ calculum pertinentibus huçuſque breviter deſcriptis, unicum ſupereſt, nempè modus eximendi calculum ex urethra, quem breviter deſcribemus.

Contigit aliquando, ut calculus exiguus è veſica excludatur, in urethram tamen illapſus, ibidem ſiſtitur, urinæque iter occludit.

Quo in caſu omnia remedia tentanda & applicanda, quæ apta nata ſunt calculum educere abſque ulla inciſione.

In horum Numero Primò occurrunt medicamenta diuretica, emollientia, fomentationes, inſeſſus in balneum, qui ſunt relaxantis qualitatis, quorum ope calculum non infimæ quantitatis eduximus ex urethra ingenioſiſſimi admodum Viri, Equitis Aurati, & Regi à rebus caſtrenſibus Architecti.

SECUNDUS modus eſt extenſio urethræ per flatum, ligando eam virgæ partem, quæ juxta pubem eſt, eodem modo, quo frequenti uſu fuit apud *Ægyptios*, urethrâ nempè ità dilatatâ, liberior exitus calculo patet.

TERTIUS modus ſugendo efficitur, cum maximo conatu ſpiritum trahendo, lapis ſimul attrahitur.

QUARTUS modus eſt comminuendi calculum, ope tenaculæ & ſpecilli [de quibus vide Paræum, Hildanum, Schultetum) qui cùm ſucceſſu ſæpiùs efficitur, ideoque maximè laudandus eſt.

Hæc verò ſi fruſtranea ſint, ultimò tandem fiat inciſio: inter Authores ſumma diſputatio eſt de loco, in quo inciſio hæc facienda eſt.

Quidam eligunt partem lateralem, cavendo, nè inferiorem ſecando, fiat fiſtula; aliqui partem inferiorem, nè corpora nervoſa offendantur.

Quod ad nos attinet, utrumque modum tentavimus, curam invenimus faciliorem, neque ullum ægris fuiſſe detrimentum, percepimus, cùm inciſionem fecimus in parte nervoſa laterali: inciſione factâ, calculus unco ſubtiliſſimo & tenerrimo educi poteſt.

Quibus jam peractis, vulnera poſt extractionem calculi [ſive veſicæ ſint, ſive urethræ] curanda ſuperſunt, de quibus abunde ſcripſerunt Practici, ideoque & ea impræſentiarum mittimus.

De ſectione ſine extractione calculi ſic habet Thomas Fienus tract. 9. cap. 14. de præcipuis artis chirurgicæ controverſiis. Quia omnis extractio calculi eſt valde periculoſa, (præcipuè in ſenibus, qui ſunt imbecilles) propter tot contuſiones, quas patitur veſica, à digitis, catheteribus, ductoribus, verticulis, everriculis, tenaculis, & uncis, unde inflammatio ſequitur: Et quia periculum eſt, ne, dum extrahitur veſica dilaceretur; vel ſi aſper ſit calculus, venæ hæmorrhoidales, vel aliæ lacerentur, unde lethalis hæmorrhagia ſequeretur: Et quod maximum eſt periculum, ne

dum calculus apprehenditur, & extrahitur, unà etiam ſubſtantia veſicæ apprehendatur, extrahatur & dilaceretur: Ideò aliqui viri docti aliam ſectionis rationem invenére, quâ calculus non extrahitur, ſed relinquitur. Hæc ſectio in valde ſenibus locum maximè habet, propterea quòd illi debiles ſint, & non tam bene extractionem ferant; ad hoc, quòd illi jam ferè ad terminum vitæ pervenerint, & ideò moleſtiam quæ ab hac ſectione remanet, tam diu quàm juvenes, tolerare non debeant. Locum etiam habet ubi calculus eſt valde magnus, adeò ut ſine periculo dilacerationis veſicæ, & mortis, non videatur extrahibilis. Hæc ſectio procul dubio minus eſt periculoſa, quàm præcedens; nam etſi ipſum vulnus ſit quidem periculoſum, tamen ex magna parte non eſt tam periculoſum, quando tantùm fit vulnus ſimplex, & nihil aliud, quàm quando inſuper fit calculi extractio. In hac ergo ſectione fit vulnus, ſicut ſuprà dictum, uſque ad veſicam, ſed multò minus quàm antea, & calculus non extrahitur, ſed relinquitur, & curatur ut vulnus nunquam claudatur, ſed occalleſcant labra ejus, & maneat ſemper apertum, ut ſic urina per illud perpetuò fluere poſſit. Ideò primis diebus imponitur tubulus argenteus foraminatus, ne claudatur, quouſque labris obductis ipſum per ſe maneat apertum. Hæc ſectio non eſt equidem perfectum calculi remedium, quia calculum ipſum non aufert, ſed eſt tamen valde utilis; etenim aufert aut minuit præcipua ſymptomata quæ calculus adducit. Nam imprimis tollit periculum ſuppreſſionis urinæ, quod à calculo quotidie imminet; quia ſic facto foramine, poteſt urina per illud ſemper exire ſine periculo ſuppreſſionis ejus: nam ſi calculus ante illud foramen cadat, leniter ſtilo removetur, & ſuppreſſio tollitur; ſi verò aliàs caderet ante foramen veſicæ, occluderet ipſum, ſic, ut urina exire non poſſet, niſi maximo cum dolore, & periculo catheter imponeretur. Et ut ut imponatur, ſæpè calculum non poteſt removere. Deinde tollit illum intolerabilem cruciatum in reddenda urina, quem calculus ſemper faciebat, propterea quòd tum urina exeat per vulnus in cujus labris calloſis non eſt ullus ſenſus, & ſic non fit dolor, antea verò exibat per ductum urinarium, & virgam, in qua eſt acutiſſimus ſenſus, & ideò excitatur immenſus dolor. Tertiò etiam quia præcavet mortem, quæ antè certò eſſet ſecutura: nam veſicę ulcus & inflammatio, quę ſemper calculum comitantur, poſſunt faciliùs curari injectionibus in veſicam per foramen factis, quàm antè poterat: aliàs autem mortis periculum erat, ſicuti etiam ab urinæ ſuppreſſione, cujus periculum, ut dixi, hac ſectione tollitur. Verum quidem eſt quòd ſectio cum extractione calculi eſſet melior, quàm hæc, ſi eſſet æquè facilis; ſed eſt longè periculoſior. Præſtat ergo habere aliquod remedium moderatum, cum ſecuritate, quàm majus, cum periculo maximo. Eſt etiam verum, quòd hæc ſectio habeat magnum inconveniens, quòd ſc. homo tota vita debeat laborare invo-

infimus

Cap. XXVI.

De Labiis leporinis.

OPerationum quarta & ultima Anaplerosis dicta, naturæ deficientia reſtituit, & maxime locum habet, cum naſus, labia, aures particulâ quadam, ſive à tempore nativitatis, ſive cauſa externa id efficiente, privantur.

Ad Labium quod attinet: In defectu minori primo liberetur à gingivis, mox crepidines ejus ſcarificentur, deinde acus ope conjungantur, ſuperimpoſito Emplaſtro uniente. Et brevi curatione abſolvetur.

In majori vero defectu, ſeparetur labium à gingivis, interpoſitoque linteo, faſciarum opera jungantur extremitates ejus, diebus aliquot effluxis, ſcarificatione debitâ inſtituta, ſuturæ Emplaſtrorumque ope, extrema eadem uniantur. [a]

Nares

luntario per vulnus urinæ ſtillicidio; ſed melius eſt hanc moleſtiam ferre, quàm in periculum vitæ incidere.

[a] Hæc operatio, quia conciſè nimis ab Autore noſtro traditur, non inutile fuerit eam pluribus enarrare. Ægro in ſedili luci objecto, collocato, chirurgus forcipibus aptis labiorum ab utraque parte portionem apprehendet, poſt cultello recurvo cutem intermediam reſecabit, à parte ſuperiori naſoque proxima, ad inferiora deſcendens, ut ſic vulnus recens & ſanguinolentum fiat. In idem negotium poſſunt etiam adhiberi forfices eximiæ aciei. Tum permittendum ut aliquot ſanguinis effluant guttæ, & oræ labii quam maximè æqualiter fieri poterit ad invicem adducentur, ut acus argentea, aut chalybea, per eas ſatis altè tranſigatur, quæ acus in ipſo relinquetur vulnere, poſtquam filo per ipſius foramen immiſſo circumducta fuerit, ea prorſus ratione quæ ſartoribus familiaris eſt, dum acum filo indutam conſervare volunt. Si fiſſura fuerit grandior, in ipſius oras duæ acus poſſunt immitti, alia quidem in ſuperioribus, alia in inferioribus. Si partes diviſæ ad ſe invicem facilè adduci nequeant, ut uniantur, duæ inciſiones, in ſuperiori labii cutis parte ad formam lunæ creſcentis, ita ſunt inſtituendæ, ut earum cornua vulneri ſint objecta, ſic enim ejuſdem oræ faciliùs ad ſe invicem accedunt. Si tantùm ab una parte labium difficiliùs accidat, unica ſufficiet inciſio. Si acus per labium tranſacta multum ab utraque parte promineat forcipibus eſt exſcin-

NARES AURESQUE, parte quadam privatæ quibus modiſ curandæ *Taliacotius* libro ſingulari fuſe deſcripſit, ad quem [b] Lectorem ablegamus.

CHI-

denda, ſub ejuſdem extremis apponendo minores pulvillos deſuperque emplaſtrum de betonica, & inter duas inciſiones ad formam lunæ creſcentis confectas applicandum linamentum ſiccum, ut quæ excreſcent carnes vulnus compleant, ſicque labium laxius faciant. Ut plurimum die poſt operationem octava, vel decima conglutinantur atque uniuntur labii oræ, tunc ſi ſatis valida fuerit unio exſcindendum eſt filum acui circumductum, ipſaque acus amovenda, & ulcus atque parvula quæ ſuperſunt foramina deſiccantibus curanda. Aliquando labia duplici finduntur loco ſed hoc nihil intereſt, nam dummodo diſtantia inter utramque fiſſuram major non fuerit, eadem illæ curantur ratione, ac ſi unica tantùm adeſſet. Si fiſſuræ hæ in auribus, aut naribus reperiantur eodem modo ac in labiis procedendum. Quidam in hiſce operationibus inciſionem fiſſuræ marginum non adhibent, ſed poſtquam ſub labio pulvillum minimum impoſuerunt, cutem intermediam penicillo oleo antimonii aut lapide aliquo cauſtico fuſo, intincto, leviter attingunt, ſic quicquid cutis ſeparare volunt ſeparant, quô peractô acum, ut ſuprà dictum, tranſigunt.

[b] Et præcipuè ad Thomam Fienum qui tract. 12. libri ſui de præcipuis artis chirurgicæ controverſiis, de hac operatione pluribus, iiſque evidentiſſimis verbis, ediſſerit.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

CHIRURGIÆ BARBETTIANÆ

PARS SECUNDA

Agens de Tumoribus, de Vulneribus & Ulceribus.

LIBER I.

DE TUMORIBUS.

Cap. I.

De Tumoribus in genere.

TUMOR *morbus eſt præternaturalis, quo partes humani corporis præter ſolitum modum ampliantur & extenduntur, ut deſtinatam operationem perficere nequeant.*

DIFFERENTIÆ tumorum ſumuntur 1. à Parte affecta, ut inflammatio oculorum, faucium, &c. 2. à Cauſis.

CAUSÆ ſunt 1. ipſæ partes corporis, loco naturali dimotæ 2. Humores quatuor, tam naturales, quam præternaturales, ſanguis ſcil. Bilis, Pituita, & Melancholia, quibus addere cogimur ſerum & flatus.

Ex

Ex Humoribus plerique Tumores originem habent, ſive per *Congeſtionem* id fiat, ſive per eorundem affluxum.

Congregant ſeſe humores, cum, calore partis naturali imminuto, vel humores boni male coquuntur, vel vitioſi haud ſatis evacuantur.

Humorum affluxus duplicem agnoſcit cauſam, 1. *Externam*, V. G. caſum, ictum, calorem externum, vehementem motum, &c. Et *internam*, nempè dolorem, humorum copiam, tenuitatem & acrimoniam, &c.

SIGNA *Tumorum* ſunt extenſio partis, dolor, rubedo, calor, durities, &c. Sed melius hæc in ſpecie, quam in genere deſcribuntur, *Temporum* (quivis enim tumor curabilis quatuor tempora habet) ſunt ſequentia: in *principio* pars intumeſcere incipit. In *augmento* intumeſcentia, dolor, aliaque ſymptomata augentur. In *ſtatu* ſymptomata per aliquod temporis ſpatium in eadem conſiſtunt forma, nec in pejus vergunt. In *declinatione* morbus imminuitur cum omnibus ſuis ſymptomatibus.

PROGNOSIS. Tardioris ſunt curationis tumores ex pituita aut melancholia producti. Periculoſi qui ex ſanguine corrupto aut bile generantur; cum præter externas partes etiam internas occupant; cum circa vaſa majora, articulos, nervos, parteſque membranoſas aut nobiles ſe produnt; cum magnitudine ſua ſunt inſignes; quique in corpore Cacochymico ſe offerunt.

Terminantur quatuor modis. 1. *Diſſipatione*, quæ ſymptomatum imminutione dignoſcitur. 2. *Suppuratione*, in qua dolor & pulſatio augentur, febriſque aliquando accedit. 3. *Induratione*, quam ſæpius nimius repellentium atque immoderatior diſſipantium uſus inducit. 4. *Degeneratione in gangrænam* ex caloris naturalis defectu.

CURATIO in hiſce duobus conſiſtit, 1. fluxus in partem ulterioris inhibitione, 2. ejus quod jam in parte congregatum ablatione.

Fluxum humoris ſiſtimus. 1. *Intercipiendo.* 2. *Repellendo.* 3. *Revellendo.* 4. *Derivando.* 5. *Partem ipſam Roborando.*

Materia collecta aufertur 1. *medicamentis adſtringentibus & repellentibus*, cum nempè tenuis eſt, nec firmiter parti inhæret. 2. *Reſolventibus*, cum craſſa eſt, partique firmius inhærens. 3. *Suppurantibus*,

bus, cum præcedentia debiliora ſunt. 4. *Igne & ferro*, cum media alia nihil præſtant.

CAP. II.

De Inflammatione.

PHLEGMONE ſive INFLAMMATIO, *tumor eſt p. n. ex ſanguine in cutem aut muſculos ſubjectos effuſo, calorem, rubedinem, dolorem, pulſationem & tenſionem excitans.*

DIFFERENTIA. *Perfecta* eſt, cum ex ſanguine ſolo originem ducit. *Imperfecta* vero cum ſanguini bilis, pituita, aut melancholia mixta eſt. Et tunc *Phlegmone*, *Eryſipelatodes*, *Oedematodes*, *Scirrhodes* dicitur.

CAUSA aliquando ſanguis ſolus eſt, aliquando aliis humoribus mixtus.

SIGNA, ſunt calor, rubedo, dolor, pulſatio, ſplendor, tenſio, durities, renitentia.

PROGNOSIS. Inflammatio partium externarum internas à morbis multis liberat: atque hanc ob cauſam ſalutaris ſemper eſt habenda, niſi nimia ſua magnitudine in gangrænam commutaretur. Periculoſa & curatu admodum difficilis eſt, quæ oculos, fauces, penem, pudendum muliebre, & articulos occupat. In *juvene*, & æſtate, brevi curatur, tardius vero in corpore pingui quam macro.

CURATIO. *Indicationes* quatuor habet. Harum I. Diætam bonam ſpectat. Eligat æger aërem ſerenum; Cibus potuſque modice ſumantur, iique refrigerantes; calida quævis, dulcia, pinguia, (ut piper, zinziber, &c.) noxia; nocet & motus corporis, partis imprimis læſæ. Conducit ſomnus; obſunt alvi durities, ira venuſque.

II. Affluxum humoris ulteriorem cohiberi vult; quod *Revulſione*, *Derivatione*, *Repulſione*, & *Interceptione* peragi poteſt. Venæ ſectio itaque hic quamprimum inſtituatur, utpote ſumme neceſſaria, Revulſio fiat in loco remotiſſimo atque oppoſito. Derivatio in viciniore. Venam ſi ſecari negetur, Hirudines & ſcarificatio locum habeant.

Interea dum hæc ita fiunt, cum rariſſime corpus detur purum, ſed plerumque ſemper humores pravi ſanguini commiſceantur, magno-

X pero

pere neceſſarium exiſtimo, aliquando purgantia uſurpari, atque venæ ſectionem iterari. Pars ipſa affecta interim Medicamenta exigit *Repellentia*: à quibus tamen abſtinere præſtat, ubi 1. partes nobiles ad loca debita glandulaſque humores ablegant. 2. humores maligni ſunt. 3. critice exterius propulſi. 4. corpus impurum valde. 5. pars affecta debilis, aut dolorifica nimis. 6. inflammatio eſt circa partem nobiliorem.

Medicamenta repellentia.

Radices Biſtortæ, Tormentillæ. Folia Cupreſſi, Myrti, Plantaginis, Quercus. Flores Balauſtiorum, Roſarum. Semina Cydoniorum. Santalum rubrum. Gallæ. Acacia. Sanguis draconis. Albumen ovi. Acetum. Vinum rubrum ſtypticum. Alumen. Bolus. Ol. roſarum, Myrtillorum. Empl. de Spermate ranarum.

R. Acet. roſac. unc. ij. Album. ov. conquaſſat. N. ij. Boli Armen. drachm. iij. Lap. hæmatit. drachm. j.

M.

R. Succ. ſemperviv. Portulac. Plantagin. an. unc. j. Acet. roſacei. Vini rubr. auſter. an. unc. j. ſ. Ol. myrtillor. unc. j. Agitentur in mortario plumbeo, Addendo. Pulv. cortic. granator. Biſtortæ an. drachm. j.

M. F. Linimentum.

III. Indicatio humorem qui in parte hæret auferri exigit. Hoc primo *Reſolventibus*, ſed hiſce nihil efficientibus, *Suppurantibus* tentandum eſt.

Reſolventia, ſive diſcutientia.

Radices Galangæ, Iridis. Anethum, Abrotanum, Ruta, Sabina. Flores Chamomillæ, Meliloti, Sambuci. Semina Aniſi, Carui, Cumini Ammoniacum, Bdellium, Sagapenum, Tacamahaca. Oleum Anethi, Nardinum, Rutæ, Laurinum. Unguentum Agrippæ, Martiatum. Emplaſtrum de Betonica, Oxycroceum, Diachylon. Fermentum. Stercora animalium. Spiritus & Fæx Vini.

R. Rad. Ireos, Altheæ an. unc. j. ſ. Summitat. abſinth. Flor. Chamomill. Melilot. an. P. j. Herb. parietar. Verbaſci. an. M. j. Farin. hordei, Fœnugræc. an. q. ſ. Coq. ex Vino albo Gallico. Contuſis adde Ol. irini, Chamomillæ an. unc. j.

M. F. Cataplaſma.

Vel

Vel

R. Stercoris Vaccini unc. iij. Succ. Cicutariæ, unc. j. Ol. Chamomillæ unc. ſ. Caſtorei drachm. ij. Bol. armen. drachm. ſ. Myrrhæ rubr. drachm. ij. Croci drachm. j. Farinæ Lupinor. q. ſ.

M. F. Cataplaſma.

Suppurantia.

Radices Altheæ. Herba Malvæ. Flor. Chamomillæ. Ficus, Galbanum, Bdellium, Sagapenum, Ammoniacum. Adeps Porci, Anſeris, Anatis, Gallinæ. Ol. Lilior. alborum. Unguentum altheæ ſimplex & compoſitum, Baſilicum, Emplaſtrum Diachylon, de Mucilaginibus, Meliloti.

♃ Cæparum ſub cineribus aſſatar. unc. iij. Ficuum N. x. Contundantur, addendo Unguent. baſili cum. drachm. vj. Mellis Virginei, Farin. ſem. lini. an. q. ſ.
M. F. Cataplaſma.

Vel

R. Rad lilior. albor. Altheæ an. unc. j. ſ. Fol. malvæ. Brancæ urſin. an. M. j. Ficuum N. viij. Paſſular. mund. drachm. vj. Farin. rad. altheæ vel tritici unc. ij. Sapon. Venet. drachm. iij. Coctis & cribro tranſmiſſis.

Adde

Axung. porci unc. j. Ol. Chamomillæ unc. ij.

M. P. ſ. a. Cataplaſma.

IV. *Indicatio* nobis ſymptomatum rationem habere jubet, nam ſi non tollantur, curationem impediunt. Horum præcipua ſunt.

1. *Febris*, cujus cura ad Medicum ſpectat, niſi venæ ſectione tolli poſſit.

2. *Durities*, cujus de curatione cap. de Scirrho jam acturi ſumus.

3. *Gangræna* de qua ſingulari cap. docebitur.

4. *Dolor*, cujus vehementia nos ſæpiſſimè vehementer impellit, ut eam ſedare medicamentis neceſſe ſit.

Anodyna.

Althæa, Anethum, Malva, Chamomilla, Hyoſcyamus, Nicotiana. Semina Lini, Papaveris, Fœnugræci. Sperma ceti. Lac dulce. Albumen ovi. Ol. Lilior. albor. Lini. Unguentum Populeum, Axungia Porci, Gallinæ, Humana, Opium.

Cataplaſmatis ſequentis vires inſignes non ſemel expertus ſum.

R. Flor. Anethi. Chamomill. an. M. j. Sambuc. M. j. ſ. Farin. ſemin. Lini unc. iiij. Ol. aneth. Lil. alb. an. unc. ſ.

Coq. ex lacte vaccino in formam Cataplaſmatis.

Cap. III.

De Eryſipelate.

ERYSIPELAS *eſt tumor præternaturalis, originem habens ex bile, quæ ſe vulgo per ſolam cutim, ſed aliquando etiam per ſubjectos muſculos effundit, ubi deinde dolorem, calorem & alia ſymptomata excitat.*

DIFFERENTIA. *Perfectum* eſt cum ex bile ſola oritur, & *imperfectum* cum ei ſanguis, pituita, aut melancholia miſcetur, cujus ab appellatione, tum etiam ſuam denominationem ſumit, dum *Eryſipelas phlegmonodes, Oedemathodes, Scirrhodes* dicitur. *Vlcus* ipſis quandoque *jungitur* modò cutem ſolam, modò inſuper carnem ipſam conſumens.

CAUSA. *Bilis* eſt, ſed raro ſola; aliquando enim *phlegma* aut *melancholia* miſcetur, plerumque *ſanguis* aut *ſerum*, unde eſt quod Phlegmoni dicata media plerumque etiam in Eryſipelate proſint.

SIGNA ſunt æſtus ingens; dolor acris, rubedo cum flavedine permixta, ad attactum, ut facile cedens, ita etiam facile rediens: partis intumeſcentia, ac tenſio levis pulſatio minor; quæ ultima occaſionem dubitandi authoribus multis dederunt, an Eryſipelas inter tumores referri debeat. Invaſio ejus ſemper eſt cum febre, niſi à cauſa externa ortum duxerit.

PROGNOSIS. Eryſipelas raro periculoſus affectus eſt, niſi ab exterioribus ad interiora materia repellatur. Periculoſior tamen circa partes nobiles & fauces, imò & cum vulnus, fractura, luxatio, aut putredo junguntur.

CURATIO. Ad *Diætam* quod attinet; *Aër, Cibus* & *Potus* refrigerantia ſint: nocent omnis generis acria, calida, pinguia, dulcia, ſimiliter & Motus corporis nimius, Vigiliæ, Alvi durities, Venus, Ira.

Purga-

Purgationes in hoc caſu valde neceſſariæ habentur. Huc pertinent medicamenta cap. 3. partis primæ tradita.

Venæ ſectionem Eryſipelas perfectum magis vetat quam commendat; nam ſanguinis pinguedo acrem bilem refrænat. Attamen ſi febris vehemens, affluxio magna, ſanguiniſque aliquid (quod fere contingit) bili miſceatur, eam inſtituere conducit, in plethoricis imprimis: in delicatioribus & debilibus ſcarificatio cum cucurbitulis, aut hirudines ſubſtitui, ſi res exegerit, poſſunt.

His præmiſſis *ſudoris provocatio* remediorum omnium præſtantiſſimum eſt.

Externa parti læſæ *applicari minime debent.* 1. *Olea*, *& pinguia* quævis, utpote quæ bilem nutriunt, putredinemque facile cauſant: quod ſi tamen iis uti placeat aliorum medicamentorum additione temperentur. 2. *Repellentia*, niſi exiguum valde Eryſipelas, & pars affecta à nobilioribus remota fuerit, humoreſque adhuc adfluxerint: imò ne hic quidem niſi modice diſſipantibus mixta uſurpari debent.

Cataplaſmata capite præcedenti deſcripta, hic quoque ut plurimum cum ſucceſſu applicantur.

Quotidiani fere uſus Emplaſtrum Diapalma in aceto diſſolutum. Folia Tabaci, Braſſicæ, Hyoſciami, &c. parti affectæ impoſita, æſtum valide extrahunt. Sunt qui Stercus ovillum in vino aut aceto decoctum uſurpant; ſunt & qui Flores Chamomill. Melilot. Sambuc. in lacte dulci coctos adhibent.

Creta pulveriſata, ope chartæ emporeticæ parti impoſita, cito & tuto ſanat.

Fomenta ſequentia magnarum virium expertus ſum.

♃. *Myrrh. rubr. pulv. drachm. ij. Sacch. Saturni drachm. ſ. Camphor. ſcrup. j. Opii gr. xxv.*

M.

Madefiant eo lintea, calideque applicentur parti affectæ, ſæpius renovanda, ubi exſiccata aut refrigerata fuerint.

Aliud præſtantiſſimum.

♃. *Troch. alb. Rhaſ. drach. j. Camphor. ſcrup. j. Spir. vini unc. j. Aq. ſambuc. unc. vj.*

M. & modo dicto uſurpato.

Poteſt & *Suffitus* ex *Maſtiche & Thure* quinquies aut ſexies de die inſtitui, maxime ubi Eryſipelas faciem occupat.

Vlcus ubi jungitur.

♃. Troch. alb Rhaſ. drach. ij. Myrrh. rub. Lytharg. aur. an. drach. j. Flor. ſulph. drach. ſ. Sarcocoll ſcrup. ij. Album. ovi. q. ſ.

CAP. IV.

De Oedemate.

OEDEMA *tumor eſt præternaturalis à pituita originem trahens, albus, mollis, ſine dolore, per congeſtionem frequentiùs, quàm per affluxum humorum, generatus.*

DIFFERENTIA. *Perfectum* eſt, cùm ex pituita ſola oritur, *imperfectum* cùm aliis humoribus mixta eſt. Tum enim *Oedema phlegmonodes*, *Eryſipelatodes*, *Scirrhodes* appellatur.

CAUSA. *Pituita* eſt, quandoque *ſola*, aliquando aliis humoribus *confuſa*. Plerumque etiam vaſa lymphatica malè diſpoſita occaſionem ipſi præbent.

SIGNA ſunt albedo; mollities digitis cedens; dolor minor, minorque pulſatio.

PROGNOSIS. Oedema ſi in ſcirrhum aut abſceſſum abeat, difficilè admodum curatur; periculoſum quoque ſi phthiſis aut hydrops adfuerit. In ſenibus, corporibus phlegmaticis, tempore hyemali, omnibuſque illis, qui cibo potuve, immoderatiùs ſumptis, calorem nativum continuo debilitant, frequentiùs ſe exhibet.

CURATIO æque ac in tumoribus præcedentibus Diætam bonam exigit. *Cibus* & *Potus*, ſimiliter ac *Aër* moderatè calefaciant atque exſiccent. Caro aſſata præſtat elixata. Nocent fructus horarii, caſeus, piſces marini, &c. Nocet & quantitas cibi potuſve nimia. Conducit Vinum, per ſe uſurpatum, aut herbis calefacientibus alteratum. *Motus corporis* moderatus ante ſumptum cibum valde prodeſt, uti obeſt *Somnus* diuturnus, imprimis diurnus, *Alvi* item durities, *Quies*, & *Triſtitia*.

Vena

Venæ ſectio omnino inutilis hic, & non niſi rariſſimè inſtituitur. Sed ſudoris provocatio & purgatio frequentiùs locum habent; quandoque & Vomitus. Semper autem ventriculi & præcipuè quidem rationem habere oportet.

Tumori ipſi in principio adhibemus medicamenta Repellentia, Diſſipantibus temperata, ita tamen ut Diſſipantium virtus excedat; mox Diſſipantia ſola, eaque fortiora aut debiliora pro morbi conditione.

℞. Aloës drachm. iij. Boli armen. unc. ſ. Acaciæ, Sang. dracon. Rad cyper. pulv. an. drachm. ij. Croci drachm. ſ. Aceti roſac. unc. j. ſ. Ol. myrtin. Lumbricor. terr. an. unc. j. Ceræ q. ſ.

M. F. Ceratum.

Aliud fortius.

℞ Sulphur. crud. Ciner. ſarmentorum vitis. Salis Gemmæ an. drachm. ij. Farin. Fabar. unc. ij. Aceti unc. j. Ol. nucum drachm. j. Terebinth. & ceræ q. ſ.

M. F. Unguent. vel Ceratum.

Aliud, adhuc fortius.

℞ Ladan. unc. j. ſ. Thuris unc. j. Styrac. calam. unc. ſ. Sulphur. drachm. vj. Alumin. Sal. nitr. Ciner. commun. an. drachm. ij. Stercor. vaccin. unc. ſ. Ol. rutac. unc. j. Terebinth. & picis q. ſ.

M. F. Emplaſtrum.

Cataplaſma Efficax.

℞ Radic. althææ unc. iij. Bryoniæ. Ebuli an unc. ij. Fol. ſalviæ, Rutæ an M. j Sabinæ M. ſ. Coq ex Aq & Vini æq part. Addendo ſub finem Aceti unc. iij. Contuſis adde Farin. fabar. unc. ij. ſ. Cinerum commun. unc. ſ. Stercoris vaccin. unc. j. Salis commun. unc. ſ. Ferment. unc. j ſ. Ol. Chamomill. unc. iiij. Axung porc. unc. ii.

M. F. Cataplaſma.

Quod ſi Oedema in abſceſſum mutetur, quod raro contingit, Cataplaſma hoc etiam valde prodeſt, præſertim ſi cepas aliquas, omiſſo aceto, cum quantitate unguenti Baſilici ei admiſceas.

Si Oedema ex phthiſi, hydrope aut Cachexia originem ducat, ægre curari poterit, niſi prius illos morbos curaveris.

Celerrime Oedema *Vino* hoc, aut *Conſerva purgante* curare ſolitus ſum, adhibitis inſuper faſciis, longitudinem 12. aut 15. ulnarum

rum habentibus, quas brachiis aut pedibus curioſè circumjici curo, ita ut & ſuperiora verſus aſcendant, & deſcendenti humori nullibi collectionis locum concedant. Hoc modo partes nobiles roborantur, humores præternaturales educuntur, membraque externa ſpatio paucorum dierum ſanitati reſtituuntur.

℞. Rad. Ireos Florent. unc. j. Eryngii, Petroſel. an. unc. ſ. Rhab elect. Agarici trochiſc. an. drachm. iij. Fol. ſenn. mund drachm. vj. Cinam. drachm. ij. Caryophill. drachm. ſ. Sem. ſiler. mont. drachm. ij.

M. F. Nodulus.

F. infuſio in vini gall. antiqui pint. ij. Sumat inde mane unc. iiij. aut v. pro doſi.

Vel

℞. Elect. de ſucc. roſ. unc. j. Ialap. drachm. j. Spir. ſal. ſcrup. j.

M. F. Conditum.

Sumat inde æger, tertio aut quarto quovis die, quantitatem fabæ aut nucis avellanæ.

CAP. V.

De Scirrho.

SCIRRHUS *tumor eſt præternaturalis, qui aliquando ex pituita lenta, aliquando ex Melancholia originem habet: durus eſt præterea, renitens & doloris expers.*

DIFFERENTIA. *Perfectus* eſt, cum ex Melancholia aut pituita ſola, oritur; *Imperfectus*, cum humores alii, à naturali ſtatu plurimum recedentes, eidem commiſceantur.

CAUSA. *Melancholia* eſt, aut *Pituita lenta.*

SIGNA ſunt durities ſumma; dolor nullus; color albicans, ſi ex Pituita, lividus, ſi ex Melancholia.

PROGNOSIS. Scirrhus qui doloris eſt expers, & cui pili increſcunt, incurabilis omnino habetur. Coloris lividi qui eſt, valde periculoſus eſt, & ſæpiùs in cancrum degenerat. Imperfectus, exiguus, dolorificus aliquo modo (licet rariſſimè,) aliquando curatur.

CURATIO in diæta conſiſtit; & eadem in hoc caſu, ſi Scirrhus

rhus ex pituita originem trahat, eſt inſtituenda, quæ in Oedemate erat obſervanda: ſi verò ex Melancholia, *Aër* ſit purus, moderatè calidus, & humidus; *Cibus* ejuſdem conditionis, faciliſque digeſtionis: Acria omnia, quæque gradu tertio aut quarto calida, noxam adferunt. *Potus* nec craſſus ſit, nec fortis, at verò calefaciens. Triſtitia, Ira, Curæ, Lucubrationes nocturnæ, Somnus etiam longior, nocent. Modica corporis exercitatio eſt neceſſaria.

Venæ ſectio parum aut nihil in hoc caſu præſtat, ſed magno cum fructu ſudorifera & purgantia exhibentur.

Inter *Externa* media præſtant *Diſſipantia* & *Emollientia*, ita tamen, ut toto curationis tempore conjungantur, modò unius, modò alterius quantitatem augendo.

Suppurantium uſus in curando Scirrho rariſſimè bonum habet eventum.

Sunt qui *Exſciſſionem* aut *Inuſtionem* tentant, ſed hoc illorum temerariæ ignorantię eſt tribuendum: admitti poſſet hic curandi modus, ſi proprio folliculo contineretur, aut Scirrhi nomen ejuſmodi tumori minimè adſcribitur.

Medicamenta Emollientia.

Butyrum. Adeps Gallinæ, Anſeris, Anatis, Porci, Vulpis, Urſi, Hominis. Malva, Althæa, Atriplex. Gummi Ammoniacum, Galbanum, Bdellium, Styrax liquida. Unguentum Altheæ. Emplaſtrum Diachylon, de Mucilaginibus, de Meliloto.

De *reſolventibus* ſuprà, ubi de Phlegmone egimus.

♃. *Gumm. Galban. Ammoniac. Opoponac. an. unc. j. Flor. ſulphur. Myrrh. rubr. an. unc. ſ. Camphor. drachm. j. Ol. lilior. albor. Axung. anatis an. drachm. vj. Ceræ q. ſ.*

M. F. Emplaſtrum.

♃. *Rad. althææ unc. iij. Iridis unc. j. Fol. braſſicæ, Parietariæ, Malvæ, Flor. Chamomill. Melilot. an. M. j. Sem. lini unc. ij. Coq. ex aq. commun. & contuſis. Adde Stercoris caballin. unc. ij. Axung. porci, Ol. Chamomill. an. unc. j. Cepar. coctar. unc. ſ.*

M. F. Cataplaſma.

Cap. VI.

De Tumore aquoſo.

TUMOR AQUOSUS *collectio eſt aquoſi humoris in toto corpore, aut partibus quibuſdam, mollis, ſine dolore, digitis facile cedens, aſt illico rediens.*

DIFFERENTIA. Quandoque totum corpus aqua repletum, & *Anaſarca* tumor talis dicitur: aliquando Venter infimus, ſolus, aut una cum pedibus, intumeſcit, & *Aſcites* vocatur. Nonnunquam flatus, ſero ſe jungens, Ventrem tympani inſtar extendit, & *Tympanites* appellatur. Atque hæ tres illæ Hydropis ſpecies ſunt, quarum curatio à Medico potius, quàm Chirurgo expectatur. Aqua ſimilis in Capite collecta *Hydrocephalon*, in pectore *Hydropem pulmonis*, in umbilico *Hydromphalon*, in ſcroto *Hydrocelen* conſtituit:

CAUSA *Serum* eſt, aqua ſcil. ſubſalſa, ex partium ſanguificationi & chylificationi inſervientium calore imminuto, producta.

SIGNA. Mollior hic tumor eſt Oedemate, digitiſque magis cedit; ſine dolore; cum pruritu quodam; &, ſi ad candelam eum ſpectare detur, pellucidus.

PROGNOSIS. Tumores aquoſi periculoſi non ſunt, præſertim ſi partes principes, qui eum fovent, non admodum ſint debilitatæ: difficulter tamen curantur omnes, imprimis circa & in articulis.

CURATIO *Diæta* hic eadem locum habet quæ in Oedemate. Salſa, fumo indurata, potuſque copioſior valde nocent; ſimiliter ac ſpiritus Vini & piper: proſunt alias Alimenta & Potulenta calida.

Purgatio ſummè neceſſaria, modò non ſit vehemens, ne partes debilitatæ magis debilitentur. *Sudoris* & *Vrinæ provocatio* multum hic efficiunt.

Venæ ſectio in Hydropicis eſt vitanda, quantum poſſibile ſit: nam non niſi damnum adfert.

Hydragoga ſ. aquam purgantia.

Radices Aſari, Eſulæ, Ialappæ, mechoacannæ albæ. Folia & cortex ſambuci. Euphorbium. Turbith. Gummi guttæ. Syr. & Species diacarthami. Cremor Tartari.

℞. Syr.

℞. Syr. roſar. ſol. cum ſenn. Diacartham. an. unc. j. Ialapp. gr. viij. Crem. Tart. ſcrup. ij. Aq. petroſel. q. ſ.

M. F. Hauſtus.

Vinum purgans, hydropem ipſum curans.

℞. Rad. Gentianæ, Iridis, Cichor. Fænicul. Imperator. an. unc. j. Cort. med. ſambuc. unc. j. ſ. Fol. Camepytheos M. j. Roris marin. P. ij. Flor. centaur. min. P. j. Sem. apii, Coriandr. Carui, Vrtic. Rom. Fœnicul. an. drachm. j. Fol. ſenn. elect. unc. ij. Agaric. leviſſ. drachm. iij. Ialapp. unc. ſ. Turbith. drachm. j. ſ.

Conciſa infundantur in libr. vj. Vini Rhenani. Doſis unc. iiij.

Externè aquam conſumentia.

Rad. Iridis, Bryoniæ, Ariſtolochiæ. Flores Sambuci, Chamomillæ. Folia Chelidonii, Centaurii, Calamenthę, Rutæ, Anethi, Origani. Sulphur vivum, Sal, Alumen. Baccæ lauri. Ammoniacum, Bdellium, &c.

℞. Stercoris vaccin. unc. ſ. Columbin. drachm. ij. Sulphur. vivi unc. ſ. Nitri drachm. ij. Mellis, Aceti an. unc. j. ſ. Farin fabar. unc. ij. Bacc. laur. Sem. Cumin. an. unc. ſ. Olei anethi, Nardin. an. unc. j. Vini albi Gallic. q. ſ.

M. F. Cataplaſma.

Vel

℞. Thuris, Maſtiches, Myrrhæ an. unc. ſ. Camphoræ drachm. ſ. Stercoris caprin. unc. j. ſ. Sulphur. Salis, Cumin. an. drachm. iij. Therebinth. & Ceræ q. ſ.

M. F. ſ. a. Emplaſtrum.

HYDROCEPHALI curatio omni tempore experientiſſimis medicis inſignem creavit moleſtiam. Aqua in ventriculis cerebri, aut intra cerebrum & meninges, contenta, periculum ſummum adfert, minùs intra meningem craſſam & tenuem, aut intra meningem craſſam & cranium, collecta (duram enim matrem phlebotomo diſſecare licet, ſi ad eam pervenire concedatur) longè adhuc minùs extra cranium detenta.

Purgantia, *Sudorifera*, *Diuretica* raro in hoc caſu aliquid conferunt: majus commodum adferunt *Cauteria*, *Veſicatoria*, *Fonticuli*, *Setacea*. Sed plerumque ad inciſionem aut periculoſam uſtionem impellimur, quæ tamen media quoſdam in vita conſervarunt.

Placet Chirurgis nonnullis Cauterio actuali cutem Capitis adure-

re, quinque, ſex pluribuſque locis, non ſimul & ſemel, ſed repetitis vicibus, ne vires nimium conſumantur, quotidie locum eum eligendo, quem Aquoſus humor commodiorem indicat.

Alii malunt phlebotomo cutem, &c. aperire, loco ſuturæ ſagittali vicino.

Mediorum horum quodnam præſtet, abſolutè declarari non poteſt. Cauterium actuale magnifacio, ubi aqua intra cutem & cranium reſidet. At ſi eadem ſub cranio intra meninges, hæſerit, operatio ſine phlebotomo quomodo abſolvi queat non video.

Quodcunque eorum eligas, aquam omnem ſimul educas cave, facilè enim ipſo operationis tempore interiret æger, aut ſaltem valde debilitaretur. Imò nunquam in fine curationis aqua omnis auferenda, ne partes debilitatæ, etiam calore eo, quem aqua poſſidet deſtitutæ, corrumpantur: quin potius, quod relinquitur, internis externiſque diſſipantibus conſumendum. Et hoc in omni tumore aquoſo, paracentheſi curando notandum eſt.

Eodem prorſus modo *Tumores aquoſi* etiam in *umbilico* aut *ſcroto* tractari debent, media alia poſtquam fruſtrà adhibueris.

Hydrops pectoris ad Chirurgiam non pertinet, niſi ubi paracentheſi curatur. De hac cap. 15. partis I. egimus.

Cap. VII.

De Tumore flatulento.

Tumor Flatulentus *morbus eſt ex flatu productus, digitis, non niſi renitendo cedens.*

Differentia. Quidam *ſine dolore* eſt. Quidam *cum eo*, aliquando flatus quieſcunt, aliquando vero horſum & retrorſum agitur.

Causa *flatus* ſunt; flatuum vero pituita, imprimis ubi miſcetur bilis, fermenti inſtar ſpumam, ſicque flatus producens; huc plerumque accedit partium debilitas, perquam humores quidem concoquere ſtudent, verùm non ſatis concoquunt.

Signa ſunt inflatio, renitentia digitis prementibus cedens, murmur, maximè à percuſſione.

Prognosis. Partes carnoſas rarò occupant, in aliis incommoda

moda plurima excitant : in corporibus debilioribus & cacochymicis difficilis tardæque curationis ſunt.

CURATIO. *Diæta* hic eadem fermè obſervanda quæ in Oedemate. Piſa, fabæ, rapa, caſtaneæ, nuces, omneſque fructus crudiores, magnopere nocent. Proſunt è contra vinum, aliaque moderatè calefacientia; aromata etiam quædam, & carminativa, v. g. nux moſchata, macis, aniſum, carum, leviſticum.

Ventriculus, totumque corpus, medicamentis indigent *purgantibus* & *roborantibus*, additis ſemper Carminativis, quandoque etiam, ubi roborantia uſurpantur, *anodynis*. Excellit hoc in caſu Laudanum opiatum, cautè (hoc eſt ad gr. ſ. aut j. pro doſi) exhibitum; præterquam enim, quòd dolorem ſedet, cauſam etiam mali vi ſua diaphoretica tollit. Sudoris etenim provocatio quàm hic utilis, tam inutilis venæſectio habenda eſt.

Carminativa, ſ. flatus diſcutientia, externa.

Radices Galangæ, Leviſtici. Herb. Anethum, Mentha, Majorana, Pulegium, Roſmarinus, Ruta, Cerefolium. Flores Sambuci, Meliloti, Chamomillæ. Semina Aniſi, Carui, Cumini, Fœniculi. Nux moſchata. Cardamomum. Caſtoreum. Oleum Rutæ, Nardinum, Spicæ, Anethi, Carui deſtillatum, Macis ſtillatitium, Nuciſtæ expreſſum & deſtillatum. Emplaſtrum de meliloto.

R. Olei abſinth. Rutacei an. drachm. ij. Nuciſt. expreſſ. drachm. j. Macis ſtillatit. drachm. ſ. Caſtorei in aq. vitæ diſſolut. ſcrup. ij.

M. F. Linimentum.

Vel

R. Fol. rutæ. Calamenth. an. M. ſ. Farin. fabar. unc. ij. Sem. cumin. Aniſi an. unc. ſ. Bacc. laur. Salis commun. an. drachm. iij. Nitri, Sulphur. an. drachm. j. Stercoris caprin. unc. vj. Ol. anethin. Nardin. an. unc. j. Vin. alb. Gallic. q. ſ.

M. & Coq. in formam Cataplaſmatis.

Vel

R. Rad. pyrethr. drachm. ſ. Saponis Venet. drachm. iij. Caſtor. in aq. vitæ diſſolut. drach. ij. Sem. cumin. Carui an. drachm. ij. Ciner. lumbricor. terreſtr. drach. ſ. Ol. ſpicæ unc. ſ. Maſtiches drachm. iij. Ceræ & Tereb. q. ſ.

M. F. ſ. a. Emplaſtrum.

Cap. VIII.

De Herpete.

Herpes *eſt tumor p. n. à bile flava originem habens, cutem exedentibus & ſerpentibus puſtulis defœdans.*

Differentia. Bilis ſola ubi prædominatur, *Herpes exedens* producitur, ubi vero bili pituitæ aliquid miſcetur, *Herpes miliaris.*

Causa, quandoque bilis ſola eſt, aliquando pituitæ mixta Non video tamen cur non ſæpiùs *ſerum* ſanguinis hic aſſumatur; Ductus enim lymphæ malè conſtituti mutationes in corpore humano producunt, antea ignotas.

Signa ſunt puſtulæ exiguæ ſemini milii ſimiles, calor, pruritus, & poſt fricationem humiditas atque ulcuſcula.

Prognosis Herpes difficilis eſt curationis, at minoris periculi, niſi repellentium uſu inordinato periculoſus reddatur.

Curatio. *Diæta* hic eadem convenit, quæ in Eryſipelate. Præter hanc *Purgatio* hic ſummè utilis, *Venæ ſectio* enim damnoſa. *Thermarum* ſingularis hic uſus, aquæ enim ejuſmodi opportuno tempore hauſtæ tutò eum tollunt: *Decoctum Chinæ, ſalſæ, &c.* plurimum etiam conducunt.

Exteriùs multum ſæpè efficimus *ſaliva* jejuni hominis: quòd ſi ad interiora repellatur, febris, aliaque ſymptomata excitantur.

Summo cum ſucceſſu aliquoties adhibitum obſervavi pulverem lapidis ſciſſilis cum aceto mixtum. Sunt qui ſinapi uſurpant cum butyro liquefacto & aſſato; quibus alii pulveris pyrii aliquid addunt. Lixivium præterea, imò urina ipſa in multis quoque profuere. Unguentum fuſcum Felicis Wurtz ſingulare hic eſt, ſimiliter ac Emplaſtrum ſequens.

R. Sarcocollæ, Sulphur. crud. an. drachm. ij. Maſtich. Thuris, Lapid. calaminar. an. unc. ſ. Troch. alb. Rhaſ. Lithargyr. aur. Myrrhæ an. drachm. iij. Sevi hircin. unc. ſ. Ceræ & Terebinth. q. ſ.

M. F. ſ. a. Emplaſtrum.

Pulvis cretæ cum lacte dulci mixtus & illitus certo ſanat, præmiſſa fomentatione calida cum vini Gallici vappa.

In Herpete pertinaci.

R. Ung. fuſci Felic. Wurtz. *drachm. iij. Alb. Camphorat. drachm. j. ſ. Ceruſſæ, Sulphur. Mirrh. an. drachm. j. Lithargyr. drachm. j. ſ. Merc. dulc. Ærugin. æris an. ſcrup. j. ſ. Ol. roſac. q. ſ.*

M F. Unguentum.

Vel

R. Lapid. prunell. drachm. j. Flor. ſulph. unc. ſ. Sal. Saturn. drachm. j. ſ. Ol. rapar. veter. q. ſ.

M. F. Linimentum.

CAP.

Impetigo cùm de herpetum ſit familia, quid ſuper illa differat Clariſſ. Willis ad hujus capitis calcem adducimus.

De Impetigine, ſive Lepra Græcorum.

Impetigo à quibuſdam *Lichen* & *Vitiligo*, atque ab aliis *Lepra Græcorum* appellatur. Hic uti diverſa ſortitur nomina, ita eadem ab Authoribus varie applicantur, & ab iis morbi ſpeciem unam, ab illis aliam deſignare perhibentur. Quare cum affectus hujus appellationes varie confundantur, & forſan quoad naturam, & rationem ejus formalem in diverſis regionibus diverſimodè habuerit, neque prorſus idem ſit in noſtro hoc ſeculo ac fuit olim; idcircò non ex libris, ſed ex propia Ægrotantium obſervatione morbum hunc deſcribere ſatagam.

Impetigo ad hunc modum exoriri, & afficere ſolet, vix. imprimis papillæ, ſive puſtulæ rubræ, modo ſingulares, modo plures congeſtæ, in variis corporis partibus, præſertim vero in brachiis aut cruribus excitantur; quibus ſingulis (morbo incrementum ſumente) undique novæ adjunguntur, & brevi ejuſmodi moleculaum plures velut aggeries, ſive corymbi fiunt. Etenim papillæ juxta unamque ſtirpem, primo indies erumpentes, & latius uſque ſerpentes, ſeſe in orbem diffundunt, adeoque exanthematum aggeries quaſque ampliari faciunt. Cujuſque harum ſuperficies aſpera, & nonnihil albida, & ſquamoſa apparet, unde, ſi ſcalpatur, ſquamæ decidunt, & ichor ſæpe tenuis exudat, qui tamen mox excitatus, in ſquamam rurſus cruſtaceam indureſcit.

Hi papillarum corymbi primo exigui, & pauciores exiſtunt; in brachio, aut crure, aliove, membro ſingulari, tres forſan; aut quatuor ad magnitudinem denarii, aut ſemidrachmæ apparent: poſtea vero, ſi morbus creſcere ſinatur, crebriores ubique erumpunt, quæ quidem, quoad areas ſenſim auctæ, poſtea coronam argenteam æquant aut ſuperant, verum non ſemper rotundæ, aut figuræ regularis, ſed variiformes exiſtunt. Porrò in hoc ſtatu non ſiſtitur, ſed affectus, niſi per medicinam cohibeatur, in pluribus uſque locis ebulliens, & latius ubique ſerpens, tandem haud ſolum membra integra,

ſed

ſed & totum corpus vitiligine leproſa obducet: atque hanc impetiginis ſpeciem, ſive gradum potius ſummum veteres propter efferationem ejus ἄγειαν appellarunt, & plerumque incurabilem cenſurunt.

Hinc morbi hujus differentiæ præcipuæ innoteſcunt; & imprimis, quoad morem ejus plus aut minus malignum, diſtinguitur, juxta quod propius ad ſcabiei, aut Lepræ naturam accedit, vel ſtatu medio ſe habeat. Inſuper notare eſt, affectum hunc quandoque membra quædam ſingularia, uti brachia forſan aut crura, corporis reliqui partibus intactis, infeſtare, interdum vero in iis omnibus ſimul incipere & ubique ſparſim papillas, aut earum corymbos excitare. Porrò hujuſmodi eruptiones in quibuſdam temporariæ, adeoque diverſimodæ exiſtunt; namque in his fere tantum in hyeme infeſtant, circa æſtatem evaneſcentes, item è cõtra in aliis quaſi Brumam horreant, hirundinis adventum & exitum obſervare ſolent: in aliis vero pleriſque hic morbus continuus, nullas inducias concedit imò nullam imò remiſſionem, vel mediocritatem habet.

Porrò impetiginem, à morbis aliis affinibus, atque imprimis à ſcabie, & lepra diſtinguere oportet. A priori differt, quoad puſtularũ formas: namque in Pſora ubique fere ſingulares, & ſpatiis licet exiguis, ab invicem remotæ exiſtunt, hic plures conglobatim, & quaſi per racemos magnis intervallis ſejunctos erumpunt. Verum inter hos affectus, diſcrimen maximum inde naſcitur, quod ſcabies per contagium facillime & vix aliter exoriri aut propagari ſoleat, impetiginis vero infectio tam rara aut nulla eſt, ut miaſma à viro uxorem, aut ab hoc illum aſſidue concumbentibus, minime tranſeat.

Hic morbus etiam à lepra diſcriminatur, tum quoad eruptionis formam, tum reſpectu contagii, quod in hac pariter activum eſt, ac in Pſora, ipſaque ἐξάνθησις multo immanior, & horrendſa eſt, viz. cruſtacea, & ſquamoſa, ubique continua, & per totum corpus diffuſa.

Hinc conſtat impetiginis cauſam materialem, non eſſe humorem mere cutaneum propter miaſma ab extus ſuſceptum, aut ob alias occaſiones depravatum, & à craſi ſua degenerem; quia nimirum, non uti in Pſora per contagium facilè aliis communicatur, neque ſtatim per totum corpus diſpergitur. At vero puſtulę circa morbi initia primo erumpentes, inde procedere videntur, quod in maſſa ſanguinea concretiones quædam acido-ſalivæ (inſtar Tartari in vino) contingunt, quę cum ſubigi, aut rurſus diſſolvi nequeant, hic in cutim, quemadmodum illic in dolii parietes, depelluntur. Hujuſmodi concretiones donec parvæ ac pauciores fuerint, in membro forſan uno, aut altero, perque unicum aut alterum forſan arteriæ ramum in cutim convehuntur; dein quatenus natura, eundem quem cœpit, excretionis modum continuare ſolet, materies per eadem vaſa ad coſdem ubique nidos advecta, juxta puſtulas primas, aliarum circumcirca conſitarum aggeries facit; poſtea vero cum ſanguinis diſcraſia, indies aucta, materies iſta Tartarea intra maſſam ejus uberius progignitur, plures

ejus

ejus portiones per arterias alias, & ſubinde alias exterius convehuntur; & propterea puſtulæ etiam plures, tum in iiſdem, tum in aliis membris erumpunt, quas nova materies per eaſdem arterias continue accedens, & juxta poſita, puſtularum aliarum adjectione indies ampliat ac undique dilatat; & demum ſi hujusmodi ſanguinis Tartarus in immenſum accreſcat, per plurimas, aut ſim. omnes arterias extra delatus, in cute defigetur, & proceſſu temporis ſuperficiem ejus omnem incruſtatione ſquamoſa, aut plane leproſa obducet: atque tunc humor ipſe cutaneus per totum corruptus, in morbi partes cedet; namque hic ſanguinem & humores, dum inter circulandum pertranſeunt, magis inquinando, ſeu potius venenando, materiæ morbificæ penum augeri faciet; quinetiam effluvia ζυμώδη ſive corruptiva à ſe dimittens, ejuſdem morbi contagium aliis tradet.

Itaque affectus hujusce *cauſæ* tum *procatarctica*, tũ *conjuncta*, in eo conſiſtunt, quod imprimis abſque ullo cutis vitio, ſanguinẽ particulis ſalinis diverſimodi diſtatus ac indolis ſaturari cõtingit; (in cujus diatheſeos cauſas προηγμένας mox inquiretur) atqui ſalia iſta, præſertim ubi fixa ac acida præpollent, (uti eorum mos eſt) ſe mutuo prehendunt, adeoque in coagula quaſi Tartarea concreſcunt; quæ portiones in ſanguinem protruſæ, papillarum eruptiones, quaſi totidem morbi hujus nidos inchoãt; dein illæ ſenſim juxta materiæ ſupplementa tum numero, tũ magnitudine indies auctæ, morbi hujus incrementum, & ἀκμὴν producunt.

Ad cauſas προηγμένας & *evidentes* quod ſpectat, duo ſunt præcipua occaſionum genera, à quibus hic affectus plerunque originem ſumit; ſc. mala victus ratio, & morborum aliorum, uti imprimis *ſcorbuti* ac *luis venereæ* male, aut minime curatorum miaſmata in corpore relicta Singulorum ex his rationes paulo expendamus.

Quoad prius, præter communes circa diætam inordinationes, quibus nonnulli carnium ſalitarum, & dein ſole, aut fumo induratarum eſui, ſimulque vinorum acidorum potui nimis dediti, hunc morbum facilè contrahunt; inſuper vulgaris obſervatio eſt, plures in eum à carnis porcinæ & piſcium præcipuè cruſtatorum comeſtione nimis crebra, aut aſſidua diſponi. Prioris inſtantia ſatis notabilis eſt, quod potiſſimum in morbi hujus prophylaxin, cibus iſte Judæis interdicebatur: dein alterius exemplum eſt, quod olim in Anglia Cornubienſes, oram fere undique maritimam incolentes, quatenus ex iis pauperiores ferè tantum piſcibus veſcerentur, affectibus leproſis plurimum obnoxii fiebant, in tantum ut propter horum ſublevamen, multa in ea regione Noſocomia conderentur. Horum rationes ut paucis innuam, opinari ſubeſt utrumque cibum, ſive quà rancidus, ſive alias improportionatus, ſanguini noſtro particulas non rite miſcibiles, aut facilè domabiles convehere, quibus ita heterogeneis, & dein longo talis diætæ uſu in magna copia aggeſtis, particulæ cujuſque generis ſalinæ ſe facilè aſſociant, adeoque coagula Tartarea in cutim exterminanda, & affectus impetiginoſi, aut leproſi

ſeminia conſtituunt.

Attamen uberrima ejus ſeges, à ſcorbuti ac luis venereæ miaſmatis in corpore relictis, & demum quoad ſalium, ac ſulphuris efferatorum combinationes ad ἀκρότητας evectis progignitur. Morbi prioris, & ſpeciatim ſymptomatis prædictis eidē ἐπιγινομένυ rationes alibi explicavimus, quæ ad hypotheſin modo propoſitam accommodatæ magis eluceſcunt. Atque luis venereæ inveteratæ, imò interdū curari viſæ ita paſſim accidit ejuſmodi eruptiones puſtuloſas ſupervenire, ut nullus ferè his affectus, morbi iſtius pudendi ſuſpicione careat; ſaltem medici, quoties in tali caſu conſulitur, prima ſtatim quæſtio eſt, annon patiens iſte labem veneream aliquando prius contraxerit? Enimverò ſanguinis corruptelæ, poſtquam diutina mora heterogeneæ prorſus, ac indomabiles fiunt, tandem particulas ſalinas ſibi conſciſcunt, quibuſcum in coagula ejuſmodi Tartarea concreſcentes, ac in cutim protruſæ, exanthemata impetiginoſa producunt.

Quoad Prognoſin hic morbus, etſi mortem, aut imminens periculum rarò minatur, tamen poſtquam radices altius egit, curatio ejus perdifficilis aut nulla eſt: Impetigo primo incipiens atque puſtulas earumque aggeries, in membro forſan uno aut altero pauciores excitans, quandoque Therapeiam, ſed vix ſine Pharmaca efficaciori procurandam admittit. Sin morbus eo proceſſerit, ut papillarum corymbi crebri, ac lati in toto corpore ſparſim appareant, tunc parva remedia nihil efficiunt, atque magna utcunque ſedulo obſervata curationem non facilè perficiunt. Quod ſi morbus, invitis quibuſque remediis, indies in pejus evectus, tandem in affectionem quaſi leproſam accreſcet, pronunciat Celſus *hanc curari non poſſe, ideoque ab ea abſtinendum eſſe.*

Circa Impetiginis *Therapeiam* duæ ſunt primariæ Indicationes, ſc. *præſervatoria*, quę morbi cauſam, & *curatoria* quæ ſymptoma, viz. eruptionem puſtuloſam reſpicit. *Vitalis* in hoc caſu niſi plane deplorato, ubi ſomnus ac vires deficiunt, rarò locum habet. Medendi methodus ſemper incipere debet ab Indicatione præſervatoria, quæ morbi cauſas per remedia interna amovendas procurat, ſecus enim exteriora ferè nunquam (uti in Pſora) cum fructu adhibentur; attamen præſciſſis intra ſanguinem morbi radicibus efflo reſcentiæ cutaneæ cito emarceſcunt: propter iſtas vero tollendas, alias procedendum erit ratione, quando Impetigo per ſe incipit, & nonnihil diverſa quando ſcorbuto inveterato, aut lui venereæ malæ, aut minimè curatæ ſupervenit; ſingulos hoſce caſus ſeorſim & diſtinctè perpendemus.

Quando igitur hic affectus ſimplex, & primarius item adhuc recens fuerit, cauſæ evidentes & externæ amoveantur; mala victus ratio, & aëris inſalubritas emendentur; itaque cibis ſalſioribus, & porcorum aut piſcium carnibus dudum ac nimis aſſueti, ad diætam εὔχυμον & εὐπέπτον tranſeant; porrò oram maritimam, aut loca paludoſa incolentes, auram deinceps ſicciorem, & apricam hauriant; interea non minor potus ratio habeatur, vitando cerevifiam craſſiorem, & fæculentiorem

lentiorem, atque vina tenuiora, & acida, Tartaro nimis referta: demum caveatur ne potus, vel edulia, parentur ex aquis mineralibus lapideſcere aptis.

2. Reſpectu cauſæ conjunctæ, & procatarcticæ, duæ ſunt præcipuæ medendi intentiones; nempè ut viſcerum, & humorum impuritates cito expurgentur; item ut ſanguinis, & liquoris nervei dyſcraſiæ acidoſalinæ, (quo minus in iis materies Tartarea progignatur) in melius reducantur; propter quos fines, medicamenta tum evacuantia diverſi generis, tum alterantia præſcribi ſolent. Attamen quia non omnia, ſed remedia ferè tantum magna hic conveniunt, ideò quæ potiſſimum in uſu & maximè proficua deprehēduntur, ſunt *Cathartica, Phlebotomia, ſerum lactis, acidulæ chalybeat, herbarum expreſſiones ſucculēta, decoctum ex lignis, medicamenta chalybeata, & ſalivatio*, cujuſque horum formulas quaſdam, ac utendi modos ſubdemus.

Imprimis itaque purgatione univerſali, & Phlebotomia, (quem admodum in Pſoræ Therapeia) celebratis, *infuſio* ſive *Tinctura Cathartica*, ſequens inſtituatur, cujus doſis ℥ j. ad viij. intra vj. vel vij. dies repetenda.

♃. *Radic. Oxylapathi ſiccat. polypodii qu. an.* ℥ß. *ſennæ* ʒx. *epithym* ʒvj. *Rhabarb. Mechoac. ana.* ℥[illegible]. *ſantali citrini* ʒij. *ſpicæ celticæ* ʒß. *ſalis Tartari* ʒjß. *ponantur in vitro cum vini albi lib.* iij. *Aq. florum ſambuci lib.* j. *ſtent clauſa in frigido per dies* iij. *dein in uſum depromantur effundendo quotidie q. ſ. liquoris clari.*

Secundo ad ſanguinem edulcorandum, ejuſque ſales eluendos, ſerum lactis ſimplex, vel cum fumaria, Cichoraceis, & Oxylapatho infuſis bibatur omni mane ad lib. ij. vel iij. per dies xx. vel xxx. ſi ſtomacho congruet; ſimulque veſperi, & mane primo ſumatur doſis Electuarii ſequentis.

♃. *Conſerv. radic. lapathi acuti* ℥vj. *oculor. cancri, Corallii præpar. ana* ʒij. *eboris* ʒj. *pulv. ligni Aloes, ſantal. Citrini, ana* ʒiß. *ſalis prunel.* ʒij. *vitrioli Martis* ʒjß. *ſyrup. è ſucco lujulæ q. ſ. f. Electuarium, doſis* ℥ij.

Tertio propter eandem rationem, qua ſerum lactis, etiam Acidulæ ferratæ, contra hunc morbum præſcribuntur, & non raro inſigniter juvant, quippe cum cætera quęvis medicamenta incaſſum ceſſere, cum his ſolis impetiginem gravem, & pene leproſam aliquoties curavi. Porrò his etiam majoris efficaciæ gratia, ſalis prunel. aut vitrioli Martis, aut Electuarii modo deſcripti uſus commodè adjungatur.

Quarto in quibuſdam ſero nimio, & conſtitutione aquoſiori præditis, ubi ſeri lactis, aut acidularum potus minus convenit, nonnunquam expedit, decoctum ex lignis horis medicis, ac inſuper pro potu ordinario conſtanter ſumi.

♃. *Raſ. ligni ſalicis, lib. ſ. radic. ſarſaparil.* ℥viij. *ſantal. albi, ligni lentiſcin. ana* ℥ij. *raſur. Eboris, C. Cervi, ana* ʒvj. *ſtanni, Antimonii crudi, ana* ℥iiij. *in petia ligat. liqueritæ* ℥j. *ſ. a. infund. & coquantur in aq. fontan. lib.* xvj. *ad medietatem, colatura ſervetur ad uſum.*

Quinto *Medicamenta Chalibeata*, quoniam inter remedia præſtantiora paſſim habentur, raro in hoc morbo

omitti, quamvis non ſæpius cum fructu exhiberi ſolent: pleraque enim ferri præparata, in quibus particulæ ſulphureæ præpollent, quatenus ſanguinem fermentant, inque efferveſcentias ἐκκριτικὸς cient, eruptiones impetiginoſas augeri potius quam diminui faciũt; attamen ſal, ſyrupus, Tinctura & infuſiones vitriolicę, quatenus ſanguinem figunt, & ſalium efferationes nonnihil cohibent, medendi intentioni modo propoſitæ ſatis apte quadrant; ſed potentia minores contra morbum adeo Herculeum minime valent.

Quamobrem, ſexto, his & pleriſquę aliis remediis nihil juvantibus; multi *Salivationem* quaſi Athletam fortiſſimum, ac tanto hoſti unice parem commendant. Attamen prægrandi huic expectationi eventus non ſemper reſpondet; fateor enim me hoc remedium in quatuor perſonis impetigine graviori, & medicamentis aliis obſtinatâ laborantibus, ſine commodo expertum fuiſſe. Quidam ex his per inunctionem ex hydrargyro, aliique per catapotia ex præcipitato ſolari, in ſputationem copioſiſſimam, quam per xx. circiter dies pertulerunt, ciebantur; quo temporis ſpatio elapſo, eruptiones omnes ſquamoſæ, & papillarum Corymbi evanuerunt; nihilominus ad Terapejam confirmandam potus diæteticus ex decocto ſarſæ, cum crebra ſudatione ſubtus cratem & debita purgatione interjecta, inſtitutus per menſem continuabatur: attamen hoc curſu finito, cum nulla tunc impetiginis veſtigia relinqui viderentur, intra menſem alterum, nova ejuſdem morbi ſeges pullulare incipiens, brevi tempore ad ſolitam maturitatem accrevit. Porro cum unus ex iis hanc medicinam repetere, atque alter poſt duas morbi reciduas, eam vice tertia experiri voluit, uterque demum poſt immanes tot ærumnarum perpeſſiones de curationis ſpe decidit: unde conſtat luem veneream, quamvis ſumme malignam, atque ulcera fœdiſſima & Cacoëthea carnes ac oſſa depaſcentia excitantem, multo facilius, certius quam Impetiginem ſanari poſſe.

Cujus ratio ſi inquiratur, obvium erit concipere; poſterioris hujuſce Affectus cauſam, in miaſmate maligno, & prorſus heterogeneo, ſanguinem & liquorem nervoſum ad tempus quoddam inficiente, & quaſi venenante, eorundem vero craſes non prorſus evertente, aut quoad futurum penitus depravante, conſiſtere quapropter à ſalivatione, aut diæta ſudorifica, virus illud totum extirpantibus, atque ſuperſtite dein genuina ſanguinis & humorum indole, cura peragitur: verum in Impetigine graviori, ſanguinis particulæ elementares, & primitus conſtitutivæ corrumpuntur, adeo ut niſi harum craſis, & legitima diatheſis reſtituantur, evacuationes quæcumque, atque materiæ malignæ venenoſæ, aut heterogeneæ cujuſpiam expurgationes, ut ut copioſæ, & eradicativæ, parum aut nihil efficient. Quare non immerito plerique olim celebris medici, morbum hunc confirmatum, ac ad lepræ confinia evectum, vix ac ne vix curabilem cenſuerunt.

2. Hunc morbum ſcorbuto inveterato ſupervenientem, eventus nequicquam melior attendit; forſan hinc

hinc medendi intentiones paulo certiores eliciantur, quando hic affectus, iſtius baſis, ſive radix ſupponitur; nempe ut Indicatione Therapeutica primaria inde ſumta, remediis antiſcorbuticis potiſſimum inſiſtatur; verum hujus generis acria, & calidiora, uti *cochlearia*, *Naſturtia*, *Rhaphanus ſilveſtris*, *piperitis* aliaque ſanguinem nimis incitancia, quatenus craſin ejus plus diſſolvunt, & coagula Tartarea ad cutim uberius propellunt, ſemper noxæ potius quam emolumento eſſe deprehenduntur; atque ob hanc rationem, *Thermarum uſus* ſive *balneatio* in aquis calidis, quæ ſiquidem per diaphoreſin copioſiſſimam totius corporis humores evacuat, atque cutis poros abſterget, ac ſumme mundificat, in hoc morbo valde proficua videatur, ſæpiſſime in tantum à juvando abeſt, ut eruptiones exinde plurimum augeri, & exaſperari ſoleant: novi enim plures haud graviter impetiginoſos, Bathoniam noſtram ad Balneandum in aquis calidis profecto, inde prorſus leproſos rediiſſe. Quapropter, ſi quando hic affectus ſymptoma ſcorbuto ἐπιγινόμενον exiſtit, acrioribus, & elaſticis quibuſque vitatis, temperatiora ſolum, atque *ſale nitroſo*, aut *vitriolico*, aut *volatili* prædita exhibeantur. Cujuſque horum generis ſpecies & formulas quaſdam proponemus; *ſale nitroſo* imprimis præpollent *Chryſtallum minerale*, *herbarum quarundam ſucci*, vel *decocta* & *acidulæ quædam* purgantes.

♃. *Chryſtalli mineralis, ſive nitri ſumme purificat.* ℥j. *florum ſalis Armoniaci* ʒj. *ſimul terantur in mortario vitreo, detur ad* ʒj. *ter aut quater ſpatio* XXIV. *horarum.*

♃. *Folior. ſedi majoris M.ij. contuſa coq. in lactis recentis lib.j.ſſ. donec in ſerum, & coagulum vertatur, colatura facta, liquor clarus ſumatur ad lib.j. bis in die.*

♃. *Foliorum Taraxaci M.vj. in maſſam contuſa ponantur in olla fictili vitreata cum operculo, quæ clibano poſt panes extractos indita, ſtet per horas vi. vel viij. dein maſſa in colum effuſa, liquor clarus effluat, cujus doſis* ℥iiij. *ad vi. ter aut ſæpius in die.*

Fructus Cucumeris virtute nitroſa præditus, & per experientiam contra hunc morbum utilis probatur; quare loco Acetarii, ubertim & ſæpe comedatur; porro tres aut quatuor eorum in taleolas inciſi, aquæ fontanæ lib. iij. per noctem clauſę infundantur, liquori claro effuſo, adde ſalis prunel. ʒij. vel iij. doſis lib. ſſ. ter aut ſæpius in die. In eundem uſum etiam decocta ex foliis, una cum fructibus in aq. fontan, facta conveniunt.

Acidulæ ſive aquæ quædam minerales Catharticæ, cujuſmodi imprimis ſunt iſtæ de *Morth Hall*, Analyſi per evaporationem facta, ſalem nitroſum quo imbuuntur manifeſto referunt, earumque potum per plures dies ad iiij. circiter libras aſſiduum, contra impetiginem leviorem juvare, aliquoties comprobavi.

2. At vero *Acidulas ſale vitriolico* præditas, cujuſmodi ſunt *Spadenſes*, atque noſtrates *Tumbrigenſes*, tum *Aſtropenſes*, iſtis *nitroſis*, imo & quibuſque aliis medicamentis longè pręſtare, & pro curanda impetigine plus

plus valere, ſuperius innui. Quibus, his utendi non datur opportunitas: aquas communes chalybe noſtro impraegnatas, adeoque acidulas iſtas exactiſſime referentes, bono cum ſucceſſu, contra hunc morbum propinare ſoleo. Propter ſales minerales, aut ſaltem ob particulas in iis mercuriales uſu venit, quod *ſtannum* & *Antimonium* pro curanda Impetigine à multis prædicantur, & cum aliis remediis præſcribi ſolent. *Raſura ſtanni*, & *pulvis Antimonii* crudi in cerevisia pro potu ordinario infundantur: item decocta ex *ſarſa* cum lignis contra hunc affectum inſtituta ingrediuntur.

3. *Salis volatilis*, pro impetigine graviori, imo plane leproſa curanda, virtutem inſignem ſatis commendat *vipera*, ejuſque præparatorum uſus. Hoc morbi iſtius Antidotum, experimento caſuali primo inventum fertur, quatenus nempe [uti Galenus refert] potus è lagena cui vipera imponebatur, ad quendam Elephantiaſi laborantem, venenandum, ipſumque adeò è miſeria ſua liberandum datus; protinus in remedium ceſſit, & affectum neci deſtinatum, à morbo inſanabili viſo expedivit. Huc etiam refertur Analogia, ab animalis hujus natura deſumpta, unde colligitur ipſum in hoc morbo juvare: quandoquidem enim *vipera* exuviam ſuam ſquamoſam quotannis deponit, ideò putaret quiſpiam, particulas ejus ad excutiendam leproſi pelliculam cruſtaceam valere; verum his, ut non multum tribuamus, quandoquidem ex crebra obſervatione conſtat remedia viperina in impetigine, ac lepra prodeſſe; certe juvaminis ratio ſali volatili, quo plurimo hoc animal præditum eſt, adſcribi debet. Hujus enim particulæ, ſalia fixa, & acida in affectorum ſanguine præpollentia deſtruunt, eorumque combinationes diſſolvunt; attamen *Sal, ſpiritus* ac *oleum* è viperis chymice extracta, ob particulas quas ab igne extrahunt empyreumaticas, & ſumme elaſticas, in hoc morbo minime conveniunt, uti etiam nec *ſpiritus*, aut *ſal volatilis, C. Cervi, fuliginis, ſanguinis*, aliique conſimilis *Armoniaci*; quia nempe ſanguinem & humores ſupra modum exagitandos, eorum craſes diſſolvi, & corruptelas uberius in cutim propelli faciunt. Quare ſimpliciora *viperarum præparata* uti *juſcula* ex earum carnibus Aquæ incoctis; *potus* earundem infuſionibus, aut incoctionibus impraegnati, atque pulveres ex iis ſiccatis & tritis confecti, contra hunc morbum utilius præſcribuntur. Porrò non tantum *viperarum*, ſed alius generis *Anguium* ovipararum carnes elixæ, & loco cibi ordinarii comeſtæ, opem ſæpe egregiam præſtant.

3. *Impetigo*, ſive papillarum eruptiones ſquamoſæ, & in figuras velut corymbeas efformatæ, *ſuis venereæ* inveteratæ, adeo frequens, & familiare ſymptoma eſt, ut quoſvis affectione iſta laborantes, annon aliquod iſtius malignitatis cujus conſcii ſunt lateat, imprimis interrogemus; atque ita rem habere ſi deprehenditur, ſtatim *ſpecificis* contra hunc morbum quibuſdam ac *Antiſcorbuticis* omiſſis, protinus ad *decocta ex lignis*, iiſque parum, aut minime juvantibus, ad medica-

medicamenta ex *hydrargyro* deveniendum erit. Et quidem hac methodo, plures pro impetiginoſis, & leproſis habitos, cumque aliis remediis ad hos morbos appropriatis diu incaſſum tractatos, & miſere divexatos, facile ac cito curavi: atque hanc impetiginis ſpeciem, ad luis venereæ, cujus appendix eſt, *Pathologiam* referimus.

Indicatio ſecunda Curatoria, *morbum* ipſum & *ſymptoma* primarium, ſc. Eruptiones ſquamoſas, & puſtularum corymbos reſpiciens, *remedia Topica* cuti exteriori, propter affectus hoſce tollendos adhibenda præſcribit: in quem finem *balnea*, & *lineminta* imprimis conveniunt: quæ tamen niſi cauſa procatarctica, viz. *ſanguinis diatheſis Tartarea* prius expurgetur, raro aut nunquam per ſe juvant.

Hujuſmodi *Topicorum* farrago ingens, tum apud Authores medicos, tum apud empiricos, & agyrtas vulgo proſtat: è quibus tamen univerſis, *Balnea* aut *linimenta è pice liquida* confecta, cæteris quibuſque utriuſque generis remediis longe præſtant, revera ut illis unicis, niſi quod odorem valdè tetrum emittunt, utendum fuerit; quapropter compoſitionum, & cum & ſine *pice liquida formulas* quaſdam ſubdemus.

Itaque pro *Balneis* uſitatum eſt, *aquas* doliis, in quibus pix liquida includebatur, aliquandiu contentas, & infuſione imprægnatas adhibere: vel

℞. Picis liquidæ lib. ij. *incorporetur cum cineribus albis*, *& cribratis in maſſam craſſiuſculam*, *quæ coq. in aq. fontan. ſ. q. addendo folior. hederæ terreſtris*, *fumariæ*, *Marrubij albi*, *radic. lapathi acuti*, *Enulæ Campan. an*, *M.* iiij. *f. Balneum cum regimine uſurpandum*: *vel paretur hujuſmodi decoctum*, *ſine pice liquida*, *pro impetiginoſis odorem ejus horrentibus.*

Balnea ſulphurea, tum *Naturalia*, tum *artificialia* minus convenire, imò priora ſæpiùs officere, crebra experientia deprehenditur: quin etiam *Balneatio* quæcunque caute admodum adhiberi debet: nam quatenus adminiſtratio hæc ſanguinem exagitat, & effervefacit, craſin ejus (uti modo dictum eſt) plus diſſolvere, & corruptelas in cutim uberius ſuffundere periclitatur.

2. *Linimenta* quorum uſus & tutior, & commodior eſt, triplicis ſunt generis ſive gradus, ſc. *lenia*, *mediocria*, *fortiſſima*, cujuſque horum exemplar unum aut alterum proponemus.

1. Primo igitur in *Impetigine leviori*, ubi eruptiones & papillarum corymbi pauciores, & perexigui ſunt, commendatur *ſaliva jejuna*; item liquor ex lignis viridibus, dum uruntur exudans; item mera fricatio cum radicibus lapathi acuti contuſ. & aceto macerat. Vel,

℞. Olei Tartari per deliquium, *olei nucum*, *vel Amygdal. amararum per expreſſionem*, *ana p. a. f. linimentum locis affectis bis in die adhibendum.*

2. Secundi Generis linimenta, pix liquida ingredi, ad inſtar omnium haberi ſolet.

℞. Unguenti roſacei ℥vj. *picis liquidæ* ℥ij. *ſimul liquefacta miſceantur Vel*,

℞. Portionem carnis vervecinæ pinguiorem, *quæ fruſtis radic. lapathi acuti*, *conſita*, *& veru infixa*, *aſſetur: atque interea*, *dum pice liquida ſenſim inſtillata*

inſtillata continue imbuitur, utriuſque deliquium, in vaſe ſuppoſita exceptum, pro unguento ad impetiginem praſtantiſſimo ſervetur.

3. Linimenta contra hunc affectum fortiſſima, ſunt Mercurialia, quæ nimirum aut hydrargyro, aut præcipitato conſtant. Prioris formulæ, & compoſitio eadem ſit, ac quæ ſupra contra ſcabiem præſcribitur. Quoad alterum.

℞. *Pracipitati albi* ℥iij. *unguenti roſacei* ℥iij. *miſce, pro litu partium maxime affectarum:* horum uſus in hoc morbo maxime ſuſpectus eſſe debet; nam ſi forte ſputatio ciebitur, materiæ poris cutaneis impactæ ſaburra perquam immenſa movebitur, quæ ſi tota confertim nimis verſus ductus ſalivales irruens, circa gutturis partes aggeretur, ſuffocationis periculum incurretur.

Ante aliquot annos *Virgo illuſtris* familiæ, temperamenti calidioris, utpotè ſanguine acriori, & ſalſo originaliter prædita, poſtquam *Impetigini* perdiu, fere uſque ab Ephebis obnoxia degiſſet, circa pubertatem, graviori modo, eadem laborare cœpit; nam puſtularum ſquamoſarum Corymbi, non tantum brachia, & crura, aliaſque corporis partes obtectas, ubique obſiderunt, ſed etiam manus, & faciem, in tantum defœdarant, illam ut in publicum incedere, cumque aliis ordinis ſui converſari puderet. Remedia minora fere innumera, ſine ullo ſucceſſu adhibebantur; Thermarum uſu primo melius habere viſa, exinde tandem deterior facta eſt. Acidulæ Aſtropenſes, quæ nonnullos impetiginoſos integre ſanarunt, huic parum, aut nihil opis contulerunt. Quapropter cum methodus quæpiam ordinaria minus affeciſſet, propoſui demum ut ſalivationem, quaſi remedium cęteris quibuſque potentius (ac uti dicitur) ultimum, experiretur. Huic conſilio cum & patiens, & parentes ejus facile conſentirent, ſtatim corpore per Catharſin, & Phlebotomiam rite pręparato, juxta morem noſtrum, exhibui *pilulas ex pracipitato ſolari* per duos dies, & poſt unius intervallum, & Pharmaco tertia vice repetito, ſputatio copioſa & laudabilis incepit, & ſine malo quovis ſymptomate per menſem proceſſit; cui tamen in debito tenore ſuſtinendæ, artuum juncturis, & locis maxime affectis, modo his, modo illis, *litum ſubinde mercurialem* applicandum curavi. Ante curſum hunc finitum eruptiones omnes evanuerunt: nihilominus in medelæ confirmationes, ſimulque ob Hydrargyri extirpationem, menſem alterum purgationi, ſudationi ſubtus cratim, & diætæ ex decocto ſarſæ, chinæ, &c. impendebat; quo tempore perfecte ſanari viſa, ita per quadraginta circiter dies perſtitit. Dein vero, quamvis exactam victus rationem obſervaret, morbus idem repullulare cœpit, atque ſenſim accreſcns, demum in ſtatum uti prius ἄγειον aſſurrexit. Hoc verum eventu confuſus, ſuaſi ut à fluxu menſtruo qui nondum eruptus, brevi expectabatur, alterationem in melius ſperaret. Attamen poſt longam inde moram, ἔκκρισις iſta tandem eveniens, & deinceps regulariter habens, nullam morbi iſtius curam aut levamen, ſed potius exacer-

Cap. IX.

De Atheromate, Steatomate, & Meliceride.

ATHEROMA *tumor eſt præternaturalis propria tunica contentus, originem ducens ab humore pulti ſimili, ſine dolore, ſimplicis coloris, nec digitis facilè cedens, nec, iis remotis, facilè iterum extuberans.*

STE-

cerbationem intulit. Quare iterum ad Pharmaciam recurſus habetur, atque remedia diverſimoda, cujuſque fere generis tentantur: quæ cum omnia incaſſum fuerint, efflagitabant amici, ut ſalivationis curſum denuo ſubiret; viz. in hanc ſpem adducti, methodum iſtam, quæ imprimis pro tempore brevi curarat, ſecunda vice adhibitam, pro longiori ſaltem, aut forſan integre ſanaturam. Itaque ex illorum votis, eodem ſputationis, & ſudationis curſu per bimeſtre ſpatium repetito, indeque puſtulis, & eruptionibus ſquamoſis, ubique evanidis, puella inſignis tunc denuo ad valetudinem recuperari videbatur. Verum intra ſeſquimenſem, à medicina finita papillæ, earumque aggeries, ſive Corymbi rurſus apparent, atque ſenſim indies numero ac mole auctæ, tandem majorem quam antea totius corporis defædationem accivere: adeo morbus iſte, Hydræ ſimilis poſt unum caput amputatum, cum ſeptemplici reviviſcit.

Novi alium virum robuſtum, & habitu corporis Athletico præditum, qui poſtquam Impetigine per multos annos laboraſſet, morbo tandem ingraveſcente, ac ad ſtatum ἄγειον evecto, per totum corpus vitiligine alba, & quaſi leproſa obducebatur; ut unaquaque nocte, ſquamæ inſtar furfurum magna copia intra lectum deciduæ, in acervos colligi potuerint. Hic curationis ergo, imprimis remedia cujuſque fere generis ordinaria, ſine ullo tamen fructu tentabat; deinde vero ſalivationem ex Mercurio leviorem expertus, nihilo melius habuit; poſtmodum ea methodo repetita, à ſputatione longa & graviori ad ſanitatem reſtitui videbatur; verum intra tres menſes, idem morbus repullulans brevi ad priſtinam feritatem pervenit; quinimo cum tertia vice moleſtiſſimum illud medelæ genus ſubiret, affectus iſte pro tempore quodam abigi viſus, redibat; & deinceps invitis tum hac, tum alia quacunque methodo durante patientis vita, Tyrannidem ſuam exercuit. Non opus erit de *Lepra* hic quidquam diſſerere, quæ morbi prioris tantum gradus intenſior, medelam fere nullam admittit. Quod ſpectat ad alios Tumores, eorumque ſc. ſpecies multiplices, & cujuſque illorum Ætiologias diverſimodas, fateor me vix continere poſſe, quo minus in amœniſſimum hunc ſpeculationis campum deſcenderem. Verum hoc perinde ἄλογον ac inſolens videatur, ac ſi quis longo curſu defatigatus, ac ad finem anhelans, ultra metam excurrens, illico ſtadium inchoaret novum.

Lupiæ

STEATOMA *tumor eſt præternaturalis propria tunica contentus, originem trahens à materia ſebo ſimili ejuſdem ubique coloris, mollis, ab exiguo principio augmentum paulatim ſumens, digitis difficulter cedens, at iis remotis facilè ad primam magnitudinem rediens.*

MELICERIS *tumor eſt p. n. propria tunica concluſus, ortus ab humore melli ſimili, ſine dolore, rotundus, & facilè cedens digitis, & iis ablatis, facilè iterum ad priſtinam figuram rediens.*

DIFFERENTIA. Materia hæc melli, ſebo, aut pulti ſimilis circa articulos ſe congregans *Ganglion*, & circa colli glandulas *Glandula*, *ſcrophula* ſive *ſtruma* dicitur; ſed in brachiis, pedibus aut capite *Tubercula*, & ſi ex lue Venerea, *Tophum*, conſtituit.

CAUSA horum tumorum *pituita* eſt, in uno magis, in altero minus à naturali conſtitutione recedens, quandoque, aſt rariùs, melancholiæ mixta.

SIGNA eorum definitione exhibentur.

PROGNOSIS. Rariſſimè ſine Chirurgiæ ope curantur. Quòd ſi veſicula rumpatur, aut tota non auferatur, fiſtula ferè aut ulcus fœdum remanet, quod difficilis & tardæ curationis eſt.

CURATIO. Tolluntur quandoque, licèt rariùs, *Diſſipantibus* fortioribus: Balſamo Peruviano aliquot curavi: Emplaſtro oxycroceo aliqui utuntur, aut ſequenti:

R. Ladani unc. j. Myrrh. rub. drachm. iij. Camphor. drachm. j.
M. F. Emplaſtrum.

Aliud:

R. Gummi ſagapen. Ammoniac. an. unc. ſ. Rad. pyrethr. Euphorbii an. ſcrup. j. ſ. Sulphur. drachm. iij. Ol. ſuccin. drachm. j.
M. F. Emplaſtrum.

Quod ſi materia ſua ex membrana, ruptione facta, exierit, *exedentia* ſ. *corrodentia* adhibenda, alia enim nimis debilia forent.

Exedentia, Corroſiva, Cathæretica.

Radices Hellebori nigri. Gallæ uſtæ, Nuclei dactylorum combuſti. Ærugo æris, Alumen uſtum. Calx viva. Vitriolum. Mercurius ſublimatus & præcipitatus. Spiritus & oleum vitrioli. Spiritus ſalis, Liquor tartari. Unguentum Ægyptiacum, Fuſcum Felicis Wurtz. Cinis quercus, ſarmentorum vitis, &c.

Placet

Placet nonnullis Arſenico hic uti, & Auripigmento, aſt non niſi ſummo cum periculo uſurpantur iis in locis, ex anatome cognoſcendis, quibus nervi accumbunt. Cuti carnoſiſque excreſcentiis minori cum periculo applicari poſſunt.

Unguentum plerumque ſequens ſufficit.

R. Vitrioli optime dulcific. drachm. j. *Ærug. æris ſcr.* j. *Vng. Ægypt. unc.* ſ.
M. F. Vnguentum.

Siquidem ad ſuppurationem tenderint, quod tamen rariſſimum, naturam Chirurgus adjuvet *maturantibus*.

At omnium tutiſſima via tumores hos auferendi ea eſt, quam cap. 8. partis primæ monſtravimus. [a]

CAP.

[a] Lupiæ quæ ut plurimum de genere atheromatum, ſteatomatum, aut meliceridum ſunt, ſi pharmaciæ non cedant, chirurgia avelli debent. Remedia quod ſpectat, præter ea quæ adducit Autor, non inutile fuerit adjicere fæculentiam illam quæ è limacibus rubris per quatriduum in vaſe terreo cum pauco ſale detentis, educitur; & ſi videas tumorem ſic evaneſcere, adhibebis laminam plumbeam cum pauco mercurio currente amalgamatam, eamque ad magnitudinem lupiæ efformatam, deſuper eam fortiter ligabis, impoſitis prætere a laminæ ſtupis albuminibus ovorum, ſale & alumine imbutis; hoc etiam remedium ganglium, (de quo hiſtoriam mox ex Clar. Joh. Muys adducemus) diſcutit. Chirurgia tumoribus hiſce medetur, eos vel novacula exſcindendo, vel ligatura, aut remediis cauſticis conſumendo, dummodo vaſis grandioribus, nervis, aut tendinibus non adhæreant. Si baſis minor fuerit, facilè erit illam unico filo colligare; ſi verò fuerit craſſior per ejus medium tranſigenda eſt acus filo induta, per cujus extrema ab utraque parte conſtringetur; nam ſi unico filo, aut funiculo circum baſim convoluto illud perageretur, ſtatim ac tumor marceſceret, ligatura eum non ampliùs conſtringeret, ſicque vel ſingulis diebus de novo conſtringendum foret, quod dolorem ſæpiùs quàm par eſt renovaret, vel per ligaturam tentata exciſio non obtineretur. Quòd ſi tumoris baſis tam magna fuerit, ut nulla ratione per ligaturam ſanari poſſit, ille eſt novacula amovendus, & propterea inciſio in tumoris cute deducetur longitudinalis, advertendo ne chyſtus ſeu folliculus novacula attingatur poſtea, à partibus quibus adhæret ſeparabitur, cavendo ne folliculi particula aliqua ſuperſit, quæ igne etiam, ſi aliàs fieri non poſſet, veniret conſumenda. Vulnus ad inſtar aliorum vulnerum recentium curabitur. Si tumor ejuſque baſis, tam fuerit magnus ut unica inciſio non ſufficiat, cruciatim incidendus erit ad ſuas uſque radices, poſtque ſeparata,

per excoriationem cute, ejus baſis novacula in circulum deducta quaſi enucleabitur, & funiculus duplicatus per acum tranſmiſſus circum illam validè contorquebitur, ut hęmorrhagiam arceat, dum radices & vaſa tumorem enutrientia reſcindentur, quod fiet dimidio ſupra ligaturam tranſverſo digito; ſi nimium cutis pro vulnere contegendo ſuperſit, quod ſuperfluum eſt exſcindetur, vulnuſque pro more aliorum tractabitur.

Ganglium in lupiarum claſſe vulgò reponitur, etiamſi aliqua inter ea intercedat differentia, quæ tamen cùm ad praxim, quam hic præcipuè illuſtramus, non multùm faciat, ſufficiat impręſentiarum, illius hiſtoriam & curationem è Clar. Joh. Muys Chirurg. rationali adferre. Adoleſcens, inquit ille, ſedecim annos natus, conquerebatur de tumore duro, indolenteque, qui in ſuperna manus dextræ parte ſitus, mole ſua nucem avellanam adæquabat, eratque ejuſdem cum cute ſana coloris; atque jam tertius menſis erat, ex quo æger poſt laborem conſueto majorem hoc malo affectus eſt. Jacebat nempè tendo in ſuperna manus parte, cujus tubuli ab inſueto labore ita diſtorquebantur, ut humores in circulatione, multas obſtructiones pro obſtaculo offendentes, ſtagnarent in tubulis tendinis, tandemque ab humoribus à tergo inſequentibus, propellerentur uſque ad membranam illam quæ tendinem inveſtit, ubi, efformata ſibi cavitate, colligebantur & concreſcebant aliquatenus particulæ viſcoſiores, tenuioribus interim abeuntibus, & ſic exortus eſt tumor, de quo hic ago, & qui ganglii nomine à pleriſque appellatur. Ego pollice manus meæ tumorem hunc validè ſatis compreſſi, eumque hoc pacto extemplo evaneſcere vidi, dum ſc. vi compreſſionis humores tumorem conſtituentes protrudebantur iterum quaquaverſum per tubulos tendinis.

Sed quia obſtructiones ſic nondum ſublatæ erant, ideò recidivæ formidine tenebar, quapropter ad humores viſcoſos attenuandos, & obſtructiones reliquas tollendas, impoſui emplaſtrum de ranis cum mercurio, & ſtrictam ſatis ligaturam, quæ impediebat, ne humores viſcoſi in conſueta cavitate iterum, ut antè, congregarentur. Sed ubi tumor hic jam per aliquot annos duravit, tunc à pollice comprimente tolli non poteſt, ſed adhibenda eſt ferula lignea, non differens ab illa, quâ præceptores in caſtigandis pueris utuntur, niſi quòd plumbi portio in illius medio infuſa jaceat; & talis ferulæ unico ictu, ægroti facie à manu affecta in dorſum averſa, prorſus evaneſcere vidi ganglium, quod per quadriennium patientem vexaverat, cujus medela tunc brevi per emplaſtrum hic citatum, & ſtrictam ligaturam abſoluta fuit.

CAP. X.

De Scrophulis, ſ. Strumis.

STRUMÆ ſ. SCROPHULÆ *tumores ſunt præternaturales propria tunica contenti, ex humore melancholico & pituitoſo originem habentes, atque tuberculorum ſpecie in collo lociſque vicinis prodeuntes.*

DIFFERENTIA. Mobiles aliquando ſunt, aliquando fixæ: aliquando ſimplices ſunt, & aliquando plures reperiuntur.

CAUSA. *Melancholia* eſt, aut *Pituita*, aut utraque mixta.

SIGNA. Tumor durus eſt, inæqualis, & rariſſimè dolorificus.

PROGNOSIS. Tumores hi tardioris difficiliorîſque curationis ſunt, imprimis ſi plures fuerint aut immobiles. Periculoſi ſunt, cum dolorifici evadunt, & in cancrum degenerare minantur, aut ſi nervo, aut inſigni venæ adhærent. Hæreditarii aliquando ſunt, nonnunquam certæ regioni aut civitati endemii. Curati plerumque cicatricem turpem relinquunt. Nervus recurrens ubi diſſecatur vox perit, ſæpe vita ipſa.

CURATIO. *Diæta* eadem hic obſervanda quæ in Oedemate aut Scirrho.

Purgatio neceſſaria, *Venæ ſectio* minus. *Sudoris provocatio* eodem modo & mediis, ut in lue Venerea, inſtituta, plurimum hic efficit, imo vel ſola ſtrumas tollit.

Quandoque mediis internis, quibus vis ſingularis ſcrophulas curandi tribuitur, conſumuntur.

Talia ſunt.

Rad. Ariſtolochiæ rot. Bryoniæ, Cyclaminis, Filipendulæ, Morſus diaboli, Iridis, Pimpinellę, Pyrethri, Scillę, Verbenę, Scrophulariæ. Folia Cupreſſi, Apiaſtri, Rutę, Satureię. Flores geniſtę. Cancri combuſt. Teſtæ ovorum uſtæ, Sal gemmę, Spongia.

Spongiæ recentes valde commendantur, ſi vel decoquantur in cereviſia, pro potu, bis terve de die ſumendo; vel calcinentur, pulveriſque drachm. ſ. tempore matutino & veſpertino exhibeatur. Sunt qui Pulverem ſeq. valde laudant.

R. Cineris ſpongiæ marinæ, Oſſis ſepiæ, Piperis longi, Cinamomi, Salis

Gemmæ, Pyrethri, Nucum cupreſſi, Gallarum quercus, Flor. roſar. rubr. an. unc. ſ.

M. F. Pulvis. Doſis ſcr. ij. vel drachm. j.

Vel

℞. Lapid. ſpongiæ drachm. iij. Sal. gemmæ drachm. ij. Tartari drachm. j.

M. F. Pulvis. Doſis ſcr. ij. vel drachm. j.

Extrinſece Reſolventia & *Emollientia* medicamenta uſurpantur; his nihil efficientibus *Suppurantia* adhibentur. Suppuratione facta, ulceris maligni curatio inſtituenda.

Quod ſi prædicta nihil præſtent, ad *Corroſiva media*, imò tandem ad *ferrum* ipſum accedimus.

Emplaſtrum egregiè reſolvens & emolliens.

℞. Gum. Galban. Ammoniac. Bdellii an. unc. ſ. Bacc. laur. Staphydis agriæ, Pyrethri, Cumini an. drachm. vj. Stercoris columbin. drachm. j. Caprini drachm. iij. Axung. porci, unc. j. ſ. Ol. Chamomil. unc. j. Ceræ & picis q. ſ.

M. F. Emplaſtrum.

Linimentum, quo humorum affluxus impediri, ſcrophulæque ſæpius in totum tolli poſſunt.

℞. Ol. myrtin. laurin. an. unc. ſ. Ung. martiat. unc. j. Argenti vivi florib. ſulph. extincti drachm. vj.

M. F. Unguentum.

Inungantur eo ſcrophulæ bis de die, ſi non conſumentur, ad minimum imminuentur; Verum quotidie os ægrotantis inſpicere tenetur Chirurgus: nam ſi linguæ aut gingivarum intumeſcentiam reperiat, ab unguento hoc abſtinere debet; alias enim continua ſequeretur ſalivatio. Emplaſtrum de Ranis cum Mercurio hoc in caſu etiam prodeſt.

℞. Gumm. Carann. unc. j. Mercurii vivi tereb. extinct. drachm. iij.

M. F. Emplaſtrum.

Dolor ubi adeſt, emplaſtro huic addi poteſt Opii drachma; ipſi enim & reſolvendi, & dolorem ſedandi, minime autem frigida, ſed calida vis ineſt.

Medicamenta ſuppurantia cap. II. exhibentur, corrodentia cap. præcedenti.

In ſcrophulis ſuppuratis atque apertis valde probatur linimentum ſequens.

℞. Ol.

R. Ol. laurin. Ceruſſ. pulv. & aqua vitæ lavigatæ an. unc. j. Alum. rochæ unc. ſ. Salis drachm. ij.

M. F. Unguentum. [a]

CAP.

[a] Si tumores ſcrophuloſi, diæta, purgationibus & topicis diſcuti non potuerint, tribus mediis amoventur, ſc. vel ferro, vel remediis cauſticis, vel ligatura. Qui ſunt mobiles, benigni & indolentes, ferro curantur; qui immobiles, profundi, vaſiſque inſerti, & largiores ſpargunt radices, cauſticis, qui verò radicem habent tenuem, ligatura ſanantur. Si inciſio fuerit peragenda, æger in lecto aut ſedili collocabitur, tumque Chirurgus ſcrophulam ſiniſtra arripiet, eamque quantùm poterit extrahet, & cultro inciſionem ſecundùm fibrarum decurſum perficiet, hic decurſus in omnibus propè corporis partibus per longitudinem ipſam membri exporrigitur, præterquàm in collo, axillis, & inguinibus, ubi ſc. fibræ tranſverſim decurrunt. Si tumor fuerit grandior, inciſio cruciatim fieri debet, aut ſaltem ad formam folii myrthi. Poſtea blandè veniunt detegendæ venæ & arteriæ, atque ad latus trudendæ; tum hamis dilatentur & ulterius aperiantur inciſionis margines, & digitis linteis inſtructis, vel ſcalpelli manubrio, ſenſim ſeparentur mẽbranę, ſcrophulas inveſtientes, & cum ſcrophula ſic tota fuerit detecta, avelletur, & radicitus reſcindetur. Advertendum interea ne grandiora vaſa ſc. jugulares venæ, arteriæ carotides, nervi ve recurrentes, lædãtur; nam ab horum, ſc. nervorum recurrentium læſione, mutus fit æger; ut patebit exẽplo in hiſtoria Broncocele ex Clari. de Diemerbroeck mox adducendo; è venarum verò vel arteriarum læſione hæmorrhagia aleæ plena excitatur; Interim ſi hæc eveniat, vas læſum filo cerato colligandum eſt. Poterit etiam ſupprimi hæmorrhagia minor, admoto goſſipio uſto, vel vitriolo calcinato, vel pulvere ſtyptico Fabricii Hildani cujus baſis eſt ranarum pulvis, ſingulari, quem ipſe deſcribit modo, præparatus. Methodus conſumendarum ſcrophularum cum remediis cauſticis hæc eſt, in ipſarum medium inſinuatur cauterium, vel actuale, vel potentiale; poſt corrodentibus, & putrefacientibus, (qualia ſunt ſandaracha, arſenicum, & præcipuè illius oleum anodynum ritè paratum, oleum vitrioli, calx viva ſaponi admiſta, axungia porcina pauco ſublimato corroſivo prægnans, mercurius pulveratus, pulvis ex herinaceis combuſtis oſſibus ſepiæ, auripigmento; trochiſci de minio) glandula ejuſdemque folliculus abſumitur, vicinis interim partibus deſenſiva apta applicando, ne ſc. inflammatio, vel corruptio ad illas ſerpant. Peculiaris efficaciæ eſt applicatio ſequens. ♃. Mercurii corroſivi quant. videbitur, tere in mortario, & admiſce mercurii currentis quantum abſorbere valebit, miſturam exprime, ut quicquid mercurii currentis non fuerit unitum ſeparetur, poſt illam immitte in aquam, aut potius ſuccum depuratum ſolani, vaſque ſoli expone, ter aquam, ſive ſuccum

ſuccum decanta, & pulverem ſic paratum axungiæ porcinæ admiſce ea quantitate, quam complecti valebit, indeque fiat Cataplaſma ſcrophuloſis glandulis imponendum, illas intactis vaſis putrefaciet, nec dolores maximos ciebit; Prima applicatio per quatriduum immota perſtet, illaque pro exigentia iteretur, linamentis ſiccis iis locis ſemper impoſitis, in quos per Cataplaſma ſatis profundè actum fuerit. Cicatricem quod ſpectat ea minus deformis evadet, adhibito oleo myrrhæ ex albumine ovorum per deliquium parato, & oleo è vitellis ovorum maritato. Ligatura curantur ſcrophulę baſis tenuioris, in eamque adhibentur vel pili equini, vel filum cannabinum, vel ſericum, quæ aliqui aqua arſenici priùs intingunt, ſingulisque diebus magis, ac magis conſtringendo, tandem tumorem præ nutrimenti defectu excidere cogunt.

Atque hæc de ſcrophulis; De Bronchocele de qua ne verbum quidem Autor jam aliquid addamus.

De Bronchocele, ſeu Hernia Gutturali.

Bronchocele, Hernia gutturalis, aliis Struma, tumor eſt colli præternaturalis, magnus & æqualis, atque ut plurimum indolens.

Illius plures dantur differentiæ; nam aliquando de ſteatomatum, aliquando atheromatum, aliquando meliceridum, genere eſt; aliquando purum exiſtit ſarcoma, cujus ſc. materia eſt caro hebes & ſtupida; aliquando materiam thophoſam, aliquando tartaream, aliquando gypſeam, aliquando lapideam, aliquando oſſa, aliquando filamenta & quaſi pilos, aliquando carbones & alia non minùs prodigioſa concludit, ut nos ex parte vidimus, & alii ulterius ſe vidiſſe enarrant. Satis ex hiſce patet nos de vera & genuina hernia gutturis ſeu tracheæ, (quæ rara admodum, & propè inaudita, in praxi,) & à diſtentis fiſtulæ pulmonalis membranis oritur, unde & vox & reſpiratio non parum impediuntur, imò etiam ſupprimuntur, verba non facere; neque etiam de tumoribus à dilatatis colli venis aut arteriis, in quarum illis mollicies multa cum retroceſſione materiæ per compreſſionem, in his verò pulſatio magna reperitur; ſed de tumore grandiore colli à vario infarctu orto, vel ſarcomate ibidem efformato. Tumor hic aliquando ita magnus exiſtit, ut in totum fermè guttur expanſum cernatur.

Cauſa conjuncta eſt pituita ſeu lympha viſcidior, ſale multo, particulisque terreſtrioribus impregnata, unde pro varia ſua coagulatione & concretione, varias etiam ementitur materiarum ſpecies. Hæc autem pituita à ſanguine ad colli glandulas amandatur, poſtquam ibidem fuit collecta, propter cauſam aliquam antecedentem, victus nimirum rationem illi cumulandæ aptam, aquarum pro potu ordinario uſurpaturum ſpecificam qualitatem, (propterea endemius eſt hic affectus, ex parte Sabaudis, Allobrogibus, & iis qui Alpes & Pyrenæos montes incolunt, qui aquis gelidis, quales de rupibus ſcaturiunt uti coguntur) Ventriculi debilitatem, cibis diſſolvendis imparem, &c. Adde aliquando pro ejuſdem pituitæ, ad partes

tes, glandulas & membranas juxta laryngem ſitas, derivatione, cauſam aliquam evidentem nimirum vim factam partibus iſtis, vel præ nimio niſu, in partu difficiliori, vel præ nimiis clamoribus in diuturnioribus atque intenſioribus doloribus, &c. unde lacerata compage glandularum, diductis earundem membranis, & impetuoſius lympha in ipſas devecta, non mirum ſi tum ipſius lymphæ, tum ſalivalis materiæ effuſiones in viciniam fiant, quæ mora congelatæ, ſenſim magis ac magis indurantur, dum ſc. evolante aquoſiori motuique aptiori parte, terreſtrior, quaſi caput mortuum, in dies ulteriùs deſiccatur, atque poſtea compreſſione qua viciniam urget dum circulationem in vaſis varii generis, vel omnino impedit, vel remoratur, magis ac magis continuò augetur. Rationibus mox enarratis alia etiam addi poteſt, ſc. obſtructio in ipſo parotydum conglomeratarum, aut conglobatarum corpore, vel in vaſorum ſalivalium truncis, aut eorundem ramis aliquibus, enata; ſic enim vel ſeri tranſcolatione per glandulas impedita, vel ſeri in glandulis tranſcolati, & ad os continuò derivandi, via obſtructa, moras trahit illud ſerum, & moras trahendo inſpſſiatur.

De parte amandante, non mihi ſanè convenit cum quibuſdam, qui è cerebro humorem depluere, per ſibi ignotas vias, nullique unquam demonſtrabiles, aſſerunt: Quale enim cerebro cum partibus colli exterioribus commercium, præter illud quod per ſpiritus animales peragitur. Concedam forſitan ex ſyſtemate eorum qui ſuccum tuentur nervoſum, aliquando eò morbi deduci poſſe eum ſuccum, ut non ampliùs ſpirituum animalium vehendorum officio, fungi valeat, ſed potiùs fermenti ſero coagulando apprimè inſervientis vices gerat. Sic non tamen tota tumoris ſtrumas conſtituentis materia, è cerebro depluere dicatur; nam quis non videt morboſi iſtius muneris partem præcipuam, imò auſim prope dicere integram ſanguini deberi, qui dum ſero nimiùm coagulabili imbutus, ſalibusque fixioribus & motui ineptioribus imprægnatus reperitur, aliquid ſarcinæ ſuæ in glandulis per quas filtratur neceſſariò deponit, præſertim ſi præ fermenti aliundè advecti vi, ſalium illorũ atque terreſtriorũ particularũ, præcipitatio priùs in glandulis fiat, ſique, vel frigus externum, vel pororum immutatio per contuſionem, aut alia id genus, præceſſerint.

Prognoſim quod attinet, ſi tumor hic fuerit ſcirrhoſus, in cancrum quàm facillimè abit, nec eſt quòd aliquid per chirurgiam moliaris, quandoquidem ſic fieret tantùm irritatio multa, quæ vitari & declinari totis viribus debet. Si ex tactu appareat, nec majoribus vaſis, nec nervis, nec profũdioribus colli partibus adhæreſcere, nec interim tamen medicamentis cedat, eſt ſanè quòd aliq; per cultrum & ignem, nec fruſtrà tentes. Si verò humor intercutaneus fuerit, nec profundius infiltretur, aut ejus malagma nimis exſiccatum non reperiatur, ſperanda ejus reſolutio & abſumptio, à medicamentis admotis, ſi ea fuerint melioris notæ.

Indicationum prima erit pituitæ in toto ſanguine evacuatio aut correctio. Secunda novi ejuſdem proventus per

diætam, ventriculi corroborationem, ſanguiniſque & ſpirituum invigorationem, inhibitio. Tertia fluxionis ad partem affectam repreſſio. Quarta materiæ in tumorem aggeſtæ emollitio, reſolutio & diſcuſſio, ſique rebellior fuerit, per ferrum & ignem, ſive actualem, ſive potentialem totalis extirpatio. Quinta, ſi tumor in ſcirrhum cancrum minantem abierit, totis viribus humor eſt mitigandus & demulcendus, ne, vel minima irritatione promoveatur, & acceleretur, quod ſummopere eſt avertendum.

Diæta itaque ſit mediocrite ſiccans & attenuans, propterea vitentur ea omnia quæ ſunt, vel aquoſiora, vel crudiora, vel craſſiora, vel viſcoſiora, vel ſale, aut fumo condita, vel acidiora, coagulationibus quippè conficiendis nata; vitetur nimia deſidia, ut & nimius ſomnus, alvus ſervetur libera, ſique illud per ſe non fiat, adhibeantur clyſteria, aut alia id genus.

Remedia erunt & interna & externa; interna, præter purgantia, ſunt varia. Boucherius Camberiacenſis apud Nicolaum de Blegny decoctum commendat, cujus duo cochlearia, decreſcente luna, mane & veſperi ſumenda. ℞. Spongiam puram, affunde ſpir. vini quantum imbibit, colloca in medio ſtribitariæ coquullæ cupreæ ſtanno obductæ, & manipulo radicum porri circumda, ſuperpoſitoque cooperculo, admoveatur ignis validus, qui urgendus, quouſque contenta in carbones redigantur, demum in cacabum conjice, additis duabus aquæ fluviatilis pintis, cum una cotila, ſulphuris communis unciis duabus, ebulliant, non igni imponendo, ſed ope decem, aut duodecim grandiorum ſilicum, in ripa fluminis collectorum, & nunquam aliàs in uſum ductorum: illos probè ignitos conjice in cacabum, relinquendo quouſque deſinat ebullitio: his exemptis tranſcoletur decoctũ per chartam emporeticam, aſſervandum in lagena ritè obturata.

Non tam operoſo artificio paratur vinum cujus efficaciam ego ſæpiùs vidi. ℞. Salviæ M. ß. alumin. ʒjß. ſpongiæ uſtæ ʒij. infunde in vini bene maturi ℔. ij. ſume quatuor aut quinque uncias, decreſcente luna, matutinis horis, & iteretur pro exigentia.

Theveninus pulverem è borrace venet. & ſpongia trita ad ʒj. in vehiculo apto ſæpiùs exhibet.

Clariſſ. D. Iohann. Iacob. Nozet Archiater Friburgenſis apud Helvetios Celeberrimus, methodum curandæ herniæ gutturalis mihi amiciſſimè communicavit, quam hic inſerere pergratum lectori fuerit.

Primò, ſequenti remedio corpus expurgat. ℞. trochiſchor. alandh. extracti maſſæ pilular. cochiar. extracti agarici, ãã gr. viij. mercur. dulc. gr. xv. olei garyoph. ſtil. gtt. iij. M. F. e. a. pilulæ pro una doſi in ſubjecto robuſtiori.

Secundò, corpore expurgato exhibet ſæpiùs tincturam è ſpeciebus hieræ, & pulvere guttetæ, cum ſpiritu vini extractam.

Tertiò, pro potu ordinario decoctum parat è guayac. ſaſſafr. ſarſaparill. ligno aloëtico, flor. lilii convall. ſalv. beton. pæon. & tilii.

Quartò, cùm per iteratas medicamentorum jam memoratorum doſes

videt

videt humoris fontem aliquatenus exhauſtum, ſecunda aut tertia quaque die hora ſomni exhibet extractum opii ſpiritui apopectico maritatum, ut ſic fluxio reprimatur.

Quintò & præcipuè parat ſyrup. pro quo, ℞. ſpong. finiſt. in carbones non in cinerem uſtarum & pulver. ℈iiij. ſyrup ex decocto ligni aloës, fol. naſturtii aquat, flor. ſalviæ, beton. & ſem. ocymi ℥ij.M. & capiat cochleare unum ſingulis diebus matutinis horis.

Pharmacopæa Auguſt. ſequent. habet pulverem qui eſt Arnold. de Villa nova; ℞. ſpong. combuſt. pilæ marin. toſtæ, oſſis ſepiæ, piper. long. & nigri, zingiber. cinnam. ſal. gemm. pyrethr. gallar. lap. ſpong. ãã ℥j. pulveriſ. & miſceant.

Clar. Joſephus Donzellus in ſuo Theatro Pharmaceut. Italicè cõſcripto cõmendat pulverem, qui, ℞. ſpong. mar. ſpong. ſtipitib. roſæ caninæ adnoſcenti ãã ℥ij. ex iis incineratis fiat pulvis, cujus ℞. ʒj. ciner. chart. bibulæ ʒij. cinnam. ℥ß. corallor. rubr. pulverat. ʒiß. M.F. pulvis, cujus hic eſt uſus; ℞. pulveris deſcripti ℥j. aut ℥ij. infunde in vaſe vino albo pleno, macer. dies tres, dein tempore plenilunii ſumantur omni mane hujus liquoris ℥iij. donec incipiat luna creſcere, quo tempore eo abſtinendum, plenilunio verò ſubſequente reaſſumatur liquor ut priùs.

Uſum ſalium volatilium ego præcipuè commendo, interque eos ſalem volatilem aromaticum & amarum meæ compoſitionis, cujus virtutes in hiſce & aliis caſibus non ſemel expertus ſum.

Uſurpentur præterea gargariſmata, ductus ſalivales reſerantia, lymphamque & humorem ſalivalem coagulatum fundentia, quale v. g. hoc fuerit. ℞. radic. ciclam. virent. verbaſc. polypod. fol. beton. & rad. brioniæ ãã bulliant in vino. Item maſticatoria ex myrrh. radic. imperat. angel. mont. garyophill. &c.

Exteriùs applicabuntur, emplaſtrum de cineribus, balſamo ſulphuris tachamahacato prægnans; cataplaſma è porris & baccis myrtill. vino incoctis; item è foliis & nucibus cupreſſi pulver. vino auſtero incoctis, & pulvere limacum rubr. ſinapiſatis. Sale volatili armoniacó ſpiritui vini artificiosè maritato, non ſine fructu præterea tumor ſæpius, ſed parcè fovebitur.

Si hiſce omnibus non cedat malum ad Chirurgiam deveniendum, quæ eadem prorſus hic erit, quam mox in ſcrophulis deſcripſimus. Hocce in negotio tantum advertendum, an tumor fuerit aneuriſma, quod intactum relinquendum? anque vaſis majoribus & nervis adhæreat? ſi enim nervus recurrens in hac exciſione læderetur uſum vocis perderet æger; ut illud abundè teſtantur hiſtoriæ ex Galeno, Avicenna, Amato Luſitano &c. cuivis facilè depromendæ; ut & propria experimenta in brutis animalibus ſæpiſſimè inſtituta; Clar. Isbrand, de Diemerbroeck. hiſtoriam præterea læſi nervi recurrentis adfert, quam hic adducere non piget. Ruſticus Hollandus, inquit ille, in conflictu quodam aurigarum vulnus cultro inflictum recepit in colli latus dextrum circa jugulum. Vulnus à Chirurgo cito curatum fuerat. Poſt aliquot deinde menſes ad me venit, rogans ut ipſi aliquod

Cap. XI.

De Bubone.

BUbo *tumor eſt præternaturalis glandularum, ex impuro ſanguine originem habens, rubicundus, dolens, renitens.*

Differentia. Minor ubi eſt, minuſque dolens, ſed qui facilè ſuppuratur, *phyma* dicitur; *phygeton* vero, ubi Eryſipelatodes magis eſt. Sub maxilla *Panus*, poſt aures *parotis* dicitur. *Benignus* alius eſt, alius *malignus* ſ. *peſtilentialis*. Aliquando impuri coitus donum eſt, & ex eo contrahitur, ſed tum *Bubo Venereus* appellatur.

Causa *Sanguis* eſt, ſed nunquam purus, & ſemper humori alicui præternaturali mixtus.

SIGNA

medicamentum præſcriberem pro maxima ſua raucedine, qua ſtatim ab accepto vulnere laborare cœpiſſet, & quam medicus ille, qui ipſum cum chirurgo tractaverat, nullis linctibus, tabellis, decoctionibus, aliisque medicamentis diſpellere potuiſſet. Vox homini adeò exilis & rauca erat, ut vix, quid diceret, intelligi poſſet. Ego è vulneris loco animadverti nervum recurrentem tranſverſim præciſum fuiſſe, per quem vocis efformandæ virtus defertur, hincque mediam vocalitatem deficere; quod malum cùm nullis remediis reſtaurari poſſet, ægrum pro incurabili dimiſi.

Atque ſic noſtram de Bronchocele hiſtoriam finiremus, ni ſingularem in hoc morbo operationem à ſe inſtitutam nobis exhiberet Clariſſ. Medicus Dominus De Muralto Tigurinus in Decad. ſecundæ Miſcellan. Curioſor. Ann. 3°. quam hic adjicere minimè ſanè pigebit. Paupercula, *inquit*, 30. annos circiter nata, inde ab incunabulis inſignem ſtrumam in collo geſſit, ut vix reſpirare, nedum deglutire potuerit; nam tunc maximos dolores patiebatur, ægra fuit macie conſumta, & pulſum habebat parvum, languidum: conſultum judicatum eſt ægræ obſtaculum ab organis reſpirationis & deglutitionis dimovere; ſtruma itaque in parte molli & declivi profondiùs inciſa, fundebat libram ſeroſæ & glutinoſæ materiæ, foramen vulneris ſpongia præparata adimpletum & diapalma deligatũ eſt, evacuata omni materia, maſſa carnea pugni magnitudine comparuit, tam dura, ut nec cathæreticis, nec cauſticis potẽtialibus nec igni actuali cedere potuerit, cultro quoque reſecari ægrè conceſſum, inventa fuere in maſſa hac quatuor oſſa ſibi cohærentia tam putida, ut adſtantibus lypothymiam cauſata ſint. Oſſicula minora ultra duodecim inde quoque exempta, ægraque perfectè reſtituta eſt.

* Plura

Signa ſunt rubedo circa glandulas, dolor, calor, tentio, renitentia, pulſatio, quandoque febris.

Hepar atque lien ex ſententia Veterum ad inguina ſe exonerant; pectus atque Cor ad axillas; caput ad glandulas auris. Verum optimè hoc tempore alius uſus glandulis tribuitur, de quo & Tractatus varii conſcripti, & nos alio loco ſententiam noſtram pronunciabimus.

Prognosis. *Benignus* nullius eſt periculi, niſi tardè diſſipari aut ſuppurari velit, nam tum facilè in fiſtulam degenerat. In axillis citius maturatur, quàm in inguinibus, & hic citiùs quàm poſt aures. *Malignus* contrà mortis ſubitaneæ plerumque ſignum eſt, etſi externorum ſignorum optimum dici queat.

Venereus lethalis non eſt, difficilè tamen curatur, & plerumque *Luem Veneream* prænunciat: præſertim ubi Venæ ſectionis aut repellentium remediorum uſu materia ad interiora reducatur.

Curatio. *Diæta* hic eſt obſervanda uti in Phlegmone. In *benigno purgatio* eſt neceſſaria, modò ne vehementioribus fiat medicamentis. *Venæ ſectionem*, niſi febris gravior aut plethora exegerit, non magis hic admiſerim, quàm medicamenta *Repellentia*: Nam natura ubi inimicum ejecerit (quod plerumque criſi contingit) naturę miniſtrum non decet eundem ad interiora repellere. *Sudoris provocatio* in omni bubone valdè prodeſt, *Scarificatio* rariſſimè, niſi in malignis, & *Hirudines* nunquam, niſi in ſummè inflammatis.

Externa curatio eò eſt dirigenda, ut humor reſolventibus diſſipetur, quæ ob glandularum frigiditatem, fortiora requiruntur, additis quibuſdam attrahentibus, ſi in totum materiam haud eſſe expulſam ſuſpicio incidat: Verum in bubone dolorifico, neceſſarium eſt dolorem ſedare, antequam ad alia medicamenta accedas.

In dolore ſummo.

♃. *Mucilag. ſem. pſillii unc.* j. *ſ. Uitell. ovor. N.* j. *Croci drachm.* j. *Butyri recent. unc. ſ.*

M. F. Linimentum.

Vel

♃. *Fol. Malv. M.* j. *Farin. alth. Fænugr. an. unc.* ij. *Hordei unc.* j.

Axung. anatis, Ol. aneth. an unc. ſ.

Coq. ex lacte vaccin. in formam
Cataplaſmatis.

Reſolventia medicamenta ſuprà deſcripta ſunt, attrahentia infrà tradentur.

Quòd ſi diſſipari recuſet, ſuppuratio eſt procuranda, & iſthac via omnium tutiſſimè procedes. Deinde in tempore aperiatur, ſed potiùs lanceola, quàm cauterio; & tamdiu apertus reſervetur, donec totus diſſipatus fuerit.

In *pueris* ferme totum negotium naturæ committimus: Diæta bona præſcripta, & manibus locum affectum ſæpius attingere prohibemus. Vel Emplaſtrum Diachylon aut de mucilaginibus applicamus. Solo aliquando oleo Olivarum, Raparum, Chamomill. aut Lilior. alb. curationem perficere poſſumus.

In *Peſtilenti* nec Venæ ſectio, nec purgatio (quicquid etiam objiciant adverſarii) locum habent. Sufficiunt ſudorifera atque refrigerantia. Extrinſecè *attrahentia* in principio ſunt neceſſaria.

Attrahentia

Radic. Ari, Bryon. Ariſtoloch. Pyrethri, Dictamnus, Naſturt. Flammula, Porrum, Urtica, Allium, Cepæ, Ficus, Sinapi. Gummi, Galbanum, Ammoniacum, Euphorbium, Succinum. Cantharides, Caſtoreum, Fel tauri, Fimus Columbinus, Anſerinus Caprinus. Calx viva. Nitrum, Sulphur Fermentum, Sapo niger. Emplaſtrum Diachylon, Oxycroceum, Theriaca, Mithridatium.

℞. *Rad. altheæ unc.* j. *Ceparum unc.* ij. *Flor. ſambuci, Chamomill. an P.* j. *Ficuum N.* xij. *Farin. fœnugræc. unc.* ij. *Fim. columbin. drachm* ij. *Theriacæ drachm.* iij.

M. F. Cataplaſma.

Vel

℞. *Rad. pyrethri, Sem. ſinap. an. ſcrup. ij. Salis commun. drachm. ij. Theriac. drachm. iij. Gumm. Ammon. in aceto diſſolut. q. ſ.*

M. F. Emplaſtrum.

Quidam Gallinam ſive Ranam per medium dividunt, & calide parti affectæ imponunt, quod ſæpius iterare ſolent. Aliqui podicem gallinę aut columbę viventis deplumatum pro aliquo tempore

pore admovent. Alii totum *ſectione* auferunt, quod periculoſum valde, & nequaquam permittendum. Omnium optimè procedunt, qui mox in principio *Veſicatorium* buboni applicant, & deinde inſequenti tempore matutino aut veſpertino veſicam aperiunt & denique attrahentibus curationem perficiunt. Magni uſus, maximarumque virium eſt ſequens Emplaſtrum.

♃. Empl. diachm. cum gumm. De Mucilag. an. libram ſ. Vng. baſilic. unc. iiij. Semin. ſinap. unc iij.

M. F. Emplaſtrum.

Plura ad curationem bubonis facientia, vide in noſtra Peſtis deſcriptione.

In *Bubone Venereo* nec *Venam ſecare*, nec *corpus purgare* licet, quamdiu, externis mediis eum curari poſſe, ſpes ulla affulſerit, ne humores maligni, quos natura eiecit ad interiora retrahantur, ſicque lues Venerea cauſetur; ſed *ſuppuratio* procuretur omni arte ſuppuratuſque tumor illico, etiam materia nondum cocta, aperiatur. Pertinax ſi fuerit, uti plerumque ſolet, *attrahentia*, cucurbitulæ imprimis applicandæ ſunt. His nihil efficientibus, univerſa ſanguinea maſſa inficitur, quare ad generalem curationem luis Venereæ ut procedamus, neceſſe eſt. Primo adhibendum eſt, & ſæpius iterandum, decoctum purgans quod ſtatim præſcribam, uſquedum bubo prorſus evanuerit, & ſanguis ſatis purgatus ſit.

♃. Rad. Chinæ, Salſæparill. an. unc. iij. Polypod. unc. j. Cort. lign. guajac. unc iij. Fol. ſen. el. unc. ij. Agarici trochiſc. drachm. ij. Cinamom. drachm. ij. Infuſa tepide in ſ. q. aq communis per hor. 24. *Coq. & Expreſſion. libr. vj. Adde Syr. roſ. ſolutiv. cum ſenn. unc.* IV.

M. Doſis unc. vj. vel unc. viij.

Hæc à quibuſdam decoquuntur cum cereviſia veteri aut vino; Sed accurate obſervanda eſt ægri ante acta diæta, temperamentum & ætas. Purgationem fortiorem ſi deſideres, drachm. j. aut drachm. ij. Trochiſc. Alhandal. hiſce addi poſſunt. Quòd ſi nec hoc ſuffecerit, gr. v. aut. vj. Mercurii præcip. albi admiſceri poſſunt, modò vires permiſerint.

CAP.

CAP. XII.

De Carbunculo.

CARBUNCULUS *tumor eſt præternaturalis ex ſanguine aduſto generatus, & partem in qua colligitur corrumpens.*

DIFFERENTIA. Græcis *Anthrax* dicitur, Latinis *Ignis Perſicus*, Germanis *een Koole.* Qui inter Anthracem & Carbunculum diſtinguunt, de lana caprina rixantur: nulla enim hic differentia locum habet, quàm quòd modò major, modò minor, quandoque magis, quandoque minùs malignus ſit.

CAUSA. *ſanguis* eſt *aduſtus*, bilis atræ naturam aſſumere, adeoque putreſcere aptus.

SIGNA ſunt ſimplex quandoque puſtula magna, aut plures minores: hac aperta cruſta ſe exhibet nigra, in circumferentia inflammata. Cruſta ablata, non pus, ſed caro ſpongioſa occurrit. Pars affecta dolet, febris adeſt, vigiliæ vexant.

PROGNOSIS. Periculoſus valde qui niger eſt, imprimis tempore peſtilentiali, parti principi vicinus, magnus, & ſubitò evaneſcens.

CURATIO. *Purgantia* fortiora valdè mihi ſuſpecta ſunt; ſufficiunt *Enemata* aut *Laxantia* v. g. *Caſſia fiſtula*, *Manna*, *Tamarindi*, *Cremor Tartari*, *&c.* Imò ſuſpecta magis *Venæ ſectio* ad animi deliquium (quod vult Galenus) inſtituta: & hic ſufficiunt *Hirudines* aut *Cucurbitulæ* ſcarificatæ. Præcipuum *Sudoriferis & Refrigerantibus* tribuo. Externè eadem quæ in peſtilenti uſurpant.

Cruſtæ ad ſeparationem Emplaſtrum hoc valdè commendatur.

R. Theriac. Vet. Mithridat. an. unc. ſ. Fermenti, Terebinth. an unc. ij. Mell. roſat. unc. j. ſ. Butyr. recent. unc. ij. Vitriol alb. unc. j. Fuligin camin. unc. ij ſ. Sapon. nigr. unc. iij. Croc. drachm. iij. Vitell ov. N. iij.

M. F. ſ. a. Emplaſtrum.

Medicamenta externa hoc in caſu ſæpiſſime ſunt mutanda; & *Suppurantia* nihil ad rem faciunt, quoniam humores ſua ſponte facilè corrumpuntur. Horum loco, cruſta jam ſeparata, uſurpari poteſt Ung. fuſc. Fel. Wurtz. Ægyptiacum, Mel roſar. &c. [a]

CAP.

[a] Plura vide in Tractatu de Peſte, ubi de carbunculo, ejuſque cura, tum ex Autoris mente, tum ex aliorum quorundam Celebriorum agitur.

CAP. XIII.

De Cancro.

CANCER *eſt tumor præternaturalis ab atra bile originem trahens, rotundus, durus, lividus, dolorem movens, venis circumcirca turgidis, pedes cancri referentibus.*

DIFFERENTIA. Non exulceratus Græcis *Carcinoma*, & exulceratus Græcis *Phagædæna*, & Germanis de Wolf dicitur.

SIGNA. In principio vix cognoſcitur, quia lentè & tardè proſerpit, & vix piſi magnitudinem exæquat: aliquando ſubitò, aliquando paulatim accreſcit, & ex gravioribus ſymptomatibus facile cognoſcitur. Durus tumor eſt, renitens, calidus, dolens, lividus, aut niger, rotundus cum inæqualitate quadam, & undique venis tumefactis inflammatus.

PROGNOSIS. Cancer medicamentis rariſſimè curatur, Chirurgia ſæpius, ſed non ſine periculo: mediis acrioribus qui utuntur, exulcerati eum faciunt. Occultum ſive cavitate quadam corporis detentum aggredi in conſultum, niſi exilis valde fuerit, & ſectione facilè tolli queat.

CURATIO. *Diæta* hic eadem locum habet, quæ in ſcirrho. *Purgatio* convenit frequens, *Venæ ſectio* cauta, aut ſaltem *ſcarificatio*. Commodi quoque plurimum adferre poterunt Menſes fluentes in muliere, & hæmorrhoides in viro.

Externè valde nocent ſuppurantia, & fortiter diſcutientia: Sed ſequentia conducunt.

Medicamenta ad Cancrum.

Radices Ari, Filipendulæ, Gentianæ, Scrophulariæ, Tapſi barbati. Folia Polytrici, Sedi majoris, Agrimoniæ, Nicotianæ, Plantaginis, Solani, Cynogloſſæ. Sperma ranarum, Ceti; Cancri combuſti. Plumbum uſtum. Stercus humanum. Emplaſtrum Diapompholygos, de Plumbo, Diaſulphuris, de Ranis cum Mercurio. Saccharum Saturni. Camphora.

In Cancro non exulcerato.

℞. *Succ. plantagin. Intybi, Sedi major, Solan. Acet. roſac. Ol. myrtil-*

 lor.

lor. an unc. j. Terebinth. Venet. drachm. ij. Agitentur in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo,

Addendo

Cortic. granator. Citr. an. drachm. j. Boli armen. Plumb. uſt. Camphor. an. drachm. ſ.

M. F. Linimentum.

In Cancro ulcerato.

R. Gallarum. Cortic. granator. an. unc. ſ. Gypſ. uſt. unc. j. Bol. Armen. unc. ſ. Plumb. uſt. drachm. ij. Ciner. teſtar. cancror. drachm. j. Tereb. & mellis q. ſ.

M. F. Unguentum.

Hiſce & ſimilibus medicamentis Cancer non exulceratus ſæpè curatur, & exulceratus ita cohibetur, ut vix niſi poſt aliquot jam elapſos annos ulteriùs ſerpſerit.[a] Verùm plerumque horrendo atque pericu-

[a] Cancro plura conveniunt remedia, tum interna, tum externa, alia quidem ad palliationem tantùm morbi, alia verò ad ejus curationem, ſi poſſibile. Remedia interna, ſunt purgationes, primò admodum mites, & ſenſim fortiores redditæ, incoctis iis quæ humorem melancholicum ſaliaque maximè efferata & fundunt & mitigant. In eundem finem æger non alio utetur potu quam decocto ſcorzoneræ montanæ pauco vino admiſto: Præterea ♃. conſerv. rad. ſcorzoner. flor. bugloſſ. ãã ℥j. fæcul. rad. ſerpent. min. aſellor. in vino albo ſuffocat. & ppt. ãã ʒj. diaphoret. martial. albiſſ. ℈iiij. ſal. è cinerib. cancror. fluviatil. per elixiviat. extracti ℈ij. cum Syr. de fumar. ſimpl. & de abſint. ãã ſ. q. f. opiata mediocris conſiſtentiæ, de qua ſumat quindecim dies continuos, mane & veſperi ad quantitatem nucis avellanæ, ſuperbibendo aquar. ceref ol. & cancror. fluviatil. deſt. ãã ℥ijß. Non inutilis eſt etiam caro viperina in juſculis, pulvis lumbricor. terreſtr. cancrorum &c. Empyricum quendam vidi qui cancrum ad legitimam & laudabilem ſuppurationem deduxit, per pilulas exhibitas, ſine ullo topico; pilular. compoſitionem non perfectè novi, ſed aſſerere quidem poſſum earum baſim eſſe pulverem confectum è bufone calcinato poſt epotum mercurium currentem, cujus pars multa in calcinatione ritè peracta fixatur, virtute prædicti bufonis, quam perquirendam relinquo lectori curioſo.

Remedia externa propè omnia ſunt tantum palliativa, in illis advertendum, ne ſint nimis pinguia, nam nullus datur tumor qui magis à pinguedine abhorreat. ♃. Caſei recentis, lumbricor. terreſtr. pulver. rad. ſerpentar. raſæ, agitentur in mortario plumbeo, & ex iis fiat cataplaſma. Vel

periculoſo ferro res eſt tentanda: cancer enim forcipe fortiter adſtringente eſt præhendendus, & ita abſcindendus, ut nihil omnino reliquum manſerit, quoniam ſic omnem oleam & operam perderes. Alii eum ſola læva apprehendunt manu, aut filo per tranſverſum trajecto detinent, atque ita per inciſionem auferunt. [b]

Summo-

Vel ♃. far. ſecal. q. vid. coquatur in pulticulam, in ſucci cicutæ ſ. q. adde ſub finem rad. ſerpent. pulver. cancror. fluviat. combuſt. & pulver. q. ſ. ut f. cataplaſma. In non exulcerato præcipuè. ♃. Succi ſolan. ℥iiij. olei roſac. ℥ijß. ranar. uſtar. & teſtar. cancr. pulv. ãã ℥iij. tuthiæ, plumbi uſti & loti ãã ʒ ß agitentur in mortario plumbeo fiat unguentum. Vel ♃. tenella fraxini folia, coque in aqua, decocto partem fove & ex malagmate paretur cataplaſma. Vel ♃. Theriacæ vete. ℥j. ſucci cancror. ℥ß. ſucci lactucæ ℥ij. olei roſac. ℥j. vitell. ovor. ſub ciner. coctor. N. ij. caphuræ ʒß. agitentur in mortario plumbeo, & fiat unguentum. Cancro ulcerato crus occupanti carnes gallinæ quotidie apponantur, ſic enim virus mitigatur, ſerpigo ſiſtitur, & vicinarum partium exeſio retardatur. In omni cancri palliativa cura præterquam quod, ut advertit Autor, corpus per intervalla eſt repurgandum, ſanguis pro neceſſitate mittendus, hæmorrhoides viris, aut menſes mulieribus, ſi ſubſtiterint provocandi, topica ſint, linimentum ex ſucco ſolani agitato in mortario plumbeo, addito caphuræ pauco; ſucco deficiente, utere aqua deſtillata eaque camphorata, qua intinge lintea, quæ ſæpè applicentur cancro. Vel ♃. tuth. alexandr. ℥ij. pulver. cancror. fluviatil. in furno adu-ſtorũ, litharg. arg. ãã ʒij. antim. plumb. uſti ãã ʒj. ſucc. plan. tag. gallitr. ſolan. politr. cẽtinod. alleluiæ ãã ʒvj. alũ. roch. ʒjß. priùs colatis ſuccis bulliant omnia ad ſuccorum conſumptionẽ, dein pulveriſentur ſubtiliter, & agitentur in mortario plumbeo, donec colorem nigrum acquirant, & utere intra cancrum ulceratum, ponendo inſuper unguentum pompholigos magiſtrale. Vel ♃. Stercor. bubuli ℔ iiij. herb. roberti, plantag. ſemperv. hyoſciam. portul. lact. endiv. ãã Mjß. cancros fluviatiles xxx. piſtentur omnia ſimul & deſtillentur alembico, aut ſaltem ejus capitello plumbeo, ex hac aqua fiat injectio frequens in partem, vel, ſi ſitus permiſerit, inde cancroſa ulcera abluantur, & linamenta inſuccata ſubinde renovanda apponantur, ſic enim inflammationis acrimonia, & vis, obtunditur, & dolor ſedatur.

[b] Poſt exciſionem igne utere, tum ad hæmorrhagiam ſiſtendam, tum ad malignitatis reliquias ulteriùs impugnandas. Sed antequam peragatur hæc operatio diligenter conſiderandum an tutò fieri poſſit, ut, ſi corpus non fuerit malè habitum, cancer perexiguus, & in aliqua ignobili parte, procul à magnis vaſis, ac nervoſis partibus. Hiſce etiam omnibus adhibitis cautionibus operatio eſt ſemper dubia, & ſæpiſſimè illi qui ſic ſanari creduntur, pejus habent quàm alii in qui-

 bus

Summopere à multis laudatur Arſenicum quoddam præparatum ſive Merc. ſublimatus, ſed facta dictis non reſpondent ſufficienter. Quod ſi ejus uſum tibi placeat, quia in aliis caſibus conducere poteſt, ejus præparationem Pet. Joh. Faber in ſuo Myrothecio Spagirico docet.

Quinta Eſſentia Arſenici.

Arſenicum cryſtallinum cum pari pondere ſalis petræ conjunges, & in alchool tenuiſſimum omnia reduces, & indes retortæ vitreæ fortiſſimæ, cui annectes recipiens ſatis capax & amplum, juncturiſque bene clauſis igne cinerum diſtillabis, ſervatis ignis gradibus, primo levis; ultimo fortiſſimus & violentiſſimus, donec exeant omnes Arſenici & ſalis petræ ſpiritus: his egreſſis & frigefactis vaſis, recipiens disjungendum eſt à collo retortæ, cavendo à ſpiritibus qui intro ſunt, quia venenati ſunt; ideo illico occludendum eſt cum luto fortiſſimo os recipientis, deinde frangenda eſt retorta, & quod in fundo eſt, pulverandum eſt, & in novam retortam inducendum, & ſupra illum pulverem retortæ inditum, ſpiritus arſenici retenti intra vas recipiens ſunt affundendi, & iterum diſtillandi, juncturis optime clauſis, ut prius: idque ter aut quater repetendum, donec Arſenicum cum Salpetra ſit perquam optime calcinatum: tunc temporis adhuc tuum Arſenicum forti tigillo impones, & per diem integrum dabis ignem fortiſſimum, ut quicquid in diſtillatione calcinari non potuerit tandem aperto igne calcinetur & comburatur calx illa Arſenici aqua pluviali ſtillatitia eſt ſolvenda, & ſolutio à terreſtribus excrementis depurata & vindicata, clara & limpida filtro facta, evaporanda eſt & deſiccanda, & iterum calcinanda fortiſſimo igne, donec nullas in ſolutione emittat fœces, ſed tota ſolvatur calx, & limpida & clariſſima permaneat aqua; tunc temporis deſiccanda eſt, evaporata aqua: huic denuo affundendus eſt & connectendus ejus ſpiritus ſupra reſervatus, ſed prius oportet, ut ſic ſepties rectificatus: hanc conjunctionem facies in matratio, vaſe vitreo ſic dicto, propter rotunditatem quam habet in fundo, & longum collum, idque in balneo

bus malum tantùm palliatur, ſiquidem cancer ſemper eſt germen, ſeu proventus interioris mali habitus, qui operatione nullatenus, aliis verò viis difficillimè corrigitur. Interea ſuper fœlici exciſione oculi dextri cancroſi, ut & tumoris cancroſi ad radicem dentium, oculorum, atque alius in mala, vide Guilielm. Fabric. Hildanum Obſervat. Chirurgic. Centur. I. obſervat. I. & Centur. V. Obſervat. 27. & 28.

neo tepenti, donec calx ſuum biberit ſpiritum; tum demum in alembico vitreo per balneum ſeparabis quicquid poterit ſeparari humiditatis aquoſæ, & remanebit in fundo calx butyroſa Arſenici, miræ virtutis, quam ſervabis in vaſis vitreis optimè clauſis.

Pulverem hunc miſceto cum unguento baſilico aut digeſtivo, & cancro ulcerato [c] imponito: ſed in ſpongioſis & carnoſis tumoribus magis proderit.

CAP.

[c] Clar. Joh. Vigerius in ſua Chirurgia magna in cancro exulcerato extirpando, laudat pulverem arſenici de quo mox. Interim, inquit, vicinæ partes defenſivo aliquo muniendæ, ne dolor fluxionem, & inflammationem accerſat; pulvis intra triduum ſcarrham producet, qua remota & placato dolore, ulcus in modum cæterorum percuretur. Tum verò extinctum cancrum intelliges, cùm ſubjecta caro laudabilis apparebit, nullaque inde ſanies putrida dimanabit. Inter omnia remedia laudo & probo ſequens. ℞. Radic. ſerpentar. Majo menſe, vel Junio collectam, in taleolas tranſverſum diſſectam, filo lineo trajectam, & ad umbram exſiccatam, nec parietem attingat, redigatur in pulverem tenuiſſimum, cujus ſume quantùm volueris, adde arſenici cryſtall. partem tertiam, fuliginis camini parum, miſceantur optimè, pulvis ſervetur in pyxide lignea. Carcinoma ulceratum priùs acu transforetur in formam crucis. Inſpergatur pulvere ſupradicto, & fiet ſcarrha, quæ circa diem duodecimum decidet per ſe: tandem uteris emplaſtro ſequenti. ℞. Galban. opopan. ſagap. ãã ℥iiij. ammon. bdell. ãã ℥viij. in aceto deſtill. ſolvant. ſoluta exprim. & ad aceti conſumpt. evapor. atque ad emplaſtr. conſiſt. coquant. Poſtea ℞. olei chamom. ℔ij. hyper. ℔j. laurin. ℥iiij. terebinth. ℥j. petrolei ℔j. ceræ novæ ℔ij. ponantur ſimul cum prædictis gumm. & coquant. perfectè igne lento. Poſtea adde litharg. ℔ij. ariſtoloch. utriuſque, oliban. maſtich. myrrh. elect. corall. rubr. & alb. ãã ℥iiij. lap. calamin. ℥vj. Rabar. ℥j. flor. antimon. ℥iiij. Sal. vitriol. mumiæ, camphor. ãã ℥ij. pulveranda pulverentur, & cum ſupra dictis lento igne miſceantur, continuè movendo, dum fiat maſſa emplaſtri, de qua formentur duo emplaſtra debitæ magnitudinis, unum cancro mane impones, alterum veſperi, mundando qualibet vice ulcus, & abſtergendo cum panno lineo molli, & intrà paucos dies curabitur. Hoc emplaſtrum, addit idem, omnibus ulceribus, etiam ſcrophuloſis medetur, abſque ullo alio medicamento, neque inveniri poteſt ullum præſtantius in cura cancri.

Cancri aliquot hiſtorias hic adjiciemus, & quidem primò quam de labii pſeudo-cancro ſcribit. Clariſſ. C. Stalpartius Medicus Hagienſis in ſuis Obſervationibus rarioribus. Singulas cor-

poris noſtri partes, *inquit*, invadere poſſe cancrum, jam olim Galenus *lib.* 2. *ad Glauc. cap.* 10. *& lib. introd.* 16. docuit. Sæpenumero tamen contingit, ut nonnulli ſe cancros ſuſtuliſſe glorientur, cùm ne ſimile quidem illis malum fuiſſet. Unde non famam tantùm laudemque inter plebeios affectant, ſed & plus ſapere aliis videri volunt ægroſque non raro decipiunt.

Muliercula quædam gravida, nec ætate provecta 22. April. 1682. meum imploravit auxilium, cujus labii inferioris parvum tumorem, minoriſque fabæ magnitudinem nonnihil excedentem, cæruleique coloris, ac quibuſdam cancrum habitum ſecabat Medicus Chirurguſque. *Corn. Solingius.*

In diſſectione quæ craſſo fiebat forcipe, è tumore præter viſcoſum, lentumque quendam humorem, nihil omnino profluere animadvertimus, qui, commordentibus labium dentibus, in læſam quandam glandulam (qualibus infimum labium, nec non aliæ oris abundant partes) juxta arteriolam quandam effuſus, commodo exitu negato, ſtagnavit, unde glandula magis magiſque intumeſcẽs, quicquid hoc eſt vitii produxit. Tumore itaque ſublato, Hungarico ſupprimebatur ſanguinis affluvium vitriolo, nec non lapide hæmatitide, ac poſtridie in partem affectam Syrupus è roſ. ſicc. illinebatur, unde brevi percuratum vulnus. Atque hæc ille, quibus quæ de eodem nodo eleganter ſcribit in ſuis Obſervationibus Medico-Chirurgicis Jobus à Meklren hic adjungimus.

Ictu, *inquit*, caſu aut percuſſione, imò etiam ubi dentibus apprehendimus labium, nodus in eo producitur, quem ex doctrina Albucaſis quæ habetur 2. part. Chirurg. part. 27. cultro primo exſcindere, hinc alumine uſto conſpergere tenetur Chirurgus.

Nodum hunc quidam oleo vitrioli, alii cauterio actuali tollere tentarunt. Nobis arriſit modus mox declarandus, non niſi ubi cancri naturam induere incipit, locum inveniens. Inter varios in quibus extirpatio ejus à nobis inſtituta, etiam nominari poteſt Reverendus Doctiſſimuſque Vir, *Dn. Iacobus Heyblok*, amicus ſingularis, qui fabæ magnitudinis nodum jam ab aliquot annis, cum moleſtia ſumma, venarumque tenſione, in labio inferiore geſtaverat.

Labium ipſum ope pollicis & indicis ſiniſtræ manus incurvabamus, hinc cultro acuto crucialem apertionem inſtituebamus uſq; ad nodum, ita tamen ne læderetur ipſe; ſeparatis hinc integumentis volſello nodum ſenſim extraximus, eo educto, cavitatem replevimus linteo combuſto ad hæmorrhagiam, firmiter eapropter linteum hoc digitis compreſſimus, partim quo in totum ſanguinis fluxio inhiberetur, partim quo quod in vulnere reſiduum, auferendum, tolleretur.

Styptico hoc ablato, ad mundificationem vulneris nil niſi *Mel Roſarum cum Spir. vini*, hinc ad conſolidationem ipſam *tutiam* pulveriſ. applicavimus.

Nodos præter dictos obſervare itidem licuit nobis *Veſiculas* pituitoſas, in labiis exiſtentes, quas cancris annumerarunt varii, quo in arte Chirurgica plurimum experti habeantur Chirurgi.

Nihil aliud veſiculæ hæ ſunt, quam lymphæ

lymphæ extra vaſa, lymphatica dicta, prolapſæ, eò quod per compreſſionem labii ex mutuo dentium contactu, lacerata. Sæpius eas forfice aperuimus, applicatoque *Melle Roſ. cum aq. vitæ* curavimus.

Non rarò obſervare nobis datum veſiculis his diſſectis, exſiccatiſque, duritiem aliquam relictam eſſe, quæ & dolorifica, & moleſta. Hanc ſequenti modo tollere ſoliti ſumus, uti teſtatur, inter alia, exemplum viri Reverendi *Dn. Chriſtiani Hariſocher, Theologi apud Alcmarienſes in Eccleſia Remonſtrantium*, in quo præſenti Viro magno *D. Egberto Veen*, Medico noſtri loci curatio hæc peracta. Acum falcatam filo fortiore inſtructam cruciatim per labium affectum trajecimus, ſic ut ſola inter partem ſanam & induratam continerentur, hinc ſiniſtrâ manu filum utrumque, quatuor extremis gaudens, ita extendimus, ut, cultri acutioris ope, ictu uno alterove, duram partem ab ea quæ ſana ſeparaverit dextra. Vulneri impoſuimus, ut ſupra, linteum combuſtum *Spiritu Vitrioli* madefactum, hinc *Mel Roſar. cum aq. vitæ.*

Hiſceque de Nodo Labii dixere præcitati Autores, quod de alio morbo, cancro valde affini, os afficiente habet Clariſſ. Ioh. Muys in ſua Praxi Chirurgica rationali hic addimus. Puerulum, *inquit*, biennem, qui jam per tres integros menſes quartana laboraverat, non ita pridem inviſi, ac inter ejuſdem labium ſuperius & gingivam inveni ulcus, quod ante quatriduum initium ſuum ceperat, ſatis altè ſurſum vergens, cavum, durum, dolens, nigricans, & graveolens.

Hujus nempe ægrotuli ſanguis à cibo potuque acido & aceſcente, nec non à quartana diuturna, multò quàm par eſt evaſit acidior, atque ita non tam alibi ſubſtitit, quàm inter labium ſuperius & gingivam, quia ſanguis & humores ibi facilè coagulantur ab aëre frigido per inſpirationem admiſſo, nec non à reliquiis cibi inter dentes hærentibus, atque mora ſua acorem contrahentibus.

Sanguis autem & humores ſtagnando tandem valde corroſivi evaſerunt; & ſic fibrillas gingivæ & labii non tantùm vellicarunt valde, ſed earum multas diſruperunt etiam, atque hoc pacto exortum eſt ulcus altum, cavum, durum, dolenſque.

Ut autem nigroris mox adducti rationem, eò feliciùs inveſtigemus, priùs referre libet, quòd non ita pridem fruſtulum lintei candidi per microſcopium meum conſpexerim, & quòd ſingulæ fibrillæ ex quibus fila contorta erant, glaciei inſtar pellucidæ apparerent, ſed unumquodque filum ex pellucidis iſtis fibrillis conflatum album cernebatur, non aliter ac aqua apparet quidem pellucida, ſed ſpuma alba, quæ conſtat ex multis ſuperficiebus ſibi invicem ita ſuperpoſitis, ut multum aëris interjaceat.

Cùm autem linteum hoc combuſſeram, non tantùm tota fila, ſed ſingulæ eorundem fibrillæ oculo meo microſcopio armato colorem nigrum offerebant, quia nimirum pori in linteo à vi ignis valdè diſtorti ſunt, & particulæ multę ſub forma fumi ex linteo

linteo avolarunt, ſic ut radii ſolares in poris illis ſuffocati ad oculum meum non reflecterentur.

Et quod ignis in linteo effecit, hoc particulæ acido corroſivæ præſtiterunt in ulcere, dum fibrillas diſrumpebant, illarumque poros aliter figurabant & mutabant, imò multas particulas ex ulcere ſub forma vaporis avolare cogebant, ut manifeſtum erat ex fœtore.

Ut autem multis mirandi cauſam præripiam, quòd acidum ad nigritiem inducendam concurrere ſcribam, volo ut conſpiciant, quàm bonum atramentum ex decocto gallarum conficiatur cum aceto, in quo limatura chalybis priùs infuſa fuit; aut ſaltem malum citrium cultello diſſecent; nam tunc mox cultellum egregiè nigreſcere videbunt.

Sola igitur ulceris graveolentia adhuc enodanda ſupereſt; ac ut prædicta comparatio hic loci mihi iterum inſerviat, unumquemque olfacere jubeo ingratum odorem, qui in combuſtione lintei noſtras nares plerumque ferit; nam quod agit ignis reſpectu lintei, idem operatur humor acido-corroſivus ulceris reſpectu, dum ſalis volatilis (quod magna copia in ſtatu ſanitatis continetur in partibus corporis humani, aliorumque animalium, ut deſtillatio docet) multas particulas corrumpit, illarum figuras immutat, ac ita eaſdem, ſolutis vinculis, quibus priùs alligabantur, avolare facit, quo tempore, cum aëre cui ſe miſcent, in nares propulſæ, fibrillas nervorum olfactui inſervientium nimio tremore agitant, & ſic animæ graveolentis odoris conceptus exhibetur.

Phænomenis hujus morbi, in praxi tam ſæpè occurrentis, & à nemine, quod ſciam, hactenus dilucidati, perſpicuè ſatis explicatis, mihi perindè erit, an cum Hildano gangræna, cum Carolo Batto, cancer, an verò cum Cornelio Van der Voorden dicatur ulcus Noma, quandoquidem ego meras illas quæſtiones de nomine parum admodum moror, qui nihil capto niſi res.

Hoc autem malum celerrimè proſerpit, & brevi ægrum jugulare poteſt, ſicut ego ante duos menſes expertus ſum in puella quatuor annorum, quæ quinto poſt morbi invaſionem die ad me deportata fuit, adeò deformis, ut homini vix ſimilis videretur, nam dimidia naſi, & quarta linguæ pars jam abſumpta erat, ac mala ſiniſtra lapidis inſtar dura, magnoque foramine perforata, unde intra quatriduum juxta meam prognoſim obiit.

His igitur ſedato animo ponderatis ſequens unguentum acido-corroſivo reſiſtens præſcripſi. ℞. Theriac. ℥ijß. unguent. ægyptiac. ℥jß. gumm. laceæ, ſpir. ſal. armon. cochlear. āā ℈j. M. F. unguentum. Quo cum pauculo ſpir. vini miſto calidè quotidie lavabatur ſexies pars affecta, eique imponebantur lintea carpta eodem medicamento imbuta, atque hoc ſolo remedio non tantùm hunc puerulum, ſed etiam plures alios feliciter ac intra breve tempus ſanavi. *Hæc ille.*

Supereſt jam ut antequam huic de cancro materiæ finem imponamus, hiſtoriam rurſus ſubjungamus horribilem

bilem & non minùs curioſam à Clariſſ. Domino Nozet nobis communicatam. Vir annor. 22. *inquit*, horribili cancro in gena ſedente infamabatur, votante eo pro more ferali, ut tandem pomum aurantium mediocre ſua cavitate monſtroſè hiante haud ægrè caperet; erat ei alioquin ſtatus corporis commodus, ut malè habentis partis principis labes poſt multum examen argui à me vix potuerit. Hujus affectus incurabilis cura fruſtrà ſperata Chirurgo data fuit. Cancrum autem ex Hyppocratis effato ſacro melius eſt non curare, quam curare, curati enim, *ut inquit*, citius intereunt, id noverat Poëta *inquiens*.

Curando fieri quædam pejora videmus

Ulcera, quæ meliùs non tetigiſſe fuit.

Poſt menſis circiter unius conatus ſtudioſos, & pro re nata prudenter audaces, repentina morte æger, abſque ulla incidente cauſa periit. Subitum rei funeſtæ monſtrum Chirurgum ſollicitè movit, ut corpus ſecandum peteret, ſicque ſenſuum judicio pateret cauſa tam inſolens caſus miſerrimi, ubi id obtinuit, me rei curioſæ impatienter avidum officioſè ad ſpectaculum rogavit. Apparuit ſtatim cadaver parvis punctis, quæ pulicum morſus imitarentur, rubris quibuſdam, aliis lividis, multis ſubnigris ubique pictum; & dum ad ſectionem omnia ſtudioſè diſponuntur, animadverti ſenſibiliter ſe ſe explicare ea, novorumque, nec non ſimilium productione augeri: rei inſolentia ſtupore aliquo commovit mirantem animum, ſed cùm tacitè mecum ipſo dubius diſcurrerem, notavi maculas eas in veſicas ſurgere ſeparata ab adnatis carnibus cute, ut quædam nuces avellanas, aliæ nuces juglandes, æquarent, aliæ verò ovis gallinaceis magnitudine omnino non cederent, ſervato ſemper eodem colore, ſed ſimul cùm omnia curioſè luſtrarem, ulcus intuens vidi id fervente ſpuma repleri, & propiùs admotus audivi inſuper iratum in eo murmur, atque ſibilum non tacitum, utpote qui ab omnibus in hypocauſto percipi facilè potuit. Aſpexi Chirurgum, ut ille me, utrique plus ſtuporis quàm diſcurſus erat, id ipſum imitatione fecit adſtantium turba; muſcitare dein dubiè omnes, timere tacitè, ſe ſeque cubito & pede modeſte monere, aliiſque tum oculorum, tum capitis, vel pro genio aliarum partium geſtibus, invicem imperitè loqui; Ego interim furtim abrepto pallio me ſecretæ huic comœdiæ, ut ſuſpicabar, non fidæ, ſubtraxi; tum illi loco imperantem Tribunum Plebis piè & ex officio monui, ut quàm diligentiſſimè cadaver ſuſpectum terræ daretur, idque loco quoad fieri poſſet remoto, altoque ſepulcro perderetur, ne ſuſpecti virus effluvium aëre omnia ambiente imbibitum, & paſſim ab hominibus reſpiratione miſerè hauſtum, contagione, nec non deinde horribili propagatione latè omnia contaminaret; inſuper variis ſuffimentis, & aliis alexipharmacis illi domui proſpexi. Sed ubi pacato animo rem licuit otioſè ruminare, didici, Chirurgum, ut mali pertinaciam vi ſuperiore frangeret, ulcus ir-

Cap. XIV.

De Gangræna, & Sphacelo.

GANGRENA *eſt incipiens mortificatio in mollibus corporis partibus, plerumque poſt gravem aut male curatam inflammationem ſequens.*

SPHACELVS, NECROSIS, SYDERATIO *mortificatio eſt perfecta non tantum partium mollium, ſed etiam durarum.*

DIFFERENTIA. In *Sphacelo* partes prorſus ſunt emortuæ: in Gangręna emori incipiunt, & ſenſus nondum eſt abolitus. In Gangræna cutis aliquo modo rubicunda apparet; ſed in Sphacelo pallida eſt, mox livida & tandem nigra evadit. Sphacelus plus fœtoris adfert quàm Gangræna.

CAVSÆ utriuſque ſex ſunt. I. *Frigus externum* aut aëris aut hyemis, aut medicamentorum repellentium. II. *Æſtus externus*, ex ambuſtione aut uſu medicamentorum corroſivorum. III. *Defectus nutrimenti*, qualis in Atrophia obtinet, aut vaſorum compreſſione, vel obſtructione, ex quorum anguſtia ſanguis ad partem accedere non poteſt. IV. *Pororum occluſio*, *ſ. tranſpiratio prohibita*, unde caloris nativi ſuffocatio. V. *Humores maligni*, in corpore tales facti, aut à venenatis animalibus vel medicamentis contracti. VI. *Scorbutus*, qui proprietate ſingulari partes quandoque emori facit.

SIGNA

rigaſſe liquoribus urentibus, qui conſpurcatas carnes ederent, & intimiùs adnatum malignitatis characterem, cùm ferro ſecanti non pareret, uſtione expungerent, eos autem à copioſis venulis eroſione hiantibus bibitos, univerſæ maſſæ ſanguineæ circulationis lege datos fuiſſe; inde tantam effervescentiæ phreneticæ tempeſtatem derepente exortam, quam ferre delicatum cor citra momentaneam perniciem nequiverit, perditis nempe ſpiritibus beneficis & modeſtis, ſupreſſaque barbarè ebullitione religioſa vitalis ignis parente, quæ eum perenni ſimilis materiæ fabricatione & effluvio ſollicitè alit & fovet, ut vorax ignis parvum, exempli gratia, candelæ ſibi vicinum abſorbet & perdit; inde volatiliſatione nimia tenuis & volubilis ſanguis venis facilè ſeſe extricans, primò cutem triplici colore fœdavit, poſtmodum, ut ſenſim aliqua quantitate fuit conglomeratus, eam in altum coëgit: hinc pariter ex prurienti fervore in cancroſo ulcere, nata ſpuma, natuſque ſibilus.

De

Signa. *Sphacelus* facile cognoſcitur : pars nigreſcit ; caro ſpongioſa eſt ; ſenſus, calor, & pulſatio abolita.

At *Gangrænæ* ſigna variant pro cauſæ diverſitate. *Si à frigore* contracta eſt, dolor vehementer pungens in parte affecta ſentitur; rubra hæc primo, mox pallida, tandem nigra evadit : calor naturalis ſenſim extinguitur, & horror oritur ſimilis illi qui in quartana febre percipitur.

Si à cauſa externa calida, aut *pororum occluſione*, rubedo in album, & deinde in nigrum mutatur; pulſatio & dolor ceſſant; ſenſus imminuitur; tandem puſtulæ quædam apparent, ex quibus humor ichoroſus profluit.

Si ex alimenti defectu, nec dolor, nec inflammatio, nec tumor adſunt; corpus friget; & morbus plerumque vel pedes vel brachia occupat.

Si à venenato animali, *aut humore*, dolores, febreſque continuo affligunt, ſyncopes adſunt frequentes, deliria quandoque; Puſtula hic oritur, ſub qua nigra eſt macula quæ deinde per partem integram diſpergitur.

Si ex ſcorbuto, plerumque ſemper à pollice initium ſumit, maculiſve atque lineis ſubnigris exterius ſe manifeſtat, quæ in cruſtam ſiccam degenerant : ſequitur deinde partis ſtupor, & tandem mortificatio ipſa, ſine fœtore ullo. Dolor aliquando nullus adeſt, aliquando intenſiſſimus, in illis imprimis, qui ſe ab ira & triſtitia non ſatis temperant.

Prognosis. Niſi Gangræna ſubito ſiſtatur, in ſphacelum mutatur. In junioribus facilius curatur quam in ſenibus. Humores continuo ad partem affectam fluentes periculum adferunt, idque gravius eſt, ſi maligni fuerint. In Cavitatibus corporis, v. g. in Ore, Pudendo, Ano, &c. curatio admodum difficilis eſt, & talis etiam eſt, ſi Gangræna nervos atque tendines occupat. In Hydropicis lethalis ſemper. Ex ſcorbuto quæ originem habet ad aliquot menſes quidem protrahitur, ſed rariſſimè curatur. Sphacelum nulla arte, quam ferro & igne tollere novimus.

Curatio. In genere bonam Diætam exigit, imò aërem, cibum & potum exſiccantem atque refrigerantem : Sed quandoquidem hu-

jus mali tam diverſæ exiſtant cauſæ, Medicum Diætam præſcribere oportet; cui etiam venæ ſectionem & purgationem committimus; nam utraque aliquando valde neceſſaria, ſed aliquando etiam admodum periculoſa eſt. Hauſtus ſudoriferi & Cardiaci magnopere conducunt, aſt eos Chirurgia non præſcribit; ſed quia in hoc & aliis caſibus requiruntur, ejuſmodi naturæ medicamenta hic addere neceſſarium exiſtimo.

Diaphoretica ſ. Sudorifera.

Radices, Angelicæ, Scorzoneræ, Leviſtici, Contrayervæ. Herbæ, Carduus benedictus, Fumaria, Scordium. Cornu Cervi. Unicornu. Bezoar. Lapis Porci Indici, Pedro Porco dictus. Aqua Theriacalis, Alexipharmaca. Diaſcordium. Theriaca. Mithridatium. Species liberantis. Antimonium diaphoreticum. Sal Abſinthii, Prunellæ, Cardui benedicti. Rob. ſambuci.

R. Diaſcord. Fracaſtor. ʒj. *Aq. alexipharmac. drach. ij. Card. bened. q. ſ. Syr. de limonib. unc. ſ.*

M. F. Hauſtus.

Cardiaca.

Aqua roſarum, Boraginis, Bugloſſæ. Conſerva florum Anthos, Roſarum, Violarum, Borraginis. Bezoar. Cornu Cervi. Unicornu. Confectio Alkermes, Hyacinthorum. Rob. Ribium, Berberorum. Radices Scorzoneræ conditæ; Cortices citri & aurantiorum conditi. Saccharum perlatum. Sal Corallorum.

R. Aq. borrag. Bugloſ. an. unc. ij. ſ. Alexipharmac. drachm. iij. Cinamom. drachm. ij. Sacchar. perlat. unc. j. Confect. hyacinthor. drachm. ſ. Oc. cancr. præpar. ſcrup. ij. Spir. ſalis gutt. iiij.

Miſce.

Sumat inde æger aliquoties quantum cochleari uno aut duplici poteſt.

Externe Cucurbitulæ & *Hirudines*, maxime vero *ſcarificatio*, locum habent, quamvis Chirurgorum noſtrorum nonnulli ſint, qui ſcarificationem omnino rejiciant, interim æque feliciter hunc morbum curantes quam illi, qui ſcindendo ſemper occupati ſunt. Medicamentis utuntur ſequentibus, putredinem egregie arcentibus.

Medi-

Medicamenta externa ad Gangrænam.

Radices Angelicæ, Ariſtolochiæ rotundæ. Herbæ Abſinthium, Carduus benedictus, Nicotiana, Ruta, Braſſica, Scordium Flores Sambuci, Hypericonis, Meliloti, Chamomillæ, Lixivium. Aqua muriatica. Atramentum. Vrina humana. Spiritus Vini. Theriaca. Unguentum Ægyptiacum, Fuſcum Felic. Wurtz. Fimus caballinus.

Sunt qui Cicutariam emplaſtro aut Cataplaſmati miſcent, & hoc modo magna præſtant.

Vel

R. Summitat. abſinth. Flor. Chamomil. Sambuc. an. M. ſ. Herb. ſcordii M. j. ſ. Rutæ M. ſ. Micæ panis ſimilagin. unc. vij. Fimi Caballin. unc. iij.

Coq. ex aq. muriatica, ſub finem.

Addendo

Atrament. unc. ij. Spir. vini unc. iij.

M. F. Cataplaſma.

Pars ſana quoque conſervari debet, partim ne humores affluant, partim ne Gangræna proſerpat. Utile ad hoc empl. defenſivum rubrum, aut Ceratum Vigonis; uti Cataplaſma ſequens.

R. Boli armen. unc. ſ. Pulv. Gallar. Nucum cupreſ. Cortic. granator. an. drachm. ij. Farin. hordei unc. vj. Oxymell. ſimpl. q. ſ.

M. F. Cataplaſma.

Vel

R. Terr. ſigillat. Bol. armen. an. unc. ſ. Cor. cerv. præp. drachm. j. Camphor. ſcrup. j. Acet. roſac. unc. j. Ol. myrtillor. unc. iij. Album. ovi N. j.

M. F. Linimentum.

Curatio Gangrænæ ex Frigore.

Parte gangrænata nondum nigricante, nec à calore naturali deſtituta, ſed cum dolore adhuc rubicunda, æger circa ignem collocetur, ſed è longinquo, ut parti paulatim calor reſtituatur, quem in finem eadem fortiter Nive aut Aqua frigida fricetur, ægroque exhibeatur calido in vino *Theriaca* aut *Mithridatium*. Dolor frigusque ſi remiſerint, inungatur calidè Ol. *Aneth. Chamom. Amygd. amar. Lumbricorum*, *&c.* Utile etiam hic decoctum raparum congelatarum pro fomento. Deinde media requiruntur validiora & calidiora, v. g. Oleum

Terræ Philoſophor. Thereb. Caſtorei. Aqua theriacalis, Mithridatium: Vel fomento ſeq. utere.

R. Herb. ſcordii M. j. ſ. Vincetoxic. M. j. Rutæ M. ſ. Semin. urtic. Roman. Naſturtii an. drachm. iij. Coq. ex Vino albo Gallico Colatur. libr. j.

Adde

Spirit. Vini unc. ij.

Miſce.

Parte jam emoriente ſcarificatio eſt inſtituenda, quoque jam enarratis medicamentis conſervari poteſt.

Curatio Gangrænæ ex Calore externo, & occluſis poris.

Cauſa mali tollatur, ſi poſſibile ſit: Huic ſi vinculum externum, medicamenta calidiora, aut nimis adſtringentia anſam præbeat, illico à parte affecta removeantur, laveturque ſcarificatione prius adhibita, ſequenti decocto.

R. Aq. Endiviæ, Solani an. unc. vj. Acetoſ. unc. viij. Aceti libr. ſ. Salis commun. unc. j. ſ. Scordii M. j. Lupinor. unc. ſ.

M. & coque ad tertiæ partis conſumptionem.

Deinde Vng. Ægyptiaco utatur Chirurgus, aut alio dictorum medicamentorum.

Curatio Gangrænæ ex defectu Alimenti.

Alimenta exhibeantur ægro Euchyma: Externa internave valde exſiccantia nocent. Partis fricatio moderate calidis v. g. Ol. Amygd. dulc. Olivar. Lumbric. Scorpion. Viperin. Axung. human. Vrſi, Gallin. &c. prodeſt. Neceſſitate urgente ſcarificatio fiat. Defenſiva hoc in caſu noxam adferunt.

Curatio Gangrænæ ex humore venenato.

Malignus humor ſi in corpore ipſo hæſerit, ſudorifera, refrigerantia, & cardiaca medicamenta præcipuum præſtant. Purgantia enim & venæ ſectionem frequentius nocuiſſe quam profuiſſe obſervavi.

Defenſiva externe applicata inutilia ſunt, ſed Cucurbitulæ, Hirudines, & Medicamenta attrahentia ſumme neceſſaria exiſtimantur.

Verum ſi extrinſecus acceſſerit, certiſſimum medium *Cauterium actuale*: quod, ne malignitas uberius proſerpat in tempore adhibendum. Eadem quo ſiſtatur, defenſivum parti ſanæ imponendum, duorum

rum digitorum tranſverſorum diſtantia à parte læſa, ſic ſimul affluxus humorum impeditur. Alias in hirudinibus, cucurbitulis, medicamentis attrahentibus, aliiſque ſupra allegatis, tota ſalus ſita eſt.

Curatio Gangrænæ ex Scorbuto.

Media Interna Medico committimus. *Externe* hæc probata ſunt.

R. Semin. geniſt. Vrtic. Roman. Rutæ an. drachm. j. *Summitat. abſinth. drachm.* ij. *Gumm. Galban. Ammoniac. an. in aceto diſſolut. drachm.* vj. *Ol. Iuniper drachm.* iij. *Ceræ q. ſ.*

M. F. ſ. a. Emplaſtrum.

Vel

R. Ol. lumbricor. terreſtr. Laurin. Rutac. an. drachm. ij. *Caſtorei drachm.* j. *Spir. vini drachm* iij.

M. F. Linimentum.

Vel

R. Raſur. lign. Guajac. Saſſafras. an unc j. *Rad. angelic. Chelidon. maj. Cortic. Tamariſc. an. drachm.* vj. *Fol. cochlear. Naſturt. aquat. an. M.* j. *Sem. Fœnicul. unc.* j. *Spir. Vini libr.* j. *ſ.*

Infuſa per noctem deſtillentur in B. M.

Eo pars affecta foveatur: & ſi neceſſitas poſtulaverit etiam ſcarificatio inſtitui debet. Deinde Chirurgus ſecundum artem procedat.

Gangræna ubi in *ſphacelum* tranſit, & artus occupavit, fiat tunc exſtirpatio eo modo, uti in parte prima hujus Chirurgiæ docuimus. [a]

CAP.

[a] *De Scroti ſphacelo ſublati hanc habet hiſtoriam Clariſſ. C. Stalpartius* Triginta ampliùs anni ſunt, cùm quendam ſenem hic Hagæ cum Chirurgo Ioh. Van der Beets viſerem, cujus ſcrotum, poſtquam id ipſum jam diu hernia laboraſſet aquoſa, tandem gangræna invaſerat, ita ut putrefactione ad ventrem uſque emoreretur, ipſique teſtes ſuis concluſi membranis conſpicerentur nudi. Hic tamen non ſine Divinæ gratiæ ope aptis remediis priorem valetudinem conſequutus eſt: cutis enim recens, carnoſitaſque quædam à cute, carnoſaque abdominis membrana proveniens deorſum crevit, ac teſticulos ſenſim contexit. Recens autem hoc ſcrotum glabrum omnino erat, rugiſque carebat, tamque arctè continebat teſtes, ut loco moveri non poſſent.

De Gangrena in manu à defluxione acri ſequentem ſcribit hiſtoriam Clariſſ. De Muralto Medicus Tigurinus Celeberr. in Miſcellan. Curioſ. Decad. ſecunda Ann. 3°.

Fœmi-

Fœmina triginta duorum annor. maximum in manu dextra paſſa dolorem ardentemque, ſine magno tumore; curæ cauſa Chirurgum adivit, qui bis venæ ſectionem celebravit, & cataplaſmata anodyna parti dolenti applicavit, ſine emolumento, ut integram hebdomadam præ dolore dies noctesque cum motibus ſpaſticis inſomnes traduxerit: tunc digitus medius lividus & carpus ſenſum amiſerunt omnem, ut de amputatione ſermo factus fuerit; alius in conſilium ductus Chirurgus, digitum emortuum ſeparavit, & carnes ſphacelatas cum tendinibus & nervis carpum integentibus abſtulit, quouſque ſenſus in parte perceptus fuerat, è qua magna ſquantitas humoris ſeroſi acris, perioſtium & tendines alterantis, ſecreta eſt profundas itaque ſcarificationes & fomentationes alterantis, ſecreta eſt: profundas itaque ſcarificationes & fomentationes cum ſpiritu vini camphorato factas prodeſſe vidi; præter medium digitum prima phalanx carpi ſeparata fuit, apoſtema tunc circa exteriorem carpi partem inſurrexit, & ligamenta, tendineſque, cum aliis partibus ſpermaticis vix à gangræna liberari potuerunt, niſi per vini ſpiritum, myrrham, ægyptiacum, theriacam, & potiones vulnerarias, item aquam calcis cum præcipitato rubro, ſpatio autem duorum menſium percurata eſt.

Hujuſmodi dolor intolerabilis ab acri defluxione in brachio Æditui noſtro excitatus eſt, hic malignus humor unguentis calidis & ſuffumigiis tantopere exaſperabatur, ut brachium cum manu integra gangræna corriperetur; vocatus ſequenti medicamento uſus ſum externè: ♃. fimi equin. q. v. coque lento igne in aceto acerrimo, colaturam cum mica panis redige in conſiſtentiam cataplaſmatis; uſurpavi quoque aquam cum qua butyrum antimonii prima vice edulcoratum eſt, & cum aqua calcis commiſcui, ut colorem flavum acquireret & præcipitaretur. Internè verò bibit ægrotus tincturam roſarum, & decoctum vulnerarium, priùs digitum nullum movere poterat, poſt, ter ad minimum, cutes ſphacelatæ, inſtar chirotecarum craſſæ, à manu & digitis abſcedebant, & æger ſenſum motumque in manu ad miraculum omnium recuperavit.

Suprememoratis hiſtoriis adde alias duas quas Clariſſ. Ioh. Muys in ſua Praxi Chirurgica Rationali refert.

Anno 1680. die 7. Septembris fœmina ſexaginta annorum in dorſo, mammilla & brachio ſiniſtro multis veſiculis ſummè dolentibus, & aquam limpidam continentibus ſubito correpta fuit, ac interea bene comedebat, nec intrinſecus ullum ſentiebat incommodum, quamobrem per biduum remedia neglexit, quo tempore ego accerſitus veſiculas aperui, & cutim ac carnem ſubjectam inveni nigram & gangræna affectam.

Scilicet fermentum ſummè acidum & corroſivum deliteſcebat immotum, & quidem valde profunde in poris iſtarum partium. & quamdiu ita jacebat immotum, non poterat inferre dolorem, nam dolor fit à motu ſolito vehementiore fibrillarum nervorum, corpus

corpus autem immotum alius movere minimè poteſt.

Sed quamprimum fermentum illud acido-corroſivum ex poris ſuis expellebatur ab humoribus ex poris arteriarum egreſſis & per tubulos partium circulantibus, ſtatim dolor ingēs exortus eſt, ac mox coagulabantur humores circulantes & à fermento illo in acidum corroſivum mutabantur.

Jam humorum iſtorum coagulatorum particulæ magis lubricæ, flexiles & minores ab humoribus à tergo inſequentibus propellebantur uſque ad ſummam cuticulam, quam, quia ob poros ab aëre frigido conſtrictos penetrare nequibant, elevabant in altum & in formam veſicularum; particulæ autem craſſiores, ponderoſiores & magis acidæ remanebant in fundo, & fibrillas iſtarum partium diſrumpebant ita, ut humores circulantes amplius intrare nequirent, atque hinc gangræna iſtarum partium exorta fuit.

Cum mihi jam manifeſtum eſſet, acidum corroſivum hoc in caſu peccare haud difficulter colligere potui, quænam adhibenda forent remedia; ſcilicet illa, quæ noveram temperare acidum; & quia ſciebam ſpiritum nitri & ſalis acidum à ſpiritu vini dulceſcere, ideò lavamentum confeci ex ſpiritu vini, cui addidi lithargyrium, oculos cancrorum, ſpiritum cochleariæ, cretam, aliaque acido reſiſtentia, illudque lavamentum ſæpiùs de die applicui cum linteo quadruplici, ac interea patiens ſingulis duabus horis aſſumebat duo cochlearia ex ſequenti mixtura acidum temperante, ut pars illius per arterias ad partes affectas veniens, externis remediis opem ferret.

℞. Aq. meliſſæ ℥iij.
Theriacal.
vitæ Math. ãã. ℥j.
Sacch. perlati ʒiij.
Coralli alb. ppr. ʒj.
Oculor. cancr. ppr. ʒjß.
Bezoard. mineral. ℈jß.
Spir. Cornu cervi Gtt. xx.
Sal. volat. oleoſi Gtt. xxv.
F. *Mixtura.*

Lavamento prędicto per unum diem adhibito cum nondum multum proficerem, partes affectas ſcarificavi, eaſque lavi unguento Ægyptiaco mixto cum ſpiritu vini, nec formidabam damnum ex aceto, quod ingreditur Ægyptiacum, quia illud omne in coctione avolat, dum unguentum illud conficitur; præterea partium affectarum margines inunxi oleo de lateribus ſeu philoſophorum, tandemque impoſui cataplaſma ex ruta, abſinthio, dictamno cretico, radice galangæ, calami aromatici, farina lupinorum, hydromelle, aliiſque acidum temperantibus.

Prædictis remediis per paucos dies uſurpatis pus bonum generari cœpit, quod particulis ſuis blāde ſcindentibus diſrupit reliquas intermedias fibrillas, quæ carnem vivam cum mortua adhuc connectebant, & ſic partes gangræna affectæ ſeparatæ ſunt; & tunc applicui Therebinthinam communem mixtam cum unguento baſilico & vitello ovi, unde omnes particulæ viſcoſæ tollebātur, quæ poros arteriarum & vias tubulorum aliàs obſtruere ſolent, ac ſic continuò particulæ quædam ex arteriis egrediebantur, ulceribusque adhæreſcebant ob ſimilitudinem ſuperficierum, atque ita omnia ulcera, quæ valde cava fuerant, brevi carne repleta

conſpiciebantur, quo tempore lintea carpta ſicca appoſui, & brevi cicatricem induxi per ea ſola, nam omne pus aliàs rodens imbibunt, & oſcula tenerorum vaſorum penitus occludunt.

Atque ita noſtra ęgrota die 21. Octobris priſtinæ ſanitati in totum reſtituta fuit.

Septuagenarius, Veneri, Bacchoque per totam vitam deditus, ac per intervalla frequentia ſpaſmo dextri cruris correptus, Anno 1681. die 22. Februarii in febriculam non adeò vehementem prolapſus eſt; die 26. Februarii appetitus prius proſtratus redire videbatur, quare æger eo die bis magnam copiam coaguli lactis ebutyrati valde acidi comedit, & eodem die circa nonam veſpertinam conqueri cœpit de ingenti dolore pedis dextri, ac brevi poſt de ejuſdem ſtupore ac algore; idemque dolor, ſtupor & algor intra duas horas aſcendit uſque ſupra genu. Die 28. Februarii ego accerſitus ſum, & ſcarificans animadverti ſphacelum totam manus palmam ſupra genu aſcendiſſe, nam eouſque frigus ſummum ac pallor aderat, & in ſcarificatione nullum doloris ſignum apparebat, ſanguisque nullus effluebat, excepto pauculo ſanguinis valde nigri ac coagulati in una aut altera parte prorepentis.

Hęc omnia attento animo contemplans, judicavi Veneris, Bacchique abuſum ſanguinem hujus viri, ejuſdem ſubtiliori ac volatiliori portione ſublata, nimis viſcoſum ac acidum reddidiſſe; & cum particulæ quędam acidæ ac viſcoſę hujus ſanguinis per circulationem ad pedem dextrum pervenirent, illas ibi forſan ſubſtitiſſe, ac pertinaciter poſtea hæſiſſe, ſuâque morâ majorem acorem ibidem acquiſiviſſe.

Hę autem particulę nihil mali effecerunt, quamdiu immotæ pemanebant, ſed ubi per intervalla ex latibulis ſuis propellebantur ab humoribus circulantibus, ac ubi ab iiſdem in motum ciebantur, tunc ſpaſmi dextri cruris cauſa extiterunt irritando & ſcindendo fibrillas illarum partium, ac ita occaſionem præbendo majori ſpirituum animalium affluxui.

Continuatus autem Veneris, Bacchique exceſſus in hujus viri ſanguine ferè nihil reliquit præter caput mortuum ut ita loquar, hoc eſt, nihil præter ſanguinem valde viſcoſum ac acidum, qui rite in corde effervelcere, ac per partes circulare non potuit amplius; hic autem ſanguis, ubi à febricula illa majorem motum accipiebat, ac magis ſolito rarefiebat, poros arteriarum ſatis aperuit, ut multæ particulæ acidæ ac viſcoſæ egrederentur ac ſubſiſterent, hocque potius contingebat in pede dextro, quam alibi, quia illic latebat acidum ac viſcoſum fermentum, quod acidum ac viſcoſum in ſanguine contentum ad ſe appropinquare fecit eo modo, quem explicuimus in Obſervatione ſecunda; & forſan in cauſa eſt magna illa copia coaguli lactis ebutyrati valde acidi aſſumpta, quod hoc evenit die 27. Februarii potius, quam aliis diebus.

Particulæ autem illæ acidæ cum viſcoſis ex poris arteriarum die 27. Februarii egreſſæ, ac in tubulis pedis dextri ſubſiſtentes ac conjunctæ cum acido fermento inibi antea contento, laterum ſuorum acie fibrillis vehementem

tem

CAP. XV.

De Paronychia.

PANARITIUM ſive PARONYCHIA *eſt tumor in digitorum extremitabus inſignem dolorem movens, originem habens ex humore acri atque maligno, tendines, nervos, perioſtium, imò os ipſum, corrodere valente.*

CAUSA *humor acris* eſt; ex *bile* aut *ſero* generatus.

SIGNA ſunt, dolor vehementiſſimus circa ungues, quique ægrum ſic torquere ſolet, ut neque nocte neque die ſomnum capere poſſit: Hunc accedit inflammatio, quæ ſe aliquando per totum brachium extendit, Plerumque etiam febris, & quandoque deliquium adeſt.

PROGNOSIS. Quo malignior humor, eo graviora aliquando Symptomata, os, digitus, tota manus corrumpitur, imo ex nimio dolore aliquando æger vitam cum morte mutavit.

CURA-

tem valde motum impreſſerunt, atque ita dolorem illum produxerunt; fibrillæ vero impetum hunc non diu ſuſtinere valentes brevi poſt prorſus diſſectæ ſunt, ac ita ſenſus doloris, quamvis fieret ſcarificatio, in totum ſublatus fuit, & fibrillæ diſruptæ in cincinnos reſilientes tubulos pedis dextri ita obſtruxerunt, ut ſpiritibus animalibus, nec non ſanguini influxus denegaretur, atque huc etiam fecit coagulatio humorum in pede ab acido producta; hic igitur detexi originem ſphaceli pedis dextri; & quod ille acido ortum ſuum debeat, confirmat ſanguis ille niger & coagulatus, qui inter ſcarificationem effluxit, nam nemo neſcit ſanguinem nigreſcere & coagulari ab acido.

Sphacelus igitur jam tranſcenderat genu, ac interea paulo ſupra partem ſphacelo correptam dolor aderat intolerabilis.

Ego perpendens mecum ægroti diſſolutam vitam anteactam, ipſius ſenectutem, pedem uſque ſupra genu ſphacelo tactum, & totam ſanguinis maſſam tam graviter affectam, & præterea memor, quod nulli ſenes mortem evaſerant, quos noveram hoc morbo unquam correptos eſſe, audacter aſtantibus & amicis ægroti mortem indubitatam prædixi, ſed tamen interim pollicebar, me dolorem mitigaturum, quantum poſſem, &, ſi poſſibile foret, impediturum, ne malum amplius aſcenderet.

Primo igitur patientem ſingulis duabus horis aſſumere juſſi cochlearia duo mixturæ acidum temperantis & conſtan-

CURATIO. Digiti aliquamdiu hoc decocto foveantur.

℞. Flor. Chamomill. Meliloti, Sambuc. an. M. ſ. Sem. lini, Fœnugræc. an. drachm. ij.

Coq. ex lacte vaccino.

Aut applicetur hoc Catap.

℞. Flor. anethi, Sambuc. Fol. hyoſciam. an. M. j. Sem. papaver. Lini. an. drachm. iij. Farin. Altheæ unc. j. ſ.

Coq. ex lacte vaccino in formam Cataplaſmatis.

Deinde fiat *diſſectio* partis affectæ ſecundum longitudinem digiti: & occurret plerumque macula una, & itèm altera rubicundior, humorem aliquem acrem, exigua tamen quantitate exhibens, mali omnis cauſam. Poſt apertionem tumoris, primo ſtatim tempore perficiendam, *Theriaca* in Spir. vini ſoluta digito applicetur, toti vero manui *Defenſivum*; ſic ſæpius die uno aut duplici curatio abſolvitur.

Quod ſi hæc pars negligentia patientis aut Chirurgi in Gangrænam ſive Sphacelum degeneret, exſtirpanda eſt: niſi potius naturæ opus committere volueris, quæ ſæpenumero ſua ſponte oſſiculum ſeparat atque ejicit.

Ali-

conſtantis ex aqua borraginis, bugloſſæ, theriacali, ſaccharo perlato, oculis cancrorum, corallo, bezoardico minerali, aliiſque acidum infringentibus & viſcoſum attenuantibus.

Præterea decoctum ex aqua, vino, radicibus calami aromatici, enulæ campanæ, ex ruta, dictamno cretico, abſinthio, farina lupinorum, &c. conſtans cum duplici linteo calide applicui, unde mox doloris levamen, quia acidum laterum ſuorum acie dolorem inducens inde temperabatur, quamobrem linteum, quamprimum exſiccabatur, eodem liquore de novo imbuimus, idque per aliquot dies continuavimus.

Ubi jam dies ſeptimus Martii aderat, vidi lanuginem illam, quæ mucoris nomine vulgo venire ſolet, diſperſam per totam cruris internam partem à talo uſque ad genu, & quod ſi bonæ notæ microſcopium tum temporis ad manus fuiſſet, multas plantas cum ſtipitibus, foliis, floribusque concinno ordine diſpoſitas illic detegere potuiſſem ex crure hominis adhuc viventis propullulantes non aliter, quam fungus è terra provenire ſolet.

Æger interea nihil comedebat, ac febri ſingulis diebus ſæpiùs veniente & evaneſcente corripiebatur, tandemque die 14. Martii horâ quartâ matutinâ placide obdormivit, pulſu ante mortem ſæpè intermittente, qui quoque ab acido non difficulter deduci poteſt.

Maſſam

Aliquando nimia inflammatio Eſcharam excitat, ſub qua inſenſilis carnea excreſcentia reperitur: Hæc vel ferro vel medicamentis cathæreticis eſt tollenda, & denique digitus ſecundum artem curandus.

Quod ſi tardius accerſitus magnam humorum collectionem reperias: Deinde tumore rupto aut aperto tendines ſumma cura à corruptione, in quam facile incurrunt, defendito, niſi hos potius reſecare, vel idoneis medicamentis ſeparare volueris. Repellentia hoc in caſu ſummopere nocent.

CAP. XVI.

De Aneuriſmate.

ANEURISMA *eſt tumor præternaturalis ab arteriæ cujuſdam ruptura exortus, continuo pulſans, digitis libenter cedens, aſt etiam facile rediens.*

CAUSA. Arteriæ omnes, exceptis iis, quæ per cerebrum parteſque omnes, alias conſiſtentes magis diſperſæ ſunt, tunica duplici gaudent; harum interna corroſa aut rupta, externa in tantum extendi poteſt (abſque ruptura, quicquid etiam contradicant alii) ut Aneuriſma cauſetur. Nihilominus ubi tumor hic pugni magnitudinem habet, haud fieri poteſt, quin ſimul etiam externa corroſa aut rupta ſit. Anatome ſententiam noſtram confirmat, Artis Chirurgicæ ſtudioſi etiam mecum inquirant.

Poterit tamen & tumor hic excitari ab arteria diſſecta, præſertim

Maſſam autem ſanguineam totam infectam fuiſſe, atque eapropter extirpationem hic minimè conveniſſe, vel hinc liquere poteſt, quod tribus diebus, antequam æger moreretur, pes ſiniſter à pollice uſque ad talum etiam ſphacelo correptus eſſet, & quod utraque manus duobus diebus ante obitum per viginti quatuor horas glaciei inſtar algeret, licet, febri poſtea valide invaleſcente, iterum incaleſceret.

Quod vero remedia huic malo convenientia applicuerim, hinc liquido conſtare puto, quod ſphacelus, qui prius, neglecto bono conſilio, viginti quatuor horarum ſpatio à pollice pedis progreſſus eſt uſque ſupra genu, quod ille, inquam, ſphacelus poſt appoſita mea remedia per duarum ſeptimanarum intervallum non aſcenderit altius quam unius palmæ latitudinem.

tim ſi tunica exterior undique uniatur muſculis, & interna propter continuam pulſationem aperta maneat.

SIGNA ſunt intumeſcentia paulatim increſcens: color cuti ſimilis: pulſatio continua; tumor minor digitorum compreſſione facile cedit, adeo ut etiam omnino diſpareat, ſed facile redit: maior vero nec digitis facile cedit, nec pulſu magno gaudet; at ſtrepitus obſervatur quaſi bullientis aquæ. In capite tamen, & maxilla Aneuriſma poſt mortem inveni, nulla, dum in vivis erat homo, præſente pulſatione. Circumſpectione adeoque majori opus eſt circa partes duras, quam in mollibus atque carnoſis.

PROGNOSIS. Difficulter curatur, imò nullo modo ſi magnum fuerit, niſi una cum membro in quo occurrit tollere conſtituas. Diuturnum plerumque eſt malum, licet, nulla alia accendente cauſa, intra biennium eo interiiſſe hominem obſervaverim. Si ex mera ignorantia aperiatur, mors jam præ foribus adeſt, & antequam exiverit Chirurgus, eas intrat.

CURATIO. Hanc ſi Chirurgus inſtituere deſideret, etiam in tempore vocari debet, & tum medicamentis adſtringentibus atque repellentibus, faſciiſque idoneis ægrotis opem ferre. Plumbi lamina impoſita, & fortiter alligata, aliquando minora aneuriſmata curavit.

Sed vero ubi increvit tumor, plurimi volunt cutem nos debere incidere, & deinde arteriam ſupra & infra ligare, partemque mediam, cum tumore, exſcindere, nec vincula prius ſolvere, antequam vulnus carne obductum, & nullus hæmorrhagiæ metus fuerit. At operatio hæc periculoſa, dolorifica, laborioſa, & aliquando parum prodeſt. Sed vita ſervari ut poſſit, membrum integrum tollerem.

CAP.

De arteria brachii vulnerata. Sebuentia habet Clar. Ioh. Muys in ſua Praxi Chirurgica Rationali.

Militi quadraginta annorum nato gladii acie vulnus inflictum eſt in brachio infra cubitum, ex quo ſanguis magno impetu & quidem ſubſultim proſiliit.

Illa nempè vulnerata fuit arteria, quæ palpatur, dum pulſus inquiritur ægrotorum.

Hæmorrhagiam narium aliquos è medio ſuſtuliſſe novimus, legimusque ſanguinem poſt dentis extractionem rapidiſſimè profuſum necem.

cem nonnullis intuliſſe; quod ſi jam exiles adeò arteriæ apertæ poſſint eſſe lethiferę, in quantum vitæ periculum tantæ arteriæ apertura miſeros vulneratos non adducet?

Medela igitur differri minimè debebat, quandoquidem in mora tantum erat periculum, ideoque ſtatim, poſtquam adveni, duo lintea ad teretem figuram contorta inſtar crucis ſibi invicem imponebam paulò ſupra vulnus, ſuperpoſitâ deinde ſtrictâ ſatis ligaturâ.

Sequens tandem medicamentum cum albumine ovi permixtum ac linteis carptis exceptum vulneri applicui;

℞. *Rad. tormentill.* ℥ij.
Cupular. gland.
Nucum gallar. āā ℥jß.
Maſtich. ʒß.
Boli armen.
Terræ ſigilli āā ℈j4.
M. F. pulv.

Interea temporis ſubinde æger aſſumebat duo cochlearia hujus mixturæ.

℞. *Aq. plantag.* ℥ij.
Roſar. ℥j.
Sacch. perlat. ℥iij.
Sanguinis dracon. ʒß,
Terræ ſigill. ℈ij.
Sal. prunell. G. xxv.
Laud. opiat. G. iij.
F. Mixtura.

Atque ita ſubſiſtente ſanguine vulnus non religavimus ante diem tertium, & tum temporis ex vulnere parum puris, nihil autem ſanguinis promanabat; atque vulnus hoc adeò periculoſum, deinde intra bimeſtre ſpatium boni digeſtivi ope planiſſimè conſolidatum eſt more aliorum vulnerum.

Valde periculoſum fuit hoc vulnus, ſed multo fuiſſet periculoſius, ſi ſupra cubitum ſedem ſuam habuiſſet, quia hìc unica magna arteria tantùm reperitur, quæ infra cubitum in duos ramos ſatis magnos dividitur, ſic ut, uno per artem occluſo, ſanguis per alterum libere poſſit proficiſci.

Aliquando contingit, ut ſanguis ex arteria infra cubitum vulnerata impetuoſe prorumpens minimè ſiſti poſſit modo prædicto, ideoque tunc adhibenda ſunt inſtrumenta quædam ferrea, quæ penes me habeo, quamvis eorum deſcriptionem verbis exprimere vix poſſim, atque hoc pacto duos à patre meo ſanatos eſſe memini.

Sic etiam penes me habeo inſtrumentum ferreum, cujus ope patruus meus, conſul ac medicus ordinarius Stenovici, ut mihi narravit, ſanguinem ex arteria carotide in collo vulpis vulnerata profluentem feliciſſimè compeſcuit.

Cum igitur vulnera arteriarum ſint adeò periculoſa, ut vidimus, hic loci duplex cautio adhibenda mihi videtur; primò ne more Veterum datâ operâ in dolore capitis aliiſque affectibus exerceamus arteriotomiam circa tempora, frontem aut alibi, nam non eſt, quod exſpectemus majus commodum ex aperta arteria, quam ex ſimplici ſectione venæ.

Secundò, ne aneuriſma pro vulgari habentes abſceſſu, incautè dilatatam diſſe-

CAP. XVII.

De Ophthalmia.

OPHTHALMIA *eſt inflammatio membranarum oculi ex ſanguine producta, cui adeſt rubedo, dolor & lachrymarum effluxus.*

DIFFERENTIA. Inflammatio cum non ſit magna & ab externis depen-

diſſecemus arteriam; nam hoc modo quoſdam mortuorum numerum auxiſſe certò novi.

Præterea ligaturæ nimis arctè conſtringi non debent, nam hoc pacto ſphacelum lethalem inopinatò accerſitum eſſe memini.

Sed quod ſi æger ex vulnere arteriæ tantùm ſanguinis profuderit, ut jam ingens animi patiatur deliquium, ac mors quaſi præ foribus exiſtat, quid tunc agendum ſupererit? an transfuſio ſanguinis jam temporis adeò celebrata hoc in caſu non poſſet prodeſſe, præſertim cum à viris fide dignis narretur, canem, ex quo uno die tantùm ſanguinis erat extractum, ut propemodum ſe movere amplius nequiret, ſanguine ſequenti die à vitulo accepto, momento temporis viribus recuperatis incredibilem oſtendiſſe vigorem.

Reſpondeo, quod non meminerim hanc operationem apud noſtrates ullo unquam tempore eſſe inſtitutam, ideoque hac de re judicium meum cautè ſuſpendam.

Hiſce ſequentem Aneuriſmatis ſecti hiſtoriam à Clar. De Muralto Miſcellaneis Curioſis inſertam, addimus.

Fœmina infortunata nimis ſanguinis miſſione loco venæ arteria fuit pertuſa: derepente vi quadam ſanguis ex arteria proſiliit, & copioſius ejectus eſt. Occluſo vulnere, ecchymoſis totum occupabat brachium magno cum dolore, & inflammatione, pulſu exiſtente diminuto, & magna partis ad motum imbecillitate. Cataplaſma ex hordei farina & melle impoſuimus, ſed irrito conatu: aperiendus erat tumor lancetta & forfice, extrahendaque concreti ſanguinis maſſa: cùm hæmorrhagia non nimiùm urgeret, pulveres adſtringentes cavitati inſperſi ſunt, vulnuſque emplaſtro è bolo & Galeni cerato parato firmatum, & ſimpliciter deligatum eſt. Tandem ægra hæc Chirurgo ignaro commiſſa eſt, qui eſcharam adſtringentibus in arteria perforata factam, immaturam adhuc avulſit, tantam ſanguinis quantitatem perdidit denuò, ut vix ac ne vix ſiſti & ægra ſervari potuerit: Animi deliquia ſupervenerunt, & præſentem Medico-Chirurgum requiſiverunt, equidem tunc omnibus ex arte adminiſtratis, duos poſt menſes reſtituta eſt.

Plura de Aneuriſmate vide ſuprà in Praxeos Medicæ Libro ſecundo, cap. 3°.

De

dependeat cauſis *Ophthalmia* dicitur *Notha*, *Taraxis*, aut *Epiphora* Gravior vero cum dolore & lachrymis *Ophthalmia vera*: Hęc ſi tanta ſit, ut palpebrę ſimul inflammatę ſint, & quaſi inverſę *Chymoſis* appellatur.

CAUSÆ duplices ſunt. I. *Interna*, qualis ſanguis, plerumque cum ſero aut bile, rarius cum pituita aut melancholia, mixtus. II. *Externa*, qualis fumus, pulvis, &c.

SIGNA variant pro cauſarum diverſitate. Quod ſi enim ex ſanguine proveniat copioſiore, facies rubet, & vaſa oculorum tenſa ſunt. Si ſeroſior is fuerit aut bilioſior, rubedo faciei minor eſt, ſed lachrymę acriores ſunt dolorque intenſior. Si pituitoſior, rubedo, dolor & acrimonia lachrymarum remittunt, ſed palpebræ nocte quaſi conglutinantur. Si melancholicus quodammodo, lachrymæ paucæ adſunt, palpebræ haud ita conjunguntur, inflammatio parva eſt, ſed pertinax.

PROGNOSIS. Ophtalmia tardius curatur in pueris, quam adultis. Dolor diuturnus cœcitatem minatur. Quo gravior inflammatio, eo periculoſior.

CURATIO. *Diæta* eadem hic obtinet, quæ in omni phlegmone: acria ſedulo vitanda, ut allium, raphanus, ſinapi, &c. Cœna parcior aut nulla valde prodeſt. Purgatio, Enematum applicatio, Venæ ſectio aliquoties iterari debent, ſimiliter ac Cucurbitulæ, Hirudines, Veſicatoria, quandoque etiam Setacea, Fonticuli, imo Arteriotomia ipſa, quam tamen non niſi Chirurgus peritus inſtituat. Sternutationes nocent: Sudoris autem provocatio utilis quandoque, aliquando minime. Medicus hæc diſtinguat. *Diuretica* medicamenta multum quoque utilitatis adferunt, modo ne ſint nimis calida.

Externa media variant pro cauſarum diverſitate. *Si ex fumo, igneve*, exſtinguatur.

Si ex pulvere, aut alio in oculos illapſo, ea extrahenda ſunt, quod ſæpius facile efficitur inſufflatione, aut aquæ roſaceæ injectione.

Si ex palpebris inverſis, reſecandi ſunt pili, aut prorſus evellendi.

Palpebræ ſi conglutinentur, Butyro, Cerevifia, aut lacte dulci ſeparentur, lachrymæ ſæpius leniter auferantur, caveatque æger, ne oculos fricando malum augeat.

Pinguia hic noxia. *Repellentia medicamenta* non niſi in principio locum habent, aut in ophtalmia levi.

Medicamenta Ophtalmica.

Radices Valerianæ, Sigilli Salomonis, Ireos, Verbenæ. Herbæ, Betonica, Chelidonium majus, Euphraſia, Fœniculum, Fumaria, Plantago. Flores, Roſarum, Violarum. Semina Aniſi, Cydoniorum, Lini. Poma dulcia cocta vel putrida. Camphora. Mucilago, Sem. Lini Tragacanti. Caro vitulina recens. Albumen ovi. Lac quodvis, imprimis muliebre. Tutia. Vitriolum album & viride. Saccharum Saturni. Vitrum antimonii. Trochiſci albi Rhaſis, Caſeus recens non ſalitus. Unguentum Saturni.

Aqua Ophtalmica.

℞. *Aq. Euphraſiæ, Chelidon. maj. an. unc. j. ſ. Vin. alb. Gallic. drachm. vj. Vitri antimon. gr. viij. Tutiæ præpar. gr. xv. Vitriol. alb. gr. ji. Sacchar. cand. drachm. ij. Camphor. gr. iiij.*

M. F. Collyrium.

Alia inſignis.

℞. *Tritici M. iij. Zinziber. contuſ. drachm. iij. Salis commun. M. j. ſ. Vini albi Gallic. Aq. roſac. Fœnicul. Plantag. an. unc. x.*

Infundantur in vaſe cupreo per dies 40. & Colatura ſervetur uſui.

Alia, valde decantata.

℞. *Ovum gallin. integrum, coque ad mediocrem duritiem, demptaque teſta, & vitello, cavitati ejus indantur. Sach. Saturni gr. vj. Camphor. gr. ij. Vitriol. alb. gr. iij. Mel. roſac. unc. ſ.*

F. expreſſio fortis, & expreſſus liquor guttatim inſtilletur oculis bis vel ter de die.

Alia, qua nulla melior.

℞. *Aq. Euphraſiæ, Fœnicul. an. libr. j. Salis commun. drachm. vj. Tutiæ præpar. Vitriol. alb. an. unc. ſ.*

Ebulliant parum & Colatura detur uſui.

Magna vitrioli copia ne te percutiat, nam dolorem leviſſimum excitat, quique cito perit: ſed viribus pollet egregiis, & quæ vix fidem

fidem merentur, ut unuſquiſque ingenue profitebitur, ſi in tempore adhibuerit.

Pulvis Ophthalmicus ſingularis.

R. Vitriol. dulcificat. drachm. ſ. Tutiæ præparat. gr. xv. Sacch. cand. ſcrup j.

M. F. Pulvis tenuis.

Rarum eſt, pinguia oculos ferre, alias unguentum hoc laudatur.

R. Virid. æris. g. xij. Camphoræ, Lapid. calaminar. an. unc. j. Tutiæ præp. drachm. ſ. Butyri recentis aq. roſacea loti unc. ij.

M. F. Unguentum.

Cataplaſma anodynum.

R. Flor. Chamomill. Melilot. an. P. j. Pomor. putridor. unc. ij. Sem. fœnugræc. unc. j. Micæ panis ſimilagin. unc. iij. Vitell. ovi. N. ij. Croc. drachm. ſ.

Coquantur ex lacte vaccino in formam Cataplaſmatis.

Collyrium anodynum.

R. Succ. ſemperviv. drachm. ij. Album ovi unc ſ. Lact. muliebr. unc. ij. Aq. roſac. unc. j. Troch. alb. Rhaſ. ſcrup. j. Opii gr. iij.

Miſce.

Aliud, quod in dolore maximo ſemper optimum reperi.

R. Gumm. Tragac. drachm. ij. Mucilag. ſem. pſyllii drachm. iii. Aq. roſ. & plantag. an. q. ſ.

M. F Collyrium mediocris conſiſtentiæ guttatim oculo inſtill. & lintea in eo madefacta extra applicentur.

CAP.

De Ophthalmia à fungo inducta. Sequentem habet Obſervationem Clar. Ioh. Muys in ſua Praxi Chirurgica Rationali.

Anno 1680. die primo Auguſti puer duodecim annorum, corpore ſanus, inter ludendum, fumum ex orbiculari vel crepitu lupi (qui belgico idiomate dicitur *een boevyſt*) ab alio puero emiſſum oculis ſuis excepit, unde ſpatio duarum horarum vix elapſo palpebræ adeò intumeſcebant, ut oculos aperire nequirent; oculi toti rubebant non aliter, ac ſi panno rubicundo fuiſſent cooperti, & talis quoque apparebat interior palpebrarum ſuperficies, ac dolor intenſus aderat. Patiens per biduum remedia neglexit, ac interea prædicta ſymptomata increſcebant, & præterea continuus erat lachrymarum acrium effluxus.

Res miranda ſane, quam nuſquam me legiſſe memini; ſed quo pacto fumus ille horrenda adeò phænomena potuit excitare? Orbicularis ſcilicet e-

xiguo tantum foramine perforatus à manu pueri undique comprimebatur extrinſecus, atque ita particulas volatiliores & minus cohærentes intus foras urgebat, quæ omnes ſimul exire non valentes aliæ alias propellebant, atque ita multo celerius agebantur; non aliter ac videmus aquam ex ſyringe celerrime proſilire, quando piſtillum non niſi leviter ac tarde tantum adigitur, aut ſicut cernimus, latera follis molliter tantum comprimi, dum aër interea ex tubo illius non ſine impetu propellitur.

Sed ſi forſan aliquis hic interroget, qualeſnam ſint illæ particulæ, illi reſpondeo, ipſas eſſe acido-corroſivas ac utrinque acriter ſcindentes; nam tales particulas acidas orbiculari ineſſe, colligere licet ex illius uſu in ſiſtendo ſanguine, quandoquidem, cum fruſtum orbicularis imponitur vaſi ſanguifero vulnerato, ſanguis ſiſtitur partim ob particulas ramoſas ac ſibi invicem implicitas vas apertum obturantes, partim ob particulas acidas orbicularis, quæ ſanguinem coagulant, haud ſecus ac lac coagulatur ab acido infuſo.

Hæ igitur particulæ acidæ magna vi ex orbiculari expreſſæ profundè penetrarunt in poros oculorum & ſuperficiei interioris palpebrarum, & ſic lateribus ſuis ſcindentibus vehementiori motu agitabant fibrillas nervorum ibidem diſperſorum, unde doloris ſentiendi occaſio menti dabatur, cui dolori etiam ſuum contribuebat diſtēſio, quæ oriebatur ex eo, quod vapores ſoliti per poros à particulis orbicularis obſtructos exire non poſſent, ac proindè intra tubulos membranarum colligebantur ſub forma humoris, qui brevi temporis ſpatio aceſcebat à particulis acidis orbicularis tanquam à fermento, ſicut videmus fermentum acidum in parva quantitate ſumptum totam maſſam farinaceam in ſuam naturam vertere.

Hæ igitur particulæ acidæ utræque laterum ſuorum acie validius impellentes fibrillas nervorum, ciebant in illas partes copioſiorem ſolito ſpirituum animalium influxum, unde fiebant ibidem leves quædam contractiones, quæ tamen ſufficiebant, ut impedirent aliquatenus circulationem ſanguinis & humorum per tubulos illarum partium circulantium, nam adjuvabantur in hoc negotio à vaporibus intra tubulos illarum partium in aquam converſis.

Sanguis in vaſis capillaribus contentus & humores in tubulis, dum ita ſtagnabant, etiam aceſcebant modo prædicto & coagulabantur, unde adhuc magis inepti reddebantur ad circulandum, atque hinc jam ſatis manifeſtum evadit, unde ortum traxerit rubor oculorum & palpebrarum, harumque intumeſcentia.

Sed unde continuus ille lachrymarum acrium effluxus? res prædictis facilè deducitur; ſcilicet particulæ quædam acidæ orbicularis intrarunt poros glandularum & vaſorum lachrymalium, ibidemque leves quaſdam convulſiones irritatione ſua excitando, lachrymas continuo expellebant; ſed unde ſolito acriores ſentiebantur? nullus ferè mortalium eſt, qui, ipſo guſtu indice, neſciat lachrymas eſſe ſalſas, quapropter illæ in tranſitu efferveſcentiam quãdam ſubitaneam inibant cum particulis acidis ibi hærentibus.

His

CAP. XVIII.

De Angina.

ANGINA *tumor eſt faucium, à ſanguine originem trahens, deglutitionem & reſpirationem impediens.*

DIFFERENTIA. Commodiſſimè in tres ſpecies dividitur: Harum I. *Cynanche* eſt, cum laryngis muſculi inflammati ſunt, & graviſſima excitat ſymptomata, etiamſi nec interius, nec exterius tumor ullus appareat; æger anheloſus ſæpenumero linguam exerit, inſtar canis defeſſi. II. *Synanche*, cum tumor interius in faucium anguſtiis ſe offert, ubi quidem etiam ſymptomata adſunt gravia, ſed multo minora iis quæ in Cynanche. III. *Paraſynanche*, cum tumor magis exterius, quam interius occurrit, & hoc in caſu ſymptomata omnium leviſſima adſunt.

CAUSA *Sanguis* eſt, utplurimum ſero aut bili, rarius pituitæ aut melancholiæ mixtus.

SIGNA. *Anginæ inſtantis* ſunt: motus colli impeditus; deglutitio & reſpiratio imminutæ; ardor inſolitus, dolorque in faucibus, tempore

His attento animo pauliſper penſitatis mirari deſino, quod fumus ille tantorum malorum cauſa extiterit, ſimulque jam non difficilis videtur medela.

Scio namque, quod lac fervens, ab acido coagulatum, iterum ſolvatur intra horæ ſpatium, ſi digeratur cum ſale aliquo idoneo; ſcio etiam quod acetum dulceſcat ab injectis oculis cancri, ut & à lithargyrio infuſo; novi etiam efferveſcentiam, quæ concitatur ex concurſu olei tartari ſalſi cum oleo acido vitrioli.

Atque ex his concludo, ſanguinem ab acido coagulatum iterum fluidum reddi & acidum temperari poſſe ab oculis cancrorum, lithargyrio & multis aliis medicamentis multum ſalis continentibus, qualem exhibet vitriolum album, gummi ammoniacum, ſagapenum, galbanum, &c.

Ego igitur tertio læſionis die ad puerum vocatus inſtillavi calide in oculos guttas aliquot alicujus collyrii, quod ex vitriolo albo, aliiſque cum aquis convenientibus mixtis componitur, & ſuper oculum applicui emplaſtrum ex gummi ammoniaco, galbano, ſagapeno, lithargyrio, &c. conflatum, & ſuper linteum extenſum. Hæc ego quotidie bis iteravi, & puerum in loco tenebroſo retineri juſſi, atque ita æger intra duas ſeptimanas priſtinam ſanitatem in totum recuperavit.

tempore imprimis eo quo angina epidemica graſſatur.

Præſentis vero ſunt: Aſthma ad ſuffocationem uſque; deglutitio impedita (quæ ſæpe adeo increſcit, ut etiam potus adſumptus per nares iterum egrediatur) dolor, rubedo, tumor & plerumque febris continua. Lingua quoque intumefacta, & vox læſa eſt.

Prognosis. Angina perfecta nunquam periculo caret; nam aliquando primo die ægrum ſuffocat, ſed ut plurimum ante quartum. Quod ſi materia haud cito coquatur & ejiciatur, res deſperata eſt: Vertebræ ſi luxentur, mors appropinquat. Si circa os ſpuma conſpiciatur, ægrotantem inevitabilis manet mortis neceſſitas. Dolore capitis ſi corripiatur æger delirium, mania, & deinde mors ipſa inſtant.

Curatio. *Venæ ſectio* admodum neceſſaria hic plurimum efficit, & inflammationem tollendo, & accretionem ejus inhibendo, in principio inſtituta. Mediana itaque aperiatur aut Cephalica lateris illius, quod maxime afficitur, etiam in gravidis; deinde Ranina: Cucurbitulæ etiam poſſunt applicari ſcarificatæ cervici circa vertebram ſecundam, ſcapulis, & pectori. Hirudines, Cauteria, Veſicatoria valde proſunt, in illis imprimis, quos Angina frequenter vexat. Interea ægro, ſi deglutire queat, purgans exhibeatur, ſi non, Clyſter injiciatur; & Venæ ſectio, ſi res exegerit, aliquoties eſt iteranda.

Deinde Gargariſmata, aliaque externe adhibita remedia, curationem abſolvent, quæ in principio magis ſint repellentia quam reſolventia: nam experientia & ſcriptores præſtantiſſimi nos docuerunt: 1. Sola Repellentia nunquam eſſe uſurpanda, niſi in principio, & Angina levi: 2. Reſolventibus ſemper Repellentia eſſe commiſcenda. Ratio in partis debilitate & mollitie ſita eſt: nam ſi medicamenta nimium ſint Repellentia, calorem exſtinguis: Si nimium ſint Reſolventia novæ affluxioni anſam præbes. Prudenter igitur hoc in caſu hæc media adhibeantur.

Medicamenta ad Anginam.

Radices Altheæ, Liquiritiæ. Herbæ, Conſolida, Myrtus, Prunella, Taraxacum, Plantago, Scabioſa, Sempervivum majus, Salvia, Hedera terreſtris, Violaria. Flores Balauſtiorum, Roſarum rubra-

rum

rum, Crocus, ſemina 4. frigida majora, Papaveris. Cortex & ſuccus granatorum. Ficus. Album græcum. Hirundines uſtæ, Alumen uſtum. Nidus hirundinum. Syrupus capillorum Veneris, Violarum, Portulacæ, Iujubinus, Scabioſæ, Tuſſilaginis. Mel roſarum. Rob. diamori.

Gargariſma Repellens.

R. Flor. roſar. rub. Balauſtiorum an. P. ij. Cort. granator. unc. ſ. Fol. quercus M. j. Alumini uſt. drachm. 1.

Coq. ex aq. chalybeat. Colatur. libr. j.

Adde

Rob. diamor. unc. ij.

Miſce.

Aliud, in principio morbi valde conducens.

R. Fol. taraxaci. M. ij. Hederæ terreſtr. Violar. an. M. ſ.

Coq. ex aq. hordei Colatur. lib. *j.*

Adde

Mell. roſat. colat. an. unc. j. ſ. Spir. vitriol. gut. xv.

Miſce.

Gargariſma Repellens, & aliquantum reſolvens.

R. Rad. liquirit. Corticum granator. an. drachm. ij. Flor. balauſt. P. j. Iujub. N. xij. Ficuum N. iij. Paſſular. drachm. vj. Coq. ex aq. hordei, Colatur. lib. j.

Adde

Mell. roſat. colat. Syr. capillor. Vener. an. unc. j.

Miſce.

Gargariſma parum repellens, fortiter reſolvens.

R. Rad. Ebuli, Ireos, Liquiritiæ an. drachm. ij. Flor. Chamomil. P. j. Roſar. rub. Hyſſop. an. P. ij. Dactylor. N. iij. Ficuum N. vj. Sem. fænugræc. drachm. ij. Alb. græc. drachm. j.

Coq. ex decocto raparum Colat. libr. j. ſ.

Adde

Syr. capillor. Vener. Iujubin. an. unc. j.

Miſce.

Dolor ſi nimius ſit, decoq. in Lacte dulci, imprimis Caprino.

Medic.

Medic. externa ad Anginam.

Ol. Nucum, Lilior. albor. Amygdalarum, Chamomillæ, Anethi. Axungia Caponis, Porci. Unguentum altheæ. Emplaſtrum de mucilaginibus. Stercus Canis, Columbarum. Nidus hirundinis.

R. Rad. altheæ, Lilior. alb. an. unc. j. Nid. hirundin. N. j. Ficuum. Dactylor. an. N. iij. Alb. Græc. unc. ſ. Cæpar. coctar. unc ſ.

Coq. ex aq. hordei, Colat. lib. j.

Adde

Farin. Tritic. Semin. lini. an. unc. j. Fænugræc. Altheæ an. unc. ij. ſ. Vitell. ovi. N. ij. Croci Orientalis drachm. ij. Ol. Chamomill. unc. ij. ſ.

M. F. Cataplaſma.

R. Succ. cæpar. unc. ij. Ol. lilior. albor. Irini an. unc. j. ſ. Coq. parum, addendo Nidi hirundin. drachm. j. Picis & ceræ q. ſ.

M. F. Emplaſtrum.

Si angina in abſceſſum degenerare minetur, ad ſuppurationem eſt promovenda, & deinde tumor medicamentis vel ſectione aperiendus.

Cataplaſma Maturans.

R. Rad. bryoniæ, lilior. alb. Ireos an. drachm. iij. Fol. parietar. M. j. Flor. Chamomillæ M ſ. Cæpar. unc. j. Ficuum N. xij. Coq. & contundantur addendo Farin. fænugræc. Semin. lin. an. unc. ij. Axung. Gallinæ unc. j. Ol. Chamomill. unc. ij.

Miſce.

Gargariſma Maturans.

R. Radic. lilior. albor. Liquirit. an. drachm. iij. Cæpar. unc. ſ. Paſſular. enucleatar. unc. j. Ficuum N. vj. Sem. lini, Fænugræc. an. drachm. ij. Fol. malvæ. Braſſic. an. M. ſ.

Coq. ex aq. hordei, Colat. lib. j.

Adde

Syr. capillor. Vener. unc. ij.

Miſce.

Apertio abſceſſus ut fiat, Gargariſmati huic adde

Sem. ſinap. drachm. ij. Rad. pyrethr. pulveris, drachm. j. Croc. ſcrup. j. Oxymel. ſimpl. unc. j.

Miſce.

Hiſce ſi non rumpatur abſceſſus, vel ligneo inſtrumento vel phlebotomo

botomo eſt aperiendus. Ægro deinde Gargariſmata emollientia & modice adſtringentia concedantur. [a]

[a] Si Angina reſpirationi viam omnino præcludat, pro ſuffocatione devitanda ad bronchotomiam, ſeu laryngotomiam deveniendum. Obſervandum verò ne hæc inſtituatur operatio, ſi inflammatio non tantùm laryngem, ſed etiam totam aſperam arteriam, ipſoſque præterea pulmones occupet, ſic enim inutilis prorſus foret. Pro ea autem perficienda æger collocabitur in ſedili ad posteriora ſuper miniſtri pectus retracto, ut ſic ipſius occiput ſuffulciatur, tuncque mento quantùm fieri poterit elevato, atque inciſionis loco ad tranſverſum ſub larynge digitum, inter tertium quartumvè aſperæ arteriæ annulum, atramento notato; miniſter utraque manu faucium cutem arripi, & eam in tranſverſum complicando, ut Chirurgus inciſionem tranſverſum pollicem longam à ſuperioribus ad inferiora ducat, cujus medio digitis dilatato, muſculiſque bronchicis, & ſternohyoideis remotis, inter prædictos aſperæ arteriæ annulos in ejuſdem cavum immittetur inſtrumentum ad modum ſcalpelli epiſtolaris efformatum, intactis vaſis & muſculis: poſtea introducetur cannula argentea paulum recurva, compreſſa & brevis, duobus annulis in capite armata, quibus per duas tæniolas ad colli poſteriora alligetur. Advertendum autem ut hæc cannula partem tracheæ poſteriorem non attingat, ſic enim tuſſim moleſtam, imò intolerabilem crearet; præterea ibidem eſt continenda ad ſymptomatum plenam ceſſationem, tumque vulnus continua atque minimè interrupta conſuetur ſutura, duabus cartilaginibus ſeu tracheæ annulis priùs ad invicem admotis. Alii in vulnere acum relinquunt circum quam filum intorquent. Dummodo hæc operatio maturiùs peragatur, nihil officit quò minùs proſperè cedat; ægerque per eam evadat.

Finis Libri primi, Partis Secundæ.

LIBER II.

DE VULNERIBUS.

Cap. I.

De Vulneris Natura, Differentiis, Cauſis, Signis & Prognoſi.

Vulnus *eſt ſolutio continui in parte corporis molli, externe inſtrumento duro facta, qua deſtinatam ei operationem nequaquam, aut ægrè perficere valeat.*

Differentiæ ſumuntur I. *à Forma;* nam alia ſunt recta, alia obliqua, alia rotunda, alia parva, alia magna, alia profunda, alia ſuperficialia II. *à Parte affecta* quæ nunc Caput eſt, aliquando Pulmo, Cor, Ventriculus, Hepar, Lien, Inteſtina: jam nervus, tendo, vena aut muſculus: Modo continuum tantum ſolutum, & ſimplex vulnus eſt, modo particula carnis ſublata, & vulnus compoſitum aut cavum dicitur. III. *à Cauſis*, quæ ſtatim deſcribentur: hiſce accedit vulnus quandoque eſſe venenatum, & varia ſymptomata ſecum trahere.

Causæ quintuplices ſunt: Omnia ſcilicet quæ I. *Secant*, ut culter, gladius, vitrum. II. *Pungunt*, uti acus, ſagittæ, dentes. III. *Perforant*, ut ſunt ferrum ignitum, globuli. IV. *Rumpunt*, ſicut caſus, ictus, vehementis ponderis geſtatio vel elevatio. V. *Contundunt*, quemadmodum lapis, baculus, &c.

Signa. Vulnerum externorum per ſe manifeſta ſatis ſunt: Verùm quænam partium internarum etiam vulneratæ ſint, non facilè ſemper judicatum eſt. Ut hoc præſtare poſſis, ex Anatomia ſciendum eſt I. Quis partis cujuſvis ſitus. II. Quis uſus. III. Symptomata conſideranda. IV. Eorum quæ natura per vulnus ejicit, conditio notanda. Signa aliqua ſuis locis habebis.

PRO-

PROGNOSIS. Eventum vulnerum prænoſcere, & imprimis quæ præſcire lethalia ſint, quæ non, res eſt Chirurgo ſummè neceſſaria; ab hujus enim judicio vita viri infortunati ſæpiùs dependet.

Lethale adeoque *Vulnus eſt, quod paucarum horarum, vel dierum ſpatio neceſſario mortem adfert, nullaque arte curari poteſt.*

Quæ enim in ſe curabilia ſunt, & propter ſymptomata, Chirurgi imperitiam, aut ægrotantis negligentiam, aut cauſas alias externas, mortem ſecum trahunt, lethalibus vulneribus nequaquam annumerari debent, imò incurabilia ipſa lethalia appellari non debent, præſertim ſi æger non duntaxat ad multas ſeptimanas, ſed ſæpè ad aliquot annos in vivis ſuperſtes maneat.

I. Inter *Lethalia* itaque vulnera referri debent, Vulnera *Cerebri*, * at non omnia: experientia enim docuit nos, poſſe particulam cerebri abeſſe, læſa quidem ratione, ſed ſalva aliquando patientis vita.

Inter abſolutè lethalia ergo hæc ſunt: cum 1. præter cerebrum etiam nervus ſit læſus. 2. Cum ſanguis aut humor alius principia nervorum obſtruit. 3. Cum paucis diebus effluxis ſanguis concretus atque putreſcens febrem, delirium, & tandem mortem ipſam producit.

Per ſanguinem concretum non intelligo illum, qui ſpatium inter duram matrem & cranium occupat, nam trepano is auferri, & patiens hoc modo ſalvari poteſt: verum qui inter meningem tenuem & craſſam, vel inter meningem tenuem & cerebrum, concluditur;

* Revera ut plurimum leve meningum, cerebrive vulnus mors ſubſequi ſolet, & rariſſimè contingit, ut aliquis ſic vulneratus evadat. Interim tamen multa extant exempla à Nicolao Maſſa, Carpo, Fallopio, Vega, Franciſco Arcæo, Augenio, Andrea à Cruce, Petro de Marchettis aliiſque præſtantiſſimis notata, ægrorum, quibus è magnis vulneribus capitis, notabiles cerebri portiones prodiere, & reſciſſæ ſunt, manente vita. Sic & ego apud D. Dentand peritiſſimum inter noſtros Chirurgum, juvenem quendam vidi, qui è ſumma arbore prolapſus, cranium non tantùm perfractum & quaſi comminutum, ad imperialis, & quod excurrit latitudinem, habuit, ſed etiam meninges eodem in loco ita laceras, ut cerebri ſubſtantia inter pulſandum, facilè ad ovi gallinacei magnitudinem per vulnus exilierit, atque reſciſſa fuerit, curato tamen, prædicti Chirurgi diligentia ægro, & adhucdum etiam in vivis manente.

cluditur; quamvis etiam is, qui inter utramque meningem detinetur, duræ meningis diſſectione aliquando tolli, & ſic æger ſervari poſſit.

II. Lethalia etiam ſunt Vulnera *Spinalis medullæ*, quæ infliguntur circa collum aut partem capiti vicinam; quæ enim ipſi circa os ſacrum inferuntur, minoris ſunt periculi.

III. Vulnera quoque *Pulmonis* lethalia habentur, ſi magna & profunda ſint, ſic ut vel Vas ſanguineum magnum, vel aſperæ arteriæ Ramus lædatur. An vas ſanguineum ſit diſſectum gravi Hæmorrhagia dignoſcitur: Si Tracheæ ramus ſit læſus, exſpiratio copioſior per vulnus quam per os exit.

IV. Vulnera *Cordis* ſemper lethalia ſunt, licet enim unus aut alter, corde vulnerato, ad dies duos, tres, quatuorvè, imò quindecim ſupervixerit, experientia tamen non eſt compertum, aliquem evaſiſſe.

V. Vulnera *Aſperæ arteriæ* ſanari poſſunt, ſi duntaxat membranæ in poſtica parte, quibus annuli cartilaginei connectuntur, ſint læſæ. Verùm ſi ipſi annuli vulnere afficiantur, vulnus inſanabile habetur, ſed lentam mortem adfert: Obſervavi aliquem octodecim ſeptimanas tali vulnere laboraſſe, antequam animam efflaret.

VI. Vulnera *Diaphragmatis*, quæ carnoſæ ejus parti infliguntur, ſanabilia ſunt, quæ vero nervoſæ, non quidem ſemper ſubitam mortem adferunt, attamen integrè nunquam ſanantur.

VII. Vulnera *Ventriculi* aliquando curantur. Ea autem præcipuè lethalia ſunt quæ orificio ejus ſuperiori, nerviſque per id diſtributis, infliguntur.

VIII. *Inteſtinorum tenuium* Vulnera rariſſime ſanantur, frequentius quæ ſunt *Craſſorum*, præſertim ſi non adeò magna reperiantur.

IX. Vulnera *Hepatis* aut *Lienis* lethalia ſunt, ubi vaſa ipſa etiam læduntur; quæ vero ſine horum læſione ſunt, curari poſſunt.

X. Vulnera *Renum* lethalia non ſunt. Quod ſi ad cavitatem ipſam vulnus penetret, plerumque ulcus ſequitur, tandem Renem totum conſumens; æger nihilominus ad multos annos ſuperſtes eſſe poteſt. Si vero in parenchymate terminetur, aliquando, ſed difficulter curatur.

XI. Vul-

XI. Vulnera *Veſicæ* rariſſime ita curantur, quin plerumque fiſtula remaneat: ſed colli veſicæ vulnera quotidie ſanantur.

XII. Vulnera *Venarum magnarum* & *Arteriarum* ſæpiſſime lethalia ſunt; ſed omnes Chirurgi tale vulnus non rectè obturare noverunt, quare mortis cauſa, non ſemper in rerum eſt conjicienda.

XIII. Vulnera *Nervorum magnorum* plerumque ſemper incurabilia ſunt, & aliquando lethalia.

XIV. Vulnera *Venenatis inſtrumentis* aut *animalibus* inflicta ferè ſemper lethalia ſunt.

Vulnera Nervorum, Venarum, Tendinum, & Membranarum, difficilius tardiuſque curantur, quam illa quæ partibus carnoſis infliguntur.

Vulnera ab inſtrumento pungente minoris ſunt periculi, quam illa quæ à contundente infliguntur.

Nervus, Vena, aut Arteria ſi in totum diſſecetur, minus habet periculi, quam ſi ex parte diſſecta ſit.

Noli expaveſcere ſi magno vulneri magna inflammatio ſuperveniat, præſertim ſi non diu duraverit: Verum vulneri parvo ſi magna inflammatio accedat, malum ſignum habeto.

Inflammationis exitus plerumque ſe die quinto prodit: nam vulnus ſi tunc pallidum, lividum aut nigrum appareat, patiens in periculo verſatur.

Febris, Vomitus & Convulſio periculoſa ſunt, minus febris & vomitus, magis autem convulſio.

CAP. II.

De curatione Vulnerum in genere.

INdicationibus vulnerum curationem perficimus.

1. *Vulneratæ partis robur & calor nativus optimè conſerventur.*
2. *Symptomatum habeatur ratio.*
3. *Nihil in vulnere hæreat aut remaneat.*
4. *Labia dehiſcentia ad mutuum contactum adducantur, & ita conſerventur.*

Cap. III.

De Roboris Caloriſque nativi in parte læſa conſervatione.

CHirurgia curationis impedimenta tollit, ſed natura malum curat: hoc autem ægrè præſtabit, ſi calor nativus debilior, & ſanguis vel vitiatus, vel copioſior aut parcior ad vulnus accedat. Copioſius juſto adfluens inflammationem, dolorem, putredinem, aliaque ſymptomata producit: Parcius debito ſi acceſſerit, balſamo naturali vulnus privatur, ſine quo impoſſibile eſt vulnus conſolidare.

Robur naturale, & calor nativus primo conſervatur Diæta bona, temperamento hominis in genere, in ſpecie vero partis læſæ, accommodata. De Diæta Sanguinei, Bilioſi, Pituitoſi, Melancholici, ſupra egimus, ubi de Phlegmone, Eryſipelate, Oedemate, Scirrho loquuti ſumus.

Sanguinis deinde habenda eſt ratio, cum & puri materiam præbeat, & vulneris conſolidationi inſerviat. Si ſit vitiatus purgationem exigit: Si nimium ad partem fluat, intercipiendus, revellendus, & aliò derivandus eſt.

Si parcius adfluat, alimenta ægro ſuppeditentur nutrientia, medicamenta roborantia & ſudorem moventia: externè fricationes leniores, inunctioneſque moderate calefacientes adhibeantur.

Tandem mediis omnis generis externis curatio abſolvenda eſt: tradentur hæc in ſequentibus, ubi de ſymptomatum ablatione, ipſaque vulnerum curatione acturi ſumus.

Cap. IV.

De Vulnerum Symptomatibus.

PRæcipua vulnerum ſymptomata ſunt: I. *Febris*, quam Medico curandam committimus.

II. *Phlegmone, ſive inflammatio.*

III. *Eryſipelas.* De utriuſque curatione cap. 2. & 3. lib. 1. egimus.

IV. *Hæmorrhagia*, non ſolum curationem impediens, ſed & vires vitamque ipſam adimens. Sedulo itaque, ut quamprimum ea ſiſtatur, curan-

curandum; quod in vaſis majoribus, arteriis imprimis, factu difficillimum (quare eorum vulnera plerumque lethalia ſunt;) Medicamenta enim, fluxum ſanguinis inhibentia, debilia nimis ſunt, & ligaturæ adſtrictiores gangrænam inducunt: Cauterium potentiale certiſſimum puto eſſe remedium. Venæ minores poſſunt & debent claudi. Quidam digitis venæ vulnus tamdiu claudunt, uſque dum ſanguis ſit concretus, & fluxus ſedatus. Sed rarò admodum hoc ſuccedit, & præterea non conducit, digitos tam diu in vulnere habere.

Digito itaque vulnus vaſis ad momentum claudatur; ad hoc autem ſi pervenire haud concedatur, exterius vaſi incumbentia comprimantur, & ſpongia vulnus mundificetur. Deinde pulvis, ſanguinis fluxum ſiſtens, non toti vulneri (quod ab artis imperitis fieri ſolet) ſed vaſis ſolutioni inſpergatur; quæ neceſſariò eſt obturanda, ſi ſanguinis fluxum impedire velimus.

Vulneris ſic fiat proba deligatio, & uſus ſanguinem ſiſtentium medicamentorum tam diu continuetur, uſque dum non amplius ſanguine madefiat. Interim univerſaliora, nempè Scarificationem & Venæ ſectionem non negligito.

Medicam. Sanguinis fluxum ſiſtentia.

Radices Biſtortæ, Pentaphylli, Tormentillæ Symphyt. maj. Lignum ſantalum rubrum, Lentiſci. Cortices Granatorum. Crepitus Lupi. Maſtiche. Gypſum. Acacia. Sanguis Draconis, Succinum, Sarcocolla, Thus. Pili leporis. Os ſepiæ. Cancri combuſti. Albumen ovi. Mumia. Telæ aranearum. Corallia rubra. Creta. Lapis hæmatites. Bolus Armen. Aloë ſuccotrina. Ranæ ſiccatæ & pulveriſatæ. Vitriolum crudum. Chalcytis.

R. Farin. volatilis molendin. unc. iij. Sanguin. Dracon. Thuris an. unc. ſ. Boli, Terræ ſigillat. an. drachm. ij. Gypſ. drach. vj. Ranar. exſiccatar. unc. j. Pilor. lepor. minutim inciſor. drachm. j. ſ. Album. ovor. in ſole exſiccator. & pulveriſator. unc. ſ. Spongiæ novæ torrefactæ unc. j. Vitriol. alb. drachm. j.

M. F. Pulvis ſubtiliſſimus.

V. *Dolor*, qui neceſſariò ſedari debet, cum nimias vigilias excitet, vires dejiciat, affluxus humorum ad partem affectam, inflammationis, febris & gangrænæ cauſa ſit: At cauſæ diligenter ſunt diſtinguendæ;

guendæ. Medicamenta acria nimis & calida ſi eum produxerint mutentur illico : præſtat enim errorem confiteri , quam pertinaciter in eo perſeverare.

Si extrinſecè vulneri aliquid acceſſerit, illud auferendum eſt.

Si à puris retenti copia dolor augeatur , ipſi exitus paretur.

Inflammatio ſi cauſa ſit , remedia cap. 2. lib. 1. tradita adhibeantur : ipſi vero vulneri mitigantia atque anodyna applicentur, v. g. Oleum Roſaceum , Lini , Chamomill. Lumbricor. Amygd. dulc. Papaveris , &c. applicentur.

R. Ol. Roſac. Sem. papav. Chamomill. an. unc. j. Vitell. ovi cum albumin. N. j. Croci ſcrup. j.

Miſce.

Si dolor hiſce ſimilibuſvè Medicamentis non ſedetur , Nervum aliquem læſum eſſe , aut per conſenſum affici certum eſt. Cujus cura in ſequentibus tradetur.

VI. *Convulſio* , ſive *Spaſmus* ; Hic vel humorum malignitatem indicat, vel nervorum malam conſtitutionem ; utrumque boni nihil portendit. Hoc in caſu media externa ſunt adhibenda : interna ob cauſarum diverſitatem Medico committimus.

Medicam. externa ad Convulſionem.

Balſamum Peruvianum. Pinguedo Anſeris , Caſtoris , Vulpis , Arietis , Hominis. Stercus equinum. Oleum Iuniperi , Lavendulæ , Philoſophorum , Succini , Therebinthinæ , Rutæ , Majoranæ , Lumbricorum , de Caſtoreo , Irinum , Laurinum , Petræ. Unguentum Agrippæ , Martiatum , Nervorum , Spiritus Vini.

♃. Ol. limacum , Lumbricor. Seſamin. an. unc. j. Pingued. ariet. Vulpis an. unc. ʃ. Butyri non ſalit. drachm. vj. Spirit. vini unc. iij.

Coq. ad ſpiritus conſumptionem. Addendo

Ol. ſpicæ deſtillat. Roriſmarin. Succin. alb. an. drachm. ij.

M. F. Vnguentum.

Efficacius & præſtantius contra Convulſionem medicamentum invenire non potui quam oleum Lavendulæ deſtillatum, cujus aliquot guttis pars affecta non duntaxat eſt illinenda, ſed etiam quibuſdam ægris internæ aliquot guttæ ſunt exhibendæ.

VII. *Hyperſarcoſis* , ſive excreſcentia carnis. Hæc ſi ex ſanguinis abun-

abundantia proveniat, caro conſiſtens ſatis eſt, & bene conſtituta; ſi vero à medicamentorum vi ſiccante debiliore, tum ſpongioſa eſt: Os ſubjectum carioſum exiſtens & hujus mali cauſa eſt. In Caſu priori Venæ ſectio convenit, quandoque etiam inedia, medicamentorúmque valde ſiccantium uſus. In poſteriori medicamenta adſumantur fortiora: Detergentia atque exedentia hic etiam conducunt.

Medicam. ad Hyperſarcoſin.

Spongi auſta. Alumen uſtum. Galla. Aloë. Cortex thuris. Tutia. Ærugo æris. Chalcitis. Mercurius præcipitatus. Arſenicum.

Aqua viridis exedens.

♃. *Alum. crudi, Virid. æris an. drachm. ij.*

Coq. in vini unc. xviij. ad quartæ partis conſumptionem, Col.

Adde

Camphor. drachm. j.

M.

Pulvis valde exſiccans atque exedens.

♃. *Gallar. Balauſt. Alum. uſt. Thuris, Myrrh. an. drachm. j. Sang. dracon. Ceruſſ. Ærug æris an. drachm. ſ.*

M. F. Pulvis.

VIII. *Gangræna, & Sphacelus*; de quibus Chirurg. hujus partis ſecundæ lib. 1. cap. 14. diximus.

CAP. V.

De Rebus extrinſecus vulneri accedentibus eximendis.

NUllum vulnus conſolidari debet, ſi aliquid ſuperflui in eo hæſerit; nam interjecto aliquo temporis ſpatio, nova ſe ulceratio prodit: Ipſe ſanguis, quo natura ſoluta unit, minus copioſe ad partem affectam fluens, nihil boni præſtat, cum ibi coaguletur; quare expreſſione, ſuctione & aliis modis eſt auferendus hunc in finem, ut minus ibi puris generetur, & minor ſymptomatum copia superveniat. At vero quamdiu hæmorragia metuitur, ſanguis coagulatus omnis ex vulnere eximi non debet.

Pili quando ſunt circa vulnus, auferantur.

Arena, aut ſimile quid, ſi intra labia vulneris hæreat vino calido abſtergatur.

Oſſicula fracta mobilia ſi ſint in vulnere, prima in deligatione eximantur, niſi hæmorrhagia inhibuerit: ſi vero aliis oſſibus quodammodo adhæreant, in iis naturæ conatus expectandus, & videndum an ea iterum cum reliquo oſſe unitura, an vero ſeparatura ſit.

Si *vitrum fractum*, *ſpina*, *feſtuca*, *ſagitta*, *globus*, aut ſimile quid in Vulnere hæreat, mox eximatur. Antequam vero hanc extractionem tentet Chirurgus, perpendendum an æger, extracto tali corpore alieno vivere poſſit, nec ne, ne Chirurgus ægro mortem accerſiſſe dicatur.

De modo globulos extrahendi in antecedentibus, parte prima cap. xx. egimus Sagittæ eodem ferme modo eximuntur, ſed Chriſtiani tempore belli ejuſmodi armis non amplius utuntur. Si vero nec manu, nec inſtrumentis vulneri inhærens extrahi queat, medicamentis hac vi præditis eſt perficiendum.

Medic. Spinam, Oſſicula, Globulos, &c. extrahentia.

Radices Ari, Ariſtolochiæ, Fraxinellæ imperatoriæ, Polypodii, Raphani, Valerianæ. Herbæ Abrotanum, Anagallis, Anemone, Beta rubra, dictamnus. Gummi Ammoniacum, Galbanum, Sagapenum, Succinum. Pix. Cerebrum & axungia leporis. Cancri. Mus vivus diſſectus. Muſcæ vulgares. Lumbrici terreſtres. Ranæ combuſtæ. Stercus Anſeris. Magnes. Fermentum. Emplaſtrum. Opodeldoch.

℞. Rad. ariſtoloch. rot. Dictamni Cretic. an. drachm. j. ſ. Reſin. pini, Colophoniæ an. drachm. vj. Succin. citrin. drachm. iij. Gumm. ammoniac. Oppoponac. an. unc. j. Stercor. columbin. drach. iij. Ol. laurin. unc. ſ. Therebint. & picis q. ſ.

M. F. Emplaſtrum.

Cap. VI.

Quo modo labia vulneris ad mutuum contactum adducantur, & ſic conſerventur.

Labia vulneris conjunguntur faſciis aut ſutura. *Faſciatio* vulneribus ſecundum longitudinem membri factis, & non admodum profundis convenit.

Sit

Sit autem faſcia, nec dura nimis, nec mollis, ejus latitudinis ut vulnus totum comprehendat. Si vero vulnus longius fuerit, faſcia adſumatur trium digitorum, hujus medium imponatur vulneri, parſque ſuperior ſuperiora verſus, inferior verſus inferiora circumducatur: ſit vero ligatura hæc nec nimis laxa, ſic enim non contineret adducta vulneris labia, nec nimis ſtricta, ſic inflammationem pareret. Hyeme faſciæ requiruntur longiores, æſtate breviores. In magnis itidem vulneribus, præter faſcias, pulvillis indiget Chirurgus aut Compreſſis.

SUTURA fit aut *Acu*, aut *Medicamento glutinoſo*. Optimum foret Chirurgum Acu nunquam indigere, ſic enim æger à dolore, vulnus ab inflammatione, ipſeque Chirurgus à moleſtiis variis liberaretur. At vero, neceſſitate ſic exigente, Acum ſumat cuſpide triangulari præditam, filo cera oblito inſtructam, eamque per cutem, nonnunquam etiam per aliquid carnis trajiciat, cavendo ſedulo ne tendines lædantur. Obſervandum prætérea ne nimis rara, nec nimis crebra ſutura ſit; tale itaque intervallum inter unum & alterum punctum intercedat, ut cutis leniter trahentem quaſi ſubſequatur, & oræ ipſæ ad mutuum contactum hoc modo adducantur, excepta parte exigua, turundæ inſerendæ inſerviente, quo puri ſuperfluo detur exitus. Turundæ hæ in vulneribus parvis neceſſariæ non ſunt: in magnis nec nervum, nec tendinem, nec vulneris fundum attingant.

Faſciatio ubi non ſufficit, & ſutura non neceſſaria videtur, tum emplaſtrum glutinatorium conducit. Verum tam arcte vulneri adhæreat, ut nec ſanies è vulnere effluens, nec ſanguis, aut alia humiditas id ſolvat. In hoc caſu ſæpè uſurpatur Emplaſtrum ſticticum Crollii aut Paracelſi. Sed ſequens magis adhæret.

℞. Sarcocoll. Boli, Maſtich. Sang. Dracon. Reſin. pini an. drachm. j. Gum. Tacamahac. drach. j. ſ. Picis navalis q. ſ.

M. F. Emplaſtrum.

Cap. VIII.

De Medicamentis ad Vulnera curanda neceſſariis.

MEdicamenta ad vulnerum curationem neceſſaria, triplicia ſunt. I. *Digeſtiva*, ſive pus moventia. II. *Sarcotica*, ſive carnem generantia. III. *Epulotica*, ſive cicatricem inducentia.

Experientia nos docuit, ſolo ſępiùs digeſtivo, aut ſarcotico Vulnus curari optimè poſſe. Verùm melius certiuſque hoc fit, ubi utraque commiſcentur. In partibus carnoſis digeſtiva ſola tolerari poſſunt. ſed vero in tendinibus, nervis, membranis, aliiſque partibus ſiccioribus præſtant ſarcotica vel ſola vel digeſtivis mixta.

Digeſtiva.

Ol. Comm. Roſarum. Maſtich. Butyrum recens & majale. Gumm. Elemi. Therebinthina. Thus, Maſtiche. Farina tritici, hordei, fœnug. Vitellum ovi. Mel.

℞ Ol. Olivar. unc. ij. Ceræ citrin. unc. ſ. Thuris. Maſtiches an. drachm. j. Vitellum ovi N. j. Butyr. ſine ſale q. ſ.

M. F. Vnguentum.

Sarcotica.

Radices Ariſtolochiæ, Ireos, Saniculæ, Symphyti majoris. Herbæ, Betonica, Centaurium, Conſolida, Hypericum, Pimpinella, Plantago, Scabioſa, Scordium, Verbena. Semina Fabarum, Fœnugræci, Lini, Hordei. Thus. Aloë. Bolus. Terra ſigillata. Colophonia. Gummi Elemi, Pini, Ladanum, Maſtiche, Myrrha. ſanguis draconis, Sarcocolla, Therebinthina, Tragacanthum. Cera, Mel, Mumia. Cadmia, Ceruſſa, Lapis calaminaris, Lithargyrum, Plumbum uſtum, Pompholyx, Lapis hæmathites. Ol. Hyperici, Laurinum, Maſtichium, Myrrhæ. Vnguentum Aureum, Baſilicum, Fuſcum Fel. Wurtz. Diapompholygos. Emplaſtrum ſticticum Crollii, Paracelſi, Opodeldoch, de Betonica, Diaſulphuris Rulandi, Balſamum Peruvianum, Crollii, Magati. Aqua vitæ. Pinguedo Anſeris, Vulpis, Urſi, Hirci, Humana.

Balſamum Vulnerarium celeberrimum.

℞ Therebinth. libr. ſ. Gumm. Galban. Elemi, Hederæ, Thuris, Maſtiches,

Mirrhæ

Myrrhæ an. unc. j. Aloës, Xyloaloës, Galang. Caryophillor. Cinamom. Nucis moſchat. Cubebar. an. unc. ſ.

Infuſa horis 24. in ſ. q. ſpiritus Vini deſtillentur, & Oleum uſui ſervetur.

Aliud.

♃. Ol. violar. unc. viij. Laurin. unc. j. Therebinth. Venet. unc. ſ. Spicæ deſtillat. Iuniperi deſtillat. Æris uſti an. drachm. j. Reſin. pini, Therebinthin. Colophoniæ, Maſtiches, an. unc ſ. Chalcanth. alb. drachm. j. ſ.

Ebulliant parum & Colentur ad uſum.

Miſce.

Aliud.

♃. Flor. ſulphur. unc. iij. Myrrh. drachm. iij. Camphor. drachm. j. Therebinth. Venet. unc. v.

Deſtillentur, & Oleum uſui ſervetur.

Emplaſtrum Vulnerarium.

R. Radic. ariſtoloch. rot. Conſolid. maj. an. unc. ſ. Mumiæ, Colophoniæ Aloës, Maſtich. Sang. Dracon. an. drachm. iij. Lythargyr. aur. Tutiæ an. drachm. ij. Gumm. Elemi unc. ij. Therebinth. q. ſ.

M. F. Emplaſtrum.

Aliud, præſtantiſſimum in Vulnere veteri æquè ac recenti.

R. Gumm. Galban. drachm. x. Ammoniac. unc. iij. ſ. Opoponac. unc. j. Bdellij unc. ij. Ceræ citrin. unc. xx. Oliban. unc. iij. Lythargyr. aur. libr. j. Myrrhæ drachm. x. Virid. æris, Maſtiches, Rad. ariſtoloch. long. an. unc. j. Lapid. magnet. unc. ij. Tutiæ præparat. Lapid. Calaminar. an. drachm. ij. Ol. commun. antiq. lib. j. ſ.

Gummata in aceto diſſolvantur, reliqua pulveriſentur, miſceantur & ſ. a. Coquantur, ut fiat Emplaſtrum.

Epulotica, ſive cicatricem inducentia.

Radices Symphyti, Tormentillæ. Herbæ, Hypericum, Plantago, Sanicula. Veronica, Betonica. Flor. Balauſtiorum, Roſarum rubrarum. Santalum. Aloës, Myrrha, Maſtiche, Sarcocolla. Lapis calaminaris. Minium, Plumbum, Lithargyrium, Tutia. Vnguentum Diapompholygos, Album camphoratum. Emplaſtrum Gryſeum, de Plumbo, Opodeldoch, de Minio, Barbarum.

R. Ol. roſac. Omphacin. an. unc. iij. Myrtin. Vnguent. populei an. unc. j. ſ. Fol. Plantag Solan. an. M. j.

Macerentur per octiduum, poſtea Colaturæ

Adde

Ceræ unc. ij. Miſce ſuper igne, addendo Lithargyr. aur. unc. iij. Ceruſſæ unc. j. Tutiæ drachm. j. Plumb. uſt. drachm. iij. Æris uſt. rubr. drachm. j. ſ. Camphoræ drachm. j.

Ducantur in mortario plumbeo in formam Unguenti.

Miſce.

R. Radic. tormentillæ, Biſtortæ, Ariſtolochiæ rot. Teſtar. ovor. combuſtar. Thuris, Sanguin. dracon. an. unc. ſ. Lapid. calaminar. drachm. j. Lithargyr. drachm. ij.

M. F. Pulvis.

R. Unguent. diapompholyg. Diapalm. Gryſei. an. unc. j. Gumm. elemi drachm. ij. Sacchar. Saturn. drachm. ſ. Ceræ q. ſ.

M. F. Emplaſtrum.

Nullum medicamentum cognovi, quod ſuo tempore adhibitum citius cicatricem inducat, quam Amalgama Mercurii, cujus hęc eſt præparatio.

R. Plumbi uncias i. liquefacto adde Argenti vivi unc. ij. effunde ſuper Chartam. Exſiccatum, pulveriſatum, Emplaſtro de Plumbo aut diapompholygos miſceri poteſt.

Externis hiſce mediis Interna quædam jungemus quæ in vulnerum curatione omni tempore valde profuerunt.

Vulneraria, Traumatica.

Pyrola, Sanicula, Alchimilla, Conſolida, Arthemiſia, Sanguiſorba, Tormentilla, Agrimonia, Millefolium, Equiſetum, Cynogloſſum, Betonica, Vinca, pervinca, Piloſella, Virga aurea, Ariſtolochia, Biſtorta, Dictamnus, Centaureum minus, Gentiana.

Potio Vulneraria.

R. Radic. conſolid. maj. unc. ſ. Folior. Pyrolæ. M. ij. Sanicul. P. ij. Fragar. Alchymill. Salviæ an. M. j.

Coq. ex vino rubro, Colat. libr. j. ſ.

Adde

Sacchar. albiſſim. q. ſ.

M. Doſis unc. iij.

Alia, efficax, etiam ubi os læſum.

R. Rad.

R. Rad. Ariſtolochiæ rot. unc. j. ſ. Cyclamin. unc. j. Folior. Prunell. Geranii an. M. j. Sabinæ drachm. iij. Mumiæ drachm. ij. Oc. cancr. unc. ſ. Galang. drachm. ij.

Pulveriſata & conciſa Coquantur ex vino rubro, Colaturæ libr. iij.

Adde

Syr. de ſymphyto Fernel. unc. iiij.

M. Doſ. unc. ij.

Quod ſi placeat Unguentum, quo abſente ægro, vulnus curare ſe poſſe quidam gloriantur, en optimam ejus deſcriptionem.

Unguentum Armarium Sympatheticum.

R. Vſneæ unc. ij. Mumiæ unc. ſ. Pinguedin human. unc. ij. Sanguin. human. unc. ſ. Ol. lini. drachm. ij. Roſac. Boli an. unc. j.

M. F. Vnguentum.

Alii non niſi Vitriolo ad ſolem calcinato utuntur, quod laudibus ſummopere extollunt: ſed hoc utere abſque ſuperſtitione, & tum credo, te mecum experturum viam vulgarem tutiſſimam eſſe: nam ſine dubio medicamentis quædam adſcribuntur, quæ naturæ debentur.

CAP. VIII.

De Vulnere Nervorum.

VUlneribus Nervorum etiam ea quæ ſunt *Tendinum* comprehendimus, quia in ipſa curatione parum, aut nihil diverſi habent.

Diſtinguendum hic, Nervi aut Tendinis an *diſſectio*, an vero tantum *punctura* adſit.

Cognoſcitur autem Vulnus hoc I. *Ex Loci* vulnerati conſideratione, & ex Anatomia, quæ quibus membris nervi inſerantur docet Tendines vero cum circa articulos terminentur, manus etiam pedeſque plurimos agnoſcant, quod ſi vulnus hic loci ſe offerat, quis non læſos eos metueret, imprimis vulnere non per longitudinem, ſed tranſverſo exiſtente. II. *Ex Dolore* vehementi, quem pulſatio, inflammatio, convulſio, delirium, &ç. ſequuntur; niſi totus nervus tranſ-

tranſverſe fuerit diſſectus, tum enim tam gravia ſymptomata ſe non manifeſtant.

PROGNOSIS. Omnia nervorum vulnera periculoſa ſunt. Punctura tamen periculoſior eſt, quam ſectio. Tendinum vulnera minus periculoſa ſunt, quam Nervorum. Convulſio malum ſignum habetur. Nervi & tendines vulnerati putredinem facillimè concipiunt.

CURATIO. In omni nervorum tendinumque vulnere, cum dolor ægrum valde moleſtet, & ſymptomata varia inducat, ſumma ope nitendum, ut quamprimum leniatur. Frigida externa valde nocent, quod non tantum de medicamentis, ſed etiam de aëre intelligendum eſt: nam quotidiana experientia nos docuït, medicamenta frigida, humida, adſtringentia nil niſi noxam adferre: quare præſtiterit moderate calefacientia & exſiccantia, minimè vero acria adhibuïſſe.

Vulnus quoque *apertum* ſervandum, uſque dum curatio ferme abſoluta ſit, quo humores libere effluere queant, ne iis retentis dolor augeatur, nervorumque putrefactio inducatur. Hæc ſi acceſſerit, abſcindenda pars corrupta, aut cauterio actuali exurenda eſt.

Præterea animadvertendum eſt, nervus vel tendo an denudatus ſit, nec ne; ſi detectus, medicamenta conveniunt magis tepida, ſi vero tectus, calidiora requiruntur.

Interim & Purgationes & Venæ ſectiones non ſunt negligendæ.

Medicamenta externa ad Vulnera Nervorum & Tendinum.

Oleum olivarum antiquum, Lumbricorum, Anethinum, Rutaceum, Roriſmarini, Coſtinum, Lilior. albor. Hyperici, Caſtorei, Therebinthinæ, Ceræ, Lavendulæ. Balſamum Peruvianum. Gummi Elemi, Tacamahacæ, Carannæ, Opobalſamum, Copa Yvæ. Spir. vini.

♃. Therebint. Venet. Lachrym. abietin. an. unc. i. Gumm. Tacamahac. unc. ſ. Carann. drachm. ii. Balſ. Peruvian. drachm. iij. Propoleos drachm. vi. Ol. hyperici unc. j.

M. F. Vnguentum.

Oleum Ceræ, Aqua Calcis, Vnguentum fuſcum Felic. Wurtz præſtant mira, ſi modo probe adhibeantur.

CAP.

De Punctura tendinum, nervorum vulgò dictâ, feliciter, ſæpiùs cum actionis partium abolitione, curatâ. Hac habet Peritiſſ. Job. à Mek'ren.

Multos oboriri poſſe morbos, ex cauſis levioribus, periculoſos valdè, imò ſæpiùs lethales, non ſolum artis Chirurgicæ cultores, ſed & alii ad eam minimè attendentes, *Plinius*, *Varro*, pluresque alii abundè teſtantur.

Exempla hûc facientia varia *Hildanus* proponit, conſiderabile quod his verbis proponit *part.* 5. *obſ.* 2. *Honeſta & virtute prædita Matrona Reverendi ac Doctiſſimi Viri* Dn. Iohannis Rudolphi Faſnacht, *hujus Gymnaſii primæ Claſſis Ludimagiſtri uxor, cum* XI. *menſis præteriti piſcem exenterando ſpina ſecundum articulum digiti medij dextræ manus punxiſſet, & ab initio imperitæ cuidam medicaſtræ ſe curandam commiſiſſet, exortuſque fuiſſet dolor graviſſimus, in conſilium vocatus fui, octavâ morbi die, tum manum brachiumque ad cubitum uſque ſuprà modum intumefactum, & inflammatione detentum reperi, humor ille, quem vulgus Chirurgorum Germanorum exiſtimant in articulis contineri, & proindè* Blidvvaſſer *appellat, copiosè effluebat: quapropter vix credibile eſt quantus fuerit dolor inuncto brachio oleis anodynis, & applicatis defenſivis circa cubitum, manu verò, quæ dolorem leniunt. Mox remiſit tumor brachij, & manus quoque paulatim evanuit quidem, tamen in locis circumcirca digitum, & in vola manus materia illa acris carnem eroſerat, & ulcera ſordida & cuniculoſa poſt ſe reliquerat, circà quæ etiam nunc occupatus ſum.*

Simile huic *Ambr. Paræus lib. de Ven.* adfert.

Varia alia ex ſcriptis aliorum adferre liceret, ni inutilem laborem ſumere viderer, ſufficiat unum alterumvè ex obſervatis propriis propoſuiſſe, ubi ex læſione nervi aut tendinis, quæ frequens valdè, dolores graviſſimi, non mox ab inciſione, ſed lento pede, moleſtarunt.

Addemus hiſce Anatomicam deſcriptionem manus digitorumvè, in quibus primariæ partium dictarum læſiones occurrere ſolent, hinc etiam methodum morbos ejuſmodi curandi hodiernam; & hac ratione arti noſtræ lucis plurimum me allaturum confido.

Paulus Fortuyn, juvenis annoſus, virtuoſus, in cœlibatu vivens delectabatur ſummoperè eſu piſcis qui luculus dicitur, horum dum mundificatione occupabatur, dextræ manus digito indice, pinnarum quibus abundant ſpina quadam vulneratur; Nox inſtans quieta fuit, ſomnus placidus, dolor nullus, ſequentis diei horæ matutinæ, quod dolor intolerabilis adeſſet, cum manus, digitorumque tumore, inflammationeque, nec non febri graviſſimâ, citius juſto è lecto ſurgere coëgerunt. At ſymptomatum intenſione defatigatus eundem mox repetere debuit.

In digito vulnerato, præter doloris vehementiam, color notabatur cœruleus, aterve, veſicularum ingens numerus, imò linea quadam ignea ad alas (prognoſtico gravi) excurrens.

Antequam accederem, *Ampliſſimus Conſul Dn. Nicolaus Tulpius Me-*

Li dica-

dicamenta ea quę in tali caſu utilia eſſe praxis medica docuerat, exhibuerat, imò etiam vena [plethoricus enim erat æger] à Chirurgo ordinario ſecta.

Noſtrum fuit, non ſolùm veſiculas, ſed & cutem ipſam *ſcarificando* aperire, non ſine notabili ſanguinis effluxione, doloriſque ſenſu, loco ſcarificato plumaceolorum vino gallico madefactorum ope imponebatur *ung. Ægyptiac.* Vinum Gallicum cur in hoc caſu præferre placuerit ſpiritui vini obſervatione alia quæ de gangræna & ſphacelo aget, declarabimus; Manui ipſi ejuſvè digitis applicabatur ſeq. *Cataplaſma*, quo præſtantius in tali caſu, ubi inſtantis gangrænæ ſphacelivè periculum, necdum, inveni.

℞ *Micæ panis alb. inveterati.* ℔ ij.
Fol. Scordij.
Ruthæ an. ℥ jß.
Summ. Abſinth. ℥ j.
F. Pulvis ſubtiliſſ.
Qui miſceatur cum vino albo gallico in formam Cataplaſmatis.
Applicabatur hoc tepidè partibus dictis.

Ex ejus uſu nox quieta fuit, ſudor levis ſecutus, imò die ſequente dolor omnis, inflammatio, intumeſcentia, gangrænæque primordia aberant.

Ad ſeparationem partis corruptæ *Mixtura* hæc adhibita.

℞. *Ung. digeſtivi Thereb.* ℥ iij.
Baſilici ℥ j ß.
Pulv. Myrrhæ elect ʒ j.
Mercur. Præcip. ʒ ß.
Spir. Abſinth. g. xxij.

Ex hujus uſu curatio ſucceſſit ex voto, digitorum manuſvè integrá manente actione.

At verò priuſquam ad graviora deveniamus *Symptomata*, quæ ſæpiùs laboris plurimum Chirurgo creant, imò non raro ignorantiæ eum accuſari faciunt, ne de ægrotantis interitu, qui non raro ſupervenire ſolet, certa mœroris apud conſanguineos cauſa, quid dicamus, monere hic cogor, Chirurgum ex debito vulnera dicta tractare deſiderantem, legitimè cognoſcere debere naturam, ſtructuram, uſumvè Tendinum atque nervorum, ſimiliter ac partium connexarum, muſculorum ſcil. venarum, arteriarum, ligamentorumque, in manu, digitiſvè manus æque ac pedis occurrentium.

Cognitione hâc inſtructus quo loco apertio inſtitui debeat, quoties materia purulenta ad latera capſularum quibus includuntur nervi, deſcendit, liquidò conſtabit, nil enim tali in caſu convenientius, quam, ubi materiam dictam deorſum moveri notamus illicò exitum illi, foramine debito loco inſtituto, procurare, ne vicinæ partes, tendines, muſculi, membranæ, oſſa, ab eâ nocumentum aliquod contrahant, undè ſæpiùs non membri alicujus, ſed vitæ ipſius ablatio exſpectanda. Experti non ſemel, apertione aliquâ cautè & ſubito inſtitutâ, imò abſciſſione tendinis digiti corrupti, non ſolum manum, pedem, brachium in ſtatu ſano fuiſſe ſervata, ſed & totum hominem, motûs licet ablatio quandoque relicta.

Michaël Boon, operarius, infortunio quodam digiti medii manus dextræ contraxerat contuſionem gravem,

vem, cum punctura tendinis, undè ſecundo die dolor intolerabilis, cum tumore inflammatorio, & febri ardente, color digiti ſubater; factâ illicò apertione materia effluxit fœtida ſanguinem ſeroſum purulentum referens.

Parti apertæ, evacuato humore, plumaceolorum ope applicatum fuit hoc unguentum:

℞. Ung. Baſilici part. ij.
Digeſtivi thereb. part. j. M.

Cui impoſuimus, ſimiliter ac toti manui, *cataplaſma* noſtrum ordinarium.

Veſperi exhibito *Diaſcordio* ad ℈jß. ſomnus ſequebatur placidus, larguſque, qui etiam in ſequentem diem cum remiſſione doloris, febriſque, durabat.

Topicis remotis tumores duo interiore parte manus è regione digiti majoris, ſimiliter ac ſuperius intra digitum dictum & annularem, his apertis materia exibat alba pus verum referens; Locis apertis omnibus applicavimus idem unguentum quod ante applicaveramus digito læſo, imò & *Cataplaſma* denuò impoſuimus.

Dolore remiſſo, tumoribuſque ſimiliter ac toto corpore ab impuritatibus purgato, inflammatione imminuta, quod digitus ob humorum, quos imbiberat, copiam, & duritiem ſummam vel gangrænam, vel actionis abolitionem minaretur, medicamentis iis uti conſultum viſum, quæ mundificandi vi pollerent, quibus dein, more ſolito, *Emplaſtrum* vel *Ceratum vigonis* [vulgò *defenſivum* vocatum] ſuperimpoſuimus, ſpiritu vini prius madefactum; Horum uſu die proximo & ſequentibus materia purulenta bonæ notæ ſe exhibuit.

Tendinem digiti majoris, omninò corruptum circa manus palmam, quo pus ex ulcere, delatum, ſequenti modo abſcidimus; inſtrumento exploratorio circa extremitatem globoſo excipiebamus tendinem, hunc celeri manu, forficis acutioris ope reſecabamus, quo facto quod abſciſſum erat per locum in manus parte internâ apertum extrahebamus; digitum hunc ipſum, figuræ conſulentes, aliquomodo introrſum incurvatum curavimus; imò ne ex humoris, imprimis acrioris, diuturniore detentione oſſium corruptio augmentum ſumeret, ſpiritum vitrioli phlegmaticum plumaceolorum ope oſſibus applicavimus, & hâc ratione incarnatio debita ſecuta.

Finem imponerem obſervationi huic, de Tendinum læſione atque reſectione agenti, ni promiſſis noſtris ſtare cogeremur. *Manûs* adeoquè anatomen, quam in Noſocon io noſtro inſtituere conceſſum, hîc addere conveniens. Accuratam eam ſingularique inductria peractâ pro hoc tempore exhibebimus; quæ circa pedem proponi poterunt ab iis quę in manu notavimus diverſa in aliud transferentes. Spigeliana ſcripta interea dum noſtra hâc de materia prodeunt, legi poſſunt.

Manum velamenti univerſalis loco intus extuſvè cingit *cutis*, de cujus natura ſtructuraque cum alii prolixè ſatis egerint, non eſt quod nos aliqua proponamus.

Præter hanc ad ejus compoſitionem concurrit.

Pinguedo, hæc licet pars haud ſit

ſimplex, plurimis tamen ſymptomatibus iiſque gravioribus occaſionem præbere poteſt, imprimis ubi ab humoribus acrioribus, Topicis pinguioribus, aut etiam aëre externo alterata.

Vena & Arteria, quæ, extremitatibus apertis, ex puris acrimoniâ, humorem parti læſæ adferri faciunt.

Nervi, qui non raro ab humoribus dictis corroduntur, unde dolores ſummi.

Oſſa, quorum conſiderabilis numerus; quædam enim, octo nempe, conſtituunt *Carpum*, inæqualia ſtructurâ, hactenus innominata vocata, alia, quatuor ſcilicet, *Metacarpum*, carpo beneficio ligamentorum induratorum aut cartilaginoſorum juncta. Reliqua, quindecim numero, *digitorum* phalangem; poroſa hæc magis iis, quæ ſunt Metacarpi, ſucci medullaris plus aliis poſſidentia, unde etiam faciliùs, citiuſque humores affluentes recipere apta.

Muſculi denique, valdè complicati; eorum XIX. *Cabrolius* enumerat.

Pollicis motui ſeptem inſerviunt, horum tres medii, corpulentiores, tres interiores, ſeptimus exterior, principium ſumens ex pollicis radice, & in indicis intermedium primum deſinens.

Muſculus hic in Tabidis atque leproſis quique alii atrophiâ brachii laborant primò omnium extenuatur.

Vola manus ad digitorum principia muſculos duos poſſidet, qui ex oſſiculi carpi primo, quod minimum digitum ſpectat, originem ſumentes, internodio digiti dicti primo inferius, ſuperiuſque inſeruntur, ut eum flectant extrorſumque moveant.

Hos præter muſculi hic reperiuntur *quatuor Lumbricales* vocati, eorum origo tendine quadruplici circa flexorem digitorum tertium, finis in interſtitiis digitorum, ubi terminantur illi monticulo manus continentur, eorum uſus erigere digitos.

Accedunt inſuper *muſculi ſex* intra monticulum detenti, externi tres & totidem interni; & horum uſus extendere manum cum lumbricalibus, quivis enim eorum, ſimiliter ac lumbricalium, digitum ſingularem accedit, aſt tendine ſimplici, exterius extremo eorum juncto.

Extrema digitorum novem moventur muſculis, eorum quatuor interni ſunt, flectentes quinque externi, extendentes, omnes principium ſumunt ab internis apophyſibus ulnæ.

Flexorum primus Palmaris eſt, ex membrana nerveâ conſtructus, cuti intimè adeò connexus, ut rariſſimum ſit eum invenire, aut ſeparare; in anatome aliquâ publicâ ab *Ampliſſimo D. Nicolao Tulpio* in Theatro publico inſtituta notare mihi contigit *Mathiam Kalkoen* Chirurgum ſatis celebrem horas octo impendiſſe ſeparationi hujus muſculi, rudiori licet.

Principium ſumit à proceſſu cubiti interno, ſicque incumbens ulnæ ad digitorum confinia deſcendit. Continet hic muſculos duos exiles, in volâ manus ſitos.

Secundus, Perforatus, interiſùs exoritur ex proceſſu interno, terminatur in internodio digitorum ſecundo.

Tertius priorem *perforans:* ab ulna procedit ad digitorum quatuor internodium tertium. Uterque digitos flectit.

Uterque itidem firmamentum nanciſcitur

ſcitur in primo ſecundoque digitorum ordine; ab armilla membranoſa in ſuo ſitu validè detinetur.

Quartus ex parte anteriore & ſuperiore radii progreditur ad internodium pollicis primum.

Extenſorum primus à tuberculo externo procedit in digitorum internodia omnia tendine quadruplici.

Secundus initium ſumit in medio radii, finem nanciſcitur in internodio indicis ſecundo.

Tertius paulo ſupra priorem exortus in internodio pollicis ſecundo terminatur.

Quartus tendine duplici radici pollicis adnaſcitur.

Quintus ex tuberculo radii exterius procedens ad radicem minimi digiti properat.

Inter partes manum conſtituentes reſtant *Tendines*, quorum conſideratio omnium præcipua.

Scriptorum varii Tendinem partem ſimplicem eſſe negant, inter eas licèt vulgò numeretur. Muſculi notatur proceſſus ſ. cauda, ex ligamentis compoſita, ex nervis contexta, hinc in formam funis contracta, in principio rotunda, in fine plana.

Experientia quotidiana Tendinem ſenſus illius haud eſſe docet, cujus omni tempore habitus fuit. At verò vaginam membranoſam in qua tendo, pars mobilis, leviſque detinetur, ſenſilem magis Tendine ipſo obſervamus.

Senſus tamen hic obtuſus magis eo qui Nervorum, eo quod Nervorum extremitates non terminentur in vaginâ membranoſâ, ſed circa eam, intra muſculos digitorum manuſvè, hinc etiam eſt, quod, læsâ vaginâ dictâ, tardius increſcant ſymptomata, quam affectis nervis ipſis.

Senſilitatem Tendinum quod attinet, non eſt quod eam in abſciſſione aliquam dicamus, ſæpiùs, quo, ſenſiles eſſent nec ne, conſtaret, eos ſenſim abſcidimus, aſt ſine dolore; imò tendinem validiſſimum patellæ nexum aliquandò auferre coacti, eò quòd circa genu corruptus, nec tamen de ullo dolore conqueſtus æger.

Ambroſius Paraus lib. 10. *cap.* 38. mentionem facit Chirurgorum quorundam qui tendines, infra genu abſciſſos, *futura* ope iterum unire auſi.

Marcus Severinus effic. Chirurg. lib. 2. *cap.* 123. modum conſuendi tendines & nervos docet.

Jacobus Boenaert, Chirurgus eximius, juramento nobis teſtatus eſt, non ſemel ſe adfuiſſe operationi Chirurgi regii jurati Pariſienſis *Dn. Maynaert*, qua tendines digitorum enſe aut cultro abſciſſos, beneficio acus incurvatæ, filique apti, reunitos reddidit, ut non ſolùm figuram naturalem digiti retinuerint, ſed & quovis modo iterum moveri potuerint, methodum qua proceſſit citatus *Maynaert* in ſubjecto quodam demortuo cum admiratione omnium qui aderant, nobis communicavit, hanc tibi, Lector amice, exhibere haud detrectabo.

Primo omnium in digito maximo, loco qui internodium ſecundum & volam manus interjacet, cutem cum tendine ejuſque vaginâ diſſecabat, & tendinem vaginæ incluſum verſus manum retrahi manifeſtò notabatur, hinc cutem quæ erat inter manum & locum diſſectum ſecundum longitudinem forfice dividebat, mox etiam

ſubjectam vaginam, & hanc vaginæ ſectionem in viventibus non ſine gravi dolore perfici, aſſerebat; Hoc facto acu prædictâ filo forti commodo inſtructâ perforabat tendinem qui brachium reſpiciebat, & verſus manum retractus erat, mox etiam alterum, digito inhærentem, obvium ſatis, hinc, acu priore ablata, utriuſque lateris filo imponebat particulam, primò corticis (Kurck belgis dicti) mox etiam plumbi, perforatam, magnitudinis ejus cujus additæ figuræ ⊙ ⊙ fili dein extrema conjungebat, factoque circa plumbeam particulam, alteri ligneæ incumbentem, utraque tendinis extrema tangentem, nodo, particulas haſce lateraliter ſe invicem attingere procurabat. Et hac ratione impediebat, ne tendinum extremitates jungerentur, cùm alias callus qui interponi debet haud inveniſſet locum.

Sutura hæc in Tendinum ſectione uſualis cognita videtur *Felici Wurtzio*, Chirurgo Baſilienſi celeberrimo; libro enim de curatione vulnerum cap. 14. hæc habentur verba: *Nervum hunc* (Tendinem ipſum intelligere cenſemus) *inſtrumento apto in conſpectū producere debes, mox ſuturâ debitâ conjungere; vulnus verò ipſum apertum debet ſervari; & hac ratione nervi* (tendinis) *datur nova reunio, nec æger motu privatur.*

Et ſic clarè ſatis declaratum judicamus ſenſum omnem tendinibus auferri non poſſe, nec tamen conſiderabilem eum iis tribuendum, undè Chirurgo recentiorum vulnerum iis inflictorum curationem haud adeo difficilem eſſe abundè conſtat.

Partes alias manûs examinare hoc tempore non libet, plus utilitatis allaturum me confido, ſiquidem in gratiam juniorum nec adeò in arte Chirurgicâ exercitatorum, quænam circa puncturam nervi aut tendinis, recenter inflictam, peragenda ſint, paucis edoceam, ne alias motu omni vulneratus privetur membri adeò neceſſarii; rem antequam aggrediar, conſiderare volumus Chirurgum (ubinam perforatio tendinum in digitis detur, non neglectâ obſervatione) iis locis, quibus tendines, ex profundiore loco collocatis muſculis principia ducunt, collectionem præcipuam puris obſervare, imò etiam muſculos tendineſvè (ſi modo in tempore acceſſerit Chirurgus) rarius exulcerationibus affici ſupra armillam, niſi Chirurgiæ inſcitiæ aut corporis morboſo ſtatui malum adſcribendum.

Punctura recens *Tendinis* aut *nervi*, ab inſtrumento acutiore quocunque inducta quo in honorem Chirurgi, ægrotantiſvè ſalutem curetur, illico foramini, ſæpiùs ne quidem lynceo obſervabili, imponatur plumaceolum ſequenti mixturâ madefactum.

♃. *Ol. Thereb.*
Spir. Vini an. part. j.
Ol. Ceræ in quo aliquid Euphorbij ſolutum part. ij M.

Huic ſuperimponatur plumaceolum ſiccum, mox ſpatulâ ignita, aut ſtylo planiore, applicato, ut calor & vis mixturæ ad interiora læſa deferatur, efficiatur; hac inuſtione peracta plumaceolum Ung. Baſilico inunctum, priore remoto, admoveatur, hinc Emplaſtrum ſtichticum Paracelſi, imò toti manui ſiquidem vulneratus digitus aut pollex, brachioque ad alas uſque ceratum.

Cap. IX.

De Sclopetorum Vulneribus.

LIcet quotidiana experientia nos doceat, globulos venenatos reddi poſſe, attamen ſua natura tales non exiſtunt; æſtus verò in parte, aliaque ſymptomata, ex continui ſolutione & contuſione exoriuntur. Hoc in caſu primo globulus, & ſi quid aliud ei adfuerit è vulnere extrahendum, antequam & dolor, & inflammatio accedentes, id fieri impediant. Utriuſque habenda ratio, ne augmentum ſumant. Id vero quod contuſione leſum eſt Medicamentis ſeq. in pus mutandum.

♃. Ol. lilior. albor. Violar. an libr. ij. Catell nuper nator. N. ij. Coq. ad oſſium diſſolutionem. Poſtea adde lumbricor. terreſtr. lib j. Coq. iterum, & Colaturæ adde Therebinthin. Ven. unc. iij. Spir. vin. unc. j.

M. F. Linimentum.

Unguentum Vulnerarium.

♃. Therebinth. Venet. unc. j. Galban. drachm. ij. Medull. vitul. unc. ſ.

M. F. Liratum Vigonis, Aceto, aqua & ſpiritu vini calefactis madefactum, cura debita habita deligationis convenientis, ope faſciarum liquore eodē madefactarum peragendæ. Non neglectis interim iis, quæ pro rei exigentia, ſudore, venæſectione, vel evacuatione alvina corpus purgare valent.

At verò quòd ſi dolor, inflammatio & febris moleſtiam aliquam creaverint, iis uti neceſſarium quæ in progreſſis propoſita; & ſperamus eventum ægrotanti proſperum, arti chirurgoque honorificum, qualem non ſemel nobis obſervare contigit.

Hac Job. à Mek'ren quibus quæ de tendinum abſciſſorum, non per utriuſque extremi perforationem ſeu peractam, ſed per fili circumducti colligationem habet Clariſſ. de Muralto, Miſcellaneorum Curioſorum, Decad. 2. ann. 3. hic add.

Juvenis 24. annor. noctu in manu ſiniſtra vulneratus fuit, ejuſque tendines digitos moventes abſciſſi, vocatus Pariſinus Chirurgus Bienaiſe. manum læſam aſſeri plano adligavit, cutemque cultello ſeparavit, tendinesque diſciſſos & retractos inquiſivit, & iis filū circumduxit, opeque ſuturæ hujus ſibi invicem ſtricto ſolubili vinculo connexuit, & conjunctim ſingulos tendines ſubligamēto annulari colligavit, idque dolore ineffabili: fila hæc extra vulnus relicta ſunt ſatis longa, nervisque impoſitum fuit oleum terebinthinæ cum ſpiritu vini & oleo hyperici miſtum, uſquedum facta ſuppuratione fila leviter attracta, fuerint exempta, & vulnus ſimpliciter perſanatum, ægerque perfectè reſtitutus fuit.

Qua-

Radic. Scorzon. pulveriſ. Scord. pulveriſ. an. ſcrup. ij. Ol. hyperic. unc. ſ. Vitell. ov. N. j. Theriac. drachm. j.

M. Unguentum.

Aliud efficacius.

℞. *Pulv. radic. ariſtoloch. ſcrup. j ſ. Mumiæ, Succin. Maſtich. an. drachm. j. Therebinth. unc. ſ. Euphorbij drachm. j. Unguent. Ægyptiac. unc. ſ. Vitell. ov. N. j. Ol ſambucin. q. ſ. Croc. ſcrup. j.*

M. F. Unguentum.

Aliud præcedentibus præſtantius, quod etiam putredinem tollit.

℞. *Picis liquid. Therebinth. Galban. an unc. ij. Maſtiches, Thuris, Nitri, Salis ammoniac. an. unc. j. Alumin. drachm. ſ. Virid. æris, Vitriol. alb. Camphor. Pulv. lumbricor. an. drachm j. Ol. lini, Roſac. an. unc. ij. Lumbric. Therebinth. Ven. an drachm. j.*

M. liquefiant ſuper igne & F. Unguentum.

Si nervus non inhibeat, in magna putredine aliquid *Mercurij præcipitati* poſſet addi.

Parti ſanæ interim imponi poſſunt Anodyna atque Roborantia.

Emplaſtrum Anodynum.

℞. *Farin. fabar. Micæ panis, ſimilagin. an. drachm. iij. Coq. ex lacte vaccino.* Addendo

Ol. roſac. Violac. an. unc. j. Vitellor. ovi N. iij. Pulv. roſar. rubr. Scordii an. unc. j. ſ. Ceræ q. ſ.

M. F. Emplaſtrum.

Cataplaſma Anodynum

R. Radic. altheæ, Conſolid. maj. an. unc. j. Flor. Chamomill. Melilot. Hypericon. an. M. ſ. Summitat. abſynth. P. ij.

Coq. ex lacte vaccino,

Addendo

Farin. altheæ, Fabar. an. unc. j. ſ.

M. F. Cataplaſma.

Vulnus quod ſi penetrans fuerit, utrique foramini turunda imponatur, ſetaceum enim & incommodum eſt, & noxium. In principio etiam deligatio una quavis die ſufficit, vulnera enim ſclopeto inflicta, rarò ante diem tertium aut quartum pus exhibent, ſed poſtea materię copia aut acrimonia an ſemel, an bis, an ter de die deligatio ſit inſtituenda, determinabit.

C A P.

CAP. X.

De Vulneribus venenatis.

V*ulnera venenata* aliquando globulis, ſagittis, gladiis, aliiſque inſtrumentis venenatis, aliquando vero rabidis canibus, lupis, aliiſque animalibus inferuntur, pluſque vi venenata, quam vulnere nocent.

SIGNA ſunt dolor vehemens, color lividus, mox niger, ſymptomata gravia pręter rationem vulneris: in toto corpore ardor, tremor, delirium, lipothymia, &c.

Vulnus venenatum, licet exiguum, ægrotanti periculum & plerumque mortem adfert, præſertim ſi cordi, aut alicui ex partibus nobilioribus vicinum fuerit: vel ſi Chirurgus non in tempore accedat, & ejus curatio procraſtinetur.

CURATIO. In hoc præcipue conſiſtit, ut Venenum extrahatur, quod plerumque fieri ſolet Cucurbitulis, medicamentis attrahentibus, ſcarificatione, aut, quod tutiſſimum, actuali cauterio: ſed pars læſa ne ſit valde nervoſa; eſchara quoque illico auferenda, ſicque vulnus paulatim curandum. Internè medicamenta proſunt *Sudorifera* atque *Cardiaca.* Nocent Venæ ſectio atque purgatio.

Venenum ex vulnere extrahens partemque roborans.

R. Cæpar. coctar. unc. iij. Theriac. unc. j. Stercor. caprin. unc. j. Radic. angelic. pulver. drachm. j. ſ. Ol. ſcorpion. unc. j. ſ. Mellis & Ceræ q. ſ.

M. F. Emplaſtrum.

Partem roborat, Venenum extrahit, Pus producit, Carneque vulnus replet ſequens emplaſtrum.

♃. Gumm. Galban. Sagapen. Opoponac. Aſæ fœtid. Myrrhæ, Piperis, Sulphur. an. drachm. vj. Stercoris columbin. Anatis an. unc. j. Mumiæ unc. ſ. Radic. conſolid. mai. pulveris. drachm. iij. Ol. hypericon. q. ſ.

M. F. Emplaſtrum.

Quædam hic adderemus de vulneribus à viperis, à ſcorpionibus, tarantulis ut & de iis quæ inſtrumentis oleo nicotianæ, aut etiam thoræ Valdenſium extracto imbutis, &c. infliguntur, verùm quia hæc peculiarem operam expoſcunt, ſufficiat impræſentiarum adjungere quod habet Peritiſſ. Jobus à Meek'ren. De Morſu canis rabioſi.

Inter venena quæ ſubſtantiæ ſuæ inſita vi, eâque occultâ, partes noſtri corporis afficiunt, quædam actu

agunt, adeoque ſubitò, alia verò potētiâ.

Prioris conditionis ſunt, quæ ſcalpendo, mordendo, pungendo, per ſudorem, urinam, ſalivam, ſonum, qualis vociferatione, ſibilo, &c. ſimilibusque modis variis naturam ſuam corporibus imprimunt.

Poſterioris ordinis quæ ſunt non ſolum afficiunt corporum partes externas, internaſvè, ſed utraſque.

Inter hæc haud infimæ notæ *Morſus canis rabidi*, ubi venenata qualitas vulneri ſoli haud inhæret, ſed exindè toti communicatur corpori, imprimis Cordi & Cerebro, undè partes aliæ iterum habent, quod accipiant. Hiſtoriam narrant. *Palmarius de morbis contagioſis pag.* 329. *tract. de morſu canis rabidi, cap.* 1. *Ruſticus quidam*, inquit, *rabie perculſus furiiſque agitatus, cum ſibi brevi è vitâ migrandum eſſe intelligeret, aſſidentes, qui eum vinculis conſtrictum tenebant, in furoris intermiſſione enixe rogavit, ut quos mox deſerturus eſſet liberos, ſibi deoſculari liceret: quod cum ei fuiſſet conceſſum, liberiſque oſcula libaſſet, præfocatus eſt: ſed ecce ſeptimo poſt die liberi eodem modo correpti, eiſdemque cruciatibus torti, brevi miſerrimam vitam cum morte commutarunt.*

Et quamvis circa hanc opinionem plurimum diſceptent ac diſcrepent artis medicæ cultores, prætermittere tamen nequeo *Avicennæ* hâc in re conſilium: Inculcat is ſtudioſiſſimè omnibus, furioſorum cuſtodiam ſervantibus, ne ullas unquam ſuperſtites ciborum reliquias, ab amentibus corroſas maſticataſvè deguſtent, neque corpus ſuum illorum ſputis (quæ ferè eructant aſſiduè) commaculari permittant. Non equidem periculoſum contagioſumque adeò depingere valeo virulentum morſum rabioſi canis, quin dicto amplius in ſe diſcriminis, contagioniſque involvat.

Hæc tanta hujuſce rei incommoda, quo faciliùs quiſque declinare valeat, operæ pretium foret præfati morſus indicia oculis objicere, niſi authores paſſim omnes [cum cæteris *Paræus*] id negocii præveniſſent.

Neque interim nobis ſatisfacere videntur authores cuncti, qui hanc rem attigerunt, ut ſunt: *Avicenna, Galenus, Geſnerus, Paræus, Fracaſtorius, Palmarius, Amatus Luſitanus*, ac plures alii, dum cauſas ob quas hydrophobi, ac rabioſi aquas fugiant, exponere conantur, cum tamen aquæ operâ eos curari obſervemus. Licet hanc ex *Ruffo* & *Poſidonio* afferat *Aëtius*: quod rabidus canis in undis alium canem, vulneris ſui inflictorem, videre ſe putet.

Quam ſententiam confirmare videtur *Johannes van Bevervviick*, *Petri Silentiarii*, Græci vatis, authoritate, nec non memoratus *Ætius* authoritate *Philoſophi*, qui recepto à cane rabido morſu potandi cauſa thermas adiverat. Cum verò in aquis canem conſpicere ſibi aſſiduò videretur, intrepido animo hydrophobiæ contrarie ſtatuens. Quid, inquit, cani cum balneis, quæ alacrius ſubintrans, aquæ potu ſanitati reſtitutus eſt.

At verò ad hæc objicere liceret, caniculos juniores, quibus vermiculi ſub linguis generantur, quod ex roſione continua cognoſcimus, rabioſos fieri, abſque eo quod aquam vel videant, vel cognoſcant, & hoc canibus plerique ſine reali contactu, evenire credimus, eo quod natura

ſua

ſua calidi ſiccique temperamenti ſint, unde ex vermiculis excitatum ſub linguis pruritum perferre haud valentes, ſubitum ſanguinis æſtum contrahunt, diebus maximè canicularibus, hinc febris, linguæ extra os protruſio, delirium.

Inter *remedia* omnia noſtris in locis uſualia nullum præſtantius præcipitatione ægrotantis in mare, ſic referente Medicamentorum belgicorum deſcriptore ingenuo *Dn. Joanne Beverovicio*, qui hac in re veſtigia magni *Cornelij Celſi* ſecutus, cujus verba legi poſſunt *lib. 5. cap. 27.*

Peragitur ſubmerſio hæc à duobus viris ad mare habitantibus qui ocreati ægrotantem invitum, licet deferunt in mare, in quod tribus ad minimum vicibus eum præcipitant, hinc eundem benè madidum ad littora iterum deducunt.

Curatio hæc ſubitanea ſit, requiritur, priuſquam ſymptomata graviora acceſſerint, in muſico etenim aliquo à cane rabido vulnerato inutilem omninò eam obſervavimus, quod tardiùs juſto inſtituta, miſerè etenim uſque ad mortem vixit.

Joannis Janſonij, ſervus Subprætoris *Joannis Voerknecht* Canem Prætoris rabioſũ gladio jugulare tentans exiguo foramine circa carpi manus dextræ interiora morſu canis vulneratur.

Die nono, neglectâ in mare præcipitatione, eum accedo, delirium aderat, febris ardens, hydrophobia, convulſio, ſputatio continua, ſitis ingens, anxietas, linguæ ariditas ſumma, oculorum ſcintillantia.

Vulneri illicò adplicari curavi *cucurbitulam*, & quidem tertium iterandam hinc locum vicinum, ſimiliter ac vulnus ipſum hoc tegebatur Cataplaſmate.

♃. *Theriac. veter.* ℥ß.
Succ. Cepæ ℈ß.
Stercor. columb. ℥ijß.
Sal. commun. ʒij.
Pulv. Ruthæ, Scordii an. ℥ß.
Aq. vitæ q. ſ.
F. in formam Cataplaſmatis.

Veſperâ *Cauterium actuale* vulneri applicabamus, quo apertum ſervaretur, & venenum conſumeretur, loco cauteriſato applicabamus *Ung. Baſilic.* cui *Theriaca* mixta, ad ſeparationẽ eſcharę, præterquã quod & præcedens Cataplaſma ſuperimpoſitum, ſudoriferum itidem præſcriptum, quod ægrè admodum, ſimiliter ac omnia liquida, aſſumebat. Pro *potu* tamen ordinario hoc præſcriptum.

♃. *Fol. Ruth.*
Rad. Scorſoner. an. M. j.
Fol. Salviæ min. P. ij.
Beton. Nepet. an. M. j.
Leviſtic. M. ß.
Coq. in vino gall. q. ſ.
Colatura uſurpetur pro potu.

Die decimo, vigiliæ continuæ, abſtinentia à potu, ſudoris nulla eruptio, graviter moleſtabant, imò delirium valdè augebatur, mordendo enim, ſpuendo, lacerando, vociferando, ſimilibuſque actibus, omnia turbabat, latratus tamen, contra ac vulgus docet, nullus notabatur.

Die undecimo omnia parum remittebant, quod nox præterita placidior; at *duodecimo*, defatigatus admodum exſpiravit; Et hac mortis ratione vulgum evidenter docet, vanum eſſe, quod rabioſum ejuſmodi non niſi ſuffocatione interfici poſſe, ſtatuant. Hâc de re videri poteſt *obs. 20 & 21. lib. 1. Nicol. Tulpij.*

Cap. XI.

De Vulneribus particularibus.

IN Vulnere *Capitis* ſutura per *acum*, aut emplaſtrum glutinatorium locum non habet, ubi pericranium læſum eſt. Nocent pinguia; proſunt magis confortantia atque exſiccantia.

R. Maſtiches, Myrrhæ, Aloës, Sarcocollæ, an. drachm. ſ. Sang. dracon. ſcrup. ij. Boli ſcrup. j. Therebinthin. Venet. unc. ii. Mellis roſat. parum.

M. F. Vnguentum.

Vulnera *Cerebri Meningum* dolorem, hæmorrhagiamque gravem adferunt, quibus plura ſymptomata, imo mors ipſa plerumque ſuccedunt. Dolorem inſigniter ſedat Ol. roſar. tepide applicatum; & ſanguis columbinus recens idem efficit.

Ad Hæmorrhagiam.

R. Myrrhæ, Aloës, Maſtiches, Sanguin. dracon. Rhabarbar. Corallor. rubr. præpar. Pil. lepor. minutim inciſ. an. drachm. j.

M. F. Pulvis tenuis.

Vulnera *Faciei* per ſuturam conjungi neque curari debent, imò ſtudendum ſemper, ne cicatrices eam deformem reddant.

In vulnere *Oculorum* ab omni pingui abſtinendum, ſanus item oculus æque deligationem requirit quam læſus: Collocatio capitis recta ſit, & aliquo modo erecta. Quod ſi ſanguinis fluxus adſit, ſequentia conducunt.

Sanguis Turturis, Columbæ, Gallinæ. Mucilago ſeminum Pſyllii, Cydoniorum, Tragacanthæ. Lapis hæmatites, Ceruſſa, Tutia, Thus, Aloë. Albumen ovi. Aqua roſarum, plantaginis. Decoctum Balauſtiorum, Roſarum rubrarum, Gallarum, &c.

R. Sief alb. Rhaſis, Tut. præpar. Aloës pulveriſ. an. ſcrup. ſ. Vini rubr. unc. j. Aq. roſar. rubr. Plantag. an. unc. ij. mucilag. ſemin. pſyll. Tragacanth. an. drachm. j.

M. F. Collyrium.

In dolore Lac recens muliebre prodeſt, aut Collyrium modò deſcriptum, addito Opii ſcrup. ſ. exterius ſuperimpoſito Cataplaſmate hoc.

R. Po-

R. Pomor. putridor. unc. ij. Farin. ſem. lini. unc. ſ. Mucilag. ſemin. pſyllii drachm. ij. Opii crud. drachm. ſ. Vitellor. ovor. q. ſ.

M. F. Cataplaſma.

NASI particula abſciſſa nunquam reunitur, etiamſi vel recentiſſimum ſit vulnus: eadem ſi adhuc corpori cohæreat, acus ope eidem jungi poſſet.

Vulnera *Auricularum & Labiorum* plus boni ab acu, quam ligaturis exſpectant.

Pulmonum vulnera medicamenta exigunt *confortantia* atque *exſiccantia*, acria hoc in caſu valde nocent, in aliis Vulneribus quotidie adhibentur.

Externè.

R. Radic. conſolid. maj. Tormentill. Garyophyllor. an. unc. ſ. Flor. roſar. rubr. M. ſ. Maſtich. Myrrh. Aloës, an. drachm. j.

Coq. ex aq. hordei, Colatur. libr. ſ.

Adde

Syr. myrtin. Mell. roſar. colat. an. unc. ij.

M. F. Linimentum.

Interne.

R. Fol. Veronic. Fragar. Sanicul. an. M. ſ. Tuſſilagin. M. j. Rad. angelic. drachm. ij. Liquir. drachm. j. Iujubar. N. xv. Paſſular. unc. ſ.

Coq. ex aq. hord. Colat. libr. j. ſ.

Adde

Syrup. diacod. unc. iij.

Miſce.

Sumat ex eo ter quaterve ſingulis diebus uncias quinque.

Sperma Ceti drachmæ dimidiæ pondere quotidie ſumptum inſigniter operatur, at Cerebrum debilitat.

Vulnera Cordis lethalia ſemper ſunt: ad ſiniſtrum ventriculum penetrans illico hominem jugulat. Mors ſi ad horas ſex, duodecim aut viginti moras nectat, uti nos aliquando exempla docuerunt, rariſſimum habetur. In dextrum ventriculum quod progreditur diutius ægrotantem inter vivos permanere permittit: tempora hęc extendit illud vulnus quod in ipſa ſubſtantia Cordis terminatur.

Ventriculi vulnera plerumque *naturæ* curanda relinquuntur; quæ hic mira quandoque præſtat. *Hæmorrhagia* tamen Venę ſectionem exigit. In vulnere in cavitatem ipſam penetrante, tunicis omnibus diviſi, abdominis, vulnus per ſuturam uniri debet, relicto foramine exiguo, per hoc turunda inſeratur, vulnus Ventriculi minime intrans, ſed tantum exterius attingens; atque inungatur hoc vel ſimili Linimento.

R. Ol. Maſtich. Abietin. an. unc. j. Mannæ. Thuris drachm. ij. Pulv. rad. tormentill. Conſol. maj. an. drachm. j. Croci ſcrup. j. Lumbric. terr. drachm. ſ. Vini alb. unc. ij.

Coq. ad vini conſumpt.

M. F. Linimentum.

R. Thereb. unc. ſ. Vitell. ovi N. j. Ol. hyper. unc. j.

M. F. Linimentum.

Vulnus inteſtini tenuis aliquando, ſed rariſſime curatur (quod exemplo inſigni probare poſſum) ſed facilius quod eſt craſſi. Tenue ubi læſum, chylus imo ſæpe cibus potuſve, per vulnus effluit; dolor adeſt inſignis, accedit mox febris, & Nauſea. *Ubi craſſum*, fœces per vulnus exeunt, ad minimum fœtor ſe exhibet ſtercoreus, alvus adeſt durior. Per ſuturam illico Vulnus obturari debet, reſtituique in locum naturalem inteſtinum, aquà calida bene mundatum, pulvereque ſeq. modice conſperſum.

R. Aloës, Maſtich. Thuris, Mumiæ, Sang. dracon. an. drach. j.

M. F. Pulvis.

Vulnera Hepatis atque Lienis Venæ ſectionem exigunt, quotidianamque: ſi alvus ſuppreſſa ſit, *Enematum* injectionem, prężer Adſtringentia atque exſiccantia medicamenta, vulneri ipſi applicanda.

Renum vulnera difficulter & tarde curantur. Cavitatem ipſam cum ingrediuntur, ſanguis effluit ſeroſus, aliàs purior. Extrinſecus Linimentum hoc magni æſtimatur.

R. Reſin. pini unc. vj. Ol. Laurin. Thereb. an. unc. j. Gumm. Elem. unc. iv. ſ.

Miſce.

Intus uſurpantur Troch. Alkekengi Gordonii, de Carabe, de Terra ſigill. Bolus, Therebinthina, Potioneſque vulnerariæ.

Veſicæ

Veſicæ vulnera eodem prorſus modo curantur, rarum tamen non relinqui fiſtulam.

Pilulę ſeq. in Vulnere & Vlcere Renum atque Veſicæ ſummi uſus ſunt.

℞. Oſſium humanor. calcinator. drachm. iij. Cretæ vulgar. Gypſ. uſt. an. drachm. j. Trochiſc. alkekeng. drachm. iij. Therebinth. Venet. parum coctæ q. ſ.

M. F. Pilul. magnitudine piſi minoris, & aſpergantur pulvere liquiritię.

Harum Patiens mane & veſperi ſex ſumat.

LIBER

Super Vulneribus particularibus quinque ſubſequentes hiſtorias ex Clariſſ. Ioh. Muys adducimus.

PRIMA.

De Vulnere capitis.

IUvenis ſedecim annorum ex equo in terram delapſus, vulnus ſatis magnum accepit in ſincipite, & quidem tale, ut os nudum in conſpectum veniret; interim æger aliquoties vomebat, & ſatis malè habebat. Duæ à lapſu vix præterierant horæ, cum accerſitus ſum ad ægrum, in cujus capite nec fiſſuram, nec fracturam, nec introceſſionem cranii animadvertere potui, & vomitus tunc temporis ceſſabat, ac ægrotus mediocriter valebat, nec multum de dolore, nec de ullo alio conquerebatur incommodo.

Supervacaneum foret hic loci explicare, unde vomitus hic prodierit, quandoquidem hanc rem per ſe ſatis claram eſſe exiſtimo.

Deraſis capillis vulnus linteis carptis ſiccis implevi, & quidem duplici de cauſa, primo ut ſanguinis fluxus hoc pacto ſiſteretur, deinde etiam ut labia vulneris aliquatenus à ſe invicem dehiſcerent, ut ita ſecuturo die cranium tantò melius pateret.

Tunc ſuperpoſui emplaſtrum ex ſequenti maſſa confectum.

℞. Empl. diapalmæ ℥ij.
Boli.
Cretæ com. ā̄ā ʒij.
Antimon. diaphor. ʒj.
Ol. laurini ʒij.
Tartari p.d. ʒß.
M. S.

Poſtero die in cranio detecto nihil mali apparebat, ac ægrotus haud aliquo malo ſymptomate vexabatur, unde ſperare cœpi, cranium intrinſecùs etiam nihil mali paſſum fuiſſe, ac cerebrum bene habere cum utroque ſuo involucro.

Impoſui igitur ſequens labiis vulneris (oſſe prius contecto linteis carptis ſiccis.)

℞. Thr-

℞. *Thereb. comm.*
Mellis roſat. ãã ℥ß.
Myrrha
Aloës ããʒß.
M. S.

Et ſic æger brevi priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt.

Emplaſtrum imponebatur eum in finem, ut acidum temperaret, atque hoc modo, quicquid à contuſione coagulatum erat, diſſolveret citò; unguentum applicabatur, ut ita circulatio ſanguinis ac humorum, aliquatenus in vulnere ob tubulos diſruptos ac diſtortos impedita, reſtitueretur.

Cranium denudatum linteis carptis ſiccis contegebatur, partim ne pus ex labiis vulneris oſſi damnum aliquod afferret, partim ut aër ambiens hoc pacto arceretur à cranio, cui valde inimicus eſt acido ſuo, quo abundat, ut quotidiana ſanguinis per venæ ſectionem emiſſi nos docet coagulatio ab aëre producta.

Illud autem lintei genus, quod belgice dicitur *catoen*, in vulneribus haud convenit, quia inflammationem non raro ciere conſuevit angulis ſuis acutis, quibus donatum eſt, ſicut id ope microſcopii haud difficile eſt conſpicere.

Omnia pinguia hic ſedulo vitavi, quia particulis ſuis ramoſis valde anguſtos cranii tubulos ſatis pertinaciter obſtruunt, atque ita efficiunt ut humores ſtagnent, aceſcant, & cranii ſalem volatilem corrumpant, cariemque inducant, ac tunc curatio haud parum procraſtinatur ob portionem oſſis carioſam quæ prius ſeparari debet.

Scultetus in armamentario ſuo chirurgico partem vulneri capitis vicinam inungit aliquandiu oleis aſtringentibus ad præcavendam inflammationem, ut ille opinatur, ſed male, nam ſanguinis circulatio non debet ſiſti, ſed promoveri in inflammatione, quandoquidem ſanguis ac humores ob coagulationem ſuam in eadem ſtagnant pluſquam ſatis; ideoque humores coagulatos per emplaſtra acidum temperantia diſſolvere multo conſultius eſſe videtur hoc in caſu.

Venæ ſectionem, quam plerique in vulneribus capitis extollunt egregie, prorſus omiſi, quoniam non video, quid utilitatis inde provenire queat.

Medicamenta diſtinguere in mundificantia & ſarcotica, atque illa prius, deinde hæc in uſum revocare, eſt res nullius utilitatis; nam ſolum noſtrum unguentum ſufficit, & præſtat, quicquid neceſſarium eſt, dum acidum temperat, ac humorum circulationem reſtituit; ſed interim ad hoc attendendum eſt, ut, omiſſo præſcripto unguento, lintea carpta ſicca tandem imponamus, ubi carne fermè impletum eſt vulnus, nam alias caro nimis luxuriaret, ac altius exſurgeret, quam par foret.

Veteres in capitis vulneribus adhibebant faſciam, quæ cancer appellatur, cujus delineatio videri poteſt apud Scultetum; verumenimvero jam temporis plerunque in uſu eſt ſudarium commune concinnè applicitum.

Vomitus in vulnere capitis utplurimum multum mali portendit, eundem autem non ſemper eſſe infallibile ſignum fracturæ cranii, fiſſuræ aut alterius alicujus incommodi valde magni liquidò conſtat ex propoſito noſtro caſu.

Pericu-

Periculoſæ plena aleæ res eſt vulnus capitis, quod dum maximè arridet, tum inſidias vel maximè ſtruere ſolet; nullum igitur capitis vulnus, licet valdè exiguum videatur, parvifaciendum eſt, aut leviter perfunctoriève tractandum, ſed debemus hic potius omnia ſuſpicari, quoniam non raro latet anguis in herba, cum apud chirurgos alta ſecuritas eſt.

Hiſce paulisper in animo mecum volutatis operæ pretium eſſe duco, hoc in campo, antequam finem imponam huic obſervationi, paulo latius ac liberius expatiari, quam ſolitus ſum, ut ſi non aliis, mihi ſaltem ipſi, in cujus inſtitutionem hæc ſcribo, hac in re ſatisfacere queam.

Extra omne dubium poſita res eſt, vulnus capitis valde parvum aliquando longo poſt ictum acceptum tempore ægroto necem afferre poſſe, verum hoc non impedit, quominus nonnunquam eveniat ut æger citra ſpem medicorum chirurgorumve à periculoſiſſimo ac omnibus fermè pro lethifero habito vulnere capitis reconvaleſcat; ſic memini patris mei curæ commiſſum fuiſſe ante aliquot annos ægrotum quendam, qui ligone vulnus adeo horrendum acceperat in ſincipite, ut ab ictu inflicto non tantum valdè magna cranii, ſed etiam haud parva ipſius cerebri portio avelleretur, & tamen hic æger vivit adhuc Arenaci & valet, remanente tamen hemiplegiâ.

Hac hiſtoria forſan falſitatis convincere poſſem opinionem clariſſimi Williſii, dum lectori perſuadere conatur, quod memoriæ ſedes reperiatur in cortice cerebri; nam ſi illud verum foret, tunc patientis mox citati memoria vacillare deberet, cum tamen eadem non minus vigeat jam temporis, quam antequam æger vulneratus eſt.

Sed quid loquor de iis, qui ab horrendo capitis vulnere reva'uerunt? nonne multò mirabilius exiſtit, etiam ingens beneficium redundare in aliquem ex capitis vulnere tam periculoſo, ut à pleriſque pro mortifero habeatur? maximè, & tamen non deſunt exempla tale quid teſtantia; ſic apud Schenckium legere licet, quo pacto aliquis, accepto periculoſo capitis vulnere liberatus ſit ab Epilepſia inveterata & valdè pertinaci; ad hæc ſi tibi moleſtum non ſit inſpicere celeberrimum Hildanum centuriâ ſecunda, obſervatione octava, ante oculos tibi ponetur caſus ſatis rarus, ſcilicet quendam ad conjunctionem ſuturæ ſagittalis cum coronali fracturam cranii accepiſſe, eundemque poſtea, remanente tamen ulcere, hoc modo ſanatum fuiſſe à magna ac moleſta cephalæa, quâ antea per longum temporis intervallum ægrotaverat.

Tales hiſtoriæ, quales modo commemoravimus, raro admodum contingere ſolent, ac idcirco præſtat in capitis vulnere, qualecunque etiam ſit, ſemper ſolicitum eſſe quam ſecurum nimis.

Vulnus autem capitis multo difficilius ſanatur, ubi patiens lue laborat venerea, ut & ſi eadem capitis pars ſæpius antea fuerit vulnerata; nam in morbo Gallico plerumque peccat humor acido-corroſivus vulnerum ſanationi haud exiguum ap-

 portans

portans impedimentum, ubi autem contingit, ut eadem pars ſæpius ſaucietur, manifeſtum eſt, tubulos ibidem haud paucos mirum in modum diſtortos manere, unde ſanguis & humores obſtaculum quoddam offendunt in circulari ſuo motu, cujus tamen beneficio propemodum tota peragitur vulnerum ſanatio.

Atqui circulationem ſanguinis & humorum aliquatenus impediri in parte ſemel aut ſæpius vulnerata, licet vulnus jam diu coaluerit, vel hinc manifeſtum evadit, quòd partes antea vulneratæ plerumque ſolito frigidiores ſint & tempeſtates ingruentes non raro præſentiant.

Præterea vulnus capitis magis aut minus periculoſum eſt, prout huic aut illi capitis parti infligitur; ſic vulnus occipitis minus periculoſum æſtimatur, quia os craſſitiem ac ſoliditatem ſuam raro fracturam aut fiſſuram patitur, etiamſi ictum ſatis vehementem recipiat; ac ubi jam contingit, ut os occipitis fracturâ aut fiſſurâ corripiatur, tunc ſordes tamen in hac fractura aut fiſſura collectæ non ita facile in ſubjectam duram meningem deſtillant.

Vulnus autem valde periculoſum habetur in bregmatis illo oſſiculo, quo maturior ætas locum in infantibus apertum poſtea replet, abſque dubio, quia illud oſſiculum tenerum eſt & vicinum ſuturis.

Sic vulnus temporum valde formidoloſum exiſtit pluribus de cauſis, & primo quidem, quia muſculus temporalis contectus eſt pericranio, deinde quia latet illic arteria ſatis magna, quæ vulnerata inducit hæmorrhagiam valde periculoſam, quæ ſiſtitur difficillime ea de cauſa, quod, dum loquimur aut comedimus, muſculi temporales commoveri debeant, & ſic ſanguinis fluxus jam cohibitus non raro redire ſolet ac renovari.

Tertio quia nervus in muſculo temporali læſus ſæpius ſpaſmum excitare conſuevit, & quidem talem, qui belgicè dicitur *de klem*, ac nos comedere prohibet; ſic ubi muſculus temporalis valde læditur, contrahitur oppoſitus ac excitatur illa affectio, quæ oris tortura appellatur.

Quarto quia ſectio artificialis, aliquando neceſſaria in capitis vulneribus, non ſine periculo fit in muſculo temporali.

Quinto quia vulnerum medela requirit partis ſauciæ quietem, quæ tamen ſæpiſſime turbatur in vulnere muſculi temporalis, cum ſcilicet aliquid comedimus aut loquimur.

Fiſſura in ſuturis etiam peior exiſtit quam alibi, & difficillime invenitur; ſic Hipocrates Epid. 5. hoc modo ſe deceptum eſſe, & quidem cum vulnerati pernicie, ipſe liberè profitetur.

Vulnus inflictum ſuperciliis, ſic ut cavitas pateat, quæ in oſſe frontis reperitur, ventum emittit, quia ſcilicet illa cavitas oſſis pervia eſt in nares, illudque vulnus vix ac ne vix quidem conſolidatur, teſte Celſo, aliiſque, quibus talem caſum videre contigit.

Chirurgi, cum dubitant de cranii fractura aut fiſſura, vulnerato nucem dentibus frangendam præbent, aut filum, cujus alterum extremum ore tenet ægrotus, concutiunt, obſervantes, num tremulum illum motum

abſque

abſque moleſtia tolerare queat patiens.

Ubi cranium denudatum eſt, ſpecillo plerumque inquirimus, num adſit fiſſura, nec ne; ſed ut hoc examen rite inſtituatur, ante omnia exacte noſſe oportet ſitum ſuturarum conſuetum, ne ſutura ſumatur pro fiſſura, aut fiſſura pro ſutura; atque ut error hic omnino declinetur, præterea meminiſſe, oportet, ſuturam ſagittalem aliquando præter conſuetudinem procurrere uſque ad naſum & frontem reddere bifidam, imò etiam nonnunquam ulterius ſe extendere ad occiput, illudque dividere; hic quoque in memoriam revocanda eſt obſervatio alicujus Anatomici, qui affirmat, ſe vidiſſe illud bregmatis oſſiculum, quo provectior ætas implet locum in primum-natis adhuc patulum, peculiari circumſcriptum fuiſſe ſuturula.

Apud Paræum, Fallopium alioſque reperire licet vulneratos, in quibus mortuis & apertis externa cranii tabula, quæ ictum receperat, prorſus integra conſpecta fuit, interna interim non tantum rimam agente, ſed etiam fragmenta quædam exhibente, quæ meningem punctione ſua moleſtaverant; quo pacto hoc accidere potuit? dicam; ictus vehemens materiam ſubtilem ante ſe maxime agitavit, atque ita hæc materia ſubtilis celerrime mota tranſiit ſine mora per primam cranii tabulam ſatis libere, nec damnum ullum intulit, verum ubi pervenit ad ſecundam cranii tabulam primâ (ut Anatomici teſtantur) multo ſolidiorem, ibi poros offendit adeo anguſtos, flexuoſos, ut tranſire nequiret, niſi per novam viam, quam ſibi ipſi violenter momento temporis pararet, & ſic multis poris perruptis internam cranii tabulam egregie fidit; ſic fulmen, intactâ vaginâ, enſem liquefacere perhibetur, ſic aqua fortis, illæsâ cerâ, argentum ſolvit.

Complures narrant aliquando contingere, ut percuſſo ſincipite dextro, ſinciput ſiniſtrum rimam agat, dextro integro remanente, & talis caſus dicitur plerumque contrafiſſura, quamvis hoc contrafiſſuræ vocabulum nonnunquam & ad alios caſus extendatur.

Talem contrafiſſuram me nunquam conſpexiſſe lubens confiteor, eandem autem dari Celſus affirmat, Ægineta negat, ego autem hac ſuper re judicium meum ſuſpendo.

Aliquando contingit, ut medulla, quæ inter utramque cranii tabulam reperitur, ab ictu valido è cavernulis ſuis excutiatur ac exprimatur, cum ſanguine ab ictu quoque extra vaſa profuſo, ſicque medulla hæc cum ſanguine acredinem acido-corroſivam concipit, quâ cariem internæ cranii tabulæ inducit, atque ita nonnunquam humor acris & aquoſus ex oſſe carioſo prodiens meningem, ipſumque cerebrum inficit ægroque mortem inexſpectatam minimeque prævisam infert aliquot interdum ſeptimanis, imò & menſibus poſt ictum, cranio extrinſecus interea temporis apparente integro, neque ullam fracturam aut fiſſuram oſtendente, & talia exempla ab auctoribus; qui de Chirurgia ſcripſerunt, hic atque illic narrantur.

Cranio cum dura matre læſo aliquando intra viginti quatuor horas enaſcitur fungus ovi gallinacei magni-

tudinem propemodum adæquans, quem clariſſimus Malpighius ortum ſuum debere exiſtimat læſis glandulis, ex quibus cortex cerebri componitur, quæque ſecundum ejuſdem opinionem deſinunt in radices nervorum, in quas ſuccum ſuum nerveum ab arteriis acceptum & tranſcolatum tranſmittunt.

Ab omnibus ferme auctoribus ſerio monetur, nulla capitis vulnera eſſe conſuenda, & quidem optime.

Dum vulnera capitis religabantur, Veſalius ſemper adhibebat candelam ceream accenſam (non ſebaceam, quia pinguedo nocet oſſibus) eum ſcilicet in finem, ut frigus ambientis aëris aliquatenus temperaret, ſed jam temporis chirurgi quidam utuntur vaſe quodam æneo carbonibus vivis impleto, quod belgicè dicitur *een bedpan*.

Meditullium, quod inter utramque cranii tabulam continetur, in puerulis multò tenuius eſſe reperitur quam in adultis, quod bene obſervandum judico à chirurgis, dum trepano aut ſcalpris utuntur, nam aliàs fieri poſſet, ut ſibi perſuaderent, ſe nondum ad meditullium perveniſſe, dum interim ipſam læderent meningem.

Quidam, antequam adhibeant trepanum, eligunt crucialem carnis inciſionem, alii triangularem, ſed pater meus fere ſemper præferebat circularem, ſicque totam illam carnis portionem à cranio ſeparabat ac avellebat.

Inter operandum quidam trepanum ad temperandum calorem immittunt in oleum, ſed male, quia oleum, ut ſæpiùs diximus, eſt oſſibus inimicum, quamobrem aqua communis nobis hoc in caſu melius inſervire poteſt.

Veteres opinabantur, creſcente luna, medullam & cerebrum in animalibus augeri, ideoque uſum trepani tempore plenilunii prohibebant, verum hoc ſæculo nos docuit experientia, cerebrum in cranio ac medullam in oſſibus animalium non majori copia contineri, luna creſcente, quam alio quovis tempore, atque ita hæc opinio, arenoſo adeò ſuperſtrata fundamento, corruit.

Veteres minimè admittere voluerunt, ut trepanum poneretur in ſuturis, ſed jam temporis habemus chirurgos, qui hoc intrepidè faciunt.

Aliquando contingit, ut dura mater cranio ſatis firmiter adhæreat, ſed hoc admodum rarò evenire ſolet, eſtque præter conſuetudinem.

Duræ meningi denudatæ Scultetus applicat oleum roſarum, Celſus acetum, ſed uterque peccat, hic magis, ille minus; quid aliud efficiet oleum, quam ut poros ac tubulos illius membranæ obturet, ac ita ſanguinis ac humorum circulationi noceat? acetum autem coagulabit ſanguinem ac humores per meningem circulantes, atque ita circulari eorundem motui non parum oberit.

Quid igitur hic applicabitur? mel aut ſyrupus roſarum? ſed præſtat ſyrupus utpote minus acris, qui calidus imponi poteſt cum linteo rotundo, cui filum annexum eſt.

Poſito trepano, aliquando fit, ut ſuper meningem nihil mali reperiatur, ſed ut pus ſub eâdem deliteſcat, & tum temporis meninx diſcindi debet

bet, ut puri exitus concedatur, nec metuendum eſt, ne lædatur pia mater, quia pus interjacens hoc impedit, atque hanc meningis apertionem Arenaci feliciter inſtitutam eſſe memini.

Æger capite vulneratus potius liquida quam ſolida aſſumat, nam aliàs motus maſticationis parti ſauciæ aliquam afferre poſſet moleſtiam, & quidem præcipuè, ſi vulnus temporibus inflictum foret.

Si ſternutatio aliquem capite ſauciatum corriperet, abſque dubio ejuſdem cerebrum nimium commoveret ac vulneri noceret, ideoque conſultum foret ſternutationem, ubi præſentitur, impedire, quod facilè fiet, ſi digitis majorem utriuſque oculi angulum aliquoties tum temporis fricemus.

In vulnere capitis ante omnia vitetur Venus & ira, quia cerebrum valdè commovent, atque ita miſeris ægrotis haud parum damni apportant, ut crebra experientia teſtatur.

Atque ita tandem finiam, poſtquam dixero, me hic loci non niſi rariora ac notatu digniora in medium proferre voluiſſe, nam cætera ad vulnera capitis pertinentia ſatis prolixè tractātur apud Paræum, Hildanum, Scaltetum, alioſque chirurgiæ ſcriptores, quæ hic repetere prorſus ſupervacaneum eſſe exiſtimo.

SECUNDA.

De vulnere penetrante thoracem.

Juvenis annum agens trigeſimum, inter ſextam, ſeptimamque coſtam (ſi numeres ab inferioribus) enſe vulnus accepit, quod in pectoris cavitatem penetrabat, ſicut id ipſum docebat ſpecillum blandè intruſum, ut & aër ſatis impetuosè è vulnere proſiliens. Æger interea temporis benè comedebat ac parum conquerebatur.

Quia vulnus non ſatis pro puris exitu patebat, impoſuimus turundam ex ſpongia præparata efformatam cum filo, atque ita luce ſequenti vulnus ſatis patulum exiſtebat, quapropter applicuimus tunc turundā ex linteis carptis formatam ac idoneo digeſtivo oblitam cum emplaſtro acidum temperante ac bona ligatura.

Interim æger bibebat bis ſingulis diebus uncias tres ſequentis apozematis;

℞. *Herb. tuſſilag.*
capill. vener.
ſcabioſæ ãã m.ij.
Fol. abietis mj.
Paſſul. maj. exacinat. ℥iij.
Sem. fœniculi ℥ß.
Hordei M. ij.

Coque in aquæ communis ac vini Gallici partibus æqualibus, & colatura librarum trium uſurpetur, quæ, ubi neceſſitas exigit, etiam per ſyringem in pectoris cavitatem poteſt immitti, admixtâ tum temporis unciâ una aut alterâ mellis roſarum.

Vulnus hoc pacto per dies aliquot tractatum parum puris emittebat, ac ægrotus quoad cætera bene ſeſe habebat, ideoque turundas de die in diem breviores formavimus, atque ita æger intra ſex ſeptimanas ab hoc vulnere prorſus convaluit.

Specillum, quo vulneris profunditas inquirebatur, non erat ferreum, quandoquidem hoc metallum ob rigiditatem ſuam non ſatis cedit muſculis, qui aliquando vulneris locum intrare ac replere ſolent, ubi æger corporis ſitum immutat, ſed adhibebatur cande-

la cerea Belgicè nominata *een vvalibje* quæ propter flexilitatem ſuam nobis in hoc caſu melius inſervire poterat verum enimvero antequam huic operi accingebamur, patiens prout jubebamus, corpus in iſtum ſitum reduxit, in quo ſteterat, dum vulnerabatur.

Aër ex hoc vulnere ſatis impetuoſè prorumpebat, atqui aliquando ille tanto impetu effertur, ut admotam candelę flammam extinguat, ſed unde hoc contingit nimirum? dum thorax redditur anguſtior in exſpiratione à muſculis abdominis, ut & à propriis muſculis, aër cum vaporibus non paucis commiſtus compellitur ac comprimitur ad exitum ſibi quærendum, & ſic ob anguſtiam loci magna vi ex vulnere propellitur, haud aliter ac videmus aërem ex follis tubo magno impetu prorumpere, dum latera follis tantummodo leviter comprimuntur, nam ſic magna portio motus, qui antea ſingulas particulas aëris diverſimodè agitabat, impenditur in motum aëris in unam partem.

Verùm cur turunda filo alligata fuit? ſcilicet ne ipſa raperetur uſque in pectoris cavitatem, nam tale quid nonnunquam contigiſſe complures hiſtoriæ eſtantur, imo præterea legimus turundas non tantum abreptas fuiſſe in cavum thoracis, ſed & eaſdem excitatâ tuſſi, poſtea per os ægroti exiiſſe.

Unde igitur fit, ut turunda aliquando penetret uſque in pectoris cavitatem? an cum Veteribus reſpondebimus illud fieri per ſuctionem thoracis? minimè, quandoquidem ſatis clare ac evidenter demonſtrare poſſumus, omnem motum in hoc univerſo corporeo conſpicuum fieri per pulſionem.

Nec minus abſurdum foret ac abſonum, ſi cum pleriſque hic loci vellem recurrere ad fugam vacui, quoniam illud non datur, ſicut, idipſum luce meridiana clarius eſt iis omnibus, qui à præjudiciis ſuis nondum plane occæcati ſunt, idemque ſatis diſtinctè explicatur apud clariſſimum Carteſium in parte ſecunda Principiorum Philoſophiæ.

Ut autem nos dicamus id, quod res eſt quodque ab unoquoque facillimè poteſt intelligi, reſpondemus hunc in modum; quando inſpirationis tempus inſtat, thorax capacior redditur, quia diaphragma contrahitur deorſum; quia verò diaphragma ita cõtrahitur, venter egregiè protuberat, ſicque, aërem ſatis validè propellit, qui, quandoquidem vacuum nullibi exiſtit, eodem temporis momento neceſſariò intrare debet thoracem modo prædicto ampliatum, atque ita aër partim ingreditur per rimulam laryngis, partim etiam per vulneris orificium, utpote per viam cõmodiorem, breviorem ac magis liberam, ac dum aer ita proruit intrò per vulnus patulum thoracis, in tranſitu ſecum propellit turundam, niſi filo ſatis forti alligetur.

Nonnulli auctores, ubi nihil ſanguinis aut puris ſuper diaphragma jacere ſuſpicantur, vulnera pectoris penetrantia abſque ullarum turundarum ope ſanare conantur, aliiſque id ipſum commendant, ſed rariſſimè primis diebus hujus rei ſatis certi eſſe poſſunt, ideoque multò prudentius agere mihi videntur, qui mecum per aliquot dies utuntur turundis, ac interea temporis aërem ambientem, quantum poſſunt arcent.

arceant à vulnere; aſt interea tamen eâ nobis utendum eſt cautelâ, ut tempeſtivo tempore à turundis abſtineamus; nam ſi diutius, quam par eſſet, earundem uſus protraheretur, contingere poſſet, ut remaneret tandem fiſtula nullâ medicabilis arte ac ad extremum vitæ halitum perſeverans, quandoquidem ad tale malum producendum non parum confert continua pectoris in reſpiratione agitatio, quæ vulnerum conſolidationi non parum obeſt.

Vulnera thoracis penetrantia valdè periculoſa ſunt, multoſque viventium conſortio valedicere coëgerunt, ac in aliis phthiſin excitarunt ipſa morte pejorem, nā mortis habet vices lentè, cum trahitur vita gementibus; ſed interim tamen memini, me alicubi legiſſe, aliquē ab aſthmate, quo antea ſatis crudeliter affligebatur, per vulnus penetrans uſque in cavitatem thoracis feliciſſimè fuiſſe ſanatum; imò novi jam temporis adhuc Arnhemii honeſtum quendam civem, cui vulnus pectoris penetrans haud parum fuit ſalutiferum, nam ille jam per longum temporis intervallum laboraverat empyemate, ac mortem indubitatam quotidie exſpectabat, cum ab alio, neſcio qua de cauſa ad iram concitato, enſe ſauciatus eſt ita, ut vulnus uſque in pectoris cavitatem penetraret, ægrumque hoc pacto pure per vulneris orificium egrediente, brevi ſanaret ab empyemate, patre meo, dum viveret, medicam manum adhibente.

Ubi in vulnere pectoris valdè anguſto chirurgi dubitant, an vulnus penetret in thoracis cavitatem, nec ne, aut lanam, aut flammam candelæ accenſæ vulneri admovere conſueverunt, atque ita concludunt vulnus penetrare, ſi tremulus in lana aut candela accenſa motus ab aëre ex pectore progrediente excitetur, ſin minus, contrà.

Quando jam contingit, ut pars aliqua in pectoris cavitate contenta ſimul lædatur, tunc vulnus diutius ſervandum eſt apertum, ac bis de die injectio calida immitti poteſt, cui aloë, abſinthium, carduus benedictus aliaque amara addi non debent, ut quidam facere ſolent, nam particulæ amaræ per ramos fiſtulæ pulmonis læſi cum aëre ſurſum latæ amaro ac moleſto ſapore linguam afficiunt, ut crebra experientia teſtatur.

Si magnum aliquod vas ſanguiferum in thoracis cavo ſitum vulneretur, tunc ſuper diaphragma multum ſanguinis confluere ſolet, ac excitare hoc pacto gravitatem circa diaphragma, febrim, vigilias, excreationem ſanguineam, appetitum proſtratum ac reſpirationem difficilem.

Per vices hic ſanguis quotidie per vulneris orificium evacuandus eſt, ut & pus poſt aliquot à vulnere accepto luces plerunque ſubſequens.

Quod ſi ſanguis, qui per vulnus inflictum effluit, ſpumoſus eſſe reperiatur, ſignum eſt pulmonis vulnerati, ac tale vulnus ſæpè tabem ac ſæpius mortem miſeris ægrotis apportat, quod mirum non videbitur illi, qui cum Malpighio aliiſque curioſis humani corporis ſcrutatoribus paulò penitius, quam veteres fecêre, pulmonis ſubſtantiam inſpicere non gravatur, ſic namque animadvertet pulmones nihil aliud eſſe quam aggeriem quandam veſicularum membranacearum, veſtitarum reti quodam mirabili ex venularū ac arteriola-

riolaſ

riolarum valdè minutis ramulis compoſito, in quas veſiculas aëri aditus patet ex aſpera arteria.

Hinc igitur ſatis manifeſtum evadit, vulnus pulmonis tam exiguum eſſe non poſſe, quin vaſcula quædam ſanguifera harum veſicularum ſimul lædantur, undè ſanatio redditur adhuc difficilior, quæ tamen per ſe ſatis difficilis exiſtit, quia veſiculæ hæ membranaceæ ſunt, ac continuò in motu poſitæ, in quas præterea ſingulis horis toties novus aër impellitur; nam partes membranoſæ, multò tardiùs ſanātur quàm carnoſæ, & quod quies partis læſæ conſolidationem vulneris maturet, nemo in dubium trahere poteſt, qui ſemel tantum in vita obſervavit, quam facilè tibiarum vulnera ſanentur ægro decumbente & contra quam difficulter eadem conſolidentur, ubi patiens quotidie per plateas obambulat, & quis tandem ignorat aërem ambientem à vulneribus diligenter eſſe arcendum?

Vulnera pulmonis igitur, uti diximus, ferè ſemper lethalia eſſe experimur, ſed interim tamen legimus, fruſto pulmonis per vulnus ablato patientem poſſe ſurpervivere.

Pulmo repletur aëre, quamprimum homines naſcuntur ac reſpirant, hoc autem non fit in fœtu, quamdiu idem in utero adhuc deliteſcit, atque ad hoc attendunt medici, ubi à Magiſtratu coacti judicare debent, an infans mortuus in utero, an extra uterum vitam amiſerit? tunc etenim pulmonem cadaveris è pectore proripiunt eumque immittunt in aquam, ac ſi pulmo tunc ſupernatet extra uterum infans mortuus eſſe cenſetur, & contra, ubi pulmo ſubſidit ac demergitur.

Vulnus in carnoſa parte diaphragmatis ægrum in periculum haud exiguum adducit, ſanatur tamen aliquando; ſed cum pars membranoſa diaphragmatis vulneratur, æger non longo poſt tempore, exortâ febri ac delirio, expirat; nec mirum ſane, cum ob continuum diaphragmatis valdè ſenſilis motum tubuli circa vulnus valdè detorqueantur, unde humores ibidem ſtagnant, aceſcunt ac inflammationem produnt, & cum humores aceſcentes ex parte inflammata abſorbentur in maſſam ſanguineam, inducitur febris, quam ſequitur delirium; ſic memini aurigam Arnhemienſem, qui cultro in parte membranoſa diaphragmatis vulneratus erat, ſtatim poſt vulnus inflictum ſe pedibus ad ædes noſtras cōtuliſſe, ſed eundē mox adeo debilē evaſiſſe, ut à duobus hominibus domum deportari deberet, ubi febri ac delirio correptus poſt triduū è medio ſublatus eſt.

Mirandum eſt, quod non ita pridem me alicubi legiſſe recordor, nimirum quod in uno ventriculus, in altero inteſtinum colon ex abdomine per vulnus diaphragmatis aſcenderat in thoracem, & quod uterque patiens adhuc aliquandiu vivere potuerit.

Vulnus pericardii lethiferum exiſtimatur, ac ubi cordis ſubſtantia ſimul vulneratur, extemplo patiens plerumque vitam cum morte commutat, etiamſi revera teſtari poſſim, Judæum Arnhemienſem in ipſa cordis ſubſtantia vulneratum nihilominus per ſex dies quotidie bis pedibus ſuis ad ædes noſtras, ut vulnus religaretur, ſe contuliſſe, antequam moreretur.

Galenus alicubi refert, ut teſtis oculatus, pericardio corrupto, cor nudum

dum ſatis late patuiſſe in pectore alicujus ægri, qui tamen inde reconvaluerit; verumenimvero homines jam temporis adeo increduli eſſe reperiuntur, ut apud eoſdem tales hiſtoriæ parum fidei inveniant, aut mereri videantur.

Dum de corde mentionem facio, duo præjudicia tollere debere mihi videor; primum, quo plerique è vulgo laborant, hoc eſt, quod pertinaciter credant cor ſedem ſuam habere in latere pectoris ſiniſtro, cum tamen illud in medio pectoris collocatum ſit, ſed hujus erroris occaſio populo data fuit ex eo, quod pulſus ſatis vehemens in latere thoracis ſiniſtro ſentiatur, ſecus ac in dextro, verum hoc contingit, quia ad ſiniſtrum latus ſita eſt arteria magna.

Alterum, quod taxare volui, præjudicium hoc eſt, quod è veteribus quidam ſibi perſuaſerint, cor nullis morbis conflictari; cujus opinionis falſitatem experientia tamen ſatis superque oſtendit; ſic in Ephemeridibus Gallicis legimus in ventriculo dextro cordis canini inventos eſſe vermes vivos triginta & unum, longitudinem digiti ac craſſitiem habentes aciculæ communis; ac præterea cor aliquando infeſtatur morbo aliquo qui polypus cordis nominatur, de quo vide Malpighium in tractatu de viſcerum ſtructura anatomica.

In vulneribus pectoris penetrantibus chirurgi quidam loco turundarum adhibent cannulas ex argento, plumbo, aut linteo cerâ imbuto confectas, verum quia argentum à pure inficitur aliquatenus, & plumbum labia vulneris hic nimis cito contingit cicatrice; præferenda videtur hic loci cannula ex linteo cerâ imbuto confecta.

Acida omnibus vulneribus inimica ſunt, ſed præſertim vulneribus thoracis penetrantibus, nam præterquam quod ſanguinem humoreſque coagulent, ac circulationi rite peragendæ reddant ineptos, etiam nocent hoc in caſu, quia particulis ſuis ab utraque parte ſcindentibus tuſſim excitare ſolent; Sed quamvis acida reiiciam, non ideo hic commendo dulces ſyrupos, quandoquidem iidem pulmonibus parum proſunt, ac interim ventriculo, aliiſque partibus nocent, ut plurimi mecum quotidie experiuntur; præſtat ex tusſilagine, capillis veneris aliiſque herbis idoneis cum aqua cocta ac fervida adhuc extrahere tincturam in vaſculo, quo utuntur, dum præparant potum herbæ *Tee* dictæ jam temporis adeo vulgarem.

Si æger penetrante thoracis vulnere laborat, & non emittat ſanguinem in pectoris cavitate latentem per vulneris orificium, teneat granum unum moſchi ſub lingua, ac mox effluet ſanguis, ut ait Sennertus, ſed de ſucceſſu valde dubito.

Nonnunquam altior eſt locus pectoris, cui vulnus inflictum eſt, quam ut ſanguis aut pus ſuper diaphragma congregatum per vulneris foramen poſſit evacuari, & tunc aliquando ſanguis aut pus cum tuſſi per os excerni conſpicitur; imo haud pauci auctores teſtantur, pus tum temporis interdum ad veſicam deturbari ac cum urina expelli, quod pus per duas vias ad veſicam deduci poſſe putant; primo ſi per venulas aut vaſa lymphatica abripiatur ad maſſam ſanguineam, ac

cum eadem deferatur ad renes, tandemque, ubi illic loci tranſcolatum fuerit, per ureteres deſcendat in veſicam, & ſic cum urina excernatur; verum altera via longe difficilior videtur; ſcilicet exiſtimant pus per poros diaphragmatis intus foras ſpectantes ſub forma roris tranſſudare, & ſic, itinere per totum abdomen peracto, tandem per poros veſicæ foris intro ſpectantes veſicæ cavitatem intrare; poros autem foris intro ſpectantes in veſica revera reperiri ſequenti probant experimento; in cubiculo calido veſicam invertunt atque immittunt aquam calidam, quæ inde roris inſtar tranſſudare tum temporis conſpicitur.

Ubi tandem contingit, ut pus ſuper diaphragma copioſè contentum per vulnus nimis altum nequeat expelli, atque illud præterea nec cum tuſſi per os, nec cum urina per veſicam evacuetur, tunc commendatur paracentheſis, hoc eſt inciſio artificialis thoracis in loco decliviori, atque hæc operatio fit plerumque inter quintam & ſextam coſtam, ſi numeres ab inferioribus, non in medio pectoris, ſed in latere, magis tamen ad anteriorem quam ad poſteriorem partem, ac potius circa ſuperiorem coſtæ partem quam circa inferiorem, & quidem ſcalpello obvoluto aliqua ex parte panniculo, illo temporis momento, quo patiens expirat.

Atqui hæc operatio rariſſimè exercetur in hiſce regionibus eo ſæculo, quo vidimus.

Factâ jam paracentheſi pus ſimul & ſemel emittendum non eſt, ſed partitis vicibus, atque hæc eſt res, quam omnes chirurgi concedunt, ſed quæ ſit ratio, plerique prorſus ignorant; alii dicunt, quod ſpiritus diſſipentur, ſi omne pus effluat una vice, alii fingunt naturam providam tunc vacuum illud perſentiſcere, ideoque in eum locum, ex quo pus promanavit, è veſtigio mittere multum, imò nimium ſanguinis ac humorum, ſed utraque hæc ratio adeo frivola eſt, ut refutari non mereatur, ideoque tribus verbis tantum dicam, quæ mihi hujus rei ratio videatur; certum eſt in locum puris calidi recedentis mox aërem frigidum ſuccedere, qui fibrillis, jam aliquatenus læſis à pure, non tantum moleſtus eſt, ſed non paucas præterea obſtructiones producit in tubulis, in quibus idcirco ſtagnant, humores coacervantur, aceſcunt, atque ita excitatur inflammatio; ſic ubi aëri frigido exponimur ſtatim poſtquam calefacti ſumus corripimur non rarò catharris vulgò ſic dictis, atque cum ſupra modum incaluimus, & cereviſiam frigidam tum temporis aſſumimus, plectimur aliquando pleuritide.

TERTIA.

De vulnere abdominis penetrante.

Juveni viginti annorum ab adverſario vulnus fuit inflictum, & quidem tale, ut enſis per anteriorem abdominis partem intraret, ac per tergum egrederetur.

Æger mox à vulnere inflicto in lecto decubuit, ac primis diebus aliquatenus de hoc aut illo incommodo conquerebatur, poſtea vero de die in diem magis magiſque reconvaleſcebat, ac utrumque vulnus intra tres ſeptimanas prorſus conſolidatum fuit turundis

rundis bono digeſtivo inunctis impoſitis, ac ſuperimpoſito idoneo emplaſtro.

Haud neceſſarium erat hoc in caſu explorare vulneris profunditatem, quandoquidem ſatis manifeſtè conſtabat, hoc vulnus penetrare uſque in ipſam abdominis cavitatem, quia enſis mucro intraverat per ventrem, ac egreſſus erat per dorſum.

Alias vulneris profunditas plerumque inquiritur ſpecillo ferreo aut plumbeo, ſed præſtat candela cerea, quæ Belgice dicitur *een Was-lichje*, quia multo melius flecti poteſt, & accommodari ad qualeſcunque occurrentes mæandros; hinc interim gnaviter annotandum venit, quod ſpecillum aliquando valde profunde intret per interſtitia muſculorum tranſiens, & quod vulnus tamen non penetret uſque in ventris cavitatem, & è contra, quod vulnus penetret aliquando uſque in abdominis cavum, licet ſpecillum, ubi intruditur, mox inveniat reſiſtentiam, ſcilicet, quia partes in corpore læſo aliter figuratæ erant, dum æger vulnerabatur, quā poſtea, ubi vulneris ſtatus explorabatur.

Vulnus abdominis, etiamſi non penetret uſque in ventris cavitatem, tamen difficulter ſanatur ob motum reſpirationis, nam vulnera conſolidanda deſiderant requiem.

Quod ſi vulnus abdominis non penetrans ſit in linea alba ſic dicta, tunc adhuc multò difficilius ſanatur & valdè dolorificum exiſtit.

In ſecunda hujus decadis obſervatione volui, ut vulnera pectoris valdè exilia, redderentur ampliora, ſed hæc operatio minimè locum meretur in vulnere abdominis; ne ſcilicet omentum vel inteſtinum per nimis amplum ventris foramen prolabatur extra abdominis cavitatem.

Quidam ſomniant reſurrectionem mortuorum originem ſumpturam ab oſſiculo in decima octava vertebra contento, ſed ſomniant, & quidem abſque ulla veriſimilitudine; neſcio ſane, quid reſponderent mihi homines talem opinionem amplexi, ſi interrogarem eosdem. An igitur non reſurgeret ille, cui oſſiculum illud per vulnus foret conſciſſum?

Teſtes extra abdominis cavitatem propendent, ideoque facilè poſſent vulnerari, ſed eorum vulnus ægros in vitæ diſcrimen non adducit, quandoquidem, experientiâ teſte, homo utroque teſte exſecto ſupervivere potis eſt; & cognovi familiariter medicinæ ſtudioſum, cui alteruter teſtis ob herniā carnoſam feliciter exſcindebatur.

Quid igitur teſtes ſunt? non niſi congeries minutiſſimorum funiculorum vel vaſculorum ſemen conficientium, quæ ſi abſque ruptione diſſoluta ſibi invicem adnecterentur, facillimè viginti ulnarum longitudinem excederent in homine, nam gliris teſticulus ad ulnas quindecim extenditur.

Plerique chirurgi primo vulneribus applicant repellentia, hoc eſt, frigida & aſtringentia, ſed circa inguina illa omittunt; ſi rationem quæras reſpondebunt tibi, quia in inguinibus eſt emunctorium hepatis; verum hoc reſponſum frivolum eſt & ridiculum, illudque jam dudum exploſimus, & ſufficienter refutavimus in primæ decadis obſervatione octava.

Quid igitur in cauſa eſt, quod chirurgi alibi utantur frigidis & aſtringentibus, nunquam verò in inguinibus? dicam, auſculta pauliſper; ubique ferè nocent frigida & aſtringentia, ſed magis in inguinibus, quam alibi, illud experientia ſtultorum magiſtra illos docuit; factum norunt & confitentur, cauſam effecti penitus ignorant, ideoque talem chymæram ſibi effinxerunt, cum vera cauſa interim ſit, quod in inguinibus ſedem ſuam habeant glandulæ, quæ nihil aliud ſunt quam congeries exilium vaſorum valdè inflexorum, in quorum mæandris humores facilius ſubſiſtunt quam alibi, ſi eorum circulationem chirurgi per frigida & aſtringentia perperam impoſita retardent.

Vulnera abdominis penetrantia ſunt omnia periculoſa, ſed longè magis periculoſa, cum ampla ſunt, quia omentum aut inteſtinum tum temporis facilè foras prolabitur, ubi omentum, niſi ſtatim poſt egreſſum ſuum in priſtinum locum repellatur, brevi coagulatur, emoritur & colorem ſuum mutet ob aërem ambientem; ſed unde omentum extra ventrem prolapſum tam cito emoritur? omentum nempè permultis exiguis ſacculis inſtructum eſt, in quos adeps apportatur per vaſcula adipoſa ſingularia, ſicut accuratiores hujus ævi anatomici teſtantur. Hinc jam facilè liquet, quam facile adeps in ſacculis ſuis, ac materia in vaſculis exilibus adipoſis contenta ab aëre frigido poſſit coagulari.

Ubi jam omentum extra abdominis cavitatem exulans ob moram aliquam interpoſitam modo prædicto corrumpitur, tunc inter partem ſanam & corruptam filum injiciendum eſt, tuncque portio corrupta ferro reſecanda eſt, ne pars ſincera trahatur, & conſuto aliquatenus vulnere, ſi illud nimis amplum eſſe reperiatur, filum extra abdomen pendulum relinquendum eſt, donec progreſſu temporis decidat. Sic quendam, cui omenti portio ob nimiam moram extra abdomen erat corrupta, modo prædicto à patre meo tractatum feliciter à vulnere ſuo convaluiſſe memini.

In amplo abdominis vulnere nonnunquam foras prorepit inteſtinum, quod è veſtigio reponendum eſt, nam alias flatibus ita diſtenditur, ut in priſtinum locum remitti minimè poſſit; ſed unde inteſtinum, extra ventrem remanens aliquandiu, flatibus diſtenditur? nimirum fermentatio excitatur non tantum in chylo, ſucco pancreatico ac bile, verum etiam in fæcibus à chylo relictis & fermento inteſtinorum parietibus adhærente; hinc multi exurgunt vapores (ut jam ſilentio prætereaam illos vapores, qui ex poris arteriolarum etiam continuo cavitatem inteſtinorum ingrediuntur) qui in cavitate inteſtini debent accumulari, illudque diſtendere, ſi pori intus foras ſpectantes ab aëre ambiente claudantur in inteſtino extra abdomen exulante.

Quid igitur agendum ſupereſt, ubi inteſtinum extra abdomen diſtentum conſpicitur; pori occluſi aperiendi ſunt, vaporibuſque intus contentis major concilianda eſt agitatio, quod fiet, ſi calide imponatur linum nendo recenter contortum, ſed coctione non-

nondum purgatum, ubi illud nempe prius coctum fuerit in lacte dulci.

Inteſtinum, flatibus jam conſumtis reponi debet, ac vulnus aliqua ex parte conſui, ſi opus ſit.

Si inteſtina etiam vulnerentur, æger in magno vitæ diſcrimine verſatur, & quidem magis, ſi vulnus infligatur inteſtino tenui, minus, ſi craſſo, quia in hoc vulnus, poſtquam conſutum fuerit, facilius conglutinatur, quandoquidem majori tubulorum copia conſtat, per quos humores nutrientes apportantur; ſic craſſa inteſtina ferè tantum fæces continent, tenuia chylum.

Dum ago hic de inteſtinis, incidit mihi quæſtio quædam inter medicos per longum temporis intervallum agitata, num ſcilicet clyſteres nutrientes injecti effectum optatum ſortiantur, an ſint, ut quidam ajunt, prorſus inutiles ad nutritionem, quia ſecundum eorum opinionem non perveniunt uſque ad maſſam ſanguineam? ſed errant qui ultimam amplectuntur opinionem, ſi fides habenda ſit fide dignis hominibus, qui experientiâ edocti teſtantur, eandem ſpiritus vini quantitatem facilius inebriare, ſi per clyſterem in anum injiciatur, quam ſi aſſumatur per os.

Hepar conſtat ex acinis glanduloſis, in quos deſinunt vaſcula ſanguinea apportantia ſuum humorem, & ramuli pori bilarii, qui bilem in glanduloſis illis acinis ſeparatam accipiunt.

Præterea magna vaſa ſanguifera in jecinore conſpiciuntur, unde facilè intelligitur, quam periculoſa ſint vulnera hepati inflicta, nam ſi magna vaſa aperiantur, ſequitur hæmorrhagia nullis remediis obtemperans, & quamvis magna illa vaſa non lædantur, attamen vulnus hepatis quantumvis exiguum turbabit interim bilis ſeparandæ negotium, quod tamen apprimè neceſſarium eſſe ſcimus in œconomia animalis.

Sed his non obſtantibus, Paulus Ægineta refert hominem ex vulnere, quod fruſtum hepatis ſuſtulerat, reconvaluiſſe.

Mirandum ſanè, hominem ablato jecoris fruſto ſupervivere, ac mori ab hepate nimium adaucto; ſic ante annos aliquot patris mei curæ commiſſus eſt æger laborans ventre enormiter intumefacto uſque ad mortem, cujus cadaver apertum clare cauſam hujus mali ponebat ob oculos, hepar ſcilicet in incredibilem molem adauctum; atque idem in gallina, quæ nunquam ova pepererat, accidiſſe memini cujus hepar habebat pondus totius libræ.

Lien eſt membranularum congeries in cellulas atque concamerationes efformata, in quibus cellulis innumeræ glandulæ ovales albæque mirabiliter adhærent, in quas patent arteriæ, venæ & nervi.

Scilicet per arterias, ut induſtrius hujus ævi anatomicus arbitratur, defertur humor in glandulas lienis, per glandulas humor ſeparatus acidiuſculus in cellulas nominatas, ex cellulis fermento acido imbutis in ramum ſplenicum, & ſic ad hepar, ubi in ſanguine præcipitat aliquatenus bilem, ut illa in acinis hepatis glanduloſis tanto facilius ſeparetur.

Hinc jam manifeſtum eſt, quid mali vulnus lienis accerſat ægrotis.

Renes conſtant glandulis, in quas deſinunt arteriolæ, venæ, nec non ramuli ureterum; per arteriolas nempè humor defertur in glandulas renum, in quibus ſeparatur urina, ac à ramulis ureterum excepta propellitur ad veſicam.

Hanc rem ita ſe habere facilius credes, ubi noveris ſequens experimentum, quod à Profeſſore mihi communicatum eſt; nimirum ſi lac tepidum per ſyringem in arteriam injicias emulgentem, pars craſſior redibit per venam emulgentem, & ſeroſa portio ſequeſtrabitur in rene, ac per pelvim in ureterem deferetur.

Liquet hinc, quam periculoſa ſint vulnera renum, & quam difficulter poſſint conſolidari; hinc etiam facilè intelligitur, unde proveniat ſanguis cum urina excretus in rene vulnerato.

Dum loquor de renibus, recordor alicujus quæſtionis apud medicos jam ſæpiùs agitatæ, quâ viâ nempè potus, paulo poſtquam aſſumptus fuerit, ejectus per meatum urinarium, perveniat tam cito ad veſicam; an prius accedat ad maſſam ſanguineam, an verò, non ſalutato ſanguine, recta & immediatè proficiſcatur ad renes aut veſicam?

Poſterius magis veroſimile videtur & confirmatur ſequenti experimento; ſi alicui, paulo poſtquam allium aut aſparagos comederit, ſecetur vena, nec ſanguis extractus nec ſerum in eodem ſupernatans allii aut aſparagorum habebat odorem aut ſaporem, cùm interim tum temporis urina maniſeſtè allii aut aſparagorum ſpiret odorem.

An jam hæc urina per poros intus foras ſpectantes ventriculi & inteſtinorum exeat & per poros foris intro ſpectantes veſicæ ſub forma vaporum, ventris cavum peragrando, tandem deferatur ad veſicam, an potius per ductum peculiarem eò tendat, jam temporis non diſputabo, quamvis ſententia mihi magis arrideat poſterior.

Vulnera fundo veſicæ illata valdè periculoſa ſunt, verum ea, quæ collum carnoſum veſicæ ſauciant, ſæpiùs conſolidantur ob copiam vaſorum ſanguinem apportantium ac multitudinem tubulorum humores vehentium nutritios, atque hoc eſt, quod quotidie experimur poſt exectionem calculorum; licet, ſanatis vulneribus illis, ægris aliquando per penem involuntariè profluat urina, nimirum quia in ſectione ac extractione calculorum haud paucæ fibræ muſculi ſphincteris veſicæ diſſecantur ac diſrumpuntur.

Sed quid ſi in cavo ventris vaſcula quædam vulnerentur lymphatica, an hoc pacto non poſſet produci aſcites? quid dicam? talis caſus haud impoſſibilis eſſe videtur, quamvis non meminerim, me in praxi tale quid unquam conſpexiſſe, aut alicubi legiſſe.

Dolorem teſticulorum inſtantis mortis ſignum eſſe in periculoſis abdominis vulneribus teſtatur expertiſſimus Paræus.

Jam locutus ſum de vulneribus abdominis externè illatis, reſtat adhuc vulnus, quod internè infligitur, cum ſcilicet umbilicus diſrumpitur in aſcite, partim à magna aquæ diſtenſione, partim ab acie particularum ſcindentium

tium

tium aquæ illi innatantium; ſic memini puellæ hydropicæ quinque annorum, quæ, diſrupto ſic umbilico, interjecto paucorum dierum intervallo è medio viventium ſublata fuit.

In tali umbilici diſruptione ſedulò cavendum eſt, ne affatim profluat aqua, ac præſcribendum apoſema ex guajaco, ſarſaparilla aliiſque confectum.

Sunt qui referuntur, quod vulnus qualecumque irradiatum à luna difficulter poſſit ſanari, ſed num verum ſit, neſcio; aërem frigidum vulneribus nocere certum eſt, verum an ille ſplendente luna magis noxius ſit, quam alio tempore, hoc eſt, quod nondum expertus ſum.

Dominus Blancardus in collectaneis ſuis medico-phyſicis ait, ſpiritum ſal. armoniaci cum ſpir. vini miſtum vulneribus valde prodeſſe, atque hinc non parum mea confirmatur ſententia, ubi judico acidum in omni vulnere nocere, eique corrigendo præcipuè nos incumbere teneri.

QVARTA.

De Fractura tibiæ cum vulnere.

Virgo 20.annor. ictu ſclopeti parvis globulis plumbeis onerati & cominùs inopinatò, ac neſcio quo infortunio exploſi in interiore cruris parte paulò infra genu vulnus accepit, quod longè lateque egregiè patebat, imò in tantum ut palmæ ſpatium ſuperaret; aderatque ingens oſſis tibiæ in valdè parva fragmenta diffracti contritio & comminutio, quæ ſe per totam vulneris longitudinem atque oſſis tibiæ craſſitiem extendebat; hinc dolor atrociſſimus affligebat ægrotam quæ ideò multas noctes inſomnes tranſigebat, aut ſi per exiguum temporis intervallum aliquando dormiret, mox evigilabat non ſine ſummo terrore, ac quaſi cum convulſione cruris vulnerati, unde oſſa diffracta non raro diſtorquebantur.

Oſſa confracta abſque magna extenſione reponebantur, & fragmenta quæ ab aliis partibus prorſus erant ſeparata, ſoluta & libera, è veſtigio blande eximebantur, reliquis adhuc aliquatenus adhærentibus relictis, donec progreſſu temporis ſepararentur.

Tunc digeſtivum confectum ex Therebinthina, vitello ovi, pulvere radicis iridis, ariſtolochiæ, myrrha, aliiſque imponebatur cum emplaſtro ac lavamento acidum temperante; deinde adhibebatur communis ligatura, tandemque crus affectum capſulæ lignææ incluſum concinnè collocabatur in lecto, ſupra quem funis ſuſpendebatur, quo ægra corpus aliquatenus ubi neceſſitas exigebat, poſſet exigere ac ad pedes ægrotæ in lecto ponebatur erectus ſemicirculus ligneus, ne ſcilicet ſtragulorum gravitas cruri affecto aliquam crearet moleſtiam.

Venæ ſectio, quam plures commendare ſolent in tali caſu, omninò omiſſa fuit, quandoquidem nihil utilitatis inde promanare poteſt, nec magis ſecundum methodum vulgarem hic in uſum revocata ſunt purgantia, quia hoc in malo quiete nihil optabilius, atque nihil pernicioſius quam motus; ſed ubi ægra nonnunquam alvum oxonerare tenebatur, linteum quadruplex ſupponebatur natibus, quod alvi excreméta excipiebat.

Patiens

Patiens interea temporis comedebat cibum concoctu haud difficilem, bibebat cereviſiam recentem, ac primis ſingulis veſperis aſſumebat blandum aliquod anodinum ad mitigandum dolorem ac tollendum illum terrorem, de quo dixi.

Oſſa reponebantur, quotieſcunque poſt terrorem nocturnum reperiebantur diſtorta.

Vulnus ob magnam puris copiam quotidie bis religabatur, atque ita progreſſu temporis complura fragmenta ſeparata ſunt, tuncque calli generationem ac accretionem quotidie conſpeximus propullulantem non ex medulla, ſed ex oſſis tubulis valdè anguſtis, per quos humores nutrientes ex arteriolis egreſſi deferuntur.

Vulnus hoc, periculoſum adeò, intra ſemeſtre ſpatium coaluit, ac patiens ferè iterum tam belle inceſſit ac obambulavit, quam fecerat, priusquam hoc vulnus illi infligeretur.

Simili cum ſucceſſu aliam fœminam eodem malo decumbentem à patre meo ſanatam eſſe recordor; ſed hæc duo exempla aliquem adeò ſecurum reddere non oportet, ut fracturam cum vulnere parvifaciat, nam illam plurimis necem intuliſſe compertum habeo; ſic ubi noſocomio Rotterodamenſi aderam cum aliis quotidie per totos fermè dies curandis plurimis vulneratis, qui ex obſidione urbis de Graaf appulerant, omnes, qui fractura tibiæ cum vulnere laborabant, è vita abreptos eſſe novi, ac inter alios unus affligebatur fractura tibiæ cum vulnere, in quo plurimos vermes latos, craſſos & albicantes non ſine admiratione conſpexi; ſed unde hi vermes ſuam traxerunt originem? ſcilicet ab ovis ex aëre in vulnus delapſis, ex quibus excluſi ſunt vermes, ubi quædam in humoribus ſtagnantibus exorta fuit fermentatio. Sic ova non pauca ex aëre decidunt in lac, ex quo poſtea cõficitur caſeus, & quamdiu hic recens eſt, ova non excluduntur, ſed ubi caſeus putreſcit, hoc eſt, ubi fermentatio quædam progreſſu temporis producitur in caſeo, tum demum vermes prorepunt ex ovis.

Sic in valde magna oſſis contritione fracturam cum vulnere comitante crus paulo infra genu extirpatum eſſe memini.

In fractura tibiæ cum vulnere quidam adhibere conſueverunt ligaturam octodecim capitum, quæ Belgicè nominatur *een boexvvijſe ligatur*, ſed nos feliciter uſi ſumus communi, quam bis quotidie mutavimus ob ingentem puris profluentis multitudinem.

Novi chirurgum, qui loco capſulæ ligneæ, de qua dixi, in uſum revocat inſtrumentum quoddam ferreum, cui crus affectum imponitur, & conſervatur ita extenſum & immobile, ſed illud inſtrumentum hic, verbis exprimere non poſſum.

In ſimplici fractura tibiæ apponuntur plerunque ferulæ ex charta craſſa confectæ; illæ verò in noſtra ægrota prorſus omittebantur, quia in vulnere tam vaſto minime videbantur convenire.

Digeſtivo noſtro, quod vulneri imponebatur, nulla admiſcebatur pinguedo ob oſſa denudata, nam quod

pin-

pinguedo noceat oſſibus experientia abunde teſtatur, ejuſque rationem reddidimus antea.

Paræus de praxi chirurgica bene meritus eſt, multumque habuit experientię; attamen perperam in fractura cum vulnere commendat aſtringentia, quæ quare & quantum noceant, ſæpius diximus. Non puto autem aliquem in malam partem interpretaturum, quod tantum virum audeam reprehendere, nam quò clarior eſt aliquis, eò periculoſiores ſunt ejuſdem errores, quia plurimi ſolâ auctoritate tanti viri permoti cæco quodam impetu eundem ſequuntur, euntes qua itum eſt, non qua eundum.

Notandum eſt callum difficillime produci in fracturis gravidarum & lactantium, quia materia idonea à fœtu aut infante callo ſubducitur. Sic Fabritius Hildanus refert in Cen.v.obſer. LXXXVII. quod hac de cauſa in fractura tibiæ cum vulnere vigeſimâ tertiâ ſeptimanâ oſſa adhuc vacillarint.

In fractura tam ſimplici quam compoſita, ubi callus oſſa confracta iterum conjunxit, ægri plerumque moleſtiam quandam perſentiſcunt in motu, quod contingit, quia callus recenter generatus occupat locum muſculorum hanc aut illam partem moventium.

Antequam huic obſervationi finem imponam, duo problemata valde intricata extricanda ſupereſſe mihi videntur; primum eſt, quare oſſa, dum hiems eſt ſerena, facilius ac citius diffringantur, quam alio quovis tempore; alterum verò, unde proveniat terror poſt ſomnum brevem ægros tam ſimplici quam compoſitâ, fracturâ laborantes plerumque invadens.

Ad primum aliqui fortaſſe reſponderent, glabritiem graciei efficere, ut homines ſæpius prolabantur in terram atque hoc pacto facilè evenire, ut oſſa diſrumpantur; verumenimvero hoc nodum non ſolvit, hoc difficultatem nondum tollit, nam oſſa non tantum, ſed & ferrum, lignum aliaq; dura corpora brumali quam alio quovis tempore facilius diſrumpuntur. Unde igitur hoc contingit? dicam, auſculta pauliſper; Quò partes corporum durorum pertinacius & firmius conjunguntur inter ſe, eò difficilius diffringuntur; hoc certum eſt: ſed quodnam eſt illud, quod in partibus durorum corporum efficit cohærentiam? non quies, ut quidam opinantur, quoniam illa non eſt aliquid poſitivum in corpore, ſed tantum privatio motus, ideoque hoc effectum non producit quies, ſed aër comprimendo partes durorum corporum conjungit ac cohęrere facit, ut patet ex experimento in obſervatione ſeptima tertiæ decadis citato; aër autem, dum æſtas eſt, magis premit quam media hieme, partim quia tum temporis à calore ſolis validius agitatur, partim quia tunc gravior exiſtit ob admiſtos plurimos vapores ab ardente ſole ſurſum propulſos; atque hic jam manifeſtum evadit, quare oſſa aliaque dura corpora hiemali tempore facilius frangantur quam æſtate; hinc etiam facile colligi poteſt quare ligna in foco multò citius comburantur, cum rigida premimur hieme, quam dum amœnâ fruimur æſtate; nimirum aër brumalis debilior i

ſua preſſione non valde pertinaciter particulas ligni conjungere potis eſt, unde hæ particulæ à ligni corpore facilè ſeparantur, dum vim patiuntur à particulis quibuſdam terreſtribus ſoli materiæ mundi ſubtiliſſimæ innatantibus, ideoque rapidiſſime agitatis. Huc accedit, quod aër hiemalis, ut pote minus premens & pauciores cōtinens, flammam liberius divagari permittat.

Veniamus jam ad alterum problema, quo quæritur, unde oriatur terror in ſomno, non autem in vigilia ægros oſſis fracturam patientes invadens, ac oſſa diſrupta non raro iterum diſtorquens.

Paræus magnâ experientia in arte chirurgica locupletatus, qui ipſe aliquando fracturam tibiæ ac fibulæ cum vulnere paſſus eſt, ac in proprio corpore hunc terrorem vividè ſatis perſentiit, ut ait, hujus phænomeni rationem reddere conatur in capite vigeſimo ſexto libri agentis de fracturis; ſed miſere philoſophatur ibidem, non niſi nugas ac chimæras in medium proferens.

Videamus igitur, num nos rationem magis veroſimilem afferre valeamus; tentabimus ſaltem. Ubi vigilant ægroti, vident, audiunt, edunt, bibunt, agitant brachia, atque hoc modo multum ſucci nervei conſumunt, ſic ut ille haud adeò magnâ copiâ profluat in partes irritatas ex cerebro, ſed cum ſomno ſua membra demulcent ægri, longe aliter ſe res habet. Aures non audiunt tum temporis, oculi occluſi ſunt, nares conſueto negotio non vacant, lingua ſilet, brachia quieſcunt; ubi igitur illo tempore humores circa fracturam tibiæ ſtagnantes ac aceſcentes diſtenſione ſua fibrillis afferunt moleſtiam, ac eaſdem ſcisſione ſua irritant, tunc inquam, ſuccus nerveus, qui jam ad negotia in vigilia peragenda non impenditur, magnâ copiâ prolabitur in muſculos irritatos, qui hoc pacto inflati crus vehementer movent, ac unam oſſis diffracti extremitatem in hanc, alteram in illam partem miſerè diſtorquent, unde dolor ſatis atrox exoritur, & ſic patiens poſt brevem ſomnum non ſine terrore expergiſcitur. Ut autem hujus phænomeni rationi, quam reddidi, facilius fidem adhibeas, conſultum judico, ut ad paucula verba ſequentia attendas. Dum viges & vigilas, dum veſiculæ tuæ ſeminariæ multum fœcundi ſeminis continent, imaginare; quam vividè poteris, pulcherrimam quandam puellam, hoc pacto tamen te ſemen ejaculaturum non opinor, niſi alia moliaris; verum ſi tibi ſomno placido fruenti ante imaginationem obverſetur haud inelegantis formæ puella, & ſi interea temporis veſiculæ tuæ ſemine ſatis diſtentæ ſint, ſemen non raro ſumma cum voluptate hoc pacto prolabetur, quia ſcilicet veſiculæ ſeminariæ valde contrahuntur à ſucco nerveo, qui magnâ copia, dum dormis, à cerebro in veſiculas ſeminarias à ſemine diſtentas & valde irritatas defertur, quia jam non impenditur ad alia permulta negotia, dum vigilas, peragenda.

Sic novi duos Epilepticos, qui nunquam, dum vigilant, ſed ſemper, ubi ſomno ſepulti jacent, paroxiſmo corripiuntur, quod ſententiam meam non parum confirmat.

QVINTA

QVINTA.

De diſlocatione tali cum vulnere.

QUadragenarius ex alto delapſus eſt in terram, atque ita paſſus eſt diſlocationem in talo interiori ſiniſtri cruris conjunctam cum vulnere vaſto, extra quod os tibiæ tres digitos tranſverſos longum prominebat, aderatque dolor atrociſſimus.

Caſus hic valde periculoſus eſt, nam ſi non ſine ſummo vitæ periculo gangræna aliquando invadat indicem digitum diſlocatione cum vulnere correptum, ſicut id ipſum non ita pridem contigiſſe memini, quam horrenda ſymptomata timenda non ſunt, ſi in magno tali articulo reperiatur ingenti cum vulnere diſlocatio?

Sed quam periculoſus, tam rarus eſt etiam hic affectus, ſic ut Paræus, Pigræus, Aquapendens, Barbette, aliique eundem in libris ſuis vix attingant, quamvis Scultetus in armamentario ſuo chirurgico de illo loquatur; ſed an verbis ipſius adhibenda fides? an ejuſdem conſilium ſequemur? videbimus illud poſtea, ponderemus prius verba ſequentia ab eodem prolata: *Si articulus luxetur, ita ut ſit vel detectus, vel extra pellem parum protruſus, affectus eſt lethalis, majoris periculi, ſi reſtituatur, quam ſi non reſtituatur. Si enim non reſtituatur, ſuperveniet inflammatio, convulſio & interdum mors, deinde aderit turpitudo ipſius membri, ac tertio ulcus inſanabile, quod ſi forte cicatrice aliqua educatur, ob mollitiem facilè etiam ſolvitur; ſi verò reponatur, maximum adducit convulſionis, gangrænæ & mortis periculum; ſed nonnulli ejuſmodi pericula timent ſolummodo in articulis magnis, carpo videlicet, cubito, humero, talo & femore, qui ob tendinum robur, ligamentorum & vaſorum magnitudinem reſtitutionem prohibent*; deindè addit; *ſi oſſe reſtituto ſuperveniat convulſio, ſtatim articulus iterum luxandus.*

Animus mihi eſt haud aliter ad hæc Sculteti verba reſpondere, quam exacte ac fideliter referendo medelam quam ægroto adhibuimus, quandoquidē hinc ſatis liquidò eluceſcet, quā bene vel quàm male ſcripſerit citatus auctor.

Primo igitur tibiam è ſede ſua propulſam abluimus ſpiritu vini tepido ad ſanguinem coagulatum ac ſordes adhæreſcentes abſtergendas, deinde, ſufficienti factâ extenſione, os diſlocatum in locum ſuum repulimus, vulneri applicuimus bonum digeſtivum, ſuperpoſito idoneo emplaſtro, lavamēto acidum temperante ac communi ligatura, atque crus hoc modo obligatum pulvinari molliori imponebatur; ſicque æger deportatus eſt in lectum, ſupra quem funis ſuſpendebatur, cujus ope patiens corpus erigere poſſet, ſicut dixi in obſervatione prægreſſa, ac ad pedes ægroti lecto impoſuimus aſſulam quandam, ſcilicet ne ſtragula ſuo pondere cruri vulnerato aliquod afferrent incommodum.

Ob copiam puris è vulnere profluentis crus affectum bis de die religare debuimus; ſed intereà temporis dolor vehementiſſimus ſuam exercebat tyrānidem in ægro noſtro, qui febricitabat, delirabat, noctesque fermè totas traducebat inſomnes, aut ſi patiens interdum brevi ſomno recrearetur, paulo

poſt eundem ſubito è ſomno excitabat terror ille, de quo dixi in obſervatione præcedente, unde talus ſæpiùs iterum aliquatenus diſtorquebatur.

Ad tollendum dolorem, febrim, vigilias ac delirium æger per vices aſſumpſit aliquid ſequentis mixturæ;

℞. *Aq. betonic.* ℥iv.
meliſſa ℥j.
Syr. card. bened. ʒiij.
Antimon. diaphor. ʒj.
Salis prunell. antimoniat. ʒß.
Corall. alb.
Oculor. cancr. ãã ℈j.
Laud. opiat. Gr iv.
F. Mixtura.

Talus autem, quoties poſt ſomnum reperiebatur diſtortus, debebat reponi.

Atque ita trium ſeptimanarum ſpatio vix elapſo, febris ac delirium ceſſabant, deindè etiam, ſed tardius terror modo nominatus, ac tandem quoque dolor ac vigiliæ.

Sed incidit hic mihi aliquid in memoriam, quod propemodum oblitus eram, nimirum quod duo abſceſſus in affecto crure exorti ſint, unus circa vulnus, alter in externa cruris parte, ſed uterque hic abſceſſus poſt apertionem ſanabatur.

Progreſſu temporis permulta fragmenta ab oſſe tibiæ ſeparata ſunt, quæ tunc ex vulnere blande ſuſtulimus; ac carni fungoſæ quę in vulnere conſpiciebatur, ſingulis ferè diebus ſemel pulverem aluminis uſti impoſuimus, atque ita tandem in conſpectum venit cicatrix, quæ de die in diem majus capeſſebat incrementum, ſic ut circa ſextum menſem totum ferè vulnus contexerit, quare æger ſcipionũ ope iterum incedere cœpit, ſed motu hoc vulnus iterum evadebat magis amplum; ſic ut nondum omni ex parte coaluerit, quod nemini mirum videri debet, nam novi adhuc duos, qui per aliquot annos ulcus poſt dislocationem tali cum vulnere habuerunt.

Sed quod ſi poſt tali dislocati repoſitionem ægrum corripuiſſet convulſio, an tunc debuiſſemus ſequi conſilium Sculteti, & luxare iterum articulum repoſitum? non puto, quandoquidem cauſam non video, quæ nos ad hoc agendum impelleret.

Multorum phænomenorum hic loci non reddo rationem, & quidem conſultò, ne cramben bis coctam lectoribus apponam; nam puto nullam ullis phænomeni rationem hic eſſe onus quàm non in hac aut illa obſerva nunc præcedentium offendes.

Libri Secundi, Partis Secundæ Finis.

LIBER III.

DE ULCERIBUS.

Cap. I.

De Ulcerum Natura, Differentiis, Cauſis, & Signis.

ULcus *eſt ſolutio continui, à materia erodente originem trahens, in mollibus corporis partibus cum imminuta magnitudine.*

Differentiæ ſumuntur I. Ab ulceris *Forma*, quædam magna ſunt, quædam parva; quædam longa, brevia, lata, anguſta, recta, tranſverſa, æqualia, inęqualia, profunda, & non profunda. II. *à Parte affecta*, quæ quandoque ſola cutis eſt & caro, quandoque tendines, nervi aut vaſa ſanguinea. III. *à Cauſis*, mox declarandis. IV. *à Symptomatibus*, quædam dolorifica ſunt, prurientia, pertinacia, & quædam intemperie & vermibus, imò aliquando oſſe carioſo conjuncta.

Causa *humor* eſt *acris* atque *corroſivus*. Eſtque duplex. I. *Internus*, qualis eſt bilis, bilis atra, ſerum, pituita ſalſa, aliuſque humor malignus. II. *Externus*, qualis ambuſtio, medicamenta corroſiva, ſudor hominis ſcabie, lepra, aut lue Venerea laborantis.

Signa Ulceris in genere manifeſta ſatis ſunt, particularia ſuis locis reperies.

Prognosis. Quantò ulcus profundius eſt, eò tardius curatur. Difficulter curantur ulcera in partibus quæ humiditatibus ſunt repletæ. Si ulcus longo tempore non curetur, aut cicatrice obductum recrudeſcat, in oſſe ſubjecto corrupto cauſa inveſtiganda eſt. Periculoſa ſunt ulcera, quæ ſunt ad nervum, venam, tendinem. In cacochymicis corporibus tarda eorum curatio. Si pus quod excernitur bonum ſit, facilis curationis ſpes affulget; bonum autem pus mediæ eſt inter tenue & craſſum conſiſtentiæ, album, læve, æquale, & quamminimè fœtidum. Malum vero eſt, quod valde tenue eſt & fluidum, pal-

 lidum

lidum, lividum, malique odoris. Ulcera diuturna & inveterata non ſine periculo curantur, niſi corpus diligenter purgetur, & diæta obſervetur; alias enim morbus ſequetur.

Cap. II.

De Vlcerum curatione.

P*Vrgationes & Venæſectiones* aliquando proſunt & neceſſariẹ habentur; at *Diæta bona*, ſemper. Cibi potuſvè calidiores nocent, ſimiliter ac dulcia, ſalſaque omnia. Externè humor debet coqui, & in pus mutari, caro abſumpta reparari, tandemque cicatrix induci. Media ad hæc neceſſaria ſunt Digeſtiva, Sarcotica, & Epulotica, lib. 2. Partis II. cap. 7. tradita: nunc compoſita quædam addituri ſumus.

Defenſivum:

♃. Lig. Guajac. Radic. ariſtoloch. long. an. unc. j. Centaur. minor. Abſinth. Agrimon. an. M. j.

Coq. ex Vino albo Gallic. Colatur. unc. ij. ſ.

Adde

Farin. Orob. unc. ſ. Myrrh. pulveriſ. drachm. ij. Mell. roſat. colat. unc. ij. Spirit. Vini unc. j. Therebinth. Venet. q. ſ.

M. F. Linimentum.

Sarcoticum.

♃. Vnguent. fuſc. Felic. VVurtz drachm. iij. Baſilicon. unc. ſ. Gumm. Elem. drachm. ij. Therebinth. drachm. vj. Colophoniæ, Myrrh. Aloës, Maſtich. an. unc. ſ. Lithargyr. aur. drachm. iij. Ol. roſac. q. ſ.

M. F. Unguentum.

Epuloticum.

♃. Sacchar. ſaturn. Lithargyr. an. drachm. ij. Lapid. calaminar. drachm j. Rad. tormentill. Biſtort. Ariſtoloch. rot. Sang. dracon. Teſtar. ovor. combuſt. an. unc. ſ.

M. F. Pulvis.

Inſpergatur ulceri, aut miſceatur ung. diapomphol. vel empl. griſeo, & habebis epuloticum emplaſtrum prẹſtantiſſimum.

Intemperies quandoque adeſt, curationem tantopere impediens, ut hanc exſpectare non detur, niſi illam prius correxerit Chirurgus.

Differentiæ

Differentia: quadruplex hæc intemperies eſt: caliditas, frigiditas, humiditas & ſiccitas.

Signa. In *Calida*, pus acre eſt, labra ulceris rubra, dolor inſignis. In *Frigida*, labia mollia ſunt, albicantia, & ubi res male ſuccedit, livida evadunt. In *Sicca*, ſicca eadem ſunt, & dura, pus paucum aut nullum. In *Humida* caro mollis eſt & flaccida, ſæpè ſupercreſcens, & ibi pus abundat.

PROGNOSIS. Ulcera omnia cum intemperie ſicca conjuncta, difficulter ſanantur.

CURATIO. In *Intemperie calida*, proſunt Plantago, Endivia, Solanum, Bolus, Plumbum uſtum, Cadmia, Sacch. ſaturni, Albumen ovi, Acetum, Oxycratum, Therebinthina, Oleum roſac. viol. myrtin. Vnguent. de Ceruſſ. Album camph. roſaceum.

In *Frigida* Oleum Hyperici, Nardinum, Irinum, Chamomillinum, Ruthę, anethi. Reſina Laricea. Spiritus vini. Emplaſtrum de Betonica.

In *Sicca* fomentetur pars aqua calida, abſtineatque Chirurgus ab exſiccantibus, uſque dum intemperies hæc in totum abiit, nam curatio alias erit difficillima.

In *Humida* radices Cyperi, Hypericum, Abſinthium, Salvia, Marrubium, Betonica, Chalcitis, Plumbum uſtum, Lythargyrium, Ceruſſa, Minium, Thus, Maſtiche, Emplaſtr. gryſeum, de Minio. Utpote quæ omnia valde ſiccantia ſunt.

Intemperiei quandoque juncta eſt *Humorum affluxio*, ubi *Purgantia*, *Repellentia*, & *Intercipientia* remedia locum habent. *Fonticulorum* hoc in caſu ſingularis eſt uſus, in ulceribus imprimis diuturnis. Medicamenta ne ſint pinguia aut oleoſa, ſed valde ſiccantia, ſæpiuſque, licet etiam optima eſſent, renovari debent.

Hyperſarcoſis quandoque adeſt, de cujus ablatione libro pręcedenti egimus.

Labia ulceris aliquando *calloſa* ſunt, ubi tunc medicamenta emollientia & modice conſumentia locum habent.

R. *Mucilag. ſem. altheæ. Fænugr. an. drachm. ij. Therebinth. unc.* j. *Ol. amygd. dulc. Lil. alb. an. drachm. iij.*

M. F. Unguentum.

Hæc ſimi-

Hæc ſimiliaque ſi non ſuffecerint, Aqua viridis loco modo citato, partis nempè ſecundæ lib. 2. cap. 4. propoſita, valdè conducit. Quod ſi nec hæc ſuffecerit, labia ſcarificari debent, aut calloſitas eorum in totum auferenda.

Vermes nonnunquam ulceribus inhærent: hos ubi videris, inſtrumento commodo extrahe; ſi vero carni firmius inhæſerint medicamenta ſeq. adhibe.

Medicamenta contra Vermes.

Abſinthium, Marrubium, Centaureum minus, Scordium, Dictamnus, Gentiana, Aloë, Myrrha, Fel Tauri.

♃. *Aloës, Farin. lupin. an. drachm. ij. Myrrhæ. Flor. æris. an. drachm. j. Fel. taurin. unc. ſ. Mellis q. ſ.*

M. F. Linimentum.

CAP.

Super Ulceribus quatuor hic adjicimus Obſervationes curioſiores, tres quidem è Clar. Joh. Muys praxi Chirurgica rationali, quartam verò è Peritiſſ. Job. à Meek ren Obſervationibus Medico-Chirurgicis.

OBSERVATIO PRIMA, EX JOH. MUYS.

De ulceribus cruris varicoſis.

Virgo quadraginta annorum, jam per longam annorum ſeriem malæ diætæ dedita, ac inter cætera noxia viſcoſis, aceto, aliiſque acidis nimium delectata, pedeſque æſtivo tempore in aquam frigidam ſæpiùs immergens, nunc per quindecim annos laboravit varice tibiæ ſiniſtræ ab imò pede ad genu uſque pertingente, ac ulceribus duobus circa malleolum internum ejuſdem tibiæ profundis, ſordidis, valdè dolorificis, ac materia quadam acri ac tenui ferè ſemper ad ſummum uſque impletis, & circum circa eryſipe'as pro comite ſępiùs habentibus. Horum ulcerum medelæ plures medici ac chirurgi per longum tempus fruſtra incubuere, imò etiam celeberrimus ille practicus Feij, dominus Cranenburgi.

Scilicet ab acidi & viſcoſi nimia quantitate aſſumpta ſanguis hujus virginis redditus fuit craſſus & aptus ſtagnare, quare portio quædam illius delata ad tibiam ſiniſtram ſubſtitit & moram aliquam traxit circa valvulas alicujus venæ cujus membranæ à majori ſanguinis copiâ ibidem cōgeſtâ ita diſtendebantur, ut humores ex arteriolis inter membranas illius venæ diſperſis egreſſi (nam inter membranas venarum arteriolas, venulas nervuloſque per microſcopium detegere potes, & abſque dubio adſunt etiam vaſcula lymphatica) & per membranarum tubulos errantes, libere tranſire nequiverint, ſed ſtagnaverint illic, ſeſeque poſuerint inter interſtitia fibrillarum tantâ copiâ, ut interſtitia illa

illa ampliarentur non tantum, ſed ut præterea etiam aditus intercluderetur ſpiritibus animalibus ex nervulis in tubulos illos prolabentibus, ac venam alias aliquatenus conſtringentibus, inque illa motum quendam periſtalticum producentibus ad ſanguinis circulationem in vena promovendam, atque ita ſanguis in vena illa aliquatenus ſtagnans membranas illius ſupra modum diſtendens varicis citati cauſa extitit.

Sed cur varix ille potius in tibia, quā alibi ſe conſpiciendū præbuit? quia ſcilicet ſanguis venoſus ibi aſcendere debet per viam horizonti perpendicularem, & præterea hæc via aliquatenus occluditur à ligaculis illis, quibus crura conſtringere ſolemus ad retinendas caligas; ſic in virgine hac ſuum etiam huc contulit immerſio pedum in aquam frigidam non rarò inſtituta.

Sanguis igitur majori, quam par eſt, copia congeſtus in hac vena, partes quaſdam ipſius venæ membranarum minus reſiſtentes diſtendit magis quam alias craſſiores, & ſic receſſus quoſdam ſeu ſinus ſibi formavit, ac præcipuè quidem circa valvulas, in quibus ſanguis, naturâ ſuâ jam acidiuſculus, majorem adhuc acorem ſibi contraxit, quia ibi diutius abſque circulatione commorabatur.

Sanguinis autem hujus particulæ multæ acidiores in carnem vicinam tranſſudarunt per partes varicis magis diſtentas, ac per conſequens rariores, hoc eſt per ſinus illos, & ſic fibrillis ibi irritatis, & poſt diſciſſis dolor excitatus eſt, ac poſtea duo ulcera dolorifica, quæ deinde, pluribus fibrillis diſruptis, reddebantur profunda.

Particulæ illæ acidæ pertinaciter hærentes in poris labiorum ac fundi ulcerum humores ſinceros adhuc alluentes convertebant in acidos, qui ob tubulos ab ulceribus interruptos circulationem continuare non valentes, ab humoribus à tergo continuò inſequentibus propellebantur foras in cavitatem ulcerum, quam ad ſummum uſque ferè ſemper adimplebant humore acri, acido ac tenui, ſed ita tamē tenui, ut interim admixtæ eſſent particulæ quædā viſcoſiores ac magis ramoſę, quę ramulis ſuis ſibi mutuo implexę, ac hærentes in ſuperficie ulcerum, illa ſordida reddebant.

Huc uſque explicuimus, quomodo particulæ quædam acidæ per ſinus varicis tranſſudaverint in carnem vicinam; nunc tempus eſt ut animadvertas, particulas acidas multo plures ex ſinibus illis abreptas eſſe in maſſam ſanguineam, cum qua circulantes, magna ſui portione ingreſſæ ſunt ulcera magis quam alias partes, ob acidum fermentum illic deliteſcens, eo modo quem explicuimus in Obſervatione ſecunda, & ſic adaucta fuit copia humoris acidi ulcera implentis & ex illis promanantis.

Eryſipelas quod ut plurimum circumvallabat ulcera, ab acido ibidem hærente itidem ſuam trahebat originem.

Hæc omnia dum aliquantiſper mecum volutabam, tandem me converti ad varicem, ut ad primam mali originem, quæ cauſa procatarctica vel primitiva dici poſſet, ſi terminis artis inutilibus uti alicui volupe foret;

ac è varice lancettâ aperto eduxi uncias aliquot ſanguinis ſtagnantis, acidi & nigricantis.

Deinde pervenit ad maſſam ſanguineam acido fermento imbutam, quæ cauſæ antecedentis nomine gauderet hoc in caſu apud illud ſubtile nimis eruditorum genus, quod magis de vano verborum apparatu, quam de rebus ſollicitum eſt; illamque corrigere cœpi per bonam diætam inſtitutam, viſcoſas acidaque cuncta prohibentem, atque per pulverem acidum temperantem quotidie aſſumptum conſtantem ex ſcrupulo uno oculorum cancrorum, ac eadem quantitate coralli albi.

Denique ad ulcera ipſa acceſſi, in quorum fundo, labiiſque deliteſcebat acidum fermentum, quod, ſi quibuſdam forte placeret, cauſæ cõjunctæ nomine poſſet appellari.

Præcipuum, quod mihi jam reſtabat agendum, erat, ut fermentum illud temperarem ac tollerem, atque ut labia ulcerum ad fundum uſque ſenſim & ſine ſenſu deprimerem, nam ex hoc ultimo negotio triplicem mihi pollicebar utilitatem.

Primo ſciebam, quod ſublatâ hoc modo ulcerum cavitate, nihil in illis poſſet colligi humoris illius acidi ac aliqua ſaltem ex parte viſcoſi, qui particularum viſcoſarum ac ramoſarum ratione ulcera antea ſordida reddebat, atque acidarum ac ſcindentium particularum reſpectu illa quotidie magis magiſque excavabat, quandoquidem in ulcerum cavitate continuo magna copia congerebatur prius, ſed quod ille humor, ſi ad ulcera adhuc veniret, ſtatim poſt adventum ſuum deberet foras propelli, hoc eſt, ad latera ulcerum à corpore duro labiis ulcerum deprimendis validius appreſſo.

Secundo certus eram hoc pacto circulationem ſanguinis ac humorum iri reſtitutum, in quo magna pars curationis ulcerum ſita eſt; nam labiis ulcerum non prominentibus, ut ante, ſupra fundi ſurperficiem, effici poſſe videbam, ut humores per tubulos in labiis ulcerum contentos circulantes qui prius ob tubulos ab ulceribus interruptos in ulcerum cavitatem deſluebant, jam viam ſibi quærerent per tubulos fundo ulcerum repertos, atque ita prorſus novam circulationem iterum inirent, quæ non impediretur ab aëre ambiente, uti prius, quia ille ſatis arceretur ab eodem corpore, quod ulcerum labia deprimeret, quoniam illud ſatis craſſum, ſolidum, durumque reddere mihi propoſueram.

Tertio ſæpius in ulcerum vulnerumque curatione obſervaveram, cicatricem generandam nũquam initium capere à centro, aut alia parte vicina ulcerum, vulnerumve, ſed ſemper incipere ab extremitate cutis ambientis ob ſimilitudinem ſuperficierum, quæ inter cutim ac cicatricem reperitur; atque hinc firmiter perſuaſus eram, ulcera ab acido fermento ſordibuſque liberata prius, planaque reddita modo prædicto, ac circulatione reſtitutâ gaudentia, brevi temporis ſpatio contecta fore cicatrice.

Congeſſi igitur nonnulla idonea medicamenta acidum temperantia contra fermentum peccans in ulceribus deliteſcens, atque ut unâ fideliâ duos dealbarem parietes, formavi ex illis

illis placentulam ſatis duram craſſamque ac ulceribus paulo majorem, ſic ut tegeret etiam portionem parvam labiorum, eamque ulceribus impoſui, ac per ſtrictam ſatis ligaturam validius appreſſi, & reliqui per horas duodecim, poſt quas tranſactas vidi, quod ſpes, quam inde conceperam, me non fefelliſſet, nam ulcera reperi plana prorſus, à ſordibus omnibus liberata, ac jucundo rubore conſpicua, parumque aut nihil fere dolentia, unde propemodum raptus in admirationem, collegi acidum in ulceribus fermentum jam magna ex parte eſſe temperatum, ac brevi totum temperatum iri.

Poſt paucos dies, circulatione reſtituta, particulæ bonæ notæ per tubulos cutis ambientis euntes, illius extremitati adhæſerunt firmiter ob ſimiles cum cute ſuperficies, atque ita nobis in conſpectum venit rudimentum quoddam cicatricis, quæ intra quinque ſeptimanas ulcus utrumque plane occluſit, quandoquidem quotidie magis magiſque accreſcebat.

Tandem ſingulis annis ſemel aperui varicem citatum, ex eoque eduxi libram unam ſanguinis, atque ita effeci, ut ulcera illa poſtea nunquam iterum diſrupta ſint.

Eryſipelati, quod ferme oblitus eram, interea dum medebar ulceribus, imponebam linteum quadruplex imbutum mixturâ conflata ex aqua florum ſambuci, ſpiritu vini, camphora & ſaccharo Saturni ad acidum peccans temperandum, quo temperato omnia eryſipelatis ſymptomata ceſſarunt ac inter cætera etiam ardor inductus prius à particulis acidis, dum laterum ſuorum acie fibrillas citius ſolito commovebant.

Sed unde contingit, ut ulcera hæc longo temporis intervallo ſanari non potuerint à tot medicis ac chirurgis, etiam provectæ ſatis ætatis viris, quique ideo, ſolidum aliorum ratiocinium ſpernentes, nil niſi experientiam ſuam ſemper crepabant?

Experientia ſine vera ratione parum poteſt; nam ſicut inter mille facies humanas nulla reperitur alteri per omnia ſimilis, ſic inter totidem morbos nullus eſt, qui cum alio in omnibus prorſus conveniat; & præterea valde credibile eſt ſanguinem & partes interna unius hominis non minus differre à ſanguine & partibus internis alterius hominis, quam externas, unde iterum exſurgit varium hominum temperamentum, cujus varietas varia remedia poſtulat, ac præterea præter experientiam etiam ſanum medici judicium, quod alia pro hoc, alia pro illo remedio novit eligere.

Ad hæc ut dicamus, quod res eſt, medici illi ac chirurgi ſecundum vanam ac inutilem quandam theoriam ac philoſophiam conceptus ſuos dirigentes, nec cauſam varicis, nec illius effectus, neque etiam ejuſdem remedium invenire potuerunt.

Deinde illi omnes fere morbos deducebant ex quatuor ſuis humoribus, cum tamen interim neſcirent, quid foret unuſquiſque, & quibus particulis cōſtaret, ut bilis, pituita, ſanguis melancholia; atque hinc factum eſt, ut vera remedia eligere illis eſſet impoſſibile. Multo prudentius egiſſent, ſi reſpexiſſent potius ad varias ſanguinis particulas, quæ figura, magnitudine ac mo-

præcipuè ſi attendiſſent ad acidum & tibus ſuis à ſe invicem differunt, & ſal, ut liceret ipſis expiſcari, utrum horum in ſanguine teneret dominatum, & ſi foret hoc acidum purgationes per alvum nunc minime convenire.

Præterea illi conceptus ſuos nimis confundebant, cum putabant ulcera illa prius per quædam medicamenta debere detergi, deinde per alia incarnari, & tandem cicatricem iterum ab aliis induci debere; nam, hanc nimis anxiam diſtinctionem valdè inutilem eſſe, vel hinc manifeſtum evadit, quod ego ſolâ & unicâ meâ placentulâ utrumque ulcus tam brevi ſanaverim.

Denique illi inter medendum attendebant ad axioma ſuum, quod contraria contrariis curentur, ac animadvertentes ardorem in eryſipelate ulcera cingente, illum propellere tentabant per frigida, quæ ſanguinem & humores ſiſtebant, unde illi aceſcebant, ſicque ardorem eryſipelatis non parum adaugebant; ſed abutebantur illi ſuo axiomate, quo ſi bene uti voluiſſent, debuiſſent ſcire, ardorem eſſe tãtum effectum, & pro cauſa agnoſcere particulas quaſdam acidas propter obſtructionem circa ulcus hærentes, quæ lateribus ſuis ſcindentibus fibrillas nervoſas citatiore ſolito tremore concutiebant; & tunc rectiùs contraria contrariis curaſſent, applicantes ſcilicet talia, quæ acido vellicanti atque viſcoſo obſtruenti reſiſtere pro comperto habebant.

OBSERVATIO SECUNDA EX JOH. MUYS.

De Vlcere mirando.

Extra Arnhemium ultra Rhenum, & quidem in illo loco, qui dicitur Belgice *de Praeſt*, fœmina ſeptuaginta annorum Patris mei, dum viveret, Medicinæ ac Chirurgiæ Doctoris, conſilium petiit, quandoquidem laborabat in ea femoris parte, quæ ſex digitorum latitudine circiter diſtat ab inguine, ulcere, cujus cavitas quatuor palmarum latitudinem ſuperabat.

Ex hoc ulcere una vice prodierunt triginta ova humore limpido plena, deinde per aliquot ſubſequentes dies plura alia egrediebantur, quæ omnia ſimul ſumpta numerum centenarium ſuperabant, eorumque quædam ovi gallinacei, quædam columbini, quædam etiam ovi paſſeris magnitudinem habebant, ſingulaque eorum propria ac à cæteris ſeparata, candidâque cingebantur membranâ, quæ chartæ luſoriæ craſſitiem habebat.

Ovis ſubventaneis hæc ova valde ſimilia apparebant, omniaque ſimul in communi craſsâque membranâ incluſa jacebant.

His ovis per vices ex ulcere hoc evacuatis ſequens injectio in uſum revocabatur, aut ſimilis.

℞. *Rad. ariſtol. rot.* ℥ij.
Herb. card. bened.
veronica ãã M.j ß.
Oculor. cancr. ℥j.
Myrrhæ
Aloës ãã ℥iß.
Coque ſec. artem in vino gallico ac colatura uſurpetur

Atque ita communis ac craſſa illa membrana ſenſim conſumebatur, ac patiens tandem priſtinæ ſanitati reſtituta fuit.

Hanc fœminam aſtantium plerique incantatam eſſe putabãt, ac Diabolum hujus morbi authorem aſſerebant, honorem ac potentiam, quam Deo omnipotenti

potẽti aſcribere debent, Diabolo male tribuentes, nã Deus eſt cauſa primaria motuum, qui in hoc univerſo fiunt corporeo, & ſecũdum leges horũ motuum, attendendo tantum ad corporum magnitudinem, figuram eorumque ſitum, non modo hujus morbi phænomena, ſed etiam multa alia longè mirabiliora feliciter ſatis poſſunt explicari.

Si animus tibi ſit cognoſcere, quo pacto ex grano prodeat planta, oportet te attentè perlegere Anatomiam plantarum per microſcopium factam Domini Grevv Anglice & Gallice editam, illic in faba majori conſpicies rudimentum radicis ac plantæ jam jam contentum; illic intelliges, quo pacto ſuccus per fabæ telluri commiſſæ membranas tranſcolatus in fabæ corpore fermẽtetur, quo pacto per parvum fabæ foramen aëri aditus, ac vaporibus ſupervacuis exitus ibidem concedatur, quo pacto ſuccus ita fermentatus propellatur ad rudimentum radicis, illudque in veram radicem convertat, quæ tunc ex terra nutrimentum accipiens, alium ſuccum ab altera parte venientem repellit ſurſum ad rudimentum plantæ, ut ita vera tandem planta in conſpectum veniat.

Si ſtupendarum in magnete virium, ſi ignis fatui, iridis, aliarumque rerum cauſas ſcire deſideres, conſule Carteſium, qui illas tibi clare explicabit.

Idem Philoſophus in tractatu de meteoris itidem te docebit, quod milites in aëre aliquando præliante, de quibus ignarum vulgus tam multa fabulatur, non ſint niſi nubes quædam.

Neſcio ſane, unde tam male fundatum ſit populi judicium, à quo tales caſus, qualis hic eſt noſter, babentur pro incantamento, & lumbrici per vomitum ac ſeceſſum ab hominibus tam crebro ejecti pro rebus merè naturalibus, cum tamen longè mirabilior ſit lumbricorum, quam horum ovorum in corpore humano generatio.

Vegelius Matheſeos Profeſſor equum ex metallo confeciſſe perhibetur, qui unico die per aliquot horas incedere poteſt ope rotularum inſtar beſtiæ viventis.

Reyſelius machinam homini ſimilem fabricaſſe dicitur, in qua liquor quidam per os immiſſus ſanguinis inſtar noſtri circulare cernitur, cujus liquoris pars tenuior per penem ut urina, craſſior per anum, velut fæces alvinæ, excernitur.

Quod ſi homo talia poſſit, quid Deus, ſummus ille Architectus non efficere poterit ſecundum ordinarias leges motuum?

Quo pacto igitur hæc ova producta ſunt in hac muliere? multi ſcilicet pori hujus aut illius arteriæ diverſimode diſtorti ac ampliati ſunt hac aut illa de cauſa in femore hujus fœminæ, unde multi humores profluxerunt & congregati ſunt in uno loco, in quo cum fermentari incipiebant, particulæ ramoſæ ac ad motum minus aptæ protrudebantur ad latera, ubi ad motum tam celerem non compellebantur, atque ibi cohærentes & ſibi invicem implicitæ efformabantur in membranam ſatis craſſam, quæ omnia ova poſt generata ſimul continebat.

Qui autem pori arteriæ citatæ diverſimodè diſtorti erant; ideò particularum

cularum in hac craſſa membrana contentarum quædam ab aliis in figura ac magnitudine aliquatenus differebant, ac particulæ conſimiles forſan in centum fermè locis diverſis confluxere, & ſic unaquæque particularum præterpropter ſimilium congeries adhuc fermentationem quandam exercens iterum particulas magis ramoſas protrudebat ad latera, & ſic membranæ efformatæ ſunt, quibus ſingula ova includebantur.

Atque hoc pacto puto me hujus phænomeni, quod propriis oculis conſpexi, cauſam ſatis intelligibilem attuliſſe.

OBSERVATIO TERTIA EX JOHANNE MUYS.

De Abſceſſu mirando.

VIr quinquaginta annos habens abſceſſu infra aurem ſito, rotundo, dolente, undulante, ac molli, quo ante aliquot dies correptus erat.

Certò perſuaſus pus maturum deliteſcere in hoc abſceſſu, aperturam feci ſcalpello, ſicque ſtatim haud parum puris albicantis profluxit, ſed ubi premente digito affluxum puris aliquatenus promovere volebam, ecce mox in conſpectum venit fruſtum fiſtulæ, qua tabaci amatores utuntur adæquans longitudinem dimidii digiti, quod forcipe ex recens facto foramine protraxi.

Pure ſenſim evacuato affectum hunc more aliorum abſceſſuum brevi temporis ſpatio ſanavi, ſicut in cura nihil evenerit, quod obſervatu dignum reperiatur.

Fruſtum autem illius fiſtulæ inopinato ex hoc abſceſſu prodiens aſtantibus non modo occaſionem præbuit admirandi rarum adeo phænomenum, verum eoſdem etiam extemplo ad Diabolum, ejuſque incantamenta confugere fecit.

Sed ignarum, ideoque ſuperſtitioſum ac miſerum vulgus mox ad Diabolum, conſuetum, ſed impium ignorantiæ ſuæ aſylum, procurrit, quando eidem effectus aliquis occurrit, cujus ſimilem nunquam antea vidi.

Nam licet aliquid conſpiciat, cujus cauſam expiſcari ignorat, non ideo illud diabolo ſtatim aſcribi, dummodo hoc ſæpius antehac conſpexerit; ſic Ignivori illius, qui nulli ferè harum regionum ignotus eſſe poteſt, ſtupendas actiones pro naturalibus habet, non pro præſtigiis Demonum, quia ſcilicet hæc ſunt talia, quæ ſæpius vidit, licet eorum rationem reddere nequeat, ac cauſam penitus ignoret.

Sic ante aliquod tempus Lugduni Batavorum Italus quidam fuit, qui, poſt magnam aquæ limpidæ copiam aſſumptam, evomebat eandem in varia vaſa cryſtallina non limpidam, ſed diverſi coloris ac ſaporis in ſingulis vaſis.

Hic effectus crebro ſpectatus populum cauſæ ignarum tantum in admirationem rapuit, de Diabolo verò erat illic altum ſilentium. Dominus Overcamp. autem hujus phænomeni cauſam, ſicut in primogenito ingenii ſui partu refert, ſtatim expiſcatus eſt, in ſingulis nempe vaſis criſtallinis vidit & olfecit diverſum oleum ſubtile, quod aquam immiſſam aliter tingebat in hoc, aliter in illo vaſe.

Non

Non ſine ratione ait Virgilius, quod ſit felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas, nam illis notis phænomena nunquam antea cóſpecta non valde mirabimur, multo minus eadem referemus ad potentiam quandam imaginariam Diaboli cum deſidioſo populo, qui de veris rerum cauſis parum ſollicitus eſſe deprehenditur.

Verumenimvero quid tandem in cauſa fuit, quod fruſtum fiſtulæ ex affectu noſtro prodierit? ubi ægrum bene examinavi, ex eodem intellexi, quod ante ſex menſes, dum plateas obambulabat ac tabacum ſugebat, in terram prolapſus ſit, & fauces interne per fiſtulam læſerit, ex quibus ſæpius magna ſanguinis copia promanavit; ſcilicet fruſtulum fiſtulæ confractæ profunde in fauces adactum primo hanc hæmorrhagiam, ac poſtea externum abſceſſum citatum infra aurem produxit, ex quo aperto fiſtula prodiit.

OBSERVATIO QUARTA EX JOB. A MEEKREN.

De ulceratione & vulnere Cordis.

COr, *Ariſtotele* authore, fons vitæ, corporis pars præcipua, etiam impetus, ſpirituales æque ac corporeos ſuſtinere valens, nunquam in homine aut animali alio abſens, nullam patitur continui ſolutionem.

Non minoris Cor habetur *Hippocrati ſect. 6. aphor.* 18. quod confirmat.

Galenus 5. *de locis affect.* inquiens: *Cor nullam fert continuitatis ſeparationem.*

Veteres aphoriſmum hunc vulneri Cordis applicarunt, ex eo quod cognoſcerent ſtructuram ejus miraculoſam, motum continuum, vires ſummas, Officia neceſſaria, imprimis ſitum valdè remotum, adeo ut medicamentis id attingere, curareque ſit impoſſibile.

Ovidius obſervationem hanc reſpexiſſe videtur, dum 1. *de Ponto* 4. hoc modo canit:

Afferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas.
Sanabit nulla vulnera Cordis ope.

Dicto nihilominus Ariſtotelico contradicere videtur *Tileſius rerum naturalium lib.* 5. *cap.* 28. adducendo exemplum alicujus viri diuturno noſtro emaciati, in cujus poſt mortem aperti thorace Cor nullum, ſed ſolum pericardium repertum.

Non aliter dicta Hippocratis *intelligit* Hollerius *lib. 6. com. in aphor. Hipp.* (*quod & multorum, tum antiquorum, tum modernorum ſcriptorum, judicium eſt*) *quam ac ſi cor neque introrſum neque extrorſum penitus pati nil poſſit; Narrat inſuper lapillos duos, ac varios puris tumores in fœmina cujuſdam corde obſervaſſe.*

Columbus lib. 15. *de re anat.* in Corde ulcera, tumoreſque duriores, imprimis ventriculo ſiniſtro, obſervaſſe ſe refert. Vltimum hoc in Cardinale *Gambara* notatum ſcribit.

Thomas Bartholinus cent. 2. *obſ.* 45. ex corde *Urbani octavi* Pontificis maximi calculum triangularem extractum tradit.

Audiamus quæ ad confirmationem dictorum Medicus regius *Joan. Fernelius lib.* 5. *de morb. partic. & ſympt.* pro-

proponit, cujus verba magni habuerunt plurimi. *Cor* (dicit) *morbi omne genus obſidet, maximè vero ſimplex intemperies, phlegmone, eryſipelas, omniſque præter naturam tumor, ulcus quoque ac vulnus: ſed hæc ſane rarius, imo vulnera Cordi inflicta, quæ non alte in ventriculos penetrant, non protinus interimunt: in quodam qui ſenſim extabeſcens è medio ſublatus tandem tria ulcera in corde reperi, non parum cava & ſordida, multo ante jam tempore contracta.*

Lazarus Riverius cent. 1. *obſ.* 87. in diſſecto cadavere filiolæ alicujus 14. annorum inveniſſe ſcribit, *præter alia, cor albicans, & media fere ſui parte, quæ diaphragma reſpicit exeſum atque exulceratum, ut fibræ carnoſæ ſemiputridæ ſummis digitis avellerētur; & talia fruſtula carnea hujuſmodi fibris ſimillima cum ſanguine per ſputum rejecta fuiſſe.*

Bartol. Cabrolius dogmata excellentia magni *Fernelii* confirmat hac relatione, *obſ. ana.* 26. *ipſe ego*, inquit, *præſente Rondeletio duo mirabilia ſatis in duobus cadaveribus exhibui: primo in baſi cordis ad coronariam cicatricem, duos latos digitos longam, ſecundo eodem loco, ulcus latitudine folii myſtici, ſat profundum.*

Fabr. Hildanus part. 2. *obſ.* 27. in Corde adhuc vivente corruptionem notavit non levem.

Plura hûc facientia, Cor nempè unitatis ſolutioni etiam ſubjectum eſſe, qui ſcire deſiderat, legere poterit quæ habent *Amatus Luſitanus cent.* 6. 68. *Cornel. Gemma lib.* 1. *cap.* 6. *Felix Platerus in obſ. anat. Nic. Tulpius obſ. lib.* 2. *cap.* 18. *Marcus Aurel. Severinus de abſceſſ. cap.* 38. *Thomas Barthol. cent.* 6. *obſ.* 46. aliique varii.

Cor morbis variis gravioribus revera affici poſſe, obſervatione duplici, à nobis notatâ, illuſtrabimus.

Anno 1651. 26. menſis Maii cum *Cornelio Kerchem*, Chirurgo civitatis hujus ordinario, ex mandato Ampliſſ. Magiſtratus, aperuimus cadaver *Ottonis Chriſtenii* interfecti. Hujus in Thorace (præter alia ad quorum explorationem miſſi eramus) invenimus Cor ulcere exedente profundo circa auriculam dextram affectum.

Morbo hoc jam à longo tempore defunctum laboraſſe, indicare videbatur frequens ipſi dum in vivis erat animi delectio, quam obſervaſſe ſe referebant domeſtici, huic exemplum ſimile in diſcipulo ſuo Romæ à ſe diſſecto obſervaſſe ſe ſcribit *Reald. Columb. de re anat. lib.* 15. Ante mortem rariora fuerunt animi deliquia, forſan quod corroſio cordis minor, obſervabamus etenim ulceris labia augmentum ſumpſiſſe, quoties multiplicarentur lypothymiæ.

Anno 1655. 26. menſis Aprilis præſentibus *Medicis clariſſimis Dn. Samuele Coſtero*, & *Dn. Joanne Deimanno*, nec non *Dn. Daniele Floriano*, *Chirurgo*, juſſu Magiſtratûs noſtri, in valetudinario publico aperuimus cadaver *Joannis Roelofsen*, ex vulnere demortui. In cavitatis pectoris parte ſiniſtrâ aquæ acrioris tenuioriſque copiam inſignem reperiebamus, unde capſula cordis, tunica ejus, imò ipſa ſubſtantia, corrugata adeò, ut pyro æſtu ignis exſiccato ſimile Cor appareret. Hujus conditionis Cor in *Caſſemiro Comite Brandenburgenſi*

reper-

repertum narrat *Philip. Melanthon. lib.* 1. *de animâ.*

Cabrolii, Ferneliique ſententiam, poſſe nempè Cordi ſupervenire continui ſolutiones, quæ tamen ſubitaneæ mortis cauſa haud ſint, & ſcriptorum variorum teſtimoniis, & obſervatione propriâ admirandâ confirmabimus, hoc tamen antequam efficere aggrediamur, permittas precor, benevole Lector, unicum hoc hic addamus, Morbos ſcil. cordis abſolutè non eſſe lethales, adeoque, quoties propria cordis ſubſtantia conſtitutione aliqua præternaturali afficitur, æquè ſollicitos debere eſſe Medicos Chirurgoſvè, ac in morbis hepatis, cerebrivè, neque negligenda eſſe media quę in aliarum partium morbis ſimilibus ex uſu fuerunt.

Mediis ex debito in Cordis affectibus uſurpatis, ægroque eorum opera ſic reſtituto, quid obſtabit, quo minus in ejuſmodi hominibus poſtea demortuis, atque apertis, cicatrices, morborum quibus, dum in vivis erat homo, Cor obnoxium fuerat, indices, reperiamus, quales *Cabrolius* ſupra citatus obſervavit.

Sed mittamus hæc, uſque dum quæ *Cabrolius* propoſuit, alii magis confirment; quæ enim cadavera terræ mandantur eorum qui Cordis morbis fuerunt obnoxii, neutiquam aperta, nihil ad confirmationem, vel deſtructionem doctrinæ conferre poterunt.

Vulnera cordis, externo aliquo illata, (quæ nunquam curata vidi) licet ejus conditionis vulgò habeantur, imò etiam evera ſint, (quod vel vicies plurieſvè obſervavi) quæ ſubito hominem, aut animal è medio tollant.

Occurrunt tamen exempla eorum, qui Corde vulnerato ad dies aliquot ſupervixere, imò *Galenus* 5. *de locis affect. cap.* 2. Vulnere Cordis ad ventriculos haud penetrante, ſed in ſolâ tunicâ deſinente hominem ad horas viginti quatuor vivere poſſe, ſcribit.

Chirurgus Regius *Ambroſ. Paræus l.* 9. *c.* 30. hæc habet: *Vidi dum Taurinos agerem nobilem quendam, qui ſingulari certamine cum alio decertans, accepto ſub ſiniſtrâ mammâ vulnere in cordis ſubſtantiam penetrante, vibratis in adverſarium aliquot enſe ictibus ipſum fugitantem ad ducentos paßus eſt proſequutus, donec in terram mortuus caderet, diſſecto cadavere, vulnus comperi in cordis ſubſtantia amplitudine qua digitum capere poßet, ingentem præterea ſanguinis in diaphragma effuſi copiam.*

Ampliſſimus Conſul *Nic. Tulpius l.* 2. *obſ.* 18. hæc proponit: *Extra portam nobiſcum ivêre plurimi Medici, ſpectatum cadaver cujuſdam hominis interempti à duobus vulneribus, penetrante altero, per hepar ac ventriculum in ſeptum tranſverſum; altero vero per membranas mediaſtinas, & involucrum cordis in profundiſſimum ventriculi dextri receſſum, cum tam effuſa ſanguinis copia, ut illi undiquaque innataret nobiliſſimum hoc viſcus: quod tamen fuit adeò calidum, ut extenderit huic homini vitam uſque in finem diei ſecundi.*

Thomas Bartholinus cent. 1. *obſ.* 77. hiſtoriam ſeq. exhibet *Juvenis petulans nauclerum alioquin amicum domeſticis œnopolæ negotiis diſtrictum cultro*

transfixit inter tertiam & quartam coſtam ſiniſtram, vulnus ſub ſterno ad cordis penetravit ventriculum dextrum, ut aperto poſt mortem cadavere patuit foramine anguſto & obliquo. Læſus tamen non ſolum ex ſuburbio domum pedibus ivit, ſed per quinque dies ſupervixit.

Nicolaus Mullerus tabulam ſuſpendit in curia Groningenſi, hiſtoriam continentem militis alicujus, qui, vulnerato corde, ad dies quindecim in vivis manſit.

Adductis etiam noſtram addemus obſervationem; *Ambroſius Coenradi*, bajulus, vir diſſolutæ vitæ, ebrius, præmiſsâ altercatione gravi, vulneratur à nautâ quodam ſub muſculo pectorali ſiniſtro, cum cartilaginum coſtæ quartæ & quintæ diſſectione, vulnere in Thoracis cavitatem penetrante.

Die ſequenti, qui octavus Novembris anni 1654. juſſu Magiſtratûs noſtri cum *Abrahamo Sluyter*, Chirurgo vulnerati Ordinario, acceſſimus decumbentem, in quo pulſum notabamus tardum, debilem, ſudorem frigidum, difficillimam reſpirationem; Et in hoc, deſperato ſanè ſtatu, permanſit ad diem hujus menſis decimum tertium, qui lethalis ipſi fuit, poſtquam plus quam ſex dies vulneratus decubuiſſet.

Thorace, poſt mortem, aperto; pulmonem firmiſſime undique pleuræ, imprimis verò pericardio, fibrillarum, ligamentorumque ope, connexum reperimus.

Pericardio nulla continebatur aqua; arctò tamen ipſi cum corde, beneficio filamentorum latorum planorumque, cohærentia, ſic ut à corde id ſeparare difficillimum nobis.

Corde undique ſoluto vulnus ſe exhibuit, profunditatem digiti tranſverſi, latitudinem pollicis habens, circa ſeptum, ad mucronem; ut ex figura additâ conſtat.



A. *Nervus ſexti paris.*
B. *Arteria aorta ex corde aſcendens.*
C. *Ejus arteria carotis.*
D. *Vulnus cordis.*
E. *Mucro cordis.*
F. *Vena cava Diaphragma accedens.*
G. *- - - - aſcendens.*
H.H.H. *Cor ipſum.*
I. *Auricula cordis ſiniſtra.*

Obſervationi huic antequam finem imponamus, conſiderandum offero, annon cauſæ ſatis adfuerit in noſtro vulnerato, ob quam diutius aliis vixerit, profundiora enim aliorum vulnera fuere.

Imò haud inutile judicamus eidem addere eam quam *Philibertus Saracenus literis ad Fabr. Hildanum datis part. 4. obſerv.* 32. proponit, quo ex utriuſque collatione huc facientia varia Chirurgiæ cultori innoteſcant: *Ne ſolus aſymbolus ſim, nihilque quod centuriis tuis accenſeri poſſit, conferam,*

en

en habe obſervationẽ raram, ac prorſus admirandã. Deceſſit nuper poſt puerperij labores Illuſtr. D. D. Halincourt *Pro-regis in Gallia Lugdunenſi conjux, cujus rimato cadavere cordis illud involucrum quod pericardium dicitur, cordi ipſi adhæſiſſe, humoreque illo naturæ providentia ad ejus irrigationem & refrigerium inſtituto, vacuum fuiſſe repertum eſt. Res ſtupenda profectò, & nemini antea, quod ſciam, obſervata, perſenſit ſane illa ex humoris iſtius inopia evidentia incommoda. Nam æſtuans perpetuo aërem captabat frigidum, ſiti moleſta torquebatur, ne tenuiſſimi etiam tegumenti patiens pectus nudabat, quinetiam à fervidiore corde concalefactis pulmonibus, in eorum bronchia attractis atque extorrefactis humoribus, difficili reſpiratione laborabat, quæ ſymptomata nulli alii cauſæ potius quam pericardii aciditati imputanda ſunt.*

Quæ in Matronâ hac, etiam in bajulo noſtro obſervata, vivens & hic avidè deſiderabat aërem, potumvè frigidiorem, die nocteque nudus ferè incedebat.

Quæ cauſa, quod diutius aliis vulneratus hic in vivis fuerit, ut conſtare queat, *operatio cordis* legitimè conſideranda; triplex hæc, *Syſtole* S. contractio, *Diaſtole* S. dilatatio, & *Periſyſtole* S. quies.

In *ſyſtole* Cordis mucro accedit ad baſin, latera verò extenduntur causâ expellente longitudinem in latitudinem mutante, eò quod baſis cordis immobilis, mucro autem libera, nulli corpori nexa.

In *Dyaſtole* latera flacceſcũt, vẽtriculi ampliantur, recipitur ſãguis ex vaſis venoſis utroque latere Cor intrãtibus.

In *quiete* mucro recedit à baſi, & in quibuſdam baſis à mucrone, hinc etiam partes internæ externæque ad coſtas accedunt.

Syſtole perficitur quoties auriculæ cordis ſanguine repletæ eum ſua conſtrictione in ventriculum Cordis expulerunt.

In *Dyaſtole* ſanguinis peragitur receptio ex venâ cavâ, & vena arterioſâ.

Operationibus hiſce ritè conſideratis, quam facilè (noſtro judicio) cognoſcere cum cordis & pericardii in vulnerato noſtro arcta fuerit connexio etiam ſyſtolen atque diaſtolen ritè perfici haud potuiſſe, undè ſpiritus & ſanguinis in hâc officina diutius juſto hærere coacti, imò ne quidem per vulnus ejecti. Et hanc cauſam ſuſpicamur, cur diutius noſter vixerit aliis ſimiliter vulneratis.

Plura huc facientia, Cordis nempè motum varium atque actiones diverſas explicantia, qui deſiderat, legat *libellum de motu cordis Cl. Guili. Harvei*, & quæ habet *Renatus des Cartes.* De Cordis affectibus mirabilibus etiam ſcripſit *Albertinus Caſenatis.*

Vlcerum

Cap. III.

De Vlcere Carioſo.

Accidit interdum, ut ulceri os corruptum ſubſit. Corrumpuntur autem oſſa, & cariem contrahunt, vel ab humorum

 diutur-

diuturniore affluxu, vel ab acrimonia & malignitate eorum, vel à proprietate occulta, vel à contuſione, os ipſum aliquo modo lædente, vel à medicamentis acrioribus.

SIGNA Cariei varia ſunt. Os ubi oculis ſubjectum, primo id pingue deprehenditur, deinde flavum, poſt & nigrum & inæquale. Verum ſi in conſpectum non veniat, omnes Cariem adeſſe judicant Chirurgi. 1. Si fiſtula præceſſerit, aut ulcus diuturnum adfuerit. 2. Si ulcus cicatrice rupta, renovetur. 3. Si caro ſit flaccida, ſpongioſa, pallida, aut livida. 4. Si ſpecillum immiſſum non inveniat reſiſtentiam, ſed inæqualitatem, & 5. Si pus copioſius, tenue, & fœtidum effluat.

PROGNOSIS. Si juxta nervoſas partes, vel in juncturis, vel circa tendines, arterias, aut venas, oſſium caries ſit, non facilè curatur, & plerumque tendo aut nervus ſimul corrumpuntur. Nullum ulcus ſanari poteſt, cui os corruptum ſubjacet.

CURATIO. Os corruptum corrigi debet vel medicamentis, vel Chirurgia, vel utroque. Caro itaque quamprimum diſſecetur, quo detegatur os carioſum, & ne nervus, tendo, aut arteria quædam inſignis lædatur, ſecundum longitudinem partis fibrarumque ductum, neutiquam per tranſverſum inciſio inſtituatur. Medicamenta deinde adhibeantur quæ os corruptum à ſano ſeparant, & ſanum à corruptione defendunt.

Medic. ad Cariem.

Radices Ariſtolochiæ rotundæ, bryoniæ, iridis, dracontii, peucedani. Lignum Guajaci. Cortices pini. Aloë. Euphorbium. Myrrha. Alumen, Chalcanthum, Calx. Chryſocolla. Pumex uſtus. Scoria æris. Aqua fortis. Spiritus ſulphuris, Vitrioli, Salis, Tartari. Oleum Vitrioli, Sulphuris. Antimonii.

℞. Mumiæ, Sarcocoll. an. drachm. ſ. Euphorbii drachm. j.

M. F. Pulvis.

℞. Radic. ariſtoloch. rot. Ireos, Peucedan. an. unc. ſ. Myrrhæ, Aloës, an. drachm. j. ſ. Cortic. pini, Scoriæ æris an. drachm. j. Lumbricor. terreſtr. drachm. ij. Mellis q. ſ.

M. F. Unguentum.

℞. Suc-

℞. *Succ. Chelidon. maj. unc. ij. Spirit. Vini, unc. j. Myrrhæ, Aloës, an. drachm. ij. Vitriol. alb. ſcrup. j.*

M. pro injectione.

Hiſce medicamentis, ſi nihil efficias, os denudatum & maxima corruptione non infectum abradito: Verum corruptio ſi ſit profundior, terebro vel cauterio actuali utere; nam abſque his curationem ægrè ad optatum finem perduces.

CAP.

Vlcerum Carioſorum, aut hiſce affinium, ſex hic ſubjungimus hiſtorias, duas è Clariſſ. Cornel. Stalpartii Obſervationibus rarioribus, tertiam è Clariſſ. Ioh. Muys Praxi Chirurgica rationali, treſque ultimas è Peritiſſ. atque Curioſiſſ. Iobi à Meek'ren Obſervationibus Medico-Chirurgicis.

Hiſtoria prima ex Cornelio Stalpartio.

De Oſſis tibiæ fiſſi terebratione.

Non capitis tantùm, ſed & tibiæ, ſternique, atque alia noſtri corporis oſſa perforationem quandoque requirunt. Hujus rei, cùm primùm laborantibus ſuccurrere inciperem, exemplum vidi in juvene quodam, tunc quidem temporis *Nobiliſſ. admodum D. Van der Myle* famulo, cui tibiæ os equus calce percuſſerat: Vulnus autem illud ſanatum fuit, nulla intus latentis mali ſuſpicione ſuperſtite, quanquam continuò vexaretur dolore famulus. Conſultus igitur Chirurgus, cui nomen *Du Foix*, fiſſum os tibiæ credidit, ita ut hoc longè lateque tegminibus ſuis privare conſultum duceret, ut terebrationi aptus daretur locus. Conſentiente itaque læſo durum hoc, immenſique doloris plenum manuale opus hunc in modum cœptum eſt: primò quidem novacula tibiam quater uſque ad ipſum os incidit, deinde digitis cutis cum carne, ac oſſis membrana avulſa eſt, itaut quadratum, perforationique, quæ poſtridie fiebat, aptum relinqueretur foramen. Atque ita ille non dolore tantùm liberatus, ſed & priſtinę ſanitati omnino fuit reſtitutus. Intus corrupta oſſa fuiſſe terebrata variis demonſtraverim exemplis. Nunquam tamen os quoddam, ſive tibiæ, ſive alterius partis (præter cranium) propter fiſſuram fuiſſe perforatum, niſi obſervationis noſtræ caſu, probaverim.

Hiſtoria ſecunda ex eodem.

Totum tibiæ os corruptione exeſum.

Præſtantiſſimus Chirurgus *La Marche* Delphis Batavorum habitans retulit mihi opiferas ſe manus applicuiſſe quatuordecim annorum adoleſcenti cui diutius caries tibiæ os exediſſet, ita ut longiore morâ totum os corruptum ſuſtulerit Chirurgus; cujus in locum ſenſim accreſcens callus tandem ita ſucceſſerit ut abſque fulcro adoleſcens ille poſtea inceſſerit.

Non ita feliciter curatus eſt juvenis

quidam, cui humor eryſipelatoſus per applicatum à Chirurgo minùs attento oxycratu ad tibiæ interiora repreſſus, totum focile majus ita corrupit & exedit, ut brevi, & levi etiam adhibita opera per ulcus grandius, ſic enatum exierit, callus quidem poſtea ſucceſſit, ſed minimè ita firmus, ut ſine fulcro, magnoque labore, incedere potuerit.

Hiſtoria tertia ex Ioh. Muys.

De Vlcere cum carie oſſis maxillæ.

Matrona 28. annorum laborabat ulcere maxillæ inferioris exiguo, profundo, dolorifico, ex quo magna puris copia quotidie profluebat, ac caro ſemper ſpongioſa in ulcere luxuriabat, dentemque ulceri vicinum caries excavaverat, & præterea in partibus ulceri conterminis durities non exigua digito palpanti ſeſe offerebat.

Prout ægrota mihi referebat, ulcus hoc originem ſuam debebat tumori ingenti ac valde duro maxillæ inferioris ac ſimul fere dimidiæ partis faciei, qui ſupuratus ac in oris cavitate ſponte apertus multũ puris emittebat; hæc autem apertura à ſaliva in ore contenta brevi ſanabatur; ſed tumor hic extrinſecus à Chirurgo ſcalpello fuit apertus, hæcque apertura jam per aliquot ſeptimanas affluerat, nulliſque remediis obſecundabat.

Ego igitur accerſitus ad omnes circumſtantias accurate attendebam, eaſque ſatis exacte examinabam, atque ita tandem, omni præcipitantiâ in judicando evitatâ, certiſſime mihi perſuaſi os maxillæ inferioris exiſtere carioſum, illudque præcipue mihi liquebat ex carne ſemper luxuriante, ac majori puris copiâ, quam ulceris anguſtia requirebat, ſi non fuiſſet os carie infectum.

Sed unde caro fungoſa in ulcere cum carie oſſis luxurians originem trahit? ut huic quæſtioni ſatisfiat in memoriam revocanda ſunt ea, quæ dixi in primæ Decadis obſervatione octava, quæque latius ibidem deduxi, nempe oſſis cariem induci ab acido corroſivo; quod etiam ex ſequenti experimento patere poteſt.

Cani oſſa quædam devoranda exhibeto, ac brevi ex ejuſdem excrementis alvinis manifeſtum fiet, oſſium deglutitorum compagem egregie eſſe ſolutam à fermento in canis ventriculo contento, cujus aciditatem nemo, ut puto, inficiabitur.

Acidum igitur corroſivum oſſa carioſa reddit, idemque vaſa ſanguifera aperi magis quam par eſt ex quibus tunc prolongatis effluens humor efformatur in carnem ſpongioſam.

Sed unde tanta puris copia in ulcere, quod caries comitatur? quia illud ulcus profundum eſt, ſic ut non tantum humores ex cute ac carne, ſed etiam ex perioſteo ac ipſo oſſe prodeuntes puri generando ſuppeditent materiam.

Mentis oculis hanc cariem jamdudum perſpexeram, ſed hujus rei etiam certus fieri cupiebam ſenſibiliter, & quia ulceris anguſtia ferrum exploratorium non admittebat, ideo adhibui pilum qualem ſues in dorſo gerunt, eoque os nudum & carioſum tetigi.

Quid igitur hic agendum erat? ſcilicet acidum corroſivum temperari, fragmentorumque carioſorum ſeparatio

ratio promoveri debebat, ac durities in ulceris vicinia emolliri.

Sed ante omnia dentem carioſum extrahi juſſi, metuens nimirum, ne ille maxillam adhuc magis inficeret, verum dentis evulſi radix apparebat incorrupta.

Tunc ulceri impoſui turundam oblitam ſequenti unguento.

℞. *Thereb.* ℥ij.
Vitel. ovi N° j.
Aloës
Myrrhæ ãã ʒj.
M. S.

Therebinthina reſiſtit acido, ſicut docet ipſius oleum effervefcens cum oleo vitrioli acido, ſic aloë & myrrha etiam temperant acidum ſale ſuo, quo abundant.

Interdum etiam, ad ulcus magis patulum reddendum, turundæ aſperſi pulverem croci metallorum, qui carnem luxuriantem tollebat, vel imponebam turundam ex radice gentianæ paratam; turundæ ſummitati autem plerumque impoſui pulverem euphorbii, ut illud copioſo ſuo ſale volatili acidum corroſivum tẽperaret, ac ita non tantum oſſis ſani corruptelam impediret, verum etiam fragmentorum carie affectorum ſeparationem maturaret.

Carni luxurianti extra ulcus protuberanti ſæpius imponebam alumen uſtum.

Ad duritiem in ulceris vicinia ſitam tollendam applicabam emplaſtrum ſtypticum Paracelſi.

Durities hoc pacto brevi ſublata fuit, &, poſtquam per trimeſtre ſpatium hujus ulceri medelæ induſtriè ſatis incubuiſſem, tria fragmenta albicantia ex ulcere prodierunt, unum poſt aliud, quorum duo priora valde parva exiſtebant, ſed tertium ſatis magnum & latum.

Tunc temporis, ubi fragmentorum aliquod ſeparari incipiebat, pus apparebat ſanguinolentum ex eo, quod vaſa ſanguifera à fragmento illo læderentur, & unde eodem tempore dolor exacerbaretur, non eſt quod explicem.

Hic etiam facile intelligi poteſt, quod fragmenta vacillantia puris copiam adauxerint, & quod carni occaſionem præbuerint magis luxuriandi.

Sed quo pacto hæc fragmenta disjuncta ſunt? ut illud explicetur, naturam in auxilium advocare non oportet, quam Empedocles jamdudum exploſit his verbis.

Jam quod mortales naturam
Nomine dicunt, hoc nihil eſt

Rideo ſane illos Medicos, quibus hæc verba ſemper in ore ſunt, ac inſtar oraculi habentur: *Natura morborum curatrix, medicus naturæ miniſter* &c. cùm neſciant ipſi, quid velint his verbis nihil ſignificantibus, quæ tamen audacter ſatis effutiunt apud ægros ſuos, à quibus non raro Deorum inſtar æſtimantur ob inanem ſuam garrulitatem.

Vale dicamus igitur hic naturæ, ac dicamus id, quod res eſt, quodque ab unoquoque clare ac diſtincte percipitur; ſcilicet particulæ per os ſanum circulantes appellunt ad fragmenta carioſa, atqui per illa ob tubulos valde diſtortos curſum ſuum continuare non poſſunt, ſed vi unitâ quotidie ſæpiſſimè in ipſa impingunt, atque ita eadem, quantum poſſunt, divellentes uſque ad ruptionem fere tendunt, fi-

brillas

brillas, quæ os ſanum cum corrupto adhuc connectunt, tandemque particulæ puris acidæ laterum ſuorum acie fibrillas haſce intermedias diſcindunt, quod ideo facilius & citius contingit, quia eædem valde tenſæ ſunt, ſicut filum tenſum multo felicius quam flaccidum cultro dividi videmus.

Poſtquam fragmentorum ultimum ex ulcere prodierat, puris copia mox minuebatur, ac caro fungoſa alumine uſto ſublata non renaſcebatur amplius, ſicq; ulcus intra quatriduum prorſus coaluit, remanente tamen cicatrice cava duraque, quam nemo mortalium præcavere potis eſt in oſſis carie, quandoquidem particulæ quæ nutrientes, per oſſis tubulos circulantur, atque ita perveniunt ad oſſis illam ſuperficiem, à qua fragmentum carioſum ſeparatum fuit, ſunt multo ſolidiores quam particulæ carnoſæ, ideoque, cum ibi ob ſimilitudinem ſuperficierum oſſis extremitati adhereſcunt, multò arctius ſibi invicem incumbunt & connectuntur, ac quaſi parvum quendam callum efficiunt.

Hiſtoria quarta ex Iob. à Meek'ren.

De Oſſis calcis corruptione.

Cum aliquando obſervationes curioſas Chirurgi excellentiſſimi *Fab. Hildani* perlegerem, occurrit *ſectionis ſexta 94. Habeo* inquit *nunc inter manus affectum ex meliceria contractum, qui graviſſimus, & tamen ex leviſſimâ cauſâ ortus fuit. Recenſebo eum paucis. Juvenis quidam quatuordecim annorum ætatis, Reverendi & Doctiſſimi viri* Dn. Jacobi Haberuteri, *quondam hujus urbis divini verbi miniſtri filius, cum* 10. *Auguſti* 1622. *pedem inter deambulandum leviter contorſiſſet, & ab initio circa curationem error à barbitonſoribus commiſſus fuiſſet, exortum primò dolorem maximum ſequuta eſt inflammatio totius tibiæ, & ad coxam ferè uſque. Febris item maxima, inquietudines, nauſea, cum virium proſtratione ſupervenerunt. Tandem, videlicet* 8. *Octobris cum à barbitonſore ſuo derelictus, & affectus pro deplorato habitus fuiſſet, ego quoque advocatus fui. Tum circumcirca juncturam pedis novem inveni ulcera, & quidem nonnulla eorum ad ipſam articulationem uſque penetrantia. Ex quibus ichoroſa materia tam copioſè aliquamdiu effluxit, ut mirum ſit, unde in corpore tam extenuato & debili, tanta humorum colluvies provenire potuerit. Ligamenta, imò & oſſa ipſa eroſa erant. Os calcis (quod dicam admiratione non vacat) in medio ex unâ in alteram partem, ut progreſſu temporis vidimus & cognovimus, perforatum fuit, ac ſi aliquis terebello notabilis magnitudinis illud perforaſſet. Perforationem hancce oſſis, cum durante curatione inveniſſem, funem ex uno in alterum latus per ipſum os traduxi, quo oſſa carioſa extrahere poſſem, in medio tibiæ ulcus erat cuniculoſum, ex unâ enim parte ad genu uſque protendebatur, ex altera verò ad talum uſque ferè deſcendebat ab initio omnem adhibui diligentiam atque induſtriam, ut dolores quamprimum ſedarentur, & vires (quæ adeò labefactatæ erant, ut mortem proximam eſſe omnes putarent) efficerentur. Deus ita benedixit remediis, ut duos hoſce ſcopos paucis diebus abſolverem, poſteà ulcera mundi-*

ficavi

ficavi, ligamenta putrida, & oſſa carioſa atque à virulenta illâ materiâ contaminata extraxi. Curatio perquam difficilis & laborioſa fuit, omnia tamen, laus ſit Deo, nunc in tuto ſunt, etiamſi ulcus, quod, ut antea dixi, calcaneum perforavit, nondum penitus cicatrice ſit obductum. Genu, quod propter magnitudinem morbi, & retractionem nervorum, incurvatum erat, in priſtinum ſtatum reſtitutum quoque fuit. Articulus tamen pedis rigidus immobiliſque permanebat. Id enim plerumque, quod ante me nullus, quod ſciam obſervavit, fit in meliceride, quando ligamenta & cartilagines oſſium eroduntur: tunc enim, mediante callo, coaleſcit junctura, fitque rigida, uti fuſius, & quidem exemplis, Deo volente, in tractatu meo de meliceride oſtendam. Hanc conferre placuit cum ea quam exhibuit filiolus *Gilberti de Flines*, Mercatoris primarii, puer ſeptem annorum, pituitoſus.

Contraxerat hic, ex improviſo, ex decubitu catharri crudioris, tumorem circa pedis dextri extremum, undè motus læſus. Circumforaneus articuli contorſionem ſubeſſe cenſens, variis modis membrum extendendo, id efficit, quod febris gravis, cum membri affecti, imò totius pedis, tumore ſummo, inflammatione, atque dolore, ſupervenerit.

Abdicato circumforaneo, *mihi* & collegæ meo *Dn. Henrico van. Boonhuyſen* cura commiſſa. Accedentes inſtrumento exploratorio ab uno pedis latere in oppoſitum, ubi tibiæ cum pede extremo articulatio, tranſitum concedi experiebamur, imò os calcis molle admodum ex humorum abundantia.

Evacuatis ope medicamentorum *purgantium* humoribus ſuperfluis, ad doloris ſublationem, tumoriſque inflammatorii imminutionem *Cataplaſma* hoc applicavimus.

♃. *Alicar. Hord.* ℔j ß.
Herb. Ruthæ Althea.
Flor. Chamomill. Sambuc. an. m. ß.
Coq. in lact. dulc. ad conſiſtent.
Cataplaſmatis *cui adde butyr. recent. q. ſ.*

Materiæ purulentæ circa os dictum hærenti quo exitus commodior concederetur, particula medullæ ſambuci foramen dilatare neceſſarium duximus, hinc parti affectæ plumaceolum inpoſuimus ſpiritu vitrioli madefactum, præterquam quod ſuppoſitoria nobis ad partium corruptarum exſiccatiorum uſualia haud fuerint neglecta.

Ad divertendum humorem ex femore defluentem *fonticulum* infra genu effecimus, loco antea ulceroſo necdum integre curato.

Pedi ad corroborationem, humorumque abſumptionem *Cataplaſma* ſeq. impoſuimus.

♃. *Cortic. quercin. ſubtil. pulv.* ℥xv.
Farin. Fabar. ℥vj.
Oliban. Maſtich. an. ℥ß.
Fœcis Aceti Vini q. ſ.
M. F. *Cataplaſma.*

Medicamentis omnibus fruſtra hactenus adhibitis, conſentiente patre, viro judicii ſingularis, ad *Cauterium actuale*, ſecundum monitum *Hippocratis*, devenire placuit. Applicatio ejus ad hunc modum inſtituta.

Primò cannulam aptam ex bractea confectam, plumaceolo inveſtitam, aquæ, ne partes vicinæ læderentur,

intinctam, per foramen medullâ ſambucinâ latis jam ampliatum uſque ad os ulceratū dimiſimus, hinc per eam Cauteria ignita parti ulceratæ impoſuimus. Et hac ratione ſingulis diebus proceſſimus, uſque dum in applicatione cauterii nullus percipiebatur ſonus, & particula



oſſis magnitudinis ejus cujus addita figura ſeparabatur.

Hac ablata, medicamenta ſarcotica uſurpata, & ſecuta curatio, niſi quod exigua humoris copia ſemper exſtillare continuaverit, quem frequenter tendines & ligamenta exhibere ſolent. Et hoc eſt quod etiam in filio *Jacobi Haberuteri*, poſt curationem reliquum dicit *Hildanus* obſervatione citata.

Similis omninò Curatio fuit in *filiolâ* 14. annorum, nec non *viro Holſato*, niſi quod in hoc liquoris eufflxus integrè ſubſtiterit.

Obſervationi huic finem antequam imponamus, monere cogor, ægrotantibus æque ac Chirurgis patientiâ ſingulari opus eſſe, quoties oſſis dicti exſiccatio procuranda; vix tædioſa magis curatio in univerſâ noſtrâ arte eâ quæ in oſſis hujus corrupti correctione occupata, confirmant hæc non nobis ſolùm, ſed & ſcriptoribus variis aliis oblata exempla Ratio vel cognita Chirurgis, vel facilè cognoſcibilis, ab abundantiâ inſigni medullæ ſanguinolentæ in oſſe hoc deſumitur, quæ neceſſaria admodum, ne in motu quovis imprimis violento, caſu, curſu, ſaltatione &c. facilè frangeretur.

Hiſtoria quinta ex eodem.

De fracturis Oſſium, nulla accedente coalitione.

Contingere non rarò obſervamus, oſſium extrema in fracturis haud reuniri, quæcunque etiam externa æque ac interna adhibeantur medicamenta.

Exemplum huc faciens conſiderabile, non niſi ſemel (quod in Chirurgo adeò exercitato admiramur) viſum proponit *Fab. Hildanus obſ.* 91. *cent.* 3. his verbis: *Antè duos menſes ex Germaniâ redux, Baſileæ fracturam obſervatione dignam in quadragenario vidi. Hujus viri brachium ſiniſtrum cum ante annos decem rotâ molendina apprehenderet inter cubitum & carpum oſſa in tranſverſum adeò confregit, ut omnino inter ſe disjungerentur, cutis quinetiam & muſculi mirum in modum dilacerarentur. Dolor ſupervenit maximus, inflammatio & intumefactio totius brachii, non ſolùm ob magnitudinem morbi, verum etiam quod oſſa in ſuum locum repoſita non fuerant, carnemque continuo compungerent. Multum puris per menſes aliquot effluxit, multaque oſſicula à Chirurgo extracta fuêre; tandem remiſerunt ſymptomata, & conſolidata fuerunt vulnera, ſed oſſa disjuncta remanſerunt, & ita quidem ut eo in loco veluti alterum articulum conſtituerent. Manum enim dextram ſi adhibet, ſiniſtrum brachium antrorſum & retrorſum ducit, non ſecus ac ſi naturalis priore in loco articulus eſſet, idque ſine ullo dolore. Oſſa ſe invicem non attingunt, ſunt enim extremitates ipſorum callo obductæ brachium aliquo modo extenuatum eſt. Cubitum quidem movet, ſed difficulter, quapropter brachium ferè inutile eſt*

Cæterùm quid cauſa ſit cur oſſa in hoc viro per callum connexa non fuerint, profectò me latet; niſi forſan improprium nutrimentum oſſis, ex quo, teſte Galeno, *callus pro creatur, in pus converſum unà cum pure effluxerit, aut caro & membrana aliqua inter utrãque extremitatẽ oſſis intercederit. Adeoque natura adeo eſt diligens atque provida, ut extremitates oſſium confractorum, licet leviſſimè ſe contingant, ſtatim conglutinet, atque conjungat.*

Exulcerationes fracturis ſupervenientes quacũque à causâ, primitiva ſivè fuerit, ſive antecedẽs, ſivè etiã cõjuncta, impedimento eſſe poſſe, quominus oſſium detur coalitus, maximè cum alimentum oſſium ſuffocationi, conſumptioni, corruptioni; aut cum pure evacuationi anſam præbent, haud impoſſibile nobis videtur; at quis rationem dabit unde eveniat quod oſſa fracta haud reuniantur, ubi exulceratio nulla adeſt, imò nulla vel in cute vel in muſculo continui obſervatur ſolutio? Notare etenim nobis licuit, non ſolùm in ulna & radio, oſſibus adjutoriis, tibia & fibula, ſed & (in duobus licet ſubjectis) oſſibus femoris, per infortunium fractis, quæcũque etiam uſurparẽtur media, interna æque, inter quæ conſiderabilis Ichtyocola, ac externa, emplaſtra, ſplenia, ligamenta nullam ſecutam extremitatum unionem, etiam omni exulceratione abſente.

Cauſa hujus rei quæ ſit cum prædicto *Hildano*, me ignorare fateor, niſi dicamus, deligationem in fracturis uſualem, non urgente dolore, tumore, inflammatione, aut gangræna, frequentius juſto fuiſſe ſolutam, vel etiam humores ad calli concretionem promovendam neceſſarios plus debito attenuatos; ſplenia brevia nimis aut molliora applicata, imò fractam partem, ad arcendam incaleſcentiam quandoque ſupervenientem, nimium humectatam. Et harum ultimam calli generationem impedire ſatis conſtat. Spleniorum nimis brevium, molliorumque applicationem, hinc deligationem minus arctam efficere poſſe, quo minus extremitates oſſium fractorum coëant, in nautâ quodam, cui ex itinere reduci os humeri dextrum diffractum, in quo quod ſplenia mollia nimis uſurpata, nec manus extrema cum ulna ex debito ſurſum flexæ, nulla extremorum coalitio ſecuta.

Externis impedimentis ſic conſideratis, Chirurgo in arte exercitato interna adhuc varia occurrunt, quæ ad id ut extrema oſſium fractorum callo nullo obducantur plurimum facere poſſunt. Tales humores nutritii os accedentes minus pingues, aquoſiores, corrupti, imo etiam nonnunquam omninò maligni, habitâ tamen ubivis conſideratione ſtructuræ corporis & oſſium.

Obſervare nobis licuit in aliquo, morbo gallico quaſi tabefacto, oſſa adeò fuiſſe exſiccata, imò arefacta, ut ad quemvis attactum frangerentur, ſic enim claviculam in partes varias confractam in eo vidimus, dum thorace pectus veſtire conabatur.


In tali caſu ubi oſſium extrema uniri recuſant, nil convenientius, quam inſtrumento quodam apto, ex ferro confecto, utrinque membrum comprehendere, extremaque conjungere, ne in motu, vel inceſſu incommodum aliquod ægrotanti adveniat.

Hiſtoria ſexta ex eodem.


De Tibiæ corruptione, perforatione ſanatâ.

Inter ulcera omnia quorum ingens & numerus & differentia, haud minimæ conſiderationis, illa quæ oſſa occupant, quorum in cauſa ſiquidem inquirere luberet, laboris plus ſumeremus, quam utilitatis adferremus.

Joannes Everardi, Danus, ulcere duplici profundo circa malleolum pedis dextri, oblique ab externo ad interna ſe extendente, aliquomodo ad tibiæ medullam procedente, laborabat. Vix ſpatium aliquod intercedebat inter tibiæ partem, ſolidam duramque valdè, & medullam dictam, in qua mali ſedes hærebat. Cauterio actuali hîc non indigebamus, quod in tibia ſatis nu-



trimenti adeſſet, ut per partes ſeparari poſſet conſultum adeoque viſum ſectionis ope duo ulcera conjungere, quo os denudaretur, hinc, ſecundum monitum *Celſi lib.* 8. *cap.* 2. trepano



perforare os, tribus locis diſtinctis, uti præſens figura adumbrat uſque ad locum corruptum. Quod inæquale aderat, cunei ope auferebamus, ut hîc intueri licet, quo omnia



æqualia forent, hinc uſu *Spiritus vitrioli* ſæpiùs admoti ſeparationem oſſis exſpectabamus, quæ etiam brevi tempore, ſimiliter ac omnimoda curatio, ſecuta.

Cap. IV.

De Vlcere depaſcente & maligno.

VLcera profundiora & ampliora ſi evadant, *depaſcentia* appellantur, hiſce putrefactio ſi accedat Νομαὶ dicuntur; quæ ſi non accedat, *Phagædanica* appellantur: ſi ſola cutis depaſcatur *Herpes* ejuſmodi ulcus; & ſi mali moris & difficilis curationis ſit, *Cacoethe* nuncupatur.

Causa eſt ſerum ſanguinis ſalſum, pituita ſalſa, bilis aduſta, aut malignus aliquis humor.

Curari omnia hæc ulcera vix poſſunt, niſi cauſa removeatur, totuſque ſanguis purificetur. *Diæta* itaque bona obſervanda: Purgatio frequens & Venæ ſectio aliquando inſtituenda ſunt.

Medicam. externa ad Vlcera Phagædanica, &c.

Plantago, Solanum, Flores roſar. rubr. Balauſtior. Nuces cupreſſi, Cor-

Cortices granatorum. Thus. Maſtiche. Tutia. Ceruſſa. Lithargyrium. Minium, Plumbum uſtum. Sulphur. Piper. Zingiber. Mercurius. Unguentum Ægyptiacum, Fuſcum, Diapompholigos. Emplaſtrum de plumbo, de Minio, Gryſeum, de Ranis cum Mercurio.

♃. Flor. roſar. rubrar. Balauſtior. an. M. j. Fol. Plantag. M. ſ. Nuc. cupreſ. Bacc. myrti, Cortic granator. an. unc. ſ.

Coq. ex vino rubro,

Lavetur eo ulcus, & deinde ſequens imponatur.

♃. Tutiæ præpar. unc. ſ. Plumb. uſt. Ceruſſ. lot. an. unc. j. Bol. armen. unc. ſ. Vng. Ægyptiac. q. ſ.

M. F. Unguentum.

Vel

♃. Piper. long. drachm. ſ. Zinziber. ſcrup. j. Flor. ſulphur. Lithargyr. aur. an drachm. ij. pulveri. pyrii drac. j. Vng. fuſc. Felic. VVurtz drachm. iij. Alb. camphorat. q. ſ.

M. F. Unguentum.

♃. Maſtiches, Thuris, Myrrhæ an. drachm. iij. Lythargir. aur. Plumb. uſt. an. unc. ſ. Mercur. vivi thereb. ext. drachm. ij. Sulph. unc. ſ. Picis & Ceræ q. ſ.

F. Emplaſtrum.

Circa curationem ulcerum jam enumeratorum obſervandum eſt primò: Medicamenta externa ſingulo triduo aut quatriduo aliquo modo mutari debere; natura enim optima quæque frequentius applicata reſpuere ſolet. 2 Quovis die non niſi ſemel aut bis ad ſummum deligationem debere fieri, niſi acris nimium materia fuerit; nam alioquin medicamenta operationem ſuam non ſatis perficient. 3. Medicamenta repellentia & mercurialia in hoc caſu non eſſe adhibenda, niſi continua purgatione corpus occupatum teneas. 4. Rariſſimè hæc mala ſine purgantium, aut exſiccantium decoctorum ex Chinæ Guajaco, Salſa, &c. uſu abſolute curari poſſe.

CAP.

Vlcerum malignorum atque depaſcentium duas habet hiſtorias Clariſſ. Cornel. Stalpartius, primam de Ano maligno ulcere exeſo; aliam de Ventriculo exeſo, quas hic referre non pigebit.

Hiſtoria prima.

Inter omnia humani corporis membra nullum faciliùs illuvies, atque excrementa corporis excipit, vel excepta ſervat, ac ab iis damnum ac-

 cipit,

cipit, quàm anus, eique viciniores partes, quòd & hæ per ſe humidiores, molliores, rarioresque ſint, ac propterea ſuperfluitatibus recipiendis magis pateant, conſequenterque tantò magis putrefactioni ſint obnoxię, ut jure merito totius corporis cloacam dixeris.

Carolo de Meeſter ſeni anus maligno ulcere ab internis hæmorrhoidibus orto ita ſucceſſu temporis exeſus fuit, ut abroſis omnino illius muſculis, nullo conamine inferiora claudere poſſet, ideoque non tantùm procideret inteſtinum rectum, ſed &, vel invito fæces decederent.

Triſte profectò malum hoc erat, nec multis tantùm comitatum erat incommodis, quòd aſſiduè nunc huic, nunc illi lateri incumbere teneretur, dum ſupinus jacere non poſſet, nec erectiori ſedere corpore, ſed multum præterea adferebat doloris, ac immane quantum impuriſſimi fætoris. Sicuti autem hujuſmodi circa has partes ulcera multum negotii faceſſunt Chirurgis, ac rariùs ab iis (præcipuè quando inveterata ſunt) ſanantur, ita etiam noſter ſenex propter ætatem, atque infirmitatem nulla ratione incaſſum applicitis remediis, curari potuit, ſed inter dolores maximos è vivis exceſſit.

Ita ego Juvenem vidi ſtudiis Theologicis incumbentem, qui poſtquam dolores hæmorrhoidales indeque enatum ulcus per plures menſes tacitè geſſiſſet, tandem per eroſum grandius vas tantam ſanguinis copiam fudit, ut illi quaſi innatans mortuus in lecto repertus ſit. Cautio itaque ſumma adhibenda, ne mala iſtis in partibus poſita ſerpant, & ſi unquam, hic ſanè principiis obſtandum, ne ſerò nimis medicina paretur cùm mala per longas invaluêre moras.

Hiſtoria ſecunda.

Ventriculi morbi multiplices quidem, & varii ſunt: Inter ipſos tamen rariſſimus jure meritò hic dicendus eſt, de quo ſum acturus. Quanquam autem vix credere queamus humorem quendam uſque adeò corroſivum in ventriculo colligi poſſe abſque prȩvio notabili in diæta, medicamentiſvè exceſſu, ipſe tamen aliquando in cadavere mulieris cujuſdam à C. *Solingio* diſſecto, ventriculi ſuperiorem partem, trium tranſverſorum digitorum latitudine, ſub orificio ſuperiore perforatam, exeſamque vidi ad magnitudinem pugni. Intra illud foramen præterea tumorem quendam cancroſum, exulceratumque panis triticei magnitudine, qualem tribus obolis noſtrates emunt, reperiebamus, qui peritonæo adeò adhærebat, ut vi avellendus fuerit.

CAP. V.

De Fiſtulis.

FISTULA *ſinus eſt anguſtus & longus, ſeu ulcus ſinuoſum, anguſtum & calloſum, non facilè curatur, & plerumque ex abſceſſu originem habet.*

DIFFE-

Differentiæ. Rectæ ſunt aut obliquæ, ſimplices aut multiplices, hoc eſt plures ſinus habentes. Aliæ terminantur in os, aliæ in venas, tendines, aut nervos.

Signa. Labia ulceris hujus alba ſunt, dura, ſine, aut cum parvo dolore, humida aliquando, ſed perſæpe ſicca: in quibuſdam locis externe cavitas tactu notari poteſt, per quam etiam nonnunquam ſtrepitus excitatur, materiaque modo parcius, modo copioſius, per orificium fiſtulæ exprimitur. Stylo in ſinum immiſſo fiſtulæ rectæ profunditatem cognoſcimus, ſed in obliquo cerea candela exili valde loco ſtyli utimur. Stylus multo commodior eſt, ubi fiſtula

Ventriculus inſuper cum diaphragmate, quod propter ulceris vicinitatem etiam reperiebatur à corroſivo pure perforatum, ut & lobus hepatis, qui ſupra ventriculum plerumque jacet, magna ſui parte inferiore erat exeſus. Lien coloris plumbei erat, renes autem benè ſe habebant; omentum verò emaciatum erat, ventriculusque ſubſidebat admodum, ac perpauca continebat, quòd ægra ante obitum per 5. hebdomadas nihil præter potum aſſumpſiſſet, ita ut mirum non ſit, ſi pridie ante obitum per alvum albam quandam, ſed purulentam, qualis etiam in cavitate abdominis extra ventriculum in diſſectione reperiebatur, excreverit materiam.

Mulier illa, juxta conjugis, cognatorumque teſtimonia, per tredecim annos continuos vitiis ventriculi fuerat obnoxia, ut vomitibus, doloribusque ſub coſtis ſpuriis in latere, &, non obſtante ventriculi malo, quatuor enixa fuerat infantes, qui diu Matri ſani ſuperfuere. Quatuor verò dies ante obitum eadem fœmina non magnam tantùm albę materiæ copiam, verùm & ſatis magnam fœtidi ſanguinis poſt diuturnam halitus graveolentiam per os ejecerat quantitatem. Fæces autem alvinæ nigræ, copioſæ, fętentesque admodum fuerant.

Non ita pridem Vir quadraginta circiter annos natus me in ſolatium advocavit, doloribus atrocibus per intervalla frequentia vexabatur in ventriculo, quos ſubſequebatur partis hujus inverſio cum vomitu non tantùm alimenti contenti, ſed fœtidiſſimi præterea puris; ajebat ſe à veneno, jam à pluribus annis exhibito ſic affectum, malumque vires acquiſiiße eundo, ita ut & pus fœtidius, illudque frequentiùs jam evomeret. Vlcus in ventriculo arſenici ſummè erodentis funeſtiſſimum fatum adeße nullus dubitans, præter ptiſanas idoneas vino pro potu ordinario admiſcendas, oleum quoddam eßentiale & volatile è ſulphure curioſo cum artificio paratum ad guttas aliquot in decocto chinæ propinavi, ejuſdemque uſum ſæpiùs repeteret conſului; Vnde tam bene habuit ut exinde non quidem ſemel vomuerit; ſed omnes vitæ ſatis activæ & laborioſæ functiones doloribus vacuus, hilaris ſuſtinuerit.

De

ſtula ad os, candela vero ubi ad carnem parteſque ſenſiles penetrat. Si fiſtula tantum in carne hæreat fundum habet molle, & effluens pus album eſt æquale & copioſum. Stylus ſi nervum attingat ingentem dolorem movet ubi fiſtulæ profunditas exploratur, & pus quod exit pingue eſt & oleoſum, ſed minori copia, & membrum in quo exiſtit operationem vix perficit. Quod ſi ad os penetrat, durum quid ſtylo perſentitur & renitens, dolor etiam aliquis adeſt, perioſtio nondum corroſo. Os illud ſi carie laboraverit, aſperum eſt & inæquale; pus quod effluit nigricat & peſſimi doloris, & præterea tenue. Profunditas ſi ad venam pertingat, pus fœcis inſtar egreditur, ſed rubicundius craſſiuſque eſt ſi venam corroderit. Arteriam ſi penetret, quod prodit tenuius eſt & magis pellucidum, & quodammodo cum ſaltu egreditur.

Prognosis. Fiſtulæ omnes difficilis ſunt curationis; quædam incurabiles, & quædam curari non debent, ſi per eas humores ſuperfluos ac vitioſos corpora jam diu expurgare conſueverunt. Fiſtula recens, non profunda, in corpore juvenili, & ſano facilius curatur, difficilius antiqua, profunda, varios ſinus habens in corpore adulto; emaciato, cacochymico. Difficulter etiam curantur, imo fere inſanabiles ſunt, quę ad tendines, nervos, venas, arterias, oſſa, articulos, vertebras, cavitatem thoracis, & imi ventris, uterum, veſicam, aut inteſtina pertingunt. Nam illis plerumque in locis fiſtulæ occurrunt, in quibus natura ſe ab humoribus inutilibus exonerat, nempe in abdomine, inguinibus, natibus, ano, ſcroto, perinæo. Labia ſi non admodum ſint dura, ſed mollia & mucoſa, curatio facilius abſolvitur.

Curatio fiſtularum duplex eſt, una vera, altera palliativa. Hac fiſtula exſiccatur intus, & extra conſolidatur, manente nihilominus ſinu; plerumque quidem clauſa manet, at facile iterum aperitur, niſi per diætam bonam, purgationes frequentes, venæ ſectioneſque ſæpius inſtitutas perfecte curetur. *Vera* curatio hoc modo perficitur Diæta bona, purgationes, venæ ſectiones, vulnerariæque potiones, valde conducunt, attamen plus hęmorrhoides apertæ efficere poſſunt. Balnea naturalia fiſtulas ſæpè graviſſimas ſanant; in horum locum ſubſtitui poteſt artificiale, ex ſulphure, alumine, tartaro, & ſale in

aqua

aqua decoctis. Fiſtula deinde ſecundum artem tractetur. Externe pars roboranda, humor ſinu contentus exſiccandus, imprimis vero labiorum calloſitas auferenda. *Medicamenta* adeoque hic uſurpanda, quorum ope non ſemel fiſtulæ curatæ ſunt; his non ſufficientibus, *Cauterium actuale* adhibendum, præmiſſa calli diſſectione, ad quam *Syringotomon* Fabricii Hildani commodiſſimum inſtrumentum haberi poteſt.

Medicam. contra Fiſtulas.

Radices Hellebori, Ari, Gentianæ, Ariſtolochiæ. Euphorbium. Succus Chelidonii, Apii, Dracunculi, Thymelææ, Acetum forte. Lixivium. Calx. Alumen. Vitriolum. Ærugo æris. Auripigmentum. Mercurius præcipitatus & ſublimatus. Phlegma & ſpiritus Vitrioli. Unguentum Ægyptiacum, Fuſcum.

Emplaſtrum corroborans atque exſiccans.

℞. *Maſtiches, Thuris, Corticum granator. an. drachm. ij. Farinæ quercus ſubtiliſſ. tritæ drachm. iij. Flor. roſar. rubr. Bacc. myrtillor. an. drachm. j. Ceræ flavæ, Reſinæ pini, Olei hypericon. an. unc. j.*

M. F. Emplaſtrum.

Unguentum.

℞. *Succ. apii unc. ij. Chelidonii drachm. ij. Cæparum drachm. j. Mellis roſac. unc. iij. Therebinth. q. ſ.*

M. F. Unguentum.

Aliud.

℞. *Succ. Iridis unc. j. Chelidonij unc. ſ. Vini rubr. drachm. vj. Mellis unc. iij.*

Decoquantur parum Addendo

Aloës. Myrrhæ an. drachm. ſ. Vitriol. alb. ſcrup. j. Lithargyr. drachm. ij. Therebinth. parum.

M. F. Unguentum.

Aliud efficacius.

℞. *Pulv. radic. bryon. drachm. j. Thuris, Myrrhæ an. drachm. ij. Ærugin. æris drachm. ſ. Salis Ammoniac. ſcrup. j. Axung. porcin. Ol. olivar. an. q. ſ.*

M. F. Unguentum.

Aliud efficaciſſimum.

℞. *Vitriol. alb. unc. iiij. Alumin. Ærugin. æris an. unc. ſ. Aceti fortis unc. vj. Calcinentur in vaſe lutato.* *Rr.* M. F.

M. F. Pulvis.

Miſceatur cum Ung. Ægyptiaco, eoque inungatur turunda fiſtulę inſerenda.

Unguentum fuſcum Felicis Wurtz. aptiſſimum hoc in caſu medicamentum eſt, præſertim ſi leni coctura accedente, in ſuppoſitorii formam redigatur, & in fiſtulam inſeratur. Sed multis in locis tam male præparatur, ut te ipſum ad ejus præparationem accingere neceſſe habeas. Sequentia ſuppoſitoria etiam valde conducunt, præſertim in ani aliarumque partium tenerarum fiſtulis.

R. Agrimoniæ M. ſ. Scordii P. j. Flor. hyperic. P. ij. Hordei mund. unc. j.

Coq. ex Vino albo Gallico, Colat.

Adde

Mellis virginei unc. iiij.

Coq. ad ſpiſſitudinem, poſtea

Adde

Thuris maſc. maſtiches elect an drachm. ij. Myrrhæ rubr. drachm. j. ſ. Sarcocollæ drachm. iij. Vitriol. alb. drachm. j.

M. F. Suppoſitoria

CAP.

De Fiſtulis ani ſequentem habet Obſervationem Peritiſſ. Jobus à Meek'ren.

Vlcera ani inquit Doctiſſimus Profeſſor Hier. Fabr. ab Aquapendente *ſæpè ſolent creare fiſtulas exterius circa anum perforando inteſtinum rectum. Interdum verò circa anum oboriuntur fiſtulæ rectum inteſtinum haud quaquam perforantes, ſed circa anum conſiſtentes, & in carne terminum habentes, quæ ferè non ſanantur niſi inciſione.*

Quam moleſta ſint, & dolorifica ani ulcera ſimplicia, [ne de compoſitis quid dicamus] optimè omnium experiuntur illi, qui ſordida linteamina doloreſque gravès veſtimentis ſuis occultare, imò toto vitæ tempore tolerare malunt, quam levem dolorem perferendo curationem exſpectare, ſatis licet conſtet partem eam quæ ulcerum ejuſmodi ſubjectum pronam valdè eſſe non ſolum in corruptionem, ſed & ulcerum propagationem.

Inciſio eodem *ab Aquapendente* authore duobus modis, & duplici Chirurgia, abſolvitur, hoc eſt filo ſ. lino, & ſyringotomo.

Ad *Chirurgiam* antequam deveniamus, notandum nobis, quoties ulcus adeſt fiſtuloſum variis cavernis præditum ſine calloſitate aut inteſtini perforatione, Chirurgos varios curationem tentaſſe uſu ſuppoſitoriorum ex *unguento fuſco Felicis Wurtzii*, per evaporationem indurato confectorum, ſic enim ulcera talia per liquefactionem unguenti mundificari poſſe exſiccarivè ſibi perſuaſerunt.

Hæc curandi methodus arridet nobis,

bis, ut pote qua in non uno ſubjecto proceſſi, imprimis ubi ſimplex adeſt ulcus, idque recens.

At verò ubi ulcerum datur multitudo, maximè quæ occalluêre, etiam non perforato inteſtino recto, nullo alio medio ea curare nobis licuit, quam inciſione, quæ adeò ab *Henr. Fabr. ab Aquapendente* celebratur; ut etiam inteſtino recto non perforato, exemplum aliorum ſecutus, eam inſtitui debere doceat.

Ipſa Authoris *cap.* 93. propoſita verba hæc ſunt, quæritur *quomodo curanda ſit fiſtula quæ exterius à tuberculo in cute oborto habeat originem & verſus anum permeet, non tamen inteſtinum penetret, ſed ad uſque inteſtinum pertingat.*

Ad hoc reſpondet *Vir experientiſſimus* ſe in ejuſmodi ulcerum curatione, etiam non perforato inteſtino, neutiquam vereri inteſtinum ipſum incidere, maximè ubi podicis circulo proxima, *Extremum enim inteſtini recti* verba ſunt *Hippocratis,* quæ habentur libro de Hæmorrhoidibus, *& ecas, & reſecans, & conſuens, & nurens, & putrefaciens, etiamſi graviſſima hæc ſint nihil læſeris* Conſentit *Ætius Exleonid.*

Ad Chirurgiam antequam deveniamus, cognoſcere Chirurgo intereſt, inteſtinum rectum integrum adhuc an ſit, an verò perforatum; eadem enim licet ſit curandi ratio, læſum ſivè fuerit inteſtinum, ſivè integrum, facillimum tamen conceptu, facilioris operationis perforationem eam eſſe quæ ubi inteſtino foramen aliquod adeſt, per quod inſtrumentum duci poteſt, inſtituitur, quam ea eſt ubi eodem per inteſtinum ſanum viam ſibi facere tenetur Chirurgus.

Signa quibus inteſtini perforatio cognoſcatur. Cuivis ſine dubio cognita; Certum eſt, ſi flatus per externum foramen exeat certius, ſi alvinorum excrementorum aliqua particula per exteriora excernatur, certiſſimum, ſi Chirurgus digito in anum immiſſo inſtrumentum per fiſtulam inſertum tetigerit.

Inſtrumentorum ad inciſionem uſualium primum filum eſt; hujus ope peragitur Chirurgia, licet minus dolorifica, incerti tamen magis eventûs eſt; *Celſus ipſe lib.* 7. *cap.* 4. ubi inciſionem per filum admittit, imò ubi ejus opera eam abſolvi poſſe deſperat *fieri poſſe* docet, *ut curationis gratia cultellum hic adſumere cogamur.*

Filum quo in hoc caſu utimur ex filis crudis, fortioribus, contortis, pilis equinis, & filis ſericis rubris craſſioribus conjunctis, cerâ flavâ ad eum modum quô ſartores fila ſua munire ductiliaque magis reddere ſolent, incruſtatis conficitur.

Filum hoc debitæ longitudinis excipimus foramine quod ineſt extremo uno (ſimile foramini quod in acu eâ notatur, quæ ad ſetacea efficienda uſurpatur) inſtrumenti exploratorii ex plumbo ad neceſſariam flexibilitatem parati.

Hinc digitum indicem ſiniſtræ manus, cujus unguis, monente *Paræo lib.* 13. *cap.* 24. reſectus, in anum immittimus, mox manu dextrâ inſtrumentum dictum filo inſtructum per fiſtulæ anfractus ſenſim variis modis intorquêdo ad locum eum inteſtini qui perforatus eſt, deducimus, ſic ut auxilio digiti

giti in inteſtino hærentis incurvari, tandemque per anum exire queat.

Fili utrumque extremum conjunctum alligamus ligno cuidam tereti, ſicque ad eum modum, quo cum feſtuca ſuâ proceſſit *ab Aquapendente*, contorſione continua, fortique conſtrictione quicquid filo comprehenditur dividimus.


Operatio ſecunda *Syringotomo* perficienda certior eſt, minuſque dolorifica, imò breviori abſolvitur tempore, ab ea tamen abhorrere magis ſolent ægrotantes. Inſtrumentum hoc invenit *Galenus*, delineavit *Andr. à Cruce* emendavit *H. F. ab Aquapendēte*, approbavit *Schultetus*; figura ejus quæ operi quam-maximè accommodata hæc eſt, in qua A. globulus eſt, qualis etiam in inſtrumento exploratorio plumbeo ſupra indicato requiritur, ne, dum per fiſtulam, hinc inteſtinum ipſum, protruditur, nocumentum ei adferat; hinc per fiſtulam & inteſtinum ducitur, ſic ut per anum exeat uſque ad B. ubi acuties incipit inſtrumenti, cujus dorſum obtuſum, ſimiliter ac illud quod eſt cultri domeſtici, quo panem ſcindimus.

Inſtrumentum hoc per fiſtulam immiſſum, digito in inteſtino apprehenſum celeri manu extrorſum ducitur, & hac ratione quæcunque attingit impetu uno diſcindit.

Sincere ut hîc agamus, neceſſarium non modò qualiter inſtrumentum dictum tractare debeamus cognoſcere, ſed & quomodo ulcus tale fiſtuloſum incipiat, procedatque, imò quænam de eo prædici queant. Ad hæc caſum ſequentem exhibere utile erit.

Franciſcus Volkertſen vir aliquomodo melancholicæ complexionis, ex animi affectu catharroſam perſentiebat deſtillationem, per dorſi longitudinem ad os uſque caudæ, hinc ad natium concurſum ubi inteſtinum rectum oſſi dicto accumbit. Brevi tumor hic exortus, qui pinguedinem, marginem muſculi glutæi, imò, quod admirandum inteſtinum rectum, perforavit.

Accedens ægrotantem, præter febrem, doloremque graviſſimum, tumoris duritiem, rubedinem, extenſionem, conſideravi. Quod, ſimptomata alia tu-



mori

mori adſcribi debere, certum, *Cataplaſma* hoc eidem applicari neceſſarium duximus, quo eo maturatio promoveretur.

℞. *Rad. Althea. Brion.*
Lilior. alb. an. ℥j. ß.
Fol. Malv. Biſmalv.
Violar. an. M. j.
Flor. Chamomill. M.ß.
Sem. lini. ℥ß.
Coquantur & contundantur, addendo
Farina fœnugr.
Semin. lini. an. ℥ij.
Axung. porci q. ſ.
Butyr. recent. ℨj.
Vitell. ovi n. j.
M. F. Cataplaſma.

Calidè hoc applicamus tumori, ſecundo die eum aperire conſultum duximus, & effluxit materiæ fœtidæ purulentæ inſignis ſatis quantitas.

Poſt hæc excrementa alvina, quibus flatus permixti, ſonitu ſe manifeſtantes, tumorem accedere notabamus, undè perforatum jam eſſe inteſtinum clarè conſtabat. Multa equidem adhibebamus, quorum operâ conſolidare, carnemque regenerare nos poſſe credebamus, aſt fruſtraneus omnis labor; ad inciſionem adeoque, modo in prægreſſis indicato perficiendam, devenire coacti; qua & inteſtini reliquas partes ſanas, & cutem muſculoſamque inteſtini portionem adhûc integram diſſecare neceſſarium; diſſectione peractâ, quod *ſanguinis fluxus* gravis ex Venarum hæmorrhoidalium apertione adeſſet, medicamentum adſtringens ordinarium vulnerato loco applicavimus.

Die ſequenti puris minus ſolito in vulnere reperire liquit, imò omnia ſanitatem veram promittere videbantur, quæ etiam brevi tempore, auxilio divino, introducta.

Per animi affectum excedentem in parte dictâ humoralem collectionem exoriri poſſe, non eſt quod mirum alicui videatur, etiam in aliis ſubjectis ſimilia iis quæ in hoc obſervare licuit, notabimus; At verò vitii principaliſſima cauſa hæmorrhoides exulceratæ, ex ſanguine acriori ortum ducentes, unde vicinarum partium corruptio. Exemplis variis quæ propoſuimus illuſtrare liceret, niſi ægrotantium plerique impedirent.

Sunt inquit ab Aquapendente, *qui ferrum pertimeſcant, & univerſi ſinus inciſionem à filo fieri expetant, quod non laudo, quia nimis moleſta & tarda eſt inciſio, & dolor aſſiduus & longa curatio.*

Partem hanc, in qua ulcera hæc fiſtuloſa occurrunt, ſenſilem omninò eſſe, variis exemplis verum eſſe comperimus; teſtatur idem memorabilis hiſtoria quam *Reverendus Pater Auguſtinus lib. de civit. Dei* 22. *cap.* 8. *de Innocentio* ſummè dolores fugiente proponit; hanc rerum Chirurgicarum cultoribus coronidis loco communicare placet, cum voto curationis, ſimilis omninò illi quam ſanctus Epiſcopus adducit.

Quis inquit *novit, præter admodum pauciſſimos, ſalutem qua facta eſt* Innocentio Advocato Vicariæ præfectûræ *ubi nos interfuimus & oculis aſpeximus noſtris; venientes enim de tranſmarinis, me & fratrem meum* Alippium, *nondum quidem clericos, ſed jam Deo ſervientes; ut erat cum*

totâ domo ſuâ, religioſiſſimus ipſe ſuſceperat, & apud eum tunc habitabamus: curabatur à medicis, propter fiſtulas quas innumeras atque perplexas habuit in poſteriore atque imâ corporis parte. Jam ſecuerant eum, & artis ſuæ cætera medicamentis agebant. Paſſus autem fuerat in ſectione illa & diuturnos & acerbos dolores, ſed unus inter multos ſinus fefellerat medicos, atque ita latuerat, ut eum non tangerent, quem ferro aperire deberent. Denique ſanatis omnibus, quæ aperta curabant, iſte remanſerat ſolus, cui fruſtra impendebatur labor. Quas moras ille ſuſpectas habens, multumque formidans ne iterum ſecaretur, quod ei prædixerat alius medicus domeſticus ejus, quem non admiſerant illi ut ſaltem videret cum primum ſectus eſt quomodo id facerent iratuſque illum domo abjeccerat, vixque receperat, erupit, atque ait: iterum me ſecturi eſtis? ad illius, quem noluiſtis eſſe præſentem, verba venturus ſum. Irridere illi medicum imperitum cœperunt, metumque hominis verbis promiſſionibuſque lenire, præterierunt & alii dies plurimi, nihilque proficiebat omne quod fiebat. Medici in ſua pollicitatione perſiſtebant, non illum ſinum ferro, ſed medicamentis eſſe clauſuros adhibuerunt, & alium grandævum jam medicum ſatiſque in illa arte laudatum, adhuc enim vivebat, Ammonium dico, qui loco inſpecto, idem quod illi, eorum diligentiâ peritiaque promiſit. Cujus ille factus authoritate ſecurus, domeſtico ſuo medico quod futuram prædixerat aliam ſectionem, facetâ hilaritate veluti jam ſalvus illuſit. Quid plura? poſtea tot dies inaniter conſumpti tranſierunt, ut feſſi atque confuſi faterentur eum niſi ferro, nullo modo poſſe ſanari. Expavit, expalluit nimio terrore turbatus, atque ubi ſe collegit, farique potuit, abire illos juſſit, & ad ſe amplius non accedere imperavit: nec aliud occurrit fatigato lachrymis, & illâ jam neceſſitate conſtricto, niſi ut adhiberet Alexandrinum quendam, qui tunc Chirurgus mirabilis habebatur, ut ipſe faceret quod ab illis fieri nolebat iratus. Sed poſteaquam venit ille, laboremque illorum in cicatricibus, ſicut artifex, vidit, boni viri functus officio, perſuaſit homini: ut illi potius, qui in eo tantum laboraverunt, quantum ipſe inſpiciens mirabatur, curationis ſuæ fine fruerentur: adjiciens quod revera, niſi ſectus eſſet, ſalvus eſſe non poſſet: ſed valdè abhorrere à ſuis moribus ut hominibus quorum artificioſiſſimam operam, induſtriam, diligentiam, admirans in cicatricibus ejus videret, propter exiguum quod remanſit; palmam tanti laboris auferret. Redditi ſunt animo ejus, & placuit ut eodem Alexandrino aſſiſtente, ipſi ſinum illum ferro, qui jam conſenſu omnium aliter inſanabilis putabatur, aperirent. Quæ res dilata eſt in ſequentem diem. Sed cum abiiſſent illi, ex nimio mœrore Domini, tantus eſt in domo illâ exortus dolor, ut tanquam funeris planctus, vix comprimeretur à nobis viſitabant eum quotidie Sancti Viri, Epiſcopus tunc Uſalenſis, beatæ memoriæ Saturninus, & presbiter Geloſus, ac Diaconi Carthaginenſis Eccleſiæ. In quibus erat, & ex quibus ſolus eſt nunc in rebus humanis jam Epiſcopus cum honore à nobis debito nominandus, Aurelius, cum quo-

que

que recordantes mirabilia opera Dei hâc de re ſæpè collocuti ſumus eumque valdè meminiſſe, quod commemoramus invenimus. Qui cum eum, ſicut ſolebant, veſpere viſitarent, rogavit eos miſerabilibus lachrymis ut manè dignarentur eſſe præſentes ſuo funeri potius quam dolori. Tantus enim eum metus ex prioribus invaſerat pœnis, ut ſe inter medicorum manus non dubitaret eſſe moriturum. Conſolati ſunt eum illi, & hortati ut in Deo fideret, ejuſque voluntatem viriliter ferret. Inde ad orationem ingreſſi ſumus. Vbi nobis ex more genua figentibus, atque incũbentibus terræ ille ſe ita projecit, tanquam ſi fuiſſet aliquo impellẽte graviter proſtratus, & cœpit orare. Quibus modis quo affectu, quo motu animi, quo fluvio lachrimarum, quibus gemitibus atque ſingultibus concutientibus omnia membra ejus, & pene intercludentibus ſpiritum, quis ullis explicet verbis? Utrum orarent alii, nec in hæc eorum averteretur intentio, neſciebam. Ego tum prorſus orare nil poteram, hoc tantummodo breviter in corde meo dixi, Deus quas tuorum preces exaudis, ſi has non exaudis? nihil enim mihi videbatur addi jam poſſe, niſi ut expiraret orando. Surreximus, & acceptâ ab Epiſcopo Benedictione, diſceſſimus, rogante illo ut manè adeſſent, illiſque, ut æquo animo eſſet, hortantibus. Illuxit dies, quem metuebant, aderant ſervi Dei, ſicut ſe affuturos eſſe promiſerant. Ingreſſi ſunt medici, parantur omnia quæ hora illa poſcebat, tremenda ferramenta proferuntur, attonitis, ſuſpenſiſque omnibus. Eis autem quorum erat major authoritas, defectum animi ejus conſolando erigentibus, ad manus ſecturi, membra in lectulo componuntur, ſolvuntur nodi ligamentorũ, nudatur locus, inſpicit medicus, & ſecandum illum ſinum armatus atque intentus inquirit; ſcrutatur oculis, digitiſque contrectat, tentat denique modis omnibus, invenit firmiſſimam cicatricem.

CAP. VI.

De Ambuſtione.

AMBUSTIO *continui ſolutio eſt, à materia externa adurente cauſata, Cuticulam ſemper, cutem plerumque, nonnunquam etiam muſculos, venas, nervos, atque tendines lædens.*

DIFFERENTIA. Ambuſtio triplex eſt. I. Aliquando ardor & dolor ſaltem in parte affecta, ab ambuſtione excitatur, & niſi ſtatim remedia adhibeantur, cuticula à vera cute ſeparatur, & abſcedit, ac veſicæ excitantur, in quibus aqua limpida continetur. II. Nonnunquam ipſa etiam *Cutis* aduritur, ſtatim hic veſica attollitur, & cruſta non inducitur. III. Quandoque ſubjecta quoque *caro* aduritur, cutis tum nigra evadit, ſenſum amittit, & poſtquam cruſta ſive eſchara decidit, ulcus ſatis

ſatis profundum relinquitur.

Hæ differentiæ ex *Cauſis* originem habent: Plumbum, ſtannum, ferrum, pulvis tormentarius, ignis fulminaris vehementer comburunt. Oleum, vernix, pix, cera, minus; ſtramen, aqua, linum, & hujuſmodi, adhuc minus.

SIGNA jam ſatis ſunt manifeſta.

PROGNOSIS. Ambuſtio gravis atque profunda turpes cicatrices relinquit. A fulmine quæ eſt, plerumque lethalis habetur. vd vaſa majora quæ penetrat, plerumque Gangrænam producit. Ad inteſtina penetrans incurabilis eſt: & oculos atque inguina occupans periculoſa eſt. Si cutis piloſę partis comburatur glabra manet, nec pili in ea regenerantur.

CURATIO. Prima cura ſit Empyreuma evocare, & ſic efficies, ne in levi ambuſtione puſtulæ & ulcera exoriantur, & in gravi ægrum majori malo liberabis. Statim itaque paratiſſima applicentur medicamenta, pars lęſa igni admoveatur, aqua calida, atramento, lixivio foveatur: vel fuligo, vel cœpa cum ſale aut alumine contuſa, vel aliquid ex ſequentibus imponatur.

Medicam. ad combuſtionem.

Radices lilior. alborum, Liquiritiæ. Folia Betæ, Braſſicæ, Cannabis, Cepa, Allium Hyoſciamus, Nicotiana, Porrum, Hypericum. Flores Chamomillæ. ſambuci. Semina Cydoniorum, Lini. Camphora Myrrha. Olibanum. Fuligo. Albumen ovi. Adeps ſuillus. Fimus columbinus, Ovinus, Gallinæ. Nitrum; Ceruſſa. Atramentum. Muria. Lixivium. Oleum Nucum, Raparum. Unguentum album Camphoratum. Emplaſtrum de minio.

Unguentum.

R. Succ. cæpar. unc. ij. Sapon. Venet. unc. iij. Salis commun. drachm. ij. Adipis ſuil. unc. ij. Calcis lotæ drachm. ij. Ol. rapar. Mucilagin. ſemin. cydonior. an. unc. j. Therebinthinæ q. ſ.

M. F. Linimentum.

Aliud, cujus ope miles pauper dives factus.

R. Fol. ſalviæ recent. M. j. Plantagin. M. ij. Butyri recent. non ſalit. unc. vj. Stercoris Gallinæ recentis, & quantum haberi poteſt albiſſimi unc. iij.

Frixentur per horę quadrantem, & expreſſio ſervetur uſui.

Ad omnis

Ad omnis generis ambuſtionem, graviſſimam licet, magnopere conducit hoc Unguentum liquefactum, pars læſa eo ſępius de die illiniatur, & deinde folium recens braſſicæ, betæ, aut Plantaginis ſuper imponatur.

Puſtulæ ſi adſint, nec tamen ambuſtio magna, tertio demum die aperiantur, non vero diutius apertio protrahenda, ne corroſio ſequatur. Cutis ſi corrugata atque exſiccata ſit, puſtulæ omnes ſtatim incidantur, & deinde aut modo dictum, aut ſeq adhibeatur Unguentum.

℞. Ol. violar. Lil. alb. Amygd. dulc. Butyri recent. non ſalit. an. unc. j. Mucilag. Sem. pſillij. Farin. alth. an. unc. j. ſ. Croci drachm. ſ. Fuligin. Vng. baſilicon. an. unc. j. ſ.

M. F. Vnguentum.

Cruſta, ſive eſchara ſi adfuerit, ſeparatio ejus primo aut ſecundo die procuretur, quod optime efficiet, modo præſcriptum Vnguentum, ſi ſeparari recuſet, inciſio ad carnem uſque ſanam inſtituenda eſt: jam autem ſeparata, ut ulcus commune tractari debet.

Gangræna ſi immineat aut adſit, curabitur eo modo, uti in antecedentibus tradidi.

Palpebræ, labia, digiti manus pediſvè ubi ambuſta, linteum mundum, aut lamina plumbea inter partem unam & alteram ponatur. Tenera ſi pars læſa ſit, abſtineat Chirurgus ab uſu cœpæ, ſaponis, ſalis, ſimiliumque medicamentorum acrium. Cicatrices turpes ne relinquantur, valde exſiccantia non ſunt adhibenda.

Cap. VII.

De Vlceribus particularibus.

IN *Vlcere Capitis* nec Pinguibus nec Repellentibus utere. Si humoris malignitas te ad *Mercurii* uſum impellat, optime ſit præparatus; nam crudus valde periculoſus eſt. Interim tibi etiam ab optime præparato cave, cum ulcera illas capitis partes occupant, in quibus ſuturæ conſpiciuntur: nam facillime ſalivationem excitares, quam poſtea ægre tollere poſſes.

Oculorum Vlcera cœcitatem plerumque relinquunt, Cornea tunica imprimis ubi tota ſit corroſa, nam hinc fit ut humor aqueus,

ſæpe etiam Cryſtallinus effluant. *Inflammatio* ut plurimum adeſt *dolorifica*, ante omnia mediis lib. 1. cap. 17. traditis tollenda eſt. *Vlcus* ipſum primo abſtergentia, & deinde cicatriſantia requirit.

Collyrium abſtergens.

R. Succin. alb. Myrrhæ rub an. ſcrup. ſ. Croc. Oriental. gr. vj. Albumin. ov. N. j. Sacchar. cand. drachm. j. Aq. Euphraſ. unc. ij. ſ.

Miſce.

Aliud.

R. Aloës, Thuris, Tutiæ præp. an. ſcrup. ſ. Vitri antimon. gr. vj. Gumm. Tragacant. ſcrup. j. Aq. Chelidon. unc. iij.

Miſce.

Vel

R. Corall. rubr. præp. Thuris an. drachm. ſ. Sief alb. Rhaſis, Corn. cerv. præp. an. ſcrup. j. Plumb. uſt. gr. xv. Antimon. crud. ſcrup. j. Mell. roſac. q. ſ.

M. F. Linimentum.

CicatriZans.

R. Plumb. uſt Sief alb. rhaſ. Sarcocoll. Sacch. ſaturn. an. ſcrup. ſ. Aq. roſ. unc. iv.

Miſce.

Narium ulcera plerumque odorem fœtidum ſpirant, qua de cauſa Ozœnæ appellantur. Originem trahunt ex humore acri, bilioſo, ſalſo, vel maligno, qui aliquando oſſa præſertim cartilaginem corrodit, & naſum fœda depreſſione deformat. Difficillime curantur, & ſubinde nos jubent totius corporis rationem habere. Ad minimum caput purgatione, corroboratione, & mediocri exſiccatione indiget.

Externa medicamenta. Abſtergentia ſint, & ob loci humiditatem, aliquomodo exſiccantia. Succus ſcarlææ melli roſaceo mixtus valde laudatur.

R. Pom. granat. diſſect. N. j. Lithargyr. an. drachm. ij. Minii drachm. j. Alumin. uſt. ſcrup. j. Merc. dulcis drachm. ſ. Sacchar. albiſſim. unc. j. Vin. Alb. Gallic. unc. vi.

Ebulliant parum, & Colatura ſervetur uſui.

R. Plumb. uſt. Ceruſſæ lotæ, Tutiæ præp. Lithargyr. an. drachm. ij. Cortic. Thuris drachm. j. Myrrhæ, Ariſtolochiæ rot. Mercur. dulc. an. drachm. ſ. Unguent. fuſc. Felic. VVurtz. drachm. iij. Alb. camphorat. q. ſ.

M. F.

M. F. Linimentum.

Suffitus pulveris ſeq. prunæ impoſiti præſtantiſſimus eſt, modo caute & non niſi ſemel, aut, ad ſummum bis, de die, uſurpetur, ne ſalivatio excitetur, quæ tamen ulcus ipſum curabit. Nucis avellanæ quantitas pro doſi ſufficit.

R. Benſoës, Sandarach. Maſtich. Thuris, Storacis an. drachm. j. Cinnab. factit. unc. ſ.

F. Pulvis pro ſuffimento.

Ulcera *Oris* ſæpius purgantia, aliquando Venæ ſectiones, & , ſi malignitas adfuerit, Decocta ſudorifera anti-venerea exigunt, quæ curationem optime perficiunt. *Externa.* media etiam abſtergentia ſint atque exſiccantia. Quod ſequitur ſemper cum fructu adhibui.

R. Fol. Quercus M. j. Flor. roſar. Balauſt. an. P. j. Cortic. granat. drachm. ij. Alum. uſt. ſcrup. ij. Vitriol. alb. ſcrup. ſ.

Coq. ex Vino rubr. Colaturæ unc. viij.

Adde

Mell. roſat. colat. Rob. diamor. an. unc. j.

M. pro Collutione.

Vel

R. Cretæ vulgar. Gypſi uſti, Minii, Alumin. uſt. an. drachm. j. Boli armen. drachm. ij. Mercur. dulc. drachm. ſ. Vitriol. ſcrup. j.

Coq. ex vino albo Gallico. Colaturę unc. x.

Adde

Syr. de ſymphyto Fern. unc ij. ſ.

M. pro Collutione.

Vel

R. Gypſ. uſt. Flor. ſulphur. Bol. armen. Thuris, Radic. conſolid maj. Cortic granat. an. drachm. j. Alumin. uſt. ſcrup. ij. Ærugin. æris drachm. ſ. Mell. roſac. q. ſ.

M. F. Linimentum.

Vel

♃. Unguent. fuſc. Felic. VVurtz drachm. iij. Mell. roſat. colat. drachm. ij.

M. F. Linimentum.

Suffimentum ulceribus Narium dicatum, ut & atramentum com-

mune hoc in caſu valde proſunt. Verum Ulcera ſi medicamentorum viribus non obediant, Cauterium actuale adhibeto.

Veſicæ ulcus & moleſtum & plerumque inſanabile, ex vulnere, calculo, humore acri, aut medicamento diuretico originem trahens, medicamenta tum externa, tum interna requirit, quæ ne limites noſtros tranſgrediamur, Medico præſcribenda relinquimus, pauca tamen, quorum virtus nobis aliquoties fuit probata in medium producam.

R. Rad. ariſtoloch. rot. Conſolid. maj. Oſmund. regal. an. drachm. ſ. Myrrhæ, Thuris, Styracis, Maſtich. Gumm. Tragacant Semin. papaver. alb. Hyoſcyam. an ſcrup. j Succ. liquirit. drachm ſ Therebinth Venet. q. ſ.

M. F. Pilulæ magnitudine piſi minoris. Vel

R Trochiſc. alkekeng. De Carabe Gypſ. uſt. an. drachm ſ. Boli Armen. Terræ ſigillat. Cranii human an drachm j. Therebinth Venet q. ſ.

M. F. Pilulæ piſi minoris magnitudine.

Pilularum harum, vel priorum, ſingulis diebus mane & veſperi æger ſex ſumat.

R. Aq. Calc. viv. unc. iij. Plantag unc. ij. Sief alb. rhaſ. drachm j.

M. pro Injectione.

Singulis diebus ter quaterve uſurpanda.

Per aquam calcis vivæ hoc loco nihil aliud intelligo quàm aquam communem, in qua parum calcis vivæ extincta eſt. Verum prudenter tibi cave, ne nimis acris reddatur.

Colli Veſicæ Vlcera iiſdem mediis etiam curantur, & quidem facilius, imò longe adhuc facilius, quæ *penem* infeſtant, etiamſi ex gonorrhæa virulenta contracta. Hæc ab aliis & per locum dolentem, & per effluxum materiæ, ante vel poſt urinæ excretionem diſcernere poſſumus. Niſi mature ea curare ſtudueris, ad interiora proſerpet malum, & vel veſica vel perinæum perforabitur. Nonnunquam Caruncula una aut plures hîc ſe offerunt, quas, quia medicamentis tollere non ſemper licet, Chirurgia aufert ope inſtrumenti à *Paræo* aliiſque deſcripti. Sæpiſſimè tamen excreſcentias ejuſmodi integre curavi uſu ſuppoſitoriorum exilium ex Unguento ſeq. coctione leni incraſſato.

R. Vng fuſc. Fel. VVurtz. Mell. roſar. col. an drachm. ij.

M. F. Vn-

M. F. Vnguentum.

Antequam penis ulcera ejuſmodi carunculam exc itent, decocta vulneraria atque ſudorifera anti-venerea valde præſtant, dum externe hæc media adhibeas.

R. Lithargir. aur. Flor. Sulphur. an drachm. iij. *Tutiæ præp. drachm.* ij. *Minii drachm. ſ. Vnguent. Ægyptiac. drachm.* j. *Mell. roſat. q. ſ.*

M. F. Vnguentum.

Illiniatur hoc unguento candela cerea exilis valde, & in urethram immittatur bis terve quotidie iterando, uſque dum ſatis ſit mundificata. Ejus conſolidatio nullo medicamento melius abſolvitur quam eo, quod ſupra lib. 2. cap. 7. Mercurii Amalgama appellatur, præſertim ſi unguento Diapomph. admiſceatur, & eo candela cerea inungatur.

Vlcera in Vteri collo, licet parvi momenti videantur, difficillimè curantur, imò ſi negligentius tractentur, graviſſima Symptomata & morbos atque aliquando Gangrænam excitant. Poſt purgationem, venæ ſectionem, decocta vulneraria & venerea, ſequentia media ſunt adhibenda.

♃ *Rad. Iridis pulveriſat. Lithargyr. aur. Flor. ſulphur. an. drachm.* ij. *Maſtiches drachm.* j. *Merc. dulc. unc. ſ. unguent. fuſc. Fel. Wurtz. drachm.* ij. *Mell. roſat. q. ſ.*

M. F. Linimentum.

Suffimentum.

R. Gumm. Iuniper. unc. j. *Maſtich. Myrrh. Ladan. an. drachm.* ij.

M. F. Pulvis.

Quod ſi ex lue Venerea originem trahant, huic pulveri Cinnabaris drachm j. adde, & bis de die pro ſuffimento utere.

Pedum Vlcera, imprimis quæ tibiæ anteriora occupant, multum laboris & moleſtiæ Chirurgo creant, quia corporis univerſi humores ſemper ad illas partes defluunt: & hæc cauſa eſt, quare optima quæque remedia reſpuat. Verum ſi pes ab inferiori parte ad genu adſcendendo arctius conſtringatur, ægroque ſemel aut bis quavis ſeptimana purgatio exhibeatur, curatio ex animi ſententia ſuccedet.

Plumbi lamina. Emplaſtr. de Plumbo, Diapomphol. de Minio,

Griſeum, aut ſeq. hoc in caſu aliis præferatur.

♃. Emplaſtr. de Plumbo, Griſ. an. unc. j. Lithargyr. auri, Ceruſ. an. drachm. iij. Sacc. Saturn. drachm. ſ. Gumm. Elem. drachm. ij.

M. F. Emplaſtrum.

Aliud, in his, aliiſque ulceribus malignis valdè efficax.

R. Stercor. canin. Spumæ marin. an. unc. j. Ol. amygd. amar. unc. iv. Axung. ovis unc. vj. Ceræ alb. q. ſ.

M. F. Emplaſtrum.

Cui, pro libitu, Vng. diapomp. aliquid addi poteſt.

Fac. Totum, Magiſtri Chriſtiani.

♃. Ol. roſar. unc. xij. Ceruſſ. Mucag. rad. Conſol. an unc. vj. Ceræ alb. unc. iv. Lithargyr. aur. Minii, Lap. calamin. an. unc. iij.

M. F. ſ. a. Unguentum.

Aliud.

R Flor. roſar. rubr. unc. j. Balauſt. drachm ij. Sambuc. unc. j. ſ. Rad. Tormentill. Ariſtol. rot. Piper long. Lap. calam. an. unc. j Tutiæ præp. drachm ij. Boli Arm. unc. ſ. Lithargyr. aur. & arg. an. unc. j. ſ. Aq. roſ. unc. v. Vini albi Gall. unc. xij.

Miſce.

Finis Libri Tertii, Partis Secundæ.

CHIRVRGIÆ BARBETTIANÆ PARS TERTIA.

SEV

ANATOMIÆ PRACTICÆ LIBRI QVINQVE.

QVORVM

I. Agit De Partibus in Genere.
II. De Capite.
III. De Thorace.
IV. De Infimo Ventre.
V. De Artubus.

AVCTORIS PRÆFATIO AD LECTOREM VERITATIS STVDIOSVM.

QVemadmodum *Chirurgia Medicinæ pars eſt, quæ nequaquam ab illa ſeparari debet, ita etiam ille nequaquam ſibi imaginetur, ſe poſſe periti Chirurgi nomen mereri, niſi partem aliquam intelligat, & præſertim Anatomiam, unicum Chirurgiæ fundamentum. Sed quandoquidem quorundam præſtantiſſimorum Anatomicorum ſtudium multa & præclara felici hoc noſtro ſeculo invenerit, veteribus prorſus ignota (licet inepte quidam contrarium affirment, magno conamine iis adſcribentes talia, quæ ipſi per inſomnium ne quidem in mentem venère, quæ ſanè non pro ingenioſiſſimis ſubtilitatibus, ſed tanquam regulæ fundamentales & cynoſura, per immenſum hujus artis Oceanum navigaturis, ſunt habenda: unumquemque ſumma ope niti decet, ut eaſdem emendet, & magis ac magis in luminis*

oras

oras protrahat; quod tandem fiet, ſi omni labore, ſtudio, ingenioque incognitas Microcoſmi regiones & tractus inveſtigemus, & non tanquam pigri alienis bobus agrum noſtrum aremus, ſolummodo authoritati præcedentium ſcriptorum innitentes, quam ſapienter eruditi aſinorum pontem nominant. Ad me quod attinet, auſus fui novas quaſdam opiniones introducere, quia exiſtimabam eas in rerum natura te, & me, & alios antiquitate ſuperaſſe: eodem labore in eam inquirendo forſitan eaſdem opiniones amplecteris. Illa de Sanguinis circulatione *opinio, jam per totam Europam longe lateque diſperſa eſt: imò Principes in illuſtriſſimis Academiis Profeſſores, eam uno quaſi ore omnes comprobant* Salivæ Lymphæque *ductus, majores item & minores* venæ Lacteæ *tam evidenter demonſtrantur, ut unico quaſi oculo intueri poſſint. Proprias meas & ſpeciales opiniones rationibus confirmavi, quas noſtræ arti convenire exiſtimo. In reliquis tamen, ſi quid novi reperias, non aliud erit, quam quod ſectionibus demonſtrari poſſet: quæ alii alio tempore ſcripſerunt, etiam nobis placent; nam corporis humani partes mutare nec potui nec debui. Diſpoſitio nihilominus ingenii mei fœtura eſt, quæ te multo labore & moleſtia liberaturum ſpero.*

Nam primo partes ſimplices, earumque affectiones & uſum prolixius tradere operæ pretium duxi, ne in ſequentibus eadem centies repetere neceſſe haberes.

Hunc in finem vocabula noſtræ artis antiquioribus Latinis ſcriptoribus uſitatiſſima retinere volui.

Deinde Sanguinis elaborationem ob oculos pono, quæ propriè univerſæ Medicinæ fundamentum eſt, quæque doctorum ingenia ſatis diu multumque torſit. O feliciſſimum qui metam proximè attigerit!

Porrò omnes Capitis, Thoracis, Abdominis Artuumque partes externas ſuis locis ita deſcripſi, ut nullam omnino ſeparaverim, & non neceſſe habeas alteram hic, aliam alibi inveſtigare.

Sed ut hæc cognitio tanto plures produceret fructus, ejus uſum in Chirurgia demonſtrare volui, quem benè applicaturum te ſpero, & mecum operam daturum, ut imperfectionem hanc, quantum poſſis perficias.

ANATOMIÆ PRACTICÆ.
LIBER I.

CAPUT I.

PROOEMIUM.

QVi exactam ſui ipſius cognitionem deſiderat, huc adſit; & diligentiſſimè Microcoſmum perquirat, qui ipſum docebit, quo pretio Microcoſmus ſit æſtimandus. Cui Creatoris architectura nulla arte emendanda, animę ſuę eſſentia nullis cogitationum viribus comprehendenda, & terreſtris ſui domicilii fragilitas eum docebunt, quæ ſupra ipſum ſunt pluris æſtimare, iis quæ intra conſpiciuntur meliùs uti, & proxima æquiori animo tolerare, & licet tanquam peregrinus hic obambulet, hæc tamen efficient, ipſum non eſſe peregrinum in perneceſſaria ſui officii cognitione, qua in aliorum emolumentum & ſui ipſius bonum optimè uti noverit, ſi ipſe diligenter inquirat, ex quibuſnam ſui corporis fabrica partibus conſtet. Hunc in finem primò partes ſimplices earumque uſum deſcripturi ſumus: deinde, præmiſſa totius corporis diviſione compoſitas omnes ſuo loco demonſtrabimus.

Vſus Chirurgicus.

Cum magnopere neceſſarium ſit, ut primo quaſi intuitu hominis naturam & temperamentum poſſis cognoſcere, quæ tibi in tractandis morbis legem ponunt, ſigna eorum ſtatim in principio hujus tractatus exhibere placuit.

1. SANGUINEI, ſive illi in quibus ſanguis prædominatur, pilis abundant, & his quidem planis atque flavis, qui in quibuſdam ſucceſſu temporis nigreſcunt. Plerumque forma ſunt venuſta; malis præditi rubicundis, carnoſi, robuſti, & juvenilibus adhuc

annis ad venerem apti; ſed laborem ſubterfugiunt: Sudant facilè, anheloſi, in converſationibus humani & affabiles, & ſuſpiciones magnas non nutriunt: in riſum & lachrymas proni; quietè dormiunt, & inſomnia iis ſunt placida & jucunda. Pulſus validus eſt & magnus: urina flava atque copioſa, & alvus naturæ reſpondet. Odio perſequuntur ſexum fœmineum, ſed præſertim cùm de eo haud cogitant.

Optimè ferunt venæ ſectionem, ſi eorum ſanguinem non intempeſtivè & nimis liberaliter profundamus: aliàs enim facillimo negotio in hydropem prolabuntur. Purgantia vehementiora, ſcilicet, *Euphorbium*, *Scammonium*, *Colocynth.* &c. & quæ ex iis conficiuntur, minimè ferunt, & iis facile turbantur. Sed bene ſe habent cum facilè purgantibus, qualia ſunt Crem. Tartari, Manna, Tamarind. Pruna, Syr. roſ. ſol. cum Senna, de cich. cum Rheo, pulpa caſſię, Elect. diacarthol. Lenitiv. In morbum facilè incidunt, & facilè reconvaleſcunt.

2. Cholerici pilos habent nigros & ſæpenumero etiam criſpos: facie præditi paſſea; pingues minus, at corpore valde robuſti: uxorem cum ducunt, ſanitati non officiunt: ingenioſi ſunt, & in actionibus celeres: otium & pigritiam oderunt: verbis geſtibuſque hominum parum fident: libenter rident, ſed occaſione illud poſtulante, aliàs enim ſeriam induunt faciem: irritati, recalcitrant: propenſiores quoque in potum vigiliaſque, quàm cibum & ſomnum. Inſomnia de igne, tonitru, litibus, pugnis. Pulſus validus, celer, magnus. Vrina tinctior, ſimiliter & homerda.

Bilis venæ ſectionem non poſtulat, attamen fert eam, præſertim cum ſanguis ei ſit conjunctus: ſed cave, ne medium tranſilias, & plus juſto venæ ſectionem iteres, ne bilis malignitatem ſuam prodat. Purgantia lenia eam mitigant: ac fortiora corpus irritant. Morbos producit vehementes, periculoſos & plerumque breves.

3. Phlegmatici pilos geſtant longos, planos, ex albo flaveſcentes, facilè decidentes, & facilè iterum prodeuntes. Pallet facies, friget corpus & eſt valde debile: tardè matrimonium appetunt & facilè eo debilitantur: pigri, & in actionibus perficiendis tardi: in converſatione familiari non ſatis compoſiti, & de publicis nego-

tiis

tiis parum ſolliciti: raró rident, & raró iraſcuntur: & ſi omnino ſint irati, facilè litem componunt. Cibo potuque parcè utuntur, ſed in ſomnum proni: inſomnia de piſcibus, aqua, pluvia; pulſus parvus & tardus: urina pallida & ſubinde tenuis, ſed plerumque craſſa & turbida, alvus lubrica & larga.

Illud hominum genus Venæ ſectionem ægrè feret, niſi in certis caſibus: purgationem, licèt vehementiorem, meliùs. In morbos quidem longos incidunt, ſed minimè periculoſos.

4. MELANCHOLICI pilis fermè deſtituuntur, eos habent planos atque nigros: torva ipſis facies; livida tota cutis: corpore macilenti, tardi, & in Venerem proni: pigri, ſed in actionibus prudentes: in converſatione moroſi: aliis conſilia dare aptiores quàm ſibimet ipſis: riſus rarus, & rara ira, ſed non facilè placabilis: multa edunt, multumque dormiunt: urina copioſa; alvi excretio parca: Inſomnia gravia: pulſus parvus, tardus, durus.

Sanguinis emiſſio ipſis nocet, ſed purgationes proſunt: pertinacibus laborant morbis atque diuturnis; & in fine multò periculoſioribus, quàm in principio exiſtimaveras.

Generaliora hæc ſigna vulgò ſatis lucis & certitudinis exhibent, ſed hoc imprimis obſervari debet: temperamenta ſæpiùs commiſceri, & idem etiam circa ſigna contingere videmus. Præterea vitia & ſimulatio, æquè ac virtutes & ingenium, multas variaſque mutationes introducunt, quæ cum judicio ſunt diſtinguendæ: in eo enim Galeno aſſenſum præbere nequeo, mores temperamentum corporis ſequi.

CAP. II.

De Partibus in genere.

PArs (propriè dicta) *corpus eſt firmum atque definitum, quod cum aliis viventibus nutritur, ſed non nutrit, in commodum totius ſpecialem uſum & operationem habens.*

Diſtinguitur. I. In partes Principes & minus Principes. Principes ſunt quæ præcipuam quandam & toti corpori communem operationem perficiunt, ut Cor, Jecur, Cerebrum, teſtes: *Minus Princi-*

pes quæ principibus inſerviunt, unde etiam *miniſtra* appellantur, ut oculus, manus, auris, &c. Hanc diſtinctionem adhibuerunt Anatomici ante annos plurimos, quos magni facio & faciam, ſed ut verum fatear, mihi ſemper diſplicuit. Quòd ſi Cor & Hepar principibus partibus annumerentur, idcircò quòd ſanguinem in commune bonum elaborent, cur non item Lingua pro parte principe erit habenda? Nam præterquam quòd loquelæ inſtrumentum ſit, qua à brutis animalibus diſtinguimur, ejus etiam ope optima alimenta eligimus, ſine quibus Cor & Jecur bonum corpori nutrimentum ſuppeditare non poſſent. Cerebrum omnia gubernat, ſed quomodo valeat, indica, cum inteſtina deſtinatam à natura operationem non perficiat? Quid æſtimandum eſt, ſi oſtreæ inſtar, oculis auribuſque careremus? Quam abjecti videntur manus pedeſque, at quam multis modis nobis inſerviunt? His ſe non moventibus & chylificatio imminuitur, & Sanguis ſpirituſque craſſiores gignuntur, & cerebrum ad omnes actiones ineptum prorſus redditur. Quàm brevi noſtri corporis Lympha eſſet corrupta & fœtida, niſi etiam, præter motum proprium, cum toto corpore moveretur? Omnia in corporali hoc horologio cohærent: alterum ſine altero nihil præſtat: minima rota adeò neceſſaria eſt quàm horarum Index; cujus tamen abſentia totum horologium parvi facere nos commoveret.

II. In partes *Similares* & *Disſimilares*. Pars Similaris eſt, quę in plures partes diviſa, quarum ſingulæ tamen ejuſdē ſunt naturæ cum toto.

Disſimilares conſtant ex ſimilaribus pluribus aut potioribus, quemadmodum manus, digitus, pes.

Similares in corpore decem numerantur: Os, Cartilago, Ligamentum, Membrana, Fibra, Nervus, Vena, Arteria, Caro, Cutis. Octo priores ex ſolo ſemine conſtant, Caro ex ſolo Sanguine, Cutis ex utroque.

Partitio hæc difficultatibus multò majoribus obnoxia eſt, quàm præcedens, verùm cùm eam abſque ſumma Praxeos confuſione rejicere non poſſimus, rem ipſam ſpectabimus, quæſtionem de nomine Scholis tradentes.

Vſus Chirurgicus.

I. *Pars princeps* affecta ſive læſa ad finem curationis uſque periculo-

ſa

ſa eſt: quare nihil prædicendum moneo, niſi cum limitatione quadá, ne ſubitanea mutatio tibi magis, quàm ipſi morbo adſcribatur.

II. Partes Similares læſę ſemper in minori verſantur periculo quàm Diſſimilares; imo ſæpenumero meliùs medicamentis ſimplicibus curantur, quàm compoſitis. Sympathia tamen partium, ob ſpiritus vitales atque animales tanta eſt, ut vix læſi articuli digitum curare poſſis, niſi etiam totius rationem habeas. Præterea & partes ligamentis, tendinibus, & membranis tam arctè ſibi invicem adhærent, nerviſque & vaſis ſanguineis adeo ſunt connexæ, ut ſæpius etiam leviter læſa graviſſima ſimptomata moveant, ſi circa omnia non accuratam curam adhibueris.

Cap. III.

De Oſſibus.

Os ſimilaris pars eſt, frigida & ſicca, conſtituta ex ſemine, ut corpus redderet firmum, & ejus motum adjuvaret.

Naturaliter I. durum eſt: II. Perioſtio inveſtitum: III. Album, rubedine aliqua interſtinctum: IV. cavum aut ſpongioſum: V. circa extremitates cartilagine incruſtatum: VI. læve: VII. pingui humore humectatum.

Nutritur à ſanguine per arterias (quæ ubique, præterquam in maxilla inferiori tam exiles exiſtunt, ut eas omnino oſſibus denegent ſcriptores magni) ſed præſertim à medullâ in oſſibus contenta.

Medulla hæc membrana continetur, & omni prorſus ſenſu caret. In fiſtulis majoribus rubicunda eſt, in minoribus alba, in oſſibus ſpongioſis mollis atque ſucculenta.

Senſum à tunica tegente mutuatur, nervos enim vel acutiſſimus nondum vidit. [a]

Connectuntur oſſa partim ad firmitatem majorem, partim ad meliorem motum.

Conjun-

[a] Quibus natura progrediatur paſſibus in efformandis oſſibus è ſucco ſalino concreſcibili viſcoſioribus quibuſdam ſanguinis particulis admiſto & per arterias advecto: hiſtoricè deſcribit Curioſiſſ. Kerckringius, in ſua Fætuum Oſteogenia. Nos ex Illuſtriſſimo Malpighio aliquid ulteriùs demonſtratori, aſſerimus, oſſa Fætus propè omnia, ſed Cranium præcipuè filamen-

Conjunctio quæ eſt ad firmitatem eorum *Symphyſis*, dicitur, eſtque ſextuplex.

I. *Sutura*, qualis eſt in oſſibus Cranii.

II. *Harmonia*, quæ eſt per lineam, rectam aut obliquam, qualis in maxillâ ſuperiore.

III. *Gomphoſis*, qualis dentium cum maxillis.

IV. *Synchondroſis*, quæ fit mediante cartilagine, ut in oſſibus pubis, ſterno.

V. *Syneuroſis*, quæ ope ligamenti, ut oſſis femoris cum Iſchio.

VI. *Syſſarcoſis*, quæ acceſſione carnis, ut in oſſe hyoide.

Conjunctio quæ ad motum *Articulatio* vocatur, eſtque duplex 1. *Diarthroſis*, ſ. articulatio laxior, & 2. *Synarthroſis*, ſ. articulatio ſtrictior.

Utraque tribus modis perficitur. Horum I. *Enarthroſis*, cum ſinus os excipiens magnus, proceſſus oſſis excipiendi inſignis. Qualis eſt femoris cum acetabulo Iſchii.

II. *Arthrodia*, cum ſinus ſuperficialis, proceſſus minor, qualis eſt in occipitis oſſe, & vertebra primâ colli, &c.

III. *Ginglymus* cum os unum excipit ſuo ſinu proceſſum alterius, & contra os alterum ſuo ſinu proceſſum prioris. Qualis in oſſe femoris & tibia, in humero & ulnâ.

Numerus oſſium in pueris major eſt quàm in adultis, nam ſucceſſu temporis, plurima eorum firmiter adeò coaleſcunt, ut ſeparari am-

pliùs

filamenta primò exhibere, quæ filamenta non omnino ſibi parallela ſunt, & hinc inde breves appendiculas filamentoſas promunt, quibus invicem colligata rete efformant parum à libri, ſeu ſubtilioris arborum corticis natura diſtans, cujus potiores areæ, & tota fibrarum compages exudante oſſeo ſucco, mox memorato repletur & tumet. Succeſſivis autem incrementis nova fibrarum plana ſuper induci quæ præexiſtenti lamellæ, ſeu membranæ, oſſeo agglutinata ſucco, debitam molem & firmitatem excitāt, & in vera abeunt oſſa, quæ quotidie novo à fibris deſcriptis percolato; ſucco oſſeo, eoque in interſtitia affuſo ad extremum uſque ſenium dureſcunt ea propè ratione qua videmus ligna admiſſis in variis interſtitiis & poroſitatibus ſuis, aquarum quarundam ſalinis particulis, lapideſcere, imò aliquando ferream naturam induere. Patent ſingula plana & filamenta deſcripta, reſolutione facta per longam macerationem; integræ namque oſſeæ reticulares bracteæ ſic evellentur; In Abortibus verò, in cranio inchoatum rete evidenter conſpicitur.

* *Su-*

pliùs nequëant; in his quoque imminuitur numerus, cùm proceſſuum variorumque oſſiculorum nulla omnino habeatur ratio. Hinc eſt quod alii 360. alii 304. alii 249. oſſa numerent.

Vſus oſſium 1. Fundamentum præbere corpori. 2. Cum carne eidem formam dare. 3. Motum adjuvare. 4. Partes varias defendere.

Oſſa licèt ſuis locis in ſpecie nobis deſcribenda, attamen cùm Anatomicus perfectus evadere nullus poſſit, niſi ante omnia optimè oſſa cognoverit SCELETON hîc loci exhibere conſultum judicamus.

CAPITIS oſſa dividimus in *Cranium & Maxillas.*

Cranium octo oſſibus conſtat:

1. *Os Frontis.*
2. & 3. *Oſſa Syncipitis.*
4. & 5. *Oſſa Temporum.*
6. *Os Occipitis.*
7. *Os Sphænoides.*
8. *Os Ethmoides*

Maxilla ſuperior XI. oſſibus conſtat utroque nempè latere quinque ſunt, quibus accedit unum, impar Horum.

1. 2. *Os Zygomaticum.*
3. 4. *Lacrimale.*
5. 6. *Os Maxillare.*
9. 10. *Palati.*
11. *Vomer.*

Maxilla inferior unico tantum oſſe gaudet, ſuis alveolis excipiens *Dentes* 32. quorum.

4. *Primores.*
2. *Canini*, ſ. *Oculares.*

Reliqui omnes *Molares* ſ. *Maxillares.*

Auris internè IV. oſſicula continet, quæ vocantur.

1. *Malleus.*
2. *Incus.*
3. *Stapes.*
4. *Os Orbiculare.*

Os unicum exhibet os, *Hyoides* dictum.

COLLUM. Vertebris componitur ſeptem, ex his

1. *Altas*

1. *Atlas* dicitur.
2. *Epiſtropheus.*
3. *Axis.*

Reliquæ nomine carent.

PECTORIS oſſa ſunt,
ſuperius *Claviculæ duæ*,
in latere *Coſtæ veræ* XIV. *Spuriæ* X. in univerſum XXIV.
anterius *Sternum* cum *cartilagine enſiformi.*

DORSUM parte ſuperiore *Scapulas* duas offert.
mediâ *vertebras* XII.

ABDOMEN poſterius exhibet *Vertebras lumborum* V. quibus cohæret
Os Sacrum, uti huic.
Os Coccygis.

A latere oſſis ſacri Os innominatum, ſ. Coxæ, quod dividitur.
1. in *Os Ilium*, quod maximum eſt.
2. *Iſchium*, quod infimum.
3. *Pubis*, quod anticum.

BRACHIUM unico oſſe conſtat, quod *Os Brachii*, ſ. *Humerus* vocatur.

CUBITUS duobus, quorum ſuperius *Ulna*, inferius *Radius*.

CARPUS *octo* oſſicula continet, quibus nomina nondum impoſita ſunt.

METACARPUS quatuor.

DIGITI quindecim, quivis enim internodia tria habet.

Præter hæc circa articulos digitorum *oſſa Seſamoidea* X. XII. XV. aut XX. reperiuntur.

FEMORIS os unicum eſt.

CRUS duplici oſſe conſtat, horum unum, quod internum, *Tibia*, alterum, quod externum, *Fibula*, dicitur.

Hæc inter & os femoris anterius collocatur *Patella*.

TARSUS ſeptem oſſa habet, quæ ſunt.
1. *Tarſus*, ſ. *Aſtragalus.*
2. *Calx*, ſ. *os Calcis.*
3. *Os Naviculare*, ſ. *Cymbiforme.*
4. *Os Cuboides*, ſ. *Teſſeræ.*
5. 6. 7. *Oſſa Cuneiformia* ſ. *Sphænoidea.*

META-

METATARSUS oſſa exhibet. V.

DIGITORUM oſſa XIV. ſunt, in Pollice enim duo tantum.

Oſſa Seſamoidea & hîc X. XII. aliquando XV. aut XX. inveniuntur.

Uſus Chirurgicus.

Variis Oſſa obnoxia ſunt morbis: Eorumque *Fracturas*, *Luxationes* & *Cariem* curare docuimus. Sed cùm Caries variis gignatur modis, quoſdam, noſtra animadverſione imprimis dignos, deſcribere animum meum induxi.

Humores præternaturales quavis de causâ, ſive generali, ſive ſpeciali, os penetrantes, quandoque *hyperſarcoſin ulceroſam cum oſſis humiditate*, aliquando *Oſſis cancrum*, ſ. *Spinam ventoſam* producunt affectus neceſſariò diſtinguendos. Quos quia nullus Medicorum ex profeſſo deſcripſit, ea communicare libet, quæ & ratio & experientia nos docuerunt.

HYPERSARCOSEOS ULCEROSÆ, CUM OSSIS HUMIDITATE, (quod vitium Belgis *een Beenſuyger* appellatur,) *Cauſa* phlegma p. naturale, oſſis temperiem atque duritiem auferens. Molliori huic fundamento caro inſiſtere nequit, unde naturalem ſuam eſſentiam etiam amittit; nutrimentum ipſius ex ſanguine conſtans, in Sarcoma molle, ſpongioſumque tranſit; hoc ſenſim incrementum ſumit, tandemque ulcerationem ſecum adfert, qua tendines, ligamenta & nervi corrumpuntur, membrumque totum periculo ſubjicitur.

Medicamentis non eſt quòd hìc aliquid laude dignum effici poſſe tibi perſuadeas, antequam fundum, hoc eſt, os ipſum, attigeris. Oſſe enim curato, illicò & ulcus curabitur, & caro naturalem conſtitutionem induet. *Inciſione* itaque hìc opus profundâ adeò, ut os ipſum in conſpectum veniat; quod ſi excreſcentia magna nimis concomitetur, fiat *exſtirpatio* ejùs, ſi verò, repullulare obſervetur, *Cauterium actuale* planum applicetur, habitâ ſemper oſſis conſideratione.

Medicamenta Cariei dicata jam ſatis & à nobis & ab aliis deſcripta ſunt *Carnis excreſcentiam* optimè coërcet Ol. vitrioli, Ol. Antimonii, Spir. Vitrioli, Ung. Ægypt. Fuſcum Fel. Wurtz, imprimis hìc pulvis.

Vu ♃. Pulv.

℞. Pulv. reſtaurativ. unc. j. Vitrioli alb. drachm. j. Arſen. præp. drachm. ij. Miſce.

Inſpergatur Carni non ſanæ, ſuperimpoſito Empl. ſiccante, & eſcharam efficiet profundam ſatis ſine inſigni dolore, quæ poſtero die forfice ſine dolore auferri poteſt.

II. Cancri Ossis, (Belgis dicti *een Beenvreter*,) *Cauſa* humor acris, primo os corrumpens, mox perioſtium perforans. Hic ulcus ſtatim accedit & carnis & cutis, quod etiam curari non poteſt, niſi priùs ipſum os curaveris. Vlceris foramen valde exiguum eſt, labia palient, materia effluit tenuis, caro mollis & aliquomodo tumefacta, at minimè, ut in *Hyperſarcoſi ulceroſa* fieri diximus, ſuâ ſponte increſcit.

Et hîc quoque ſectione, ſed per osſis longitudinem, uſque ad ipſum os, curatio eſt molienda, & mox corruptionem corrigentia applicanda, ſcilicet: Euphorbium, Spir. Vitrioli cum Spirit. Vini mixtus, &c.

Plurimum hac occaſione præſtitit Therebinthinæ, coctione induratæ, pulvis, unguento Fuſco Fel. VVurtz aut Ægyptiaco mixtus. *Cauterium actuale* etiam aliquando neceſſarium eſt. Acceleratur quoque Curatio, quoties, loco turundæ, ex plumaceolo parandæ, Medulla Sambuci uſurpatur, eò quòd hæc humores acres tenueſque imbibat, & ſic naturæ præbetur occaſio, ut tantò commodiùs opus ſuum perficiat.

Cùm autem hęc mala ferè ab intemperie univerſæ maſſæ ſanguineæ dependeant, quin uno Cancro vix curato, alius loco alio ſe prodat; ſummopere neceſſarium exiſtimo, ut etiam medicamenta quædam præparentur, quibus toti corpori auxilium feras, quod ſequentia pręſtabunt.

℞. Rad. Conſol. maj. Oſmund. regal. Chinæ. Salſæ parill. an. unc. j. Cortic. lign. Guajac. raſ. unc. ij. Rhabarb. opt. drachm. vj. Fol. Sennæ mundat. drachm. x. Agaric. leviß. drachm. vj. Caryophyllor. drachm. j. Cinnamom. drachm. ij.

Infuſa horis 24 in ſ. q. Aq. hordei tepidæ Coq. lento igne, & Expresſioni lib. 14.

Adde

Syr. de Symphyto Fernel. unc. iv.

M. F.

M. F. *Apozema.*

Sumat ejus æger, ætatis adultæ uncias iij. iv. v. leniter purgabit, curationem promovebit, & à novo morbo præſervabit. [b]

III. Oſſa

[b] *Super oſſis cancro ſequentem habet obſervationem Peritiſſ. Job. à Meek'ren.*

Celeberrimus & in arte Chirurgica exercitatiſſimus *D. Marcus Aurelius Severinus* ſingulari *de abſceſſibus tractatu* tumores nodoſos varios, in manibus, pedibus, digitis, pollice occurrentes deſcripſit, qui membrorum ſummam induxerunt deformitatem, eò quod præter modum, ligamentis, carnibus, cute extenſis, dilatarentur.

Hujus conditionis abſceſſus erat quem in ruſtico 50. annor. 1642. Patavii vidit magnus *Bartholinus*, ut habet *cent.* 2. *hiſt.* 53. *cui ab annis duobus pollex in tantum tumorem excreverat, ut caput hominis exæquaret, & præter unguem nihil digiti conſpiceretur.*

Prætermittere nequeo, quin hic exhibeam digitum monſtroſæ figuræ, in ſartore quodam *Eduardo Willemſon*, ablatum, ponderis viginti unciarum.

Contraxerat hic exiguum in digito medio manûs ſiniſtræ circa articulum majorem tumorem, cujus curam ipſe primò, hinc circumforanea quædam, habuerat, varia applicando Emplaſtra & Cataplaſmata, unde ſine dolore & purulentia inſignem in molem intumuit digitus.

Anicula artis Chirurgicæ ignara, experientiæ tamen ſuæ plurimum tribuens, inciſione quadam digitum aperiebat, unde materia aquea incocta, effluebat, cum doloris exacerbatione ſummâ, & curationis inſtantis vanâ perſuaſione. At quæcunque uſurpabantur fruſtranea omnia, adeò ut etiam ab ulteriore aliorum uſu abſtinere coactus æger.

Quicunque in conſilium vocabatur Chirurgorum, nihil omninò levaminis adferebat, imò omnia indies in pejus vergere videbantur, adeò ut tandem figuræ & conditionis ejus cujus appoſita delineatio nobis obtulerit digitum, quem ſummâ cum moleſtiâ per annos quinque circumgeſtaverat, id unum indicari ſummopere contendens: num aliqua curationis ſpes hîc ſupereſſet, ſalvo digito.



Nos conſideratione habitâ tumoris, conſtitutionis quæ oſſis ſubjecti, verum hîc adeſſe oſſis Cancrum: qui *Spina ventoſa* aliis dicitur, pronunciavimus; ad hoc verò malum tollendum,

ſic ut digiti craſſities imminueretur, tumor auferretur, oſſiſque corruptio ulterior inhiberetur, integro manente digito, nihil remedii ſupereſſe; Interim tamen Chirurgiæ locum aliquem concedi, qua extirpetur digitus, ad tumoris, doloris, fœtoris moleſtiarumque ablationem, modò oſſicula metacarpi, parteſque vicinæ ſimpliciores in ſtatu ſano exiſterent.

Placebat ægrotanti propoſitum noſtrum, ſimulque primo tempore ad *operationem* dictam nos accingeremus obnixè rogabat, ſic fore ſperans ut à dolorificâ, ponderoſâ, hinc moleſtâ admodum, ſarcinâ brevi liberaretur ad *eam* adeoque majori cum fructu quo pervenire concederetur, faſciam validè conſtrictam manui ſupra carpum impoſuimus, ad ſanguinis effluxum inhibendum, hinc cultri acutioris ope ſectionem inſtituimus inter digitum læſum & indicem uſque ad medium oſſium metacarpi, mox eodem modo in oppoſito latere inter digitum læſum & annularem, procedere animus erat, quo ſic, utraque parte ſeparatione ſufficienti inſtitutâ, in parte oſſis metatarſi adhuc ſanâ extirpatio juſta perficeretur, & ablato digito deformitas omnis quantum poſſibile tolleretur. At intentioni meæ oppoſuit Chirurgus alius, non niſi ſe in oſſe ipſius digiti malum radices fixiſſe, nec ullo modo ad oſſa alia ſe extendiſſe, ſibi certo perſuadens.

Quod vanam hanc opinionem ex animo Collegæ mei auferre nulla arte liceret, etiamſi certiorem curationem eam dicerem quæ admodum à me propoſitum, & jam ex parte peractum inſtitueretur; imò minus deformitatis ſic accedere manui, ſiquidem altiori loco in oſſe metacarpi ſano extirpatio perficeretur, imò dolor ex ligatura gravis ſatis celerem operationem urgeret, nolens volens digitum affectum circa articulum abſtuli.

Ad *hæmorrhagiam* pulverem uſualem ſtypticum applicabamus, partis diſſectæ labia faſciæ convenientis ope conjungebamus, ligatura carpo injectâ ſolutâ; & ſecuta fuit quies per diem noctemque.

Uſque in diem vigeſimum omnia proſperè ſuccedebant, quo tempore circa articulum manus carnea quædam excreſcentia acûs majoris caput magnitudine referens ſe exhibuit, varia eidem applicabantur, exſiccandi, conſumendique virtute prædita, aſt nihil effecerunt, quin contra eam in molem augmentum ſumpſit tumor, ut pondus duarum triumve librarum referret.

In re deſperatâ nullum ſupereſſe medium videbatur præter totius manus ablationem, ad eam devenire nulla præmiſſâ conſultatione arduum, placuit adeoque, conſentiente ægrotante, in conſilium adducere *Viros Clariſſimos Dn. Joannem van Hartogvelt, Guilielmum Piſonem*, Medicos, *Dn. Petrum Lupenium*, Theologum *Georgium van Loon*, & *Danielem Florianum*, Chirurgos. Omnes perſpecto morbi ſtatu, conſideratiſque iis quæ in prægreſsâ operatione peracta, neglectaque, omnimodam manûs extirpationem unicum, ſi aliquod, recuperandæ ſanitatis remedium, declararunt.

Opera-

III. Oſſa quoque obnoxia ſunt tuberculis quibuſdam, quorum nomen Tophus aut *Nodus*. Hæc quandoquidem ferme luis Venereæ ſymptomata ſint, non niſi medicamenta quędam externa, longâ praxi nobis probata, hoc loco exhibere libet.

♃. *Ol. Terebint. Venet. Euphorbii, Guajaci deſtillat. an. drachm.* ij. *Opij crudi drachm.* ſ.

M. F. *Linimentum.*

Vel

♃. *Maſtiches elect. Thuris maſc. an. drachm. ij. Ladan. unc. ſ. Merc. viv. Tereb. extinct. unc.* j. *Antimon. crud. drachm. iij. Opii crud. drach.* j. *Terebinth. Venet. q. ſ.*

M. F. Emplaſtrum.

Vel

♃. *Succ. ſemperviv. Hyoſcyam. Chelidonii maj. an drachm.* j. *Axung. human. drachm. iij. Ol. lilior. albor. Chamomill. an. drachm. ij.*

Coq. ad ſuccor. conſumptionem, poſtea

Adde

Mercur. ſublimat. drach. j. *ſcrup.* j. *Saponis Venet. drachm. ij. Antimon. crud. drachm. iij. Mumiæ, Opii an. drachm.* j. *Ladan. & Ceræ q. ſ.*

M. F. ſ. a. Emplaſtrum.

IV. Notandum inſuper hîc Oſſa medicamenta pinguia oleoſaque perferre non poſſe, niſi vel ſummè exſiccantia ſint, vel ope deſtillationis omnem pinguedinem amiſerint.

C AP.

Operatione peractâ, die decimo, quod & vires valdè vehementia ſymptomatum fractæ, & febris gravis, continuò moleſtaret, interiit æger. In manu amputatâ evidentiſſimè nobiſcum annotabant omnes, in Chirurgiâ exercitati, ſiquidem exſtirpatio prima in parte oſſis ſana fuiſſet peracta, curari potuiſſe malum. Vt adeò conſideratione noſtrâ digna ſint, quæ de *Pedarthrocace S. Spina ventoſa* habent *Paulus Barbette anat. pract. part. 1. cap.* 3. & *Severin, cap.* 24.

V u 3

Cap. IV.

De Cartilagine.

CARTILAGO *pars eſt ſimilaris, ſpermatica, ligamento ſiccior duriorque, at oſſe humidior molliorque, articulationem faciliorem reddens, parteſque varias ab externis injuriis defendens.*

DIFFERENTIA. *Molliores* quædam ſunt, præſertim circa articulos, quædam *duriores*, & à natura oſſium haud multum recedentes.

Nutritur per *Arteriolas.*

Nec *Nervis* nec *membranis*, adeoque nec ſenſu gaudet.

Uſus eſt facilitare motum, & partes quaſdam ab injuriis externis tueri, undè ipſa injuriis vix obnoxia. [a]

Uſus Chirurgicus.

Non raro Cartilagines unà cum oſſibus & corrumpuntur, & curantur, ſpeciales alii hîc vix occurrunt Morbi, præter *Duritiem* atque *Mollitiem* indebitam. Utriuſque vitii exemplum adducemus.

I. EPIGLOTTIS adeò quandoque induratur, ut non ſolùm loquelæ abolitionem inferat, verùm etiam, non niſi fruſta magna deglutire ægrum poſſe, efficiat. Potus, & omnia quæ cochleari exhibentur Tracheam intrant, rigidiore ab epiglottide non ſatis clauſam. Malum hoc incurabile habetur.

GLOTTIS. ſ. *Rima* laryngis ab *alimento*, *potulento* aut *medicamento* rectè adeò nonnunquam conſtringitur, ut ne ſonum edere ægrotus valeat. Vitio huic occurrimus ſequentibus mediis, præmiſſâ ſi neceſſarium ſit, Purgatione, aut Venæſectione.

℞. *Lactis Vaccin. unc.* 6. *Vitell. ovi N.* j. *Sacch. alb. drachm. iij.*

M.

Sumat ſæpius cochl. j. aut ij.

Vel

℞. *Thuris, Myrrh. an. ſcrup.* j. *Croci or. ſcrup. ſ. ſucci liquir. drachm. j. ſ. Gumm. Tragac. drachm. ij. Sacch. alb. q. ſ.*

M. F.

[a] Cartilaginis formatio variique ejus progreſſus facillimè dignoſcuntur ex iis quæ mox circa oſſa dicebamus; illuc igitur Lectorem remittimus.

M F. *Rotulæ*,toto curationis tempore maſticandæ & deglutiendæ.

Errorem hîc gravem errare Anatomicos illos exiſtimo, qui *Laryngi inflammationem* adſcribunt. Licet enim Cartilagines ipſas inflammari, ſicque corrumpi poſſe, negare nolim, certum tamen eſt, Inflammationem quam illi nobis proponunt minime Cartilaginibus, ſed vero adſitis Glandulis, carnoſiſque faucium partibus competere, alioquin enim tam ſæpius non curaretur, cùm Inflammatio atque Corruptio Laryngis lethalis mihi morbus ſemper ſit habitus.

II. Cartilago Mucronata Sterni, frequentius, quam quidem Practici annotant, indebitè incurvatur, ab *humoribus* adfluentibus plus juſto emollita,ſicque mucrone ad interiora vergens,ventriculum premit; unde apetitus proſtratus, adſumptorum vomitus, imò ventriculi continuus dolor, totiuſque corporis Atrophia. Quod vitium Anatomiæ periti facillimè tactu deprehendunt, & interjecto paucarum horarum ſpatio curatione auferunt, quo aliàs ad annos plurimos homines miſerrime divexantur.Ut vitium hoc emendes ſolummodo cucurbitula ventoſa amplioris orificii exterius cuti, cui cartilago ſubjacet, applicetur, ſicque illi affixa relinquatur, uſque dum inſpiratio impeditur,ſubitò tunc removeatur,& cartilago dicta ſæpiùs primâ vice locum naturalem iterùm occupabit. Quod ſi non contigerit, repetat Chirurgus operationem ſemel aut bis, & præmiſſa illitione Ol. roſar. & myrtill. Emplaſtrum hoc apponat, per aliquot dies loco affecto detinendum.

℞. Rad. biſtort. Nuc. cupreſſ. an. drachm. j. Maſtich. Thuris, an. drachm. ſ. Balauſt. ſcrup. j. Ol. nucis. expreſſ. drachm. j. ſ. Picis naval. & Thereb. q. ſ.

M. F. *Emplaſtrum.*

Cap. V.

De Ligamentis.

Ligamentum *pars ſimilaris eſt; ſpermatica, ſicca, oſſibus firmiter adhærens, & partes corpori mutuo colligans.*

Differentia. *Lata* quædam ſunt & *membranoſa* quędam *rotunda* & *nervoſa*. Notan-

Notandum hîc quod hæ voces *membranoſum* & *nervoſum* ſcriptoribus & practicis ſint uſitatiſſimæ, & quod quamplurimos illorum ſeduxerint: at ſcire oportet, ſolam formam externam hîc reſpici neutiquam internam eſſentiam, utraque enim ligamenta, membranacea æquè ac nervoſa, omni ſenſu carent, qualia minimè eſſent, ſi vera nervi aut membranæ ſubſtantia conſtarent.

Ligamentum nullum cavum eſt, ſi *teretia ligamenta Uteri* excipias. Ex ſe quoque omnia *motu*, *ſenſuque* deſtituuntur.

Uſus eſt partes corporis, oſſa imprimis, connectere, atque à continua luxatione conſervare.

Uſus Chirurgicus.

I. Ligamenta læſa, propterea quod omni ſenſu careant, rariſſime alias partes ad ſympathiam trahunt, & facillimè, adhibitis medicamentis valde exſiccantibus curantur. Non poſſum quin hic iterum experientiâ edoctus, commendem *Pulverem Reſtaurativum*, cujus hæc eſt deſcriptio.

℞ *Rad. conſol. maj. Aloës ſuccotr. Calcis viv. an. unc. ij. Maſtich. Myrrh. Mumiæ an. drachm. ii. Præcip. vulg. unc. ij.*

M. F. *Pulvis.*

Sedulò hic primo tempore debilior calor ligamentorum ſpectandus, cùm is humorum collectionis copioſæ, ſymptomatibuſque gravioribus, anſam præbere facilem queat.

II. Laxantur quoque non rarò Ligamenta, imò, quicquid etiam contradicant rerum ignorantes, in tantum nonnunquam extenduntur, ut luxationi occaſionem præbeant, quod non ſemel Iſchiaticus dolor nos docuit. Tali in caſu intus Venæſectiones & Purgationes proſunt, exterius roborantia atque diſſipantia. Summi uſus Empl. ſeq.

℞. *Empl. Stictic. Croll. unc. j. Ol. Terræ, Philoſ. an. drachm. j.*

M. F. *Emplaſtr.* extendendum ſuper alutâ.

Cap. VI.

De Membranis.

Membrana *pars eſt ſimilaris, ſpermatica, lata, mollis, dilatabilis, alba, partes inveſtiens, ſenſumque iis adferens.* Di-

DIFFERENTIA. *Tenues* valde quædam ſunt, aliæ *craſſiores*, nonnullæ *carneæ*, pleræque non item.

Partes quæ inveſtiunt propriè *Membranæ* dicuntur, quæ humores continent *Tunicæ*, quæ cerebrum ambiunt *Meninges*.

SENSU prædita ex ſeipſa: Membranæ enim omnes ſenſiles ſunt; imò ipſi nervi quod ſentiant, membranaceæ eorum ſubſtantiæ debetur.

Membranæ itaque ſolæ *tactûs* verum *organum*, huic ſpiritus animales inſerviunt.[a]

Vſus eſt 1. partes corporis inveſtire. 2. ab injuriis defendere, 3. conjunctas ſervare, 4. roborare, 5. ſenſu donare, 6. vaſorum oſcula claudere, ne ſanguis nutritius ſubitò nimis in partem deferatur, aut ex eâ in venam ipſam.[b] 7. partes quaſdam ſejungere.

Uſus Chirurgicus.

Senſiles admodum membranæ cum ſint, medicamenta acria haud ferunt. Sanguine haud copioſo gaudent, undè haud facilè, continui ſolutionem paſſæ, uniuntur, at muſculis ſæpè, puris ope, junguntur, quod in veſicâ ipſâ, cujus vulnera atque ulcera aliàs incurabilia habentur, obſervavi.

CAP.

[a] Hic in quæſtione agitatiſſima pronunciat Clariſſ. Author. Alii ſc. ſentiunt ſpiritus animales ſolos, ab objectis ſenſibilibus motos ſicque in cerebrum refluos; Alii verò nervorum interiorem medullam ſpiritibus animatam, & quaſi tenſam, per impreſſionis receptæ ad cerebrum uſque continuationem; Alii, inter quos Author, eorundem nervorum membranam exteriorem à dura cerebri matre vel meninge ad omnia corporis extrema derivatam ſenſationem omnem efficere. Nos de his in ſequentibus ulterius ubi ſc. de cute, ut & aliis ſenſationum organis.

[b] Non videmus qualis ſit ſextus iſte membranarum uſus, nihil enim opus eſt ut membranæ vaſorum ſanguiferorum oſcula claudant, ne ſanguis ſubitò nimis in partium ſubſtantiam indeque in venas excurrat: exilitas enim minima extremarum productionum arteriarum deferentium, ut & radicum venarum referentium ſatis ſuperque illi malo occurrit.

CAP VII.

De Fibris.

FIBRA *pars eſt ſimilaris, ſpermatica, per cutem, carnem, & membranas diſperſa, quo firmiores eas reddat, diſtentaſque naturali modo contrahat.*

Differentia. Quædam ſunt *Rectæ*, quædam *Obliquæ*, quædam *Tranſverſæ*, & quædam *Rotundæ*.

Rectæ attrahunt, *Obliquæ* expellunt, *Tranſverſæ* retinent, *Rotundæ* conſtringunt. Et hoc efficiunt haud adeò virtute propriâ & ſingulari, quam quidem communi toti membro, cui inſerviunt, & à quo ſenſum alimentumque ſuum nanciſcuntur; nam per ſe omni ſenſu carent.

Usus eſt, membranas cutem & muſculos roborare, & ubi dilatatæ fuerunt in naturalem ſtatum reducere.[a]

Ipſe ſanguis an fibras habeat, uti multorum eſt opinio, & nobis valde veriſimile videtur, alias opportunior erit inquirendi locus.

Uſus Chirurgicus.

Circa fibras nihil eſt conſiderandum aliud, niſi quod iis tranſverſe reſectis & vulneratis, tardior ſit carnis atque cutis conſolidatio, muſculorúmque circa loca hæc major rigiditas, difficilius eas extendi atque contrahi permittat. Itaque fibrarum ductus ſedulò obſervandus eſt iis, qui artificioſam ſectionem, curioſamvè apertionem moliri nituntur.

[a] Hæc de Fibris in genere, in ſpecie verò plura de iis dicemus cum de variis viſceribus quibus illæ ſunt propriæ agemus.

Cap. VIII.

De Venis.

VENA *pars eſt ſimilaris ſpermatica, membranoſa, rotunda, cava, arteriis ubique per anaſtomoſes juncta,* [a] *ſanguinem ulteriori coctione indigen-*

[a] Haſce Venarum cum Arteriis anaſtomoſes negant multi, tum quia demonſtrari minimè poſſunt, tum quia partium in quas ſanguis deportatur nutrimentum impedirent; quis enim non videt ſanguinem ab arteriis aſportatum, ſi illæ cum venis per anaſtomoſin jungantur, commodam ſic nactum viam in has continuò perrecturum, atque in partium ſubſtantiam, aliàs quàm per tranſudationem, minimè effuſum iri; jam verò illa tranſudatio nutriendis partibus non ſufficit. Præſtat itaque aſſerere ſanguinem ab arteriis in partes devectum, novoque continuò appellente propulſum, venarum

digentem ex iis recipiens, Cordique & Hepati adferens.

DIFFERENTIA. Quadruplices in corpore noſtro venæ reperiuntur.

1. *Vena Cava.*
2. *Vena Porta.*
3. *Vena Pulmonalis.*
4. *Venæ Lacteæ,*

Poſteriores hic enumeratas infra deſcripturi ſumus, ubi multo commodior nobis erit occaſio.

Vena Cava & Porta ex Hepate originem ducunt. Sunt qui illam ex Corde prodire volunt, argumento ſatis infirmo, & à nondum in lucem editis embryonibus deſumpto. At vero cum radices eius plurimas in Hepate reperiam, paucas aut nullas in Corde, imò minimè eam Cor ipſum intrare obſervem, ſed tantùm auriculæ ejus dextræ conjungi, antiquam potius ſententiam amplector, Hepati honores eos libens concedens, quos ipſi competere cenſeo. [b]

Radices Venæ cavæ & Portæ in Hepate anaſtomoſibus mutuis uniri, Anatomici diligentiſſimi apud ſeculum prius ſibi perſuaſerunt, at curioſa poſterorum inquiſitio clarè & invenit & demonſtravit, eas quidem ſe mutuo attingere, ſed nequaquam hoc modo inter ſe uniri, ut ſanguis ex una in aliam tranſeat; & interim extremitates dictorum vaſorum, mediante parenchymate hepatis tantum ſibi invicem participare, ut lac, aut aliud quid liquidi in Venam Portæ Syringâ immiſſum, ad oculum ſine aliqua hepatis & venarum læſione in Venam cavam leniter urgeri & flari poſſit. Qua de re vide Gliſſonii Anatomiam Hepatis pag. 272.

Tunica.

rum oſcula ſibi excipiendo apta, ſubintrare, depoſito priùs neceſſario partibus nutrimento.

[b] Hic non poſſumus Clariſſ. Authori aſſentiri, dum venæ cavæ originem in ſolo hepate ponit; agnoſcimus quidem illam in corde minimè eſſe; agnoſcimus præterea plures hujus venæ radices in hepate conſpici, ſed non inde concludimus à ſolo hepate deduci omnibus corporis partibus, omnibus viſceribus illę implantantur, unde meritò dici poteſt, venam cavam omnibus corporis partibus interioribus & exterioribus, omnibuſque viſceribus, ſed inter ea hepati maximè originem ſuam debere.

 [a] Tuni-

Tunicâ tantum unicâ Venæ præditæ ſunt, [a] variiſque intus *Valvulis*, maximè in externis artubus [b]

Nutriuntur ſanguine per *arteriolas* accedente, minimè venis ipſis contento. [c]

Tactu gaudent & à ſeipſis, & aliquando etiam à *Nervis*.

Uſus eſt ſanguinem non ſatis elaboratum ab arteriis excipere, Cordique ac Hepati, quo perfectius coquatur, reſtituere.

Methodi melioris in ſequentibus obſervandæ gratiâ, Venas omnes in ſpecie hic deſcribere, ſuoſque in ramos dividere cogimur.

VENA

[a] Tunica hæc venarum triplici donatur fibrarum genere, rectarum ſc. obliquarum & tranſverſarum, quibus in debito continetur ſtatu. Hæ fibræ in majorum animalium grandioribus venis elixatione præparatis, aut in aqua tepida maceratis ſatis facili negotio demonſtrari poſſunt. Varices in venis efformantur cùm diſruptis quibuſdam è fibris memoratis contractioni neceſſariæ impar redditur earum tunica, & ſic laxatur magis aut minus, prout major aut minor fuerit ſanguinis in illam impulſio, major itidem aut minor fibrarũ diſruptio. Advertendum autem venam unica tantum tunica propria gaudere, ſed ſæpe alteram communem à vicinis mutuari partibus, ſic venæ thoracis à pleura, venæ abdominis à peritonæo communicata tunica, quamvis tenuiſſima pro tutela majori fruuntur.

[b] Valvulæ venarum ſunt tenues ac membranoſæ, modo ſimplices & inſtar Lunæ dimidiatæ, modò duplices ſibi invicem oppoſitæ, nos ſæpe triplices vidimus, quintuplices etiam aliquando adnotavit Curioſiſſ. Kerckringius. Hæ omnes ita ſituantur, ut ſanguini ad cor regredienti pateant, contrà verò minimè.

[c] Quæſtionem movet Kerckringius, num ſc. venæ & arteriæ, venas habeant & arterias, quæ ſua illis alimenta ſuppeditent? Cui quæſtioni ſolvendæ ſequentia adhibet. Nullas partes eo ſucco nutriri, inquit quem illæ deferunt, aut in commune corporis bonum elaborant, plurimorum eſt ſententia; quia liquido apparet tam arterias deferentes alimentum, quam venas ſuperfluum ejus auferentes per illas diſcurrere. Sed quid de venis arteriiſque ipſis dicemus? Si venis arteriiſque aliis ad ſui nutritionem indigeant, quid de ſecundis hiſce rurſus pronunciabimus? Nam ſi & hæ nutriantur ab aliis, jam vel in infinitum procedemus, vel aſſignandus erit numerus, in quo ſiſti potius debeat, quàm in primis venis & arteriis; aut aliud quoddam inveſtigandum eſt adhuc ignotum naturæ myſterium. Cui inquiſitioni ne putes ullum à natura oſtendi indicium, penes me ſervo truncum majorem venæ portæ equinæ, in quo conſpicua eſt venarum, quæ à meſentericis ramis, & arteriarum,

Vena Cava, ex Hepate uti jam ſupra diximus, originem ſuam trahit, & in Truncum dividitur *aſcendentem & deſcendentem.*

Aſcendens, qui major, diaphragma perforat, in quatuor ramos dividendus. Horum

I. *Phrenica* dicitur, per diaphragma & pericardium, ſe diffundens.

II. *Coronaria*, Cordis baſi dicata, ex ipſo trunco, poſtquam pericardium penetravit, orificioque amplo, & carnoſo, auriculæ cordis dextræ interius unita, procedens.

III. *Azygos* ſ. *ſine pari*, à trunci ejuſdem, ubi aſcendens pericardii partem ſuperiorem tranſiit, latere dextro prodiens. Præcipuos Ramos coſtis octo inferioribus exhibet, hinc circa diaphragmatis appendices carneas, ventris imi cavitatem intrat, ubi, in latere ſiniſtro venæ Emulgenti, in dextro trunco Cavæ, inſeritur.

IV. *Subclavia*, ex qua ſurſum deorſumque Ramuli varii prodeunt. Horum ſuperiores ſunt.

1. *Muſcula ſuperior.*

2. *Iugulares externæ & internæ.* Externa utroque latere, (modò ſimplex, modò duplex) Collum, Caput & faciem accedit: Interna Meningem craſſam cerebri, cujus ſinui tertio major ejus ramus unitur.

Inferiores ſunt

1. *Intercoſtalis*, coſtis quatuor ſuperioribus, earumque intercoſtalibus muſculis, inſerviens.

2. *Mar-*

rum, quæ à ramo ſplenico exoriebantur, tanta copia, ut inextricabilem labyrinthi errorem flexus earum, & fines quærentibus exhibeant: rurſuſque venas arteriaſque alias per ſecundas haſce decurrentes oſtentant, quod ſi fit ubi ſiſtetur? An verò fiat immania elephantorum & balenarum anatomicè examinata corpora, fortè clariùs docebunt. Ego dum ea viſendi curioſitati meę dabitur occaſio, ἐπέχω. Nam uti quæ clare vidimus, eſſe in rerum natura liberè pronunciamus, ita quæ non vidimus, ſint nec ne, ab experientia diſcere avemus. Hæc ille, quibus addimus, facillimum eſſe philoſophis qui materiæ diviſibilitatem in infinitum defendunt, concipere arteriolas & venulas arteriis & venis inſervientes, & illis rurſus alias, ſicque in infinitum. Qua de re videri poteſt *Tractatus Gallicus, cui titulus*, Recherche de la verité, *hoc eſt*, de veritate inquirenda.

2. *Mammaria*, quæ ad mammas defertur.

3. *Mediaſtina*, quæ ad mediaſtinum & thimum.

4. *Cervicalis*, quæ ad cervicem.

5. *Muſcula inferior*, quæ ad cervicis muſculos.

6. 7. *Thoracica ſuperior* & *inferior*, quæ ad Thoracis muſculos.

Subclavia hæc Thorace egreſſa *Axillaris* dicitur, Brachia hinc accedit, ubi in Ramos tres, inſignes valdè, dividitur. Sunt hi.

1. *Cephalica*, in manu, inter digitum minimum ipſique vicinum, *Salvatella* dicta, Rami ejus variè Ramis medianæ miſcentur.

2. *Baſilica*, ſive *Iecoraria*.

3. *Mediana*, quæ, ſimiliter ac Ramuli alii, ex Baſilicâ prodit.

Deſcendens Truncus, qui minor, indiviſus ad Vertebram lumborum quartam ubi devenit, communicat.

1. *Adipoſam* membranæ Renum.

2. *Emulgentem* mediocri orificio præditam, Renibus ipſis.

3. *Spermaticam*; Teſtibus.

4. *Lumbares*, *duas*, *tres* aut *quatuor*, lumbis, eorumque vertebris.

Oſſi ſacro vicinior in Ramos duos magnos, *Iliacos*, ſeparatur. Hic antequam pedes accedant, Truncus ipſe exhibet.

1. *Muſculam ſuperiorem* muſculis lumborum & peritonæo:

2. *Sacram*, *modò ſimplicem*, *modò geminam*, oſſi ſacro:

3. *Muſculam mediam*, natibus.

4. *Hypogaſtricam* veſicæ, ejuſque collo, ſphincteri ani, peni, uterique collo.

5. *Epigaſtricam* muſculis abdominis, & peritonæo:

6. *Pudendam* pudendis:

7. *Muſculam inferiorem* Coxæ articulo.

Iliaci Rami quamprimum Ventris cavum reliquerunt *Crurales* vocantur.

Ab his procedunt

1. *Iſchiatica minor*, coxæ, cuti & muſculis.

2. *Iſchiatica major*, coxæ, deinde omnibus pedis digitis.

3. *Poplitea* popliti,

4. *Suralis*

4. *Suralis*, muſculis ſuræ,

5. *Saphœna*, genu, malleolo pedis extremi parti ſuperiori; pollicique, dicata.

Vena Cava ubi Cor egreditur, *Valvulas* tres, interiora ſpectantes, Tricuſpidales, accepit, ad id, ut ſanguis libere Cor intrare, redire minimè, queat.

Uſus ejus eſt ſanguinem crudiorem ab arteriis accipere, cordique remittere.

Vena Portæ, Venâ Cava longè minor, & laxior, ex Vena umbilicali oritur, variiſque radicibus hepati inſeritur. Extra id in Truncum & Ramos dividitur, quorum omnium diſtributio ad partes imo ventre contentas varias.

Ex Trunco prodeunt

1. *Gaſtro Epiplois*, omento & ventriculo.
2. *Inteſtinalis*, inteſtino duodeno.
3. *Cyſticæ gemellæ*, veſicæ felleæ,
4. *Gaſtrica minor*, lateri ſiniſtro ventriculi, inſerviens.

Dividitur deinde Truncus hic in Ramos duos magnos, Splenicum & Meſentericum.

Splenicus Ramus, pancreati quandoque adſitus, aliquando id tranſiens, quatuor Ramulos promit, quamprimum pancreas reliquit: ſuntque hi,

1. *Vena gaſtrica major*, quæ lienem accedit, *Venas* tres quatuorve *breves* inde ventriculo communicans, Hæ, in animalibus vivis, cadaveribuſque inflatæ, manifeſtiſſimè declarant, nihil omninò cavitatem ventriculi intrare poſſe, adeoque nec humorem aliquem à liene accedentem, quod jam, longo nimis tempore, docuerunt, judicarunt, & ſcripſerunt viri docti, cum intra ventriculi tunicas terminentur, neutiquam in cavitatem ipſam hient.

2. *Epiploica dextra.*
3. *Coronaria ſtomachica.*
4. *Epiploica ſiniſtra.*

Meſentericus Ramus ſimiliter in iv. diſtribuitur alios. Horum.

1. Antiquam appellationem retinet, *Ramulis* XIV. pluribuſve per meſenterium diſtribuendus.

2 *Vena*

2 *Vena* eſt *Hæmorrhoidalis*, lienem, uterum atque inteſtinum rectum,

3. *Vena Cæcalis*, inteſtinum cœcum.

4. *Ramus meſocolicus*, inteſtinum colon, accedens.

Vſus Venę portę eſt, ſanguinem minus debito elaboratum ab arteriis aſſumere, hepatique ad perfectiorem coctionem, biliſque ſeparationem, adferre

VENA PULMONALIS, (quam antiquiores perperam *arteriam venoſam* appellarunt, cùm unica tantùm tunica conſtet, ex ſe non pulſet, neque ſanguinem reducat) ex ventriculo cordis ſiniſtro prodiens, patente orificio, pulmones accedit, ſanguinem imperfectiorem ex Arteria pulmonali accipere, cordique offerre apta.

Antequam è corde egrediatur *Valvulis* gaudet *duabus mitralibus*, mucrone exteriora ſpectantibus, ſanguinis ad pulmones regreſſum impedientibus.

Uſus ejus, ſanguinem, ex arteria pulmonali acceptum, in ſiniſtrum cordis ventriculum deferre.

Vſus Chirurgicus

1. De VULNERIBUS VENARUM alio loco egimus. Hoc addi meretur, faſciam hæmorrhagiam egregie ſiſtere, ſed nimis arcte conſtrictam facile Sphacelum inducere.

2. *Venaſectionis indicationes* generaliores IV. tantùm admittimus: *Sanguinis* nempe *Refrigerationem*, *Imminutionem*, *Revulſionem*, & *derivationem*. Specialiores autem morbi, hanc potius venam quam aliam eligentes, ſequentes ſunt. In delirio & cephalalgia gravi vena ſecatur *Frontis* ſ. *Præparata*, & *Vena puppis*. Aliquando in pede *Temporalis* aut *Saphæna*.

In Ophthalmiâ *Cephalica*, & ſiquidem toti corpori ſuperfluum detrahere placeat *baſilica* aut *mediana*.

In Angina, *Ranina*, cujus tamen inciſio levior ſit, cùm ſanguinis fluxum vix aut nullo modo ſiſtere queamus, aliquomodo etiam *Iugularis externa*.

In Pleuritide, *Baſilica* lateris affecti, minimè oppoſiti. Summa hîc circumſpectione opus eſt, cùm tendo muſculi bicipitis venæ huic ſuccumbat, arteria vero accumbat.

In Irâ

In Irâ, Terrore, Caſu &c. *Mediana* & *Baſilica.*

In Morbis chronicis & febri Quartana *Salvatella*, maxime in pleni aut novi-lunio.

In puerperis, omnibuſque ſuppreſſi quibus menſes, *Saphæna.*

In Iſçhiaticis, *Iſchiatica.*

Cap. IX.

De Arteriis.

ARTERIA *pars eſt ſimilaris, ſpermatica, membranoſa, rotunda, cava, oſculorum ope venis ubique juncta, ſanguinem nutritium cum ſpiritu vitali, continens, omnibuſque corporis partibus adferens.*

DIFFERENTIA Duplex hæc eſt, *Magna* ſive *Aorta & Pulmonalis.*

ARTERIA MAGNA ex ventriculo Cordis ſiniſtro prodit; *duplici* ubique, præterquam in cerebro, partibuſque aliis mollioribus, *Tunica* conſtat, harum exterior illi quæ venarum craſſitie ſimilis eſt: at interior quintuplo craſſior eſt, ne, circa partes duras atque conſiſtentes continuò pulſans, rupturam inſanabilem incurrat.[a]

Valvulas tres *Signoides*, exteriora ſpectantes, accipit.

Orificio vaſto Cordis ex ventriculo procedens, antequam pericardio perforato, in *Truncum aſcendentem* & *deſcendentem* dividatur, Cordi *Coronariam* exhibet.

Truncus Aſcendens, qui minor Tracheæ incumbens in *Subclavias* duas ſeparatur, à quibus, adhuc thorace detentis, proveniunt.

1. *Inter-*

[a] De Arteriarum tunicis quædam ſuperius diximus, cum de Aneuriſmate in Praxi Medica differeremus. Illa minimè opus eſt hic repetamus. Qui plura de earum anatomica præparatione, tunicis earumque fibris motricibus & glandulis, ut & de plexibus vaſorum illas perrepentibus voluerit, adeat Excellentiſſ. Williſium de hiſce omnibus differentem, & præcipuè Clariſſ. Godefridi Bidloo exquiſitiſſimas anatomicas tabulas; in quibus triplicem in arteria lamellarum appoſitionem deſcribit, quarum prima reticularis è nervulis, vaſis ſanguineis, membranoſis expanſionibus, glanduliſque illorum finibus interſertis conſtat; quæ glandulæ quoad ſitum & figuram variant: aliæ enim turmatim, aliæ racematim, ponuntur, aliæ veſiculoſæ ſunt & in apicem vergunt. Secunda lamella muſculoſarum in circulum tortarum fibrarum villoſis fibrulis inter ſe ſe devinctarum conſtructio eſt. Tertia ex planis & membranoſis expanſionibus conficitur.

1. *Intercoſtalis ſuperior*, Coſtis quatuor ſuperioribus.

2. *Mammaria*, Mammis.

3. *Cervicalis*, Muſculis cervicis.

4. *Carotis externa & interna* laryngi, linguæ, collo, capiti, & cerebro dicatæ.

Thoracem ubi reliquerunt, *Axillares* vocantur, pectorique nutrimentum adferunt.

1. 2. Per *Thoracicam ſuperiorem & inferiorem.*

3. Per *Scapularem.*

4. Per *Humerariam.*

Deinde tendunt ad brachia, in quibus venæ cavæ Ramis accumbunt atque ſuccumbunt, eodem itaque nomine quo illi dignæ.

Truncus Deſcendens, qui major, thorace adhuc detentus,

1. *Intercoſtalem ſuperiorem* octo inferioribus coſtis exhibet,

2. *Phrenicam* diaphragmati atque pericardio.

Hinc, diaphragma ubi perforavit, communicat.

1. *Cœliacam* ventriculo, à qua *Splenica* & *Caſtro-Epiploica dextra.*

2. 3. *Meſentericam ſuperiorem* & *inferiorem* meſenterio.

4. *Emulgentem* Renibus.

5. *Spermaticam* Teſtibus.

6. *Lumbares* Lumbis.

7. *Muſculam ſuperiorem* Abdominis muſculis.

Tandem in *Ramos* duos *Iliacos* dividitur, circa diviſionem hanc exhibens.

1. *Muſculam inferiorem.*

2. *Epigaſtricam.*

3. *Hypogaſtricam.*

4. *Umbilicalem.*

5. *Pudendam.*

Extra abdomen nomen ſuum mutant, & *Crurales* vocantur, ſicque per pedem deſcendunt, venis ubique comites, à quibus nomina mutuari poſſunt.

Uſus eſt ſanguinem nutritium cum ſpiritu vitali ad omnes corporis partes deferre.

ARTERIA PULMONALIS (quæ male *Vena arterioſa* appellatur, nam pulſat

pulſat, & idcirco duplici conſtat tunica, & intra ſe ſanguinem nutritium continet) ex ventriculo cordis ſiniſtro emergens, duplici Ramo pulmones ingreditur, perque eos variis ramulis diſtribuitur, ſanguinem nutritium ipſis adferens; hîc quod in ſanguine non ſatis coctum venæ pulmonali exhibet, quo, eâ mediante, cordis ventriculo ſiniſtro reddatur, & denique per arteriam magnam omnibus corporis partibus communicetur.

Valvulæ, antequam è corde egrediatur, ipſi conceſſæ ſunt *Simoides* tres, foras ſpectantes, ne ſanguis eam ingreſſus in Cordis ventriculum relaberetur.

Vſus eſt, ſanguinem ex Ventriculo Cordis dextro in pulmones deferre, ut eo nutriantur, & quod à nutritione ſupereſt, mediante venâ pulmonali in Cordis ventriculum ſiniſtrum deducatur.[a]

Hoc loco Anatomiæ cultoribus notificare placet, præter *Valvulas* XI. quas in vaſis IV. enumeratis dari indicavimus, *varias alias* in Corde inveniri, proprio adhuc carentes nomine.

Vſus Chirurgicus.

In *Hæmorrhagiâ Narium* ex Arteriis ſanguis effluit, minimè ex Venis, teſtatur hoc non ſolum intenſior ſanguinis color, ſed etiam vires, quæ multo celerius proſternuntur, ſanguine ex arteriis quam è venis emiſſo. Solitus ſum eam hoc modo tollere.

Primò Vena ſecetur, mox teſtibus in viris, hypogaſtrio verò in fœminis, linteum quadruplicatum aqua frigida madefactum applicetur, aut etiam aquâ frigida facies ægrotantis ſubitò conſpergatur. Deinde brachium utrumque faſciis arctè conſtringatur. Interea aliquoties cochlear unum ſequent. mixturæ exhibeatur.

♃. *Aq. plantagin. unc. iij. ſ. Alexipharm. drachm. iij. Cinamom. drachm. iij. Conſ. hiacynthor. drachm. ſ. Sang. dracon. Lapid. hæmathit. an. gr. xv. Iulap. roſac. unc j. Laud. opiat. gr. ij. Spir. Vitriol. gutt. vj.*

M.

Aqua ſeq. etiam commendatur.

♃. *Lapid. prunell. unc. ſ. Aq. plantag. unc. vj.*

Dividatur

[a] Pulmones non tantùm nutriuntur à ſanguine per Arteriam, Venam arterioſam veteribus dictam, deducto, ſed & ab eo quem advehit minor quædam Arteria Bronchialis dicta, quam primus detexit & demonſtravit Clariſſ. Fredericus Ruyſch.

Dividatur in iij. Doſes.

ARTERIOTOMIAM inſtituendi modus, ab antiquis traditus, tam ſeverus & periculoſus eſt, ut nullus Recentiorum reperiatur, cui non diſpliceat, imo in totum Arteriotomia ex remediorum numero ejecta fuiſſet, poſterorum miſericordia & diligentia alios modos non excogitaſſet. Ex his quem cum aliis Chirurgis optimum elegi, hoc loco proponere placet.

Soliti ſunt Chirurgi vinculum injicere collo, at conſtrictio hujus arctior cum ei valde ſit moleſta, ſub axillis ligaturam hanc fieri præſtat, ſtricta hęc adeò ſit ut Venæ jugulares, arteriæque Carotides, & intumeſcentiâ & pulſu ſeſe manifeſtent. Pollice deinde comprimatur arteria, loco paulo inferiore eo, quem phlebotomo incidere animus eſt, factâque apertione (quam manu lentâ, at forti, fieri neceſſe eſt) ſanguinis quantum ſufficit extrahatur. Peracta operatione pulvis adſtringens vulneri inſpergatur, mox linteum complicatum cum lamina plumbea apponatur, hinc faſcia commoda ſuperinjiciatur, & 5. aut 6. dierum ſpatio curatio abſolvetur.

In Cephalœa, Mania, Epilepſia Oculorumque & Aurium inflammatione gravi *Arteriæ* ſecantur *frontis, temporum*, & quæ ſunt *poſt aures*, imò etiam arteriæ occipitis, ex eo quod omnes rami ſint Carotidis externæ.

In inflammatione Hepatis, atque Diaphragmatis, arteria aperitur, quæ eſt *inter pollicem & indicem*.

In palpitatione Cordis vel *eadem* aſſumi poteſt, vel *Saphæna*.

Arterias alias aperire non licet, niſi os aliquod ipſi ſubiiciatur, ne aneuriſma exoriatur.

CAP. X.

De Nervis.

NERVUS *eſt pars ſimilaris, ſpermatica, membranoſa, rotunda, alba, cava, ſpirituum animalium deductioni inſerviens, ut ita partes corporis mobiles & ſenſiles evaderent.*

Origi-

Originem ſortiuntur Nervi ex Cerebro;[a] dividuntur intra cranium in VIII. paria; [b] extra idem, qui nempe ex ſpinali medulla proveniunt, in paria XXX. horum VII. ex vertebris Cervicis, XII. ex vertebris Dorſi, V. ex vertebris Lumborum, VI. ex Oſſe ſacro.

Paria

[a] Excellentiſſimus Malpighius non tantùm in genere originem nervorum è cerebro deducit, ſed in ſpecie primas eorum radices in ſubſtantia illius corticali ponit, dum ſc. docet glandulas innumeras ſubſtantiam prædictam in totum prope conſtituentes, & in cerebro præparato conſpicuas, (de quibus fuſius in ſequentibus) fibrillas, ſeu canaliculos, ſpiritibus animalibus, eorumque vehiculo continendis & deducendis aptos emittere, unde totum ſtruatur corpus calloſum, medulla oblongata & ſpinalis, indeque continuò emanantia varia nervorum paria de quibus mox.

[b] Clariſſ. Author in enumeratione nervorum à cerebro ipſo ſeu medulla ejus oblongata derivatorum Veteres ſequitur, in eo tantùm ab ipſius diſſentiens quòd octo paria, illi verò ſeptem aſſignent; è proceſſibus ſc. mammillaribus Par primum deducit, de quo nihil apud Veteres. Excellentiſſ. Williſius decem in cerebro ejuſque medulla oblongata demonſtrat nervorum Paria. Primum Par apud ipſum nervos olfactorios præbet, & proceſſibus mammillaribus adhæret. Secundum Par conſtituunt nervi optici ſeu viſorii; Tertium, nervi oculorum motorii; Quartum, nervi pathetici; Quintum, nervi ad palatum, os, faciem, naſum, oculos, & truncum intercoſtalis; Sextum, nervi alii ad oculos; Septimum nervi auditorii; Octavum Par vagum dictum, nervi ad varias totius corporis partes, & præcipuè ad omnia propè medii & imi ventris viſcera; Nonum, nervi ad linguam; Decimum, nervi ad muſculos cervicis. Alii, inter quos præcipuè Clar. Diemerbroëckius, rejecto decimo Williſii pari ab enumeratione prædicta tanquam vertebralium primo, non verò cranii ultimo; rejecto præterea Pari primo tanquam productione tubulata ventriculis cerebri anterioribus continua, & eorundem aquæ in os cribriforme pro ulteriori expulſione deducendæ, deſtinata; (Contra quæ tamen in ſequent. ubi ſc. de Naſo, diſputantes audiemus Williſium, du Verney & Vieuſſens) octo tantùm rurſus faciunt nervorum Paria, ſed quorum demonſtratio prorſus differt ab illa quam exhibet Author noſter, ut facillimè percipi poteſt. Clariſſ. Godefridus Bidloo in ſuis anatomicis tabulis, duodecim nervorum Paria è cerebro prodeuntia explicat, primum Par odoratorium in naſo deſcribetur; ſecundum Opticum ſeu viſorium, ex origine molli juxta ſtriatum corpus poſita aſſurgens, per ſui partes dextras & ſiniſtras unitur fibroſo nexu quoad minutiſſimorum tubulorum faſciculos, & ſine ulteriori coalitione utriuſque lateris filamenta proprium ſibi ductum uſque in oculi centrum

Paria octo intra Cranium à Cerebro prodeuntia ſunt.

1. *Par Olfactorium*, quod proceſſibus mammillaribus adhæret.

2. *Par*

tenent, poſtque prædictam unionem duriores evadunt. Tertium oculorum motorium è medullæ oblongatæ baſis medio ortum quadripartitum ad oculi partes tam externas quàm internas fertur. Quartum patheticum, è regione natium ex oblongæ medullæ dorſo è minutiſſimarum fibrularum turma radiosè diſperſa ſubortum, ramificationes, primam quidem & præcipuam, nominis auctorem, trochleari muſculo, alias oculi atque faciei partibus communicat. Quintum ſub ſe comprehendit varia, diſtinctaque nervorum paria; quorum primum & ſecundum originem ſuam debet annularis proceſſus lateri, horum faſciculorum tubuli minores tendinum inſtar duri, cæteri ejuſdem nominis ſc. faſciculum paris quinti conſtituentes nervi molles & flaccidułi primiſque majores à prædicti proceſſus initio oriuntur. Par hocce oculos, naſum, genas, os, palatum, linguam, uno verbo, hederaceo plexu, & capillari divaricatione plurimos anterioris capitis muſculos, imò pari intercoſtali aſſociatum, gulam, parteſque ei vicinas inferius, tam externas, quàm internas, perreptat. Sextum, non incongruè tumidum, ab annularis pro tuberculi fundo fibrulis valde latis ac membranoſis exoritur, & ad oculi partes varias, præcipuè muſculos dimittitur, ita ut de genere oculos moventium ſit. Septimum auditui deſtinatur, duplicemque originem agnoſcit, ut vulgò deſcribitur. Octavum intercoſtale cum præcedentibus & ſequenti nono ſummam intricatamque habet ſocietatem, & ſpecificum tamen, tam reſpectu originis, quàm diſtributionis, dici meretur; oritur enim plexuformi initio ex annularis proceſſus baſi, pari ſexto & ſeptimo aſſociatum, idque ita obvolvens, ut non, niſi ubi quinti & ſexti paris inoſculatio fit, diſtinctè ſeparatum abſque adjumento, conſpici queat; Quod ad diſtributionem, non tantùm gulæ, & colli quoſdam muſculos; ſed & pectoris, quinimò & ventris, tam exteriora, quàm interiora organa perambulat. Nonum vagum, duodecim, quindecim, imò & viginti nervos, ſæpiùs ex medullæ lateribus & fibruloſa cauda, paulò infra auditorium par diſtinctè erumpentes complectitur, & pleraque duarum cavitatum viſcera, ſuis tubulis ditat. Decimum per excellentiam ſpinale, inter ſextam & ſeptimam cervicis, imò primam dorſi vertebram, è ſpinali medulla originem petens, & ſurſum ad cerebrum aſcendens, inde in muſculos cervicis, ut & ſcapulæ ſuos impertit ramos. Undecimum complexum, tubulis pluribus, tam latis & mollibus, quàm teretibus & duris oritur, qui plexu uno omnes contenti è medulla caudæ medio corpore deſcendentes, inferiores vocis organi muſculos viſitant, & linguæ baſi præcipuè inſeruntur. Duodecimum occipitale infra proceſſum occipitis oritur, & in cervicis atque colli muſculos diſtribuitur.

2. *Par Opticum*, quod maximum, in medio unitum.

3. *Par Oculos movens.*

4. *Par Guſtatorium primum.*

5. *Par Guſtatorium ſecundum.*

6. *Par Auditorium.*

7. *Par Vagum*, quod membranis robuſtis inveſtitum, per foramen oſſis occipitis deſcendit ad jugulum, ramulos poſtquam collo, Laryngi, Linguæ, oſſiſque Hyoidis muſculis impertivit, hinc in Ramum internum & externum dividitur in utroque latere.

Ramus externus dexter, dimisſis aliquot ſurculis ad muſculos pectoris, *Nervum* conſtituit *Recurrentem dextrum.* Confert hic ad ſonum, imò ad tactum quoque in pleura, tunica pulmonis, pericardio atque orificio ſuperiori ventriculi, cum partes illæ omnes ab eo ramulos nanciſcantur.

Ramus externus ſiniſter Recurrentem ſiniſtrum efficit, ad eaſdem ferè partes accedens, quás accedere dextrum diximus, ad ventriculi orificium dictum delatus dextro jungitur, ſicque progreditur, & ad ventriculi orificium inferius, & ad hepatis partem inferiorem.

Ramus internus dexter intercoſtali cuivis muſculo propaginem exhibet, Diaphragma ubi perforavit, infimi ventris partes omnes nervo inſtruit, circa os ſacrum finem aſſumens.

Rami interni ſiniſtri eadem eſt diſtributio.

8. *Par linguam movens*

Nervi *Cavitate* gaudent, ac verò viſu eam dignoſcere non licet, niſi in nervis opticis, atque pudendis.

Uſus eorum eſt ope ſpirituum animalium toti corpori ſenſum & motum exhibere.

Vſus Chirurgicus.

Curatio affectorum Nervorum atque Tendinum adeo ſibi ſimilis ubique, ut etiam optimis authoribus confuſionis materia non ſemel fuerit. Diſtinctionis gratia præcipua proponemus.

I. Frequens Nervorum ex *Caſu* aut *ictu* Contusio, hîc ſiquidem Cutis quoque unionis ſolutionem incurrit, ulcus accedit, variorumque ſymptomatum, ex humorum affluxu, congeries. *Curatio* ea obtinet, quæ in vulnere Nervorum alio loco propoſuimus.

At

At verò *ſi nervus contuſus denudatus non ſit*, quod ex dolore multo majori magiſque continuo, quam in ſimplici contuſione carnis adeſſe ſolet, diſcernere licet, ſanguis coagulatus quamprimum ut reſolvatur ſumma cura ſit. Suppuratio enim ſiquidem accederet, facilè Nervus putredinem incurreret. Recipe itaque panniculum, & partem, oleis ſequentibus calefactis, foveto.

Ol. Caſtor. Lumbric. Aneth. Rutac. Chamom.
Roriſmarini.

Vel *Fomentum* hoc, calidè, ſpongiæ ope, parti contuſæ applicetur.

℞. *Rad. Iridis noſtrat. unc. ij. Fol. Roriſmarin. Majoran. Menthaſtr. an. M. ſ.*
Coq. ex Vino albo Gallico pro *Fotu*.

Vel *Empl.* ſeq. imponatur.

℞. *Rad. cyclamin. pulv. drachm. ij. Spec. diamb. drachm. j. Ol. caſtor. drachm. iij. Terebinth. drachm. j. Emplaſtr. de Betonic. unc. j. Mellis virgin. q. ſ.*
M. F. ſ. a. *Emplaſtrum.*

Mira etiam hîc præſtat Oleum Lavendulæ, ſi ad gutt. ij. aſſumatur, maximè ubi convulſiones accedunt.

2. Non rarò *nervi pituitoſo, lentoque, humore obſidentur*, unde *Partis ſtupor*, & quandoque *immobilitas.* Symptomata hæc ſequenti modo tollere ſoleo, præmiſſa, ſi neceſſe eſt, totius corporis purgatione.

℞. *Gumm. Carannæ unc. ſ. Galban. unc. j. Ol. Euphorbii drachm. j. ſ.*
M. F. Emplaſtrum.
Vel
℞. *Axung. humanæ, Anſeris, an. unc. j. Ol. terræ drachm. iij.*
M. F. Linimentum.

Inungatur eo pars affecta Mane & Veſp. Deinde ſuperimponatur *Emplaſt.* ſticticum Crollii, de Ladano, vel Diach. cum Gumm.

Curationem hanc ex officio accelerare poteris, ſiquidem internis roborantibus utaris, utpotè quæ nervos mire alterare poſſunt. Res hæc Medicum licet propriè ſpectet, placet tamen decoctum magnarum virium præſcribere, cujus uncias quinque bis de die adſumat æger.

℞. *Rad. Pæoniæ, Eryngii an. unc. ſ. Ireos drachm. iij. Fol. Majoranæ Roriſmar. an. M. j. Flor. Tiliæ, Lavend. Lil. conval. an. P. j. Cardamom.*

min.

min.drach.ij. Nucis moſchat. drachm.

Infundantur horis ſex in ſ. q. Vini alb. Gallic. poſtea Coquantur & Colat. libr. ij.

Adde

Syr. de Stœchad. unc. iij.

Miſce.

Frequenter etiam hoc contingit morbum Chronicum luxationem, & oſſis fracturam *membri contracti* cauſam eſſe; ſed hoc nequaquam Nervis, ſed tendinibus eſt adſcribendum. Reſtitutio hîc facilis uſu oleorum, unguentorumque induratos tendines emolliendi vi pollentium; imprimis ſi membrum ſingulis diebus, manibus, pondere aliquo & inſtrumentis extendatur.

℞ Ol. chamomill. Olivar. Vulpin. an. unc. ſ. Vng. althea Comp. unc. j. Pingued. Caponis unc. j. ſ.

M. F. *Linimentum*

CAP. XI.

De Carne.

CARO *pars ſimilaris eſt ſanguinea, mollis, craſſa, cum oſſibus corpori firmamentum & formam præbere, ſpermaticaſque partes tegere, apta.*

DIFFERENTIA. Caro triplex eſt.

1, *Muſculoſa.*

2. *Glanduloſa.*

3. *Viſceroſa.*

Caro muſculoſa eſt mollis, rubra, & caro propriè dicta, jam à multis annis *Muſculi* nomine venit.

Aſt verò MUSCULUS non eſt pars ſimilaris, utpote ex multis aliis, fibris v. g. tendinibus, nervis, membrana, venis, arteriis, compoſitio, quo motûs voluntarii aptius inſtrumentum foret, ad quem fibrę, tendines & nervi præcipue conferunt.

Tendine præditus eſt in principio æque ac fine, modo rotundo, modo lato, modo unico, modo pluribus.

Finis ejus, quo loco tendines & majores & copioſiores; *Caput* principium, quo nervus inſeritur; *Medium* quo caro protuberat.

Vſus eſt motum voluntarium promovere. *Peragitur hic* triplici modo.

1. Cum *Muſculi* eſt *contractio*, ſic ut finis accedat ad principium; & tum Antagoniſta quieſcit.

2. Cum *Motus* eſt *tonicus*, ſic ut contractus ad tempus eo in ſtatu permaneat.

3. Cum *Relaxatio ejus adeſt*, ſic ut ab antagoniſta in priorem ſitum & quietem reſtituatur.[a]

Caro Glanduloſa alba eſt, craſſa, & ſpongioſa, ex ſemine conſtans (unde etiam caro propriè vocari nequit) *ad id ordinata*, 1. *ut vaſa fulciat*, 2. *ut humiditates ſuperfluas recipiat*, undè partium nobilium *emunctoria* vocantur glandulæ.

Miras hîc diverſitates quidam Anatomicorum fingunt, at verò accurate glandulas omnes perluſtranti patebit, non adeò ſubſtantia quam uſu atque humore eas inter ſe diſcrepare.[b]

Caro viſceroſa ſive Parenchimatica rubra eſt & ſubdura vaſorum fulcimento, variiſque operationibus, nempe pulmonis, cordis, hepatis, lienis, renum, &c. inſerviens, de quibus ſuo loco dicetur.

Vſus Chirurgicus.

Muſculi variis morbis ſunt obnoxii, & plurimi eorum minoris æſtimandi, quam ut nunc ſinguli enumerentur: præterea aliquid conſcripſimus. Conſiderationem exigunt ſequentes, mire ſępiùs & patientiam & diligentiam Chirurgi exercentes.

1. ATRO-

[a] Quomodo fiat muſculi contractio, & ejuſdem relaxatio, quomodo peragatur totus ipſius motus, mechanicè deſcribunt Clar. Joh. Alph. Borellius, in ſuo motu animalium docto & amplo volumine, ut & Nicol. Steno in ſuo Specimine Myologico; iis ſc. demonſtrant variam muſculorum fabricam, exquiſitiſſimis Geometriæ & in ſpecie Mechanicæ regulis reſpondere. Sed ſi quis præter illa de conformatione mechanica, ulteriùs noſſe voluerit quo principio influente, in motus deſtinatos cieantur muſculi, quaque vi elaſtica eorum fibræ variè diſtendantur, conſulat præter mox memoratos Excellentiſſ. Williſium, & Mayovv, qui tractatus integros eoſque elaboratiſſimos ſuper hac re ſcripſere.

[b] Glandularum tantùm generalem quandam deſcriptionem hic exhibet Author, & earum uſus ad pauca eaque vulgaria reſtringit, jam verò ipſis debētur præcipuæ œconomicæ functiones, ut nervosè admodum & accuratiſſimè demonſtrant Excellentiſſ. Marcellus Malpighius, Nicol. Steno. De his autem ſuo loco.

I. Atrophia univerſi corporis ſæpiùs Cauſam internam agnoſcit at: quę eſt digiti, manus, brachii, pedis, fere ſolam Cauſam externam. Huc *fractura*, *luxatio*, *contuſio*, *tumor*, *vinculum arctius conſtrictum*, ſimiliaque venas arteriaſque vehementer adeò comprimentia, ut ſanguini ſufficiens ad partes denegetur tranſitus, unde emaciatio partis. Vaſa enim quod ſi in totum diſſecentur, aut integre anguſtentur, ſicut ne minimum ſanguinis ad partes deferri poſſit, extabeſcentia haud introducitur partis, ſed vero mortificatio.

Cauſæ hîc externæ removendæ, ſeduloque, ut ſanguini iterum concedatur ad partem acceſſus, curandum, *Fricatio* hîc locum habet, urticarumque (ut multi volunt uſus. Chymici Alumen plumoſum valdè commendant. *Olea* omnia calida hîc quoque proſunt. Inſignis etiam virtutis Vng. hoc.

♃. Summitat. Sabinæ. Iuniperi, Fol. Leviſtic. recent. an. M. ii. Flor. chamomill. Gran. Iuniper. an. P. ij. Ol. Laurin. Lilior. alb. an. unc. xij. Axung. porcin. unc. iii. Canis unc. j. ſ. Aq. vitæ unc. ij.

Coq. ad conſumptionem humiditatis expreſſioni fortiter factæ.

Adde

Ol. Spicæ drachm. iij. Iuniper. drachm. j. Seminis ſinap. pulver. unc. ſ. Rad. pyrethr. pulv. Piper. long. pulv. an. drachm. ij. Ceræ flavæ q. ſ.

M. F. Vnguentum.

Vel

R. Pul. Amiant. drachm. ii. Rad pyreth. drachm. j. ſ. Caſtorei, Euphorb. Ol. terræ an. drach. ij. Gumm. Ammoniac. unc. j. ſ. Ladan. & Ceræ q. ſ.

M. F. Emplaſtrum.

II. Sarcomatis vera generatio, me judice, hæc eſt. Oſcula arteriarum muſculorum nutritioni dicatarum plus juſto nonnunquam aperiuntur, ſive id per caſum fiat aut ictum, ſive per cauſam internam, in plethoricis imprimis hominibus & partibus indebitè motis. Extravaſatum ſanguinem calor nativus in carnem convertit; at verò cùm tantùm nutrimenti ſimul haud exigat membrum, hinc eſt, quod in altitudinem pręternaturalem excreſcat. Sanguis hic ſiquidem impurior, bilis dolorem, pituita viſcoſitatem, Melancholia duritiem cartilaginoſam producit: & humoribus

moribus hiſce etiam debetur, quod caro hæc præternaturalis ſit flava, alba, aut livida magis.

Raro veſiculæ propriæ includitur, niſi ubi pituita magna ex parte eam conſtituit, & talis tumor collo gaudet, aut ſaltem filo effici id poteſt. Venæ pro tumoris incremento etiam increſcunt, adeò ut etiam ſub cute pollicis craſſitie ſe exhibeant. In ſe malignus haud eſt, talem autem non raro Curatio malè inſtituta eum efficit; aër hîc plurimum noxæ adfert, ubi tumor illi exponitur: Medicamenta optima vulgo reſpuit, & hiſce etiam invitis, tumor magis ac magis increſcit. Imò rariſſime curabis, niſi vel filo, vel cultro, vel utroque, eum abſtuleris. In principio curatio eſt tentanda medicamentis fortiter adſtringentibus & repellentibus: adhibentur quoque vincula leniter ſtringentia, præmiſsâ applicatione laminæ plumbeæ, aut Empl. Diachalcit. de Ranis cum Mercurio, aut ſeq.

♃. Cortic. granator. Rad. biſtort. an. drachm. j. Scoriæ ferr. Argent. vivi. Plumb. uſt. an. drachm. ij. Bol. Armen. Lapid. hæmathit. an. drachm. j. ſ. Terebinth. & Ceræ q. ſ.

M. F. ſ. a. *Emplaſtrum.*

Purgatio interim, *Venæſectio*, *Scarificatio*, *Hirudinum applicatio*, ſuis locis non negligendæ; *Sudoris* quoque *provocatio*, *Vigiliæ*, atque *Inedia* plurimum conferunt. Quod ſi media hæc omnia reſpuat Tumor, augmentum indies ſumens, *Suppurantia* applicari poſſunt. Hiſce, paucorum dierum ſpatio, nihil efficientibus, & tumore in eodem ſtatu permanente, *Cauterium actuale* adhibeatur, neque nos turbent perverſa minimè cordatorum Chirurgorum circumſtantiumvè judicia; nam ejus uſu ad longum temporis intervallum tumoris accretio ſiſtetur, imò aliquando totum eradicabitur malum. Quod ſi caro præter ſpem propullulare rurſus cœperit, filo aut cultro perficiendam exſtirpationem aggredi & differre Chirurgus non debet. *Filum* hic adſumatur & tenue & forte, quod Belgice *Makreel garen* appellatur. Bis hoc collo tumoris circumducatur, factoque nodo duplici, repetatur conſtrictio hæc eodem die, imò inſequentibus etiam aliis, uſque dum colore, tactu, vitaque tumor privatus, quod, ut die VII. aut VIII. peractum ſit, requiritur. Cultro tunc falcato is auferatur, quod factu facillimum, cùm nec dolor magnus,

nec

nec hæmorrhagia gravis metuenda. Mortificationem tumoris hujus accelerat uſus fili aquâ Mercuriali aut Arſenicali madefacti: at corpus hic requiritur phlegmaticum, in aliis enim dolor atque inflammatio adeò affligunt ægrotantem, ut rarum ſit, filum hoc, brevi effluxo tempore, non tolli: poterit tamen chirurgus, ad ſymptomatum mitigationem, atque refrigerationem, partem eam quam filum attingit, ung. albo camphorato, roſar. aut ſimili, penicilli levioris ope, inungere, animo ſuo interim ægrotantium alterum altero magis patientem eſſe revolvens.

Cultro ſolo quod ſi uti placeat, ut totus auferatur tumor ſumma ope nitendum, vel alioquin ab ipſa operatione abſtinendum, niſi maxima tibi reliquias medicamentis conſumendi ſpes affulgeret. Interim prudenter ſibi caveat Chirurgus, ne vaſa majora diſſecet, quo fluxum ſanguinis ſedare poſſit.

III. *Carnem viſcerum* Medicus magis tractat quam Chirurgus.

IV. De *Carne glandularum* variis locis in ſpecie agemus. In genere notetur, 1. Glandulas frigidioris temperamenti eſſe, adeoque medicamenta calida benè, frigida ægrè, perferre.

2. Tunicâ eas inveſtiente eroſa aut diſſecta, cutem conſolidari non poſſe, antequam glandula tota, cum tunica tegente, ulcere conſumpta ſit. 3. Medicamenta exedentia ulcera glandularum, paucarum ſeptimanarum ſpatio, ſiquidem non curaverint, ſpem nullam curationis bonæ ſupereſſe, ob humorum continuum affluxum. Et hæc ratio eſt, cur ſectione eas tollere plerumque cogamur.

CAP. XII.

De Cute.

CUTIS *eſt pars ſimilaris ſpermatica, ſanguine exiguo permiſta, rubicunda, alba, laxa, corpus inveſtiens, & tactui tanquam pro inſtrumento inſerviens.*

Cuticula eſt inſtructa, ut tanto magis corpus noſtrum tueatur; poriſque ubique perforata, ut fuliginibus, vaporibuſque inutilibus, exitus detur, *Foraminibus* itidem prædita manifeſtis, qualia ſunt os,

naſus, auris, &c. quorum uſus unicuique ſatis eſt perſpectus.

Venas arteriaſque poſſidet cutanea, imò & nervos. [a]

Vſus eſt Corpus inveſtire, præterquam quod etiam inſtrumentum ſit tactus. [b]

Vſus Chirurgicus.

1. *Cutem* ictero, lentiginibus, aliiſque æſtivis maculis defœdatam *levem pulchramque* reddit aqua hæc:

Aqua Coſmetica Minſichti.

℞. Thuris alb. Sacchar. cand. an. unc. ij. Hermodactil. alb. Ireos, Florent. Borac. Venet. an. unc. j. Sal. Tartar. Eboris uſt. Camphor. an. unc. ſ. Flor. lilior. alb. Nenuphar. alb. Malv. hortenſ alb. an. M. iij. Mell. virgin. unc. iii. Lactis Caprin. libr. iv. Aq. flor. fabar. Roſar. pallid. an. libr. j. ſ. A. lilior alb. Sigill. Salomon. an. libr. j.

Mixta deſtillentur in B. M.

2. CICATRICES, poſt variolas, vulnera, aut ambuſtionem, remanentes cutimque apprime defœdantes, ſequentibus tollimus medica-

[a] Cutis Arteriæ, Venæ, &c. copioſiſſimè implantantur in glandulas minimas ex Illuſtriſſ. Stenonis authopſia per totam ſuam ſubſtantiam reſperſas; qua itidem authopſia conſtat glandulas illas donari vaſe excretorio in cuticulam terminato, & valvula tenuiſſima è cuticula ipſa emanante cooperto, quæ pro varia ſua tenſione, vel relaxatione, tranſpirationem per vaſa excretoria prædicta peragendam, permittat, vel impediat, liberiorem, vel difficiliorem faciat. Nervos quod attinet illi variam ſortiuntur originem, & in papillulis innumeris in cute conſitis terminantur, ſeu potius, eaſdem papillulas è propria ſubſtantia propriiſque fibrillis contortis efformant. Jam verò hæ papillulæ impreſſiones ab omnibus objectis tangibilibus emanantes excipiunt, eaſdemque per nervos ſibi continuatos ad cerebrum uſque deferunt, ac propterea verum & legitimum tactus organum audiunt; maximè autem conſpiciuntur, & ordinibus geminatis, in rugis prope circularibus, extremos digitos occupantibus, nec non in vola manus, & aliis partibus tactui particulariùs deſtinatis.

[b] In Cutis uſibus Clariſſ. Author nihil de tranſpiratione habet, cujus tamen cognitio Medio perquam eſt neceſſaria, ſiquidem è Sanctorii obſervatione, attentoque examine, tantùm una die *in Regionibus calidis*, per illam evacuatur, quantùm diebus quatuordecim, per alvum, veſicam urinariam, aliaſque omnes vias ſenſibiles, excernitur. Illa autem trāſpiratio perficitur ope glandularum cutanearum vas ſuum excretorium in cuticulam emittentium, de quibus jam ſatis.

medicamentis, præmiſſo, ſi profundiores majoreſque fuerint, exedentium primo, hinc Sarcoticorum uſu.

℞. Borac. Venet. drachm. iii. Camphor. ſcrup. j. Fell. bovin. drach. j. Ol. myrrh. drachm. ij. Axung. Capon. unc. ſ.

M. F. *Linimentum.*

Vel

℞. Pulv. radic. ſerpentar. Ireos an. drachm. iij. Sem. melon. excortic. Raphan. an. drachm. j. Teſtar. ovor. combuſt. drachm. ſ. Cret. albæ vulgar. drachm. j. ſ Thuris drachm. j. Sacchar. cand. drachm. iij. Gumm. Tragac. aq. roſ. diſſol. unc. j. Axung. anſeris q. ſ.

M. F. *Linimentum.*

3. Cutem aliquando exaſperat Scabies humida, aliquando ſicca, proſerpens, exedens, & aliquando maligna. Hæ ſcabiei differentiæ quaſi diverſum curationis modum indicant, ſed tam exiguæ ſunt, ut generalioribus bene cognitis, minimè difficile ſit, judicioſè omnia conſideranti, in ſpecialioribus rite procedere.

Cauſa hujus morbi cùm humor ſit *acris*, bilioſus, ſeroſus, ſalſus, pituitæ quandoque mixtus, ſæpiùs repetitus uſus purgantium, ſudoriferorum, emeticorum, venæſectionis, ſcarificationis, hirudinum, Balnei naturalis aut artificialis, medicamentorum refrigerantium, exſiccantium, atque acrimoniam attemperantium, lotionis itidem & inunctionis multum boni in hoc caſu præſtat. Paradigma cujuſvis ſingulare exhibere placet.

Decoctum purgans.

R. Rad. Aſparag. Graminis, Polypodii, an. drachm. vj. Liquiritiæ drachm. iij. Fol. fumariæ. Cichor. an. M. j. Senn. elect. unc. j. ſ. Rhei optim. unc. ſ. Tamarindor. unc. j. Sem. Anis drachm. ij. Crem. Tart. drachm. iij.

Infuſa horis 24. in ſ. q. ſeri lactis Coq. & Colatur. libr. j. ſ.

Adde

Syr. Diacnic. unc. iij.

M. F. *Apozema.* Doſis unc. iiij.

Vomitorium.

R. Oxyſacchar. Vomitiv. Syr. roſat. ſol. cum ſen. an. unc. j. Aq. fumariæ q. ſ.

M. F. Hauſtus.

Sudoriferum.

℞. Flor.

℞. *Flor Sulphur. Antim. diaphoretic. Sal. card. bened. Lapid. prunell. an. drachm. j.*

M. F. Pulvis.

Dividendus in vj. Doſes æquales.

Balneum.

℞. *Rad lapathi acut Bryoniæ an. unc. vj. Fol. fumariæ M. vj. Flor. Chamomill. M. iij. Furfur. libr. j. Sulphur. crud. unc. ij. Nitri unc. j. Alumin. unc. j. ſ. Salis commun. unc. ii.*

Miſce.

In Scabie gravi atque pertinaci *Pulvis ſerpentum* excellentiſſimum eſt remedium: præparatio ejus hæc eſt. R Serpentem (menſe Martio, & ante ovorum, ſi haberi poſſit, excluſionem,) eumque, capite & caudâ amputatis, pelle detractâ, viſceribuſque interioribus omnibus (exceptis linguâ, corde & jecore) abjectis, in fornace moderatè calida in pulverem exſiccari permitte. Doſ. à gr. iv ad xv.

Præſtant ſerpentibus *Viperæ* ſimili modo ſiccatæ, etiam in Lepra ipſâ commendabites.

Fomentum.

℞. *Gypſi uſt. unc. j. ſ. Calcis. viv. unc. ii. Lithargyr. aur. unc. ſ. Bol. armen. unc. j. Fol. nicotian. ſiccat. unc. iij. Vini alb. Gallic. lib. j. Aq. puræ lib. ii.*

Coquantur pariter, & Colatura detur uſui.

Linimentum.

℞. *Sulphur. crud. drachm. ij. Sapon. Venet. drachm. j. ſ Nitr. præp. drac. ſ. Lithargir. aur. drachm. ij. Merc. dulcis drachm. j. ſ. Vnguent. alb. Camphorat. unc. j.*

Ol. lign. Rhodii gutt. viij.

M. F. *Unguentum.*

Cap XIII.

De Pinguedine, Vnguibus, & Pilis.

Pinguedo, Pili, & Vngues an Partibus corporis annumerari debeant, an verò inutilibus corporibus excrementis, diu multumque inter doctos agitatum. Verùm ego nemini bene curatam & pinguedine obſitam cutem invideo, neque de pilis rixari ſoleo, imo non lacerantem unguibus, non facilè lacerabo. Qua de cauſa, ea nec excrementa habenda cenſeo, nec partes proprie dictas.

Non

Non ſunt excrementa, dico, corpora enim ſunt communi cum reliquis vitâ nutrimentóque gaudentia, neutiquam alia nutrientia, publicumque in commodum uſus obtinent ſingulares.

Non partes ſunt propriè dictæ, circumſcriptione enim certâ deſtituuntur, nullamque operationem ſpecialem edunt. Pinguedo tempore neceſſitatis & inediæ nutrimentum præbet. Pili verò & ungues ſine læſione totius decurtari poſſunt.

ADEPS, ſ. PINGUEDO *ſimilaris pars eſt ſanguine conſtans, mollis, alba, inſenſilis, calorem nativum conſervare, chylificationem adiuvare, motum facilitare, partes ſiccas humectare, & tempore inediæ corpus nutrire, apta.*[a]

PILUS *pars eſt ſimilaris, ex abiectiſſima ſanguinis parte producta, partes quaſdam tegens, & aliquo modo exornans.*

Exterius *quadratus* eſt, intus *cavus*. *Coloris* varietas temperamento hominum, ætati, aërisque ſive regionis conſtitutioni, debetur.[b]

UNGUIS

[a] Siquidem hic de pinguedine agitur, aliquid ſanè dicendum venit de Membrana Adipoſa, uno è corporis communibus tegumentis. Illa autem membrana cuti eſt ſubjecta & in multas excavatur cellulas humore pingui & oleoſo, per vaſa ſanguifera advecto, refertas. Nec aliquis hic opponat cum Illuſtriſſ. Gliſſonio humorem ab arteriis depoſitum rubrum eſſe debere; quoniam etiam ſi tota ſanguinis maſſa oculis videatur rubra, propter multitudinem particularum ſulphurearum ſalibus intimiùs unitarum, in ſe tamen complectitur partes eaſque ſulphureas, ſed ſalibus minimè unitas, a que propterea à rubedine prorſus alienas, quæ à maſſa ſeparatæ rubrum colorem minimè referunt. Cellulæ prædictæ in infantibus & puellis junioribus, præſertim macrioribus ſanguine nonnihil ſuffunduntur, ut etiam videmus eorumdem medullas colore purpureo tinctas; cujus rei hæc forſitan erit cauſa, quòd ſc. mollior & laxior conſiſtentia juvenilis corporis liberiorem viam præbeat ſanguini in partes properanti, ſicque cribrationem & filtrationem ejus, ſeu variarum particularum contentarum ſeparationem, accuratiſſimè non perficiat.

[b] Pili in ima cute radices ſuas figunt, & ut inquit Excellent. Malpighius, rotundo & mucoſo capitulo in ovali quodam involucro, veluti in florali teſta implantantur, indeque foras erumpunt per cutis & cuticulæ poros, ſive areas inter fibras & vaſa interjectas. Eapropter ſi illæ areæ, ſeu illi pori eruptioni prædictæ per certam ſuam figuram apti, obſtruantur, vel figuræ immutationem patiantur (quod in cutis cicatricibus profundioribus evenit) tunc minimè prorumpunt. Tota antiquitas eorum originem & nutrimentum repoſuit in fuligine quadam excrementitia; ve-

UNGUIS *eſt pars ſimilaris, ex parte itidem ſanguinis impuriſſimâ genita, flexilis, dura, digitos ab externis injuriis defendens, & quodammodo exornans.*

Radix ejus ligamento cuidam jungitur, & ob vicinos adſitoſque ei tendines ſenſilis eſt.

Uſus Chirurgicus.

I. Sanguis omni prorſus pinguedine, vel ea ex parte carens, non magnopere commendabilis eſt. Ejus copia carnoſa, unctuoſitas pinguia, & macies emaciata corpora conſtituit. Pinguedo hæc ſanguinis in partes corporis effuſa in pinguedinem naturalem concreſcit copioſius in partibus frigidis, v. g. in Ventre imo, Mammis, &c. quam in calidis partibus. Hæc judicium noſtrum confirmare poſſunt, quoties poſt venæſectionem ex ſanguine ſigna ſunt ſumenda

rùm præſtat illam referre ad peculiarem ſuccum ſanguineum in ipſorum radices advectum, & in involucro cui implantantur præparatum, qui per minima vaſcula totam ipſorum longitudinem occupantia, & microſcopii ope facillimè detegenda, ad omnes eorum partes propellitur: ſicque eadem ratione nutriuntur ac avium pennæ, muſcus, polypodium, nec non aliæ plantæ, in arborum dorſis, vel in ipſo terræ ſinu excreſcentes. Defluunt pili, primò ſi alimentum ipſis deficiat, vel propter anguſtationem cutis, vel propter frigoris intenſi & continuati, actionem, ſuccorum ad corporis circunferentiam vergentium activitatem ita retundentem, ut in via & ad terminum nondum progreſſi ſubſiſtant, ea de cauſa hyeme ita exareſcunt pili in animalibus, ut ineunte Vere defluant. Deficit præterea pilorum alimentum, cum eo privatur totum corpus, quod experiuntur illi qui longis affliguntur obſidionibus, atque etiam morbis; quibus quoniam per id tempus omnia vitæ ſuſtentandæ neceſſaria non ſuppetunt, vel propter morbum debito non præparantur modo, ſucci alimentarii deficiunt, quibus defraudati pili defluunt. Secundò defluunt pili ſi erodantur à ſuccis acribus, quales ab arteriis ſuppeditantur in Alopecia & Mentagra, unde idem perficitur quod per oleum vitrioli, arſenicum, aquas ſtygias, calcem vivam &c. exteriùs admota perficeretur. Tertiò defluunt pili cùm cellulę, ſeu involucra in quibus implantantur ita laxantur, ut ex iis facile excidant, quod ſane effici poteſt à ſudoribus copioſis, tempeſtate calida & humida, veſtibus & integumentis calidis, ſed omnium validiſſimè ab aqua ferventi cuti affuſa. Quartò defluunt pili cùm pori è quibus prorumpere ſolent reſtringuntur, imò aliquando coaleſcunt & obliterantur, ſic enim calvities nulla pilorum relinquens veſtigia efformatur.

ſumenda. Quæ enim ſuperior ejus pars malè plurimis pituita ſanguinis, adeoque vitioſa portio, habetur, ſępè optimus ſanguis eſt. Hoc igne dignoſci poteſt, nam pinguedo ſi ſit, flammam excitat, ſi verò phlegma, tunc crepare ſolet. Huc accedit pinguedinem, quoties in curatione affectus alicujus externi impedimentum aliquod affert, ſine dolore aut incommodo ullo, reſecari poſſe.

II. UNGUES ſæpiùs Fiſſi ſunt, Aſperi, vitioſique Coloris. *Cauſa* vitioſus *humor*, aut aliquid extrinſecus adveniens. Curari vitia hæc poſſunt ſępiùs iterata ſuperflui ablatione, emplaſtrique ſeq. impoſitione.

♃. Reſinæ unc. ſ. Terebinth. Thuris, Maſtich. an. drachm. ij. Sevi hircini, Ceræ virid. an. drachm. v.

M. F. ſ. a. *Emplaſtrum.*

Sanguis nonnunquam *ſub ungue* hæret *coagulatus*, qui hoc Emplaſtro diſſipari poteſt.

♃. Rad. ranuncul. Sigil. Salomon. Myrrhæ rubr. an. drachm. j. Gumm. ſagapen. unc. j. Ol. nucum drachm. j.

M. F. *Emplaſtrum.*

In DECIDENTIA UNGUIUM digitale parandum eſt ex Cerâ viridi, Ladano, Ammoniaco, &c.

III. DEFLUVIUM CAPILLORUM frequens malum, cujus Cauſa febres ardentes, Cephalœa, Lepra, Lues Venerea, ſimileſque morbi alii. Regeneratio hîc nulla expectanda, antequam cauſa jam aliquo tempore ſublata. Hoc facto, externa ſeq. in uſum duci poſſunt.

♃. Abrotan. Capillor. ven. Malv. Majoran. an. M. j. Cumin. Rad. petroſelin. Rad. raphan. Storac. Calamit. & liquid. Myrrhæ rubræ, an. drach. v. Euphorb. Cantharid. an. drachm. j. Gumm. ladan. unc iij. Ol. lilior. alb. unc. j. Sem. urtic. Rom. unc. ſ.

Infuſa horis 36. in aq. puræ lib. vj. deſtillentur in B. M.

Vel

♃. Aloës drachm. j. Agaric. Colocynthid. an. drachm. ij. Sem. Eruc. unc. ſ. Sal. Chamomil. ſcrup. ij.

Infundantur horis 24. in Vini alb. Gallic. unc. xv. & Colatura detur uſui.

Cap. XIV.

De Sanguinis generatione, ejuſque Motu circulari.

Hactenus egimus de partibus ſimilaribus, propriè impropriéque ſic dictis, ex quibus diſſimilares componuntur. Conſervationi earum inſervit ſanguis, uti actionibus inde provenientibus ſpiritus. Quomodo autem ſanguis in corpore noſtro generetur, & quotuplices ſpiritus in eodem reperiantur, nondum nobis ſatis eſt perſpectum. Hac in re mire inter ſe ſcriptores diſſentiunt, ut ipſiſſima veritas quaſi in profundiſſimo puteo latitare videatur. Attamen amor & ſtudium veritatem accurate inveſtigandi mihi libenter concedent, ut ſententiam meam aperiam, ſemper tamen meliori locum cedens.

Sanguificationem hoc modo perfici concipio. Cibus firmior, ore receptus, dentibus comminutus, *ſalivâque* humectatus, ad chylificationem aliquomodo præparatur.

Saliva hæc unde originem habeat, nemo quod ſciam, rectè demonſtravit. Derivari poſſet ex arteriis & nervis, quandoquidem ad glandulas maxillares varios ramulos deducunt, quibus ſeſe *ductus ſalivales*, noviter inventi, inſerunt. Præterea & Salivatio arte excitata huic ſententiæ aſſenſum præbere videtur.

At verò, cum tam magnam Salivæ copiam, qualem ſæpiùs nos ejicere brevi tempore experimur, artèrias nervoſque à ſanguine ſeparare poſſe, vix poſſibile mihi videatur; *Eam ex Ventriculo*, & *Lymphæ ductibus*, quos ſalivalibus cohærere exiſtimo, ob ſequentes rationes derivare malo. [a]

1. Quo-

[a] Nobiliſſ. Des-Cartes eandem ex parte cum Clariſſ. Authore de Salivæ origine defendit opinionem, ſcil. illam è ventriculo per æſophagum deducit, ſub forma vaporis qui in ore condenſetur; ſed hallucinatur uterque, & ille quidem, quòd vaſa ſalivalia ſuo tempore nondum eſſent detecta, hic verò, quòd duplex tantùm ejuſmodi vas viderit, cùm tamen illa ſint plura, imò innumera; nam præter duo interiora, à Clariſſ. Warthono, duo exteriora majora, ab Illuſtriſſ. Stenone primùm demonſtrata. Duo alia juxta Warthoniana ſub lingua aperta, & à glandulis duabus conglomeratis Stenonio ſublingualibus dictis, aſſurgentia, à Caſparo Ba-thol.

1. Quoties deglutitio inſtituitur voluntaria, ex Ventriculo in os ipſum ſalivam quaſi adſcendere obſervamus: præſertim, ſi cibus potu humectatur.

2. Lingua, Os, & Ventriculus totus communi tunica intus conſtant.

3. Cibus in ore æquè ac ventriculo ſaliva commiſceri debet.

4. Moleſtum valde foret inter comedendum continuò bibere, Ventriculo verò facillimum adſumptum liquorem aliquamdiu conſervare, atque ex eo ſenſim portionem aliquam ori communicare.

5. Lymphæ ductus totum corpus pererrant, adeoque & ventriculum & linguam accedunt.

6. Nullum humorem è corpore noſtro excerni judico, niſi per ductus peculiares. Adeoque, variis rationibus motus, Lachrymas quoque ſingulares per canales evacuari cenſeo, quos diligentior manus, ſive noſtra fuerit, ſive aliorum, aliquando reperiet; imò Nobiliſſimus Vir *Ludovicus Bilſius*, Anatomicus magnus, jam repertos atteſtatur, & promittit ſe eoſdem in corpore & figuris veritatis cultoribus demonſtraturum.

Si ex

thol. Thom. Filio ann. 1682. primùm detecta; (contra quem tamen de inventione diſputat Doctor quidam Lipſienſis, Auguſto Quirino Kivino ejuſce loci Profeſſori ipſam tribuens, ut conſtare credit ex corollariis adjunctis diſſertationi medicæ de Dyſpepſia ann. 1679. 3. Octobr. ſub præſidio prædicti viri habitæ, quorum primum diſtinctiſſimè de hiſce vaſis, eorumque origine, decurſu, & orificiis verba facit.) Et alia duo à glandula utrinque intra orbitam cranii ſita, muſculum intra oculum abducentem, & oſſis jugalis partem ſupremam, è pluribus ſurculis in unum utrinque truncum coëuntibus, ad ſecundum dentem molarem (à poſterioribus numerando) ſuperioris maxillæ, deſcendentia, ibique orificiis in ſuprema utrinque gingivæ parte conſpicuis, manifeſta; quorum cognitio debetur diligentiæ Clar. Ant. Nuck, Anatomici Hagienſ. Celeberr. dexterr. innumera præterea minima reperiuntur in toto palato, faucibus, &c. quæ per compreſſionem prædictarum partium facillimo demonſtrantur negotio, dum ſic ſc. per ea omnia liquoris ſalivalis in glandulis ſubjectis, unde producuntur, contenti & expreſſi, guttulæ emanantes conſpiciuntur. Nec eſt quod mireris per vias jam à nobis aſſignatas abundantem ſalivam continuo excerni poſſe, imò in horrenda à mercurio concitata ſalivatione, abundantiſſimam, ſiquidem majores arteriæ glandulas unde oriuntur ductus VVarthoniani, Stenoniani, Bartholiniani, & Nuckiani irrigant, in iiſque lympham ſeu ſalivam copioſam deponunt, & præterea

Si ex me quæras qualis ſit naturæ ſaliva? Reſpondeo eam habere *ſalſam.* Nec tamen ſemper neceſſarium eſt, ſalſedinem hanc lingua percipi, quod ſalium artificialium naturam cognoſcentes, ſatis ſciunt. Alimentis potulentiſque omnibus ſal aliquod naturale ineſſe certum eſt, certum quoque non tantum ciborum commixtionem atque coctionem Sal adjuvare; ſed etiam ad humorum fermentationem promovendam plurimum conferre. [b]

Ductus Salivales, quorum jam ſæpiùs facta mentio, *Tunicâ* forti ſatis conſtant, ureteribus haud abſimiles, niſi quod minores.

Utroque latere *unus* eſt.

Originem ducunt, variis radicibus inſtructi ex glandula quadam magna tendini muſculi digaſtrici incumbente, haud procul à corona maxillæ inferioris. Hinc, ſub lingua, ſupra paris noſtri octavi nervum magnum, ad interiora oris decurrunt, ubi in glandulis duabus raninis linguæ vinculo adjacentibus terminantur, ex quibus variè perforatis ſaliva in os exit. Porrò ſcripta VVhartoni, Gliſſonii & Joh. ab Horne curioſitati tuæ ſatisfacient. [c]

Dentibus ſic comminutus & ore ſic præparatus cibus per *œſophagum*, muſculorum propriorum opera, in *Ventriculum* defertur. Hic, quo melius eum conſervet, undique ſe mox conſtringit, unde *orificium*

terea innumera arteriolarum capillamenta alias omnes glandulas minores faucium, palati &c. perreptant, quæ ſucci ſalivalis multum ſuppetunt, præſertim cùm mercurii ope exagitatur ſanguis ejuſque ſerum, & ſublimantur varia ſalia in ipſis contenta, quæ ſuo in capitis glandulas appulſu vias non tantùm ſero excernendo reſerant, ſed etiam idem ſerum diſſolvunt, ſicque fluidius & excretioni aptius atque promptius reddunt. Rationes quas Author adfert in ſuæ ſententiæ probationem nullius ſunt ponderis, pro oppugnanda demonſtratione ex parte propoſita, itaque illis minimè immoramur.

[b] Nobiliſſ. Franc. De le Boë Sylvius affirmat ſalivam in ſe continere multum aquæ, parum ſpiritus volatilis, & minimum ſalis lixivioſi cum olei ſpiritusque acidi tantillo miſti, temperatique. Unde deducit in illa contineri fermentum aptiſſimum, quo deficiente vel vitiato, alimentorum in ventriculo coctio non parum interturbetur. Propterea omnibus alimentis facillimè admiſcetur ſaliva, imò argento vivo aſſociatur.

[c] De Ductibus Salivalibus jam quædam diximus; qui plura voluerit conſulat non tãtum Warthonum de Glandulis

tium ipſius *ſuperius* arctè clauditur, *inferius* vero laxe tantum, ut chylus, etiam leviſſimè preſſus, ibi exitum inveniret.

Ventriculo receptus cibus, ſaliva, potu, propriaque humiditate undique humectatus, per calorem nativum illico decoqui incipit. [d] *Ordo* hîc neutiquam is obſervatur, qui in aſſumptione cibi obſervatus erat. Verum equidem, in principio eo ordine diſpoſita aſſumpta obſervavi, quo ab animali, quod diſſecatur, fuerant ingeſta, at poſtea, ventriculus, continuò digerens, cibum illum qui facilis coctionis eſt, primò ad inteſtina ablegat, nec ullo modo, uſque dum etiam alius concoctus, eum detinet, quod evidenter ſatis alvi dejectiones vomituſque declarant, modo excreta inſpicere placeat. [e]

Conco-

dulis, ſed etiam Stenonis Obſervationum de Glandulis oris tractatulum, Caſpar. Bartholin. de Ductu ſalival. hactenus non deſcripto Obſervation. Anatomicam, Anton. Nuck de Ductu Salivali Novo &c. tractatum: & præterea Schneiderum de Catharris.

[d] Coctionem alimentorum in Ventriculo quod attinet, credimus illam ſequentibus mediis perfici. Sc. portio alimenti cocti in rugis ventriculi relinquitur, quæ ſalivæ perpetuò deglutitæ immiſta, à ſpiritibus per hujus viſceris nervos appellentibus, ut & à calore tam proprio, quàm vicinarum partium, exagitatur, & ad fermentandum impellitur: Sic ejus ſalſæ particulæ ad ſtatum fuſionis liquantur, ita ut in ſulphureas & ſatis paucas, & forſitan præ tenuitate & volatilitate partim inter fermentandum per viſceris poros aliaſque vias avolantes, prædominium conquirant & ſpecifico modo aceſcant, atque aptæ evadant cibis priùs in ore per maſticationem & ſalivæ admiſtionem præparatis citiſſimè penetrandis eorumque compagi pro chylificatione peragenda diſſolvendæ.

[e] Tempus ſeu ſpatium quo chylificatio in ſtomacho peragitur Noachus Saſſius, obſervationibus Bilſii fretus, confidenter admodum aſſignat. Si canis, inquit, ſolo lacte dulci nutritus fuerit, tunc poſt duas circiter horas chylificationē perfectam eſſe demonſtrari poteſt. Si iſti lacti admiſtus fuerit panis albus, tunc chylificatio tribus horis, aut paulò minori ſpatio, abſolvitur. Si lac cum farina triticea in pultem excoctum, & ſic à cane comeſtum fuerit, requiruntur ad minimum quatuor horæ, antequam chylus in vaſis lacteis demonſtrari poſſit. Si verò canis ſolo pane ſiligineo fuerit nutritus, vix ſex horarum ſpatio chylificatio perficietur. Quæ omnia ex parte demonſtrant qui cibi citiùs & faciliùs, qui itidem tardiùs & difficiliùs, in ventriculo coquantur; ſed verum tempus variorum ciborum coctionibus neceſſarium non ſatis præfiniunt. Nam præterquam

Concoctus cibus albedinem aſſumit, qualis & in cremore lactis, & hic *Chylus* dicitur. [f]

Chylus *ex Ventriculo per pylorum Inteſtina* intrat, in quibus notabilis *periſtal-*

terquàm quòd ab experimentis allatis nihil omnino concludendum venit pro ventriculo humano, & coctione in ipſo perficienda, quoniam à canino prorſus differt: omnium etiam canum ventriculi eadem ratione non ſunt diſpoſiti, & ſucci fermentacei iſtius partis, in variis unius ejuſdemque ſpeciei individuis multum differunt; unde fallax eſt concluſio quæ à quibuſdam tantùm experimentis elicitur. Credimus tamen peritiſſimum anatomicum eaſdem obſervationes ſæpiùs inſtituiſſe, ſuperque iis pluries repetitis, quæ jam ex ipſo retulimus affirmaſſe Verùm ſupereſt ſcrupulus, an ſc. intelligendus ſit de totali alimentorum coctione, an verò de partiali tantùm eorumdem attritione? Novimus uno eodemque tempore non diſſolvi omnes ingeſti alimenti particulas, atque una è ventriculo non excidere, ut bene aſſerit Clariſſ. Author, ſed tenuiores à craſſioribus primò ſeparatas, per pylorum in inteſtina illabi, indeque in lacteas abire, ſub forma chyli perfecti ibidem viſendas, dum cæterarum ulteriori elaborationi incumbit ventriculus. Nos itaque, cùm nihil admodum certi ſuper hoc negotio, nec in propriis, nec in alienis obſervationibus, habeamus, & videamus idem etiam numero animal, variis temporibus, variè eadem excoquere alimenta, concludimus certum & determinatum aliquod ſpatium illi coctioni non poſſe præfiniri. Nam ut eleganter exclamantem ventriculum introducit Clariſſ. Svvallue, in ſua de querelis & opprobriis ventriculi diſſertatione *p. m.* 49. Lacticiniis vix horulam, non integras oleribus duas impẽdo. Ne id quidem temporis piſcium mollities ſibi depoſcit. Panificia compactiora quaternis vix horis in cremorem mihi cogibilia ſunt, & quò quidque ex carnibus durius, eò protractius ac ſpiſſius exigit officium meum. Recuſat ovilla, nec patitur bubula, ſex ſeptemvè horis ſuam frangi pertinaciam. Singulis tamen ne quidem ipſe ego ſpatium ſuum præfinire poſſim. Jam alacrior mihi fermentalis ſuccus, jam ſubſtantia mea mage fortiter facit: etiam uſibus deſpoliantur ſuis, enervanturque haud rarò. Taceo jam enim quampluſrimos caſus, qui negotium interturbant: nunc hoc, nunc illud eſt, quibus languidus dego. Hæc enim mea miſeria, hinc meæ lachrymæ, quòd conſtare mihi ab externis incurſibus nequeam, quòd muneri meo infringendo tot ac tantis erroribus expoſitus ſim. Tam fæcunda mihi hæc mala, ut ſemper in chylificando finem debitum non aſſequar.

[f] Chylus propterea albus eſt, quòd particulæ alimenti ſalinæ cum ſulphureis diſſolutæ, ventriculi fermento acidiuſculo commiſceantur. Sic videmus liquores ſale & ſulphure imprægnatos affuſo acido lacteſcere. Interea hic color in ventriculo obſcuratur, & ad cinereum ut plurimum vergit, ob ab-

periſtalticus motus, Ex hoc *Venæ lacteæ* partibus alendis utile ſugunt, & inutile per alvum ejicitur. g.

Venæ

ob admiſtas partes excremẽtitias, perfectæ diſſolutioni ob terreſtreitatem aliaſque inimicas qualitates ineptas: at verò chylus in inteſtino à particulis memoratis ſeparatus, nec non ulteriùs acidiuſculo pancreatico admiſtus, albeſcit magis magiſque, donec ſub forma lactis in vaſis, inde lacteis dictis, viſatur. Hic audire eſt Clar. Moëbium qui in Fundam. ſuis Medic. Tractatu de ventriculo, habet. Qui dicunt, chylum eſſe album intelligendi ſunt de chylo propriè ita dicto, non de latè ſumpto, qui ſæpiùs diverſi coloris. Hinc videmus, chylum in ventriculo eſſe vel cinereum, vel pro diverſitate cibariorum interdum nigricantem, flaveſcentem, vel etiam vireſcentem. In boum & vaccarum ventriculis chylus ſæpè planè viridis, ob herbas, & gramina ingeſta: quod in ovibus ſæpiuſcule etiam obſervavimus. In lupi ſtomacho nigricantem maſſam; in porco frumẽto ſaturato, albeſcentem deprehendimus. In homine à pane, carnibus, pulte, leguminibuſve aſſumptis, non poteſt non eſſe chylus ſuccus ptiſanæ cremori ſimilis; qui tamen variat, ſi alieni coloris cibaria fuerint ingeſta. Illis minimè refragantur quæ ſuperiùs diximus, ſiquidem etiamſi aſſeramus chylum eſſe album, agnoſcimus tamen illum à particulis excremẽtitiis, pro ratione alimẽtorum vario colore tinctis, ipſiſque immiſtis variè aliquãdo quoad colorem immutari poſſe, donec abjecto excremento admiſto, & puro puto in lacteas delato ibi ſe viſui album obtrudat. Agnoſcimus præterea, ſicut reperiuntur animalia quæ ſine vero ſanguine vivunt, & in quorum vaſis circulatur tantùm humor ſeroſus, vel purus, vel variis coloribus infectus; Sic repertum iri quædam in quibus chylus, ſuo modo purus, minùs albeſcet, & alienis tingetur coloribus. Itaque dum pronunciamus cum Clariſſ. Authore chylum eſſe album, illud intelligi volumus de homine & maxima animalium parte, & de chylo eorumdem puro, non verò abſolutè quaſi in nullo prorſus ſubjecto alium indueret colorem. Apud tinctores ab unione variarum ſalium & ſulphurum diverſi prorſus enaſcũtur colores multiſque modis immutantur. Jam verò quis neſcit variare ventriculi fermentum in variis animalium ſpeciebus, & variam admodum eſſe ciborum quibus veſcuntur indolem: unde evenire poteſt ut è variis eorumdem unionibus varii etiam effingantur colores in chylo viſendi, quos tamen quoniam aſſequi nondum licuit ſufficiat hæc in genere, & forſitan etiam fuſiùs, enarraſſe. Unicum tantùm addimus ſc. chylum purum ut plurimum ad inſtar lactis non tantum album, ſed etiam dulcem eſſe, idque propter ſpiritus alimenti ſulphureos fermẽtatione excitatos & ita ſalibus fuſis admiſtos, ut ipſorum temperent acredinem, pluſque virium non ſinant, quam quod condiendo chylo neceſſarium eſt.

g Clariſſimus Author cum veteribus chylum ex inteſtinis educturus uni-

Venæ Lacteæ membrana conſtant tenuiſſima, valvuliſque variis, ab hepate verſus glandulas extenſis, præditæ ſunt; per meſenterium totum diſtribuuntur, ſicque in inteſtina tenuia, imprimis jejunum, maxima parte deferuntur. Nec tamen craſſa iis omnino deſtituuntur, ne quid nutrititii pereat.

Ab inteſtino, & Vaſa hæc, & Chylus iis contentus, tres *Chyli glandulas* accedunt, quarum maxima in medio meſenterii eſt, *Pancreas* Aſellii dicta, duæ reliquæ minores, *Glandulæ Lumbares* vocatæ, circa renem ſiniſtrum ſitæ.

Quævis harum glandularum Ramum emittit, qui ſupra renem ſiniſtrum conjuncti. Vas unicum, Vena lactea magna dictum, pennæ majoris magnitudinem habens, conſtituunt.

Vena hæc *Lactea magna*, inter Arteriam aortam & Vertebras lumborum reſidens, pinguedine occultata, ſuperiora petit, ſupra cor œſophago ferè innixa, ſicque ad *Venam ſubclaviam ſiniſtram* properat, in qua ramo uno, duplici, aut triplici deſinit. Valvula hîc ſubtiliſſima occurrit mucrone ſuo Venæ interiora ſpectans, ne regredi chylus, aut ulterius ad brachium decurrere, queat. Ex ſubclaviâ hac *chylus* per truncum Venæ cavæ adſcendentem in Cordis ventriculum *dextrum* deſcendit, ut in eo, ope caloris, virtutiſque naturalis, in *ſanguinem* mutetur.

In

cè ad attractionem confugit, quæ merum eſt figmentum & ſanæ Philoſophiæ adverſum. Propterea Neoterici quamplurimi ab hac opinione receſſuri affirmârunt chyli motu inteſtinorum periſtaltico variè agitati particulas per poros interioris inteſtinorum tunicæ configuratione conſimiles facillimè tranſmitti, atque à lactearum orificiis pone ipſam ſitis excipi. Verùm etiam ſi hæc omnia authoribus ſuis concederemus non minùs aſſereremus præter mechanicæ leges chymiam etiam huc in conſortium eſſe advocandam; Dum confundetur chylus cum excremento vix ac ne vix quidem in lacteas, niſi ex parte trãſmittetur, qualiſcunque tandem ſit pororum configuratio illique excipiendo aptitudo. Nam non ſufficit illa aptitudo ſi particulæ excipiendæ non ſint liberæ atque ſui juris. Itaque ſucci pancreatici atque glandularum inteſtinalium actio hic omnino neceſſaria, ut videbitur, dum de illis agetur inferiùs. Præterea pororũ configuratio non ea intelligẽda quæ unius tãtum generis particulis, *v. g.* Sulphureis, ſalinis aut aqueis, admittendis, apta ſit, ſed ejus ſortis quæ miſcellam etiam cõpoſitiſſimam, dummodo ſatis moveatur ſatiſque attenuetur, excipiat. Unde etiamſi variet

natura

In Sanguinem converſus per *Arteriam Pulmonalem* ad *Pulmones* tranſit, qui partim etiam ex eo nutriuntur; reliquus verò per *Venam pulmonalem* ad *Ventriculum Cordis ſiniſtrum* pergit, ut perfectius elaboretur, & deinde per arteriam magnam omnibus corporis partibus ad earum nutritionem vitæque conſervationem communicetur.

Hæ viæ quibuſdam non placent, malunt enim Venas meſaraicas Veteribus jam notas, maximéque decantatas retinere, quam novam aliquam veritatem recipere: Adeoque chylum hac via ad Hepar cum ſanguine commodiſſimè moveri poſſe dicunt, cum ſanguinem venoſum non ab hepate ad inteſtina (quæ falſa antiquorum ſententia fuit) ſed verò ab inteſtinis ad hepar moveri, ſicque contrarium liquoris utriuſque motum minimè hîc dari, jam ſatis cognitum.

Sed verò, præterquam quod dicta hæc probabili potius ratiocinationi, priſcoque in hepar amori, quam Argumentis naturalibus atque demonſtrativis, qualia hic requiruntur, innitantur, nihil etiam habent quod reſpondeant. [h]

1. Quis natura chyli, pro varia indole alimenti ex quo conficitur, varioque ſalium & ſulphurum ex quibus conſtituitur genio, non tamen minùs in chylifera vaſa defertur. Concludendum itaque ad chyli percolationem requiri primò poros inteſtinorum tunica interiori, eoſque exiguos, minimeque directos, ne facilè à ſolidioribus particulis penetrentur, ſed tantum ab illis quæ ſe variè flectentes & contorquentes mæandros tam impeditos percurrere valeant. Secundò requiri motum in inteſtinis, quo materia contenta variè agitetur, ſurſum deorſumque pluries feratur, ut poris nihil excidat quod in eos introduci aptum ſit. Tertiò requiri tenuitatem, mobilitatem atque fluxibilitatem in partibus chyli, quo facillimè in exiguos poros intrudi & ulterius in eorum mæandris pergere valeant, donec ad optatam deventum ſit viam. Quartò requiri ſeparationem particularum chyli à particulis excrementi, ut poris cruſtæ villoſæ admotæ ab iiſdem excipiantur, utque ipſorum motus minimè impediatur ab implicita unione, aut potius confuſione cum excremento, unde minus liberè ad colatorium vergerent. Sic videmus ſerum lactis, dum maſſæ particulis caſeoſis & butyraceis immiſcetur minus aptum eſſe per cartã emporeticam tranſmitti, at verò ſi acido affuſo priùs ſeparatio inſtituatur, tunc facillimè per eandem percolari. Si itaque in aliqua ex his requiſitis conditionibus vitium adſit imperfecta evadet corporis nutritio per chylum in ſanguinem devehendum peragenda.

[h] Viæ quas affectat chylus ex inteſtinis emiſſus, ut bene advertit Clariſſ. Author, nullæ aliæ apud veteres celebrantur quàm meſaraicæ; verùm

Aſellii induſtria detectis lacteis, Neoterici his hoc muneris demandarunt, reſtabat tamen dubium quò demum pergerent illæ lacteæ, atque quo in viſcere ſuccum contentum deponerent, donec Pecqueti accurata inveſtigatione invento receptaculo, ex eoque aſſurgente per thoracem ductu thoracico, demonſtratum fieret totum chylum ad axillares, quo loco extremæ inſeruntur jugulares vadere. Illa omnia tam firma videbantur experientia & demonſtratione ſuffulta, ut illis obloqui minimè liceret Interim noviſſimè, ut habet Author quidam, inter quos præcipuè Plempius, cum eoque Bilſius, aſſerunt cum veteribus meſaraicas chylum excipere, inque hepar deducere, ſicque hepar temerè, ut inquiunt ſepultum, vitæ reſtituunt. De quo ſic Bilſius in diſſertatione epiſtolica de vero hepatis circa chylum uſu ſpeciminibus ſuis anatomici inſerta. Cibus & potus ſalivoſo mixti fermento in ſtomachum deſcendentes, ex eo cocti ſubactique, ulteriùs ad inteſtina pergunt: per quæ diſtributi ac magis aliquantulum alterati ſeparantur à potiori ſaburra, & diverſis liquorum ductibus eſſentias ſuas dupliciter naturæ impertiunt. Succus ille qui ſanguini futuro aptus eſt venas meſeraicas ingreditur, atque ibidem ex lege circulationis ſanguini arterioſo (*melius venoſo*) mixtus in venâ Portæ aſcendit, Vena portæ illum in hepar transfundit, ubi à ſuperſtite impedimento liberatus aliquomodo fermentatur, & per venam cavam porrò infunditur cordi, diciturque Chylus Cauſa, quæ in meſenterium hunc ſuccum propellit, naturalis circumjacentium partium eſt preſſio, & propria orificiorum in venis, particularumque in ipſo forma, qua aliorſum magis commodè progredi impeditur: quæ propulſum retinet eadem preſſio continuata ac valvularum quæ in hiſce venulis conſpiciuntur, talis diſpoſitio, quæ pergentem admittit remeantem prohibet, illa autem qua ad hepar & cor evehitur, cauſa, ſanguis eſt arterioſus, & cum dicta preſſione aliqua ex parte unita circulationis lex. Quidnam porrò eum in hepate cribratum ſubigat & quomodo, non eſt hujus loci, quo tantùm jecoris neceſſitatem & veram chyli viam revelandam ſuſcepi. Sed hæc memorata jam hoc quô dixi, nec alio fieri ordine, uti opponentibus omnem materiam ſupprimam, ſic arguo. Canis bene paſti riteque ad opus præparati, abdomen diſcindo, in meſenterio arterias à venis ſeparatas ligaturis compeſco: deinde reconſutum ventrem claudo, & horas 4. aut 5. relinquo intactum. Poſtea rurſum apertum inſpicio, interdum agonizantem cardiaco applicabili refocillans; atque ibi manifeſtè quicquid rei eſt comperior: nempè arterias infra ligaturas vacuas, & venas ſucco ſubobſcuro, cinericeoq; repletas conſpicio. Hunc verè chylum eſſe ejus cum ſanguinis natura affinitas facillimè evincit: namque uti ſanguis, ſi non continuo fermēto, caloreque efficiatur fluidus mox coagulatur; ita hic ſuccus venâ extractus aëriq; expoſitus horæ ſpatio vitri ab igne remoti & refrigerati inſtar condenſatur, contrituſque ſplendeſcit. Hoc cuivis experienti eſt obvium. Quòd etiam hic admodum rudis

rudis adhuc certa quadam coctione aut fermentatione à bili urinaceoque ſero ſeparatus in hepate rudimentum ſanguinis futuri nanciſcatur, judicet is qui in quovis animali vivo, aut mox à morte diſſecto, infra hepar in vena portæ nunquam non reperiet denſi & obſcuri coloris ſubſtantiæque ſuccum, cùm ille qui hepar tranſiit in vena cava jam limpidus & rubicundus inveniatur ſuæ alterationis teſtis evidens. Torſit hoc experimentum ſuperque eo fundamentum ratiocinium multos doctos viros, inter quos conqueritur Deuſingius quòd Bilſius modum adminiſtrandi non clarè aperuerit. Verùm Gliſſonius illum ſupplet, dum ait. Ut faciliùs diſſector hanc operationem peragat ſuadeo ut ſæpius ſe exerceat in cane defuncto. Primò diligenter trium arteriarum, ſc. cæliacæ, meſentericæ ſuperioris & inferioris, exortum ab aorta exquirat: Secundò ventriculum & inteſtina huc illuc volvat ac revolvat, ut commodiſſimum eorum ſitum ad hoc opus exſequendum inveniat: Tertiò ex partium vicinarum, minùs mobilium ſitu colligat certa quædam & conſpicua ſigna, quibus primo aſpectu ad eorum exortum dirigatur: Quartò ſæpiùs quoque in demortuis, acu modicè inflexa, eas arterias ſigillatim, & ab omni vena ſeorſim, corripere & deligare diſcat. Sic præparatus demum aggrediatur opus in vivo cane. Sed potius macro, quàm pingui, tres minimum horas à paſtu ejuſdem. Scias autem niſi celeri manu deligationem arteriarum perfeceris, te vix quicquam inde lucis aut fructus exſpectare. Interim Nobiliſſ. Nicolaus Stenonis accuratiſſimus anatomicus, obſervatis omnibus obſervandis experimento peracto, ſic in reſponſione ſua ad vindicias hepatis redivivi, p. 62. &c. loquitur. Feci experimentum in amicorum præſentia, obſervavi præſcriptam à Bilſio methodum, ligavi arterias, detinui in vivis canem, primum per tres alterum per quatuor horas, qui vel integrum diem ita vixiſſet, cõſutum dein ventrem iterum diſſecui: ſeorſim eductum ex porta cava, & aorta ſanguinem aëri expoſui [unumquemque peculiaribus vaſculis contentum,] ſed æquè citò concreſcebant, ſplendebant æquè, æquè nigricabant &c. Unde Diemerbroeckius accuratè concludit, venas meſeraicas non omnino chylo ſed ſanguine propterea plenas inveniri in hoc experimento, quòd nihil adſit quo ulteriùs propellatur hic ſanguis, cùm arteriæ meſeraicæ omnes ſint ligatæ. In venæſectione brachii, ſi ligatura nimis ſtricta injiciatur, quæ arterias comprimẽdo occludat, tunc etiam ex vulnuſculo venæ inflicto nullum ſanguinem effluere, ſed eum in venis ſubſiſtere, quotidiana docet experientia: quippè deſinẽte impulſione per arterias, etiam deſinit ſãguis profluere per venas; Sed quoniam Bilſianiſtę vim argumenti à Diemerbroëckio allati eludere poſſent, conſtaret Bilſium cõpreſſas venas meſeraicas, evacuaſſe, eaſque poſtea plenas viſendas præbuiſſe, etiam ſi nihil ab arteriis ligatis rurſus eſſet allatum, Excellent. Malpighius vias alias, quàm per arterias ligatas aliquomodo aſſignat huic ſanguinis appulſioni, in ſuo de hepate tractatu, ubi ſic habet; Quoniam ſingulæ meſẽterii portiones, quæ hinc inde inſignibus vaſis continentur, ad inteſtina derivatis, minimo ſangui-

1. Quis Venarum Lactearum uſus?

2. Cur principium earum in inteſtinis?

3. Cur Valvulæ ita conſtitutæ, ut chyli ad inteſtina regreſſum impediant?

4. Cur omnes unà cum Chylo glandulas chyli accedant; nulla Hepar?

5. Cur Venæ Lacteæ magnæ conjungantur?

6. Quem in finem Chylus hic Venas ſubclavias intret? quæ omnia in corpore ipſo ad oculum demonſtrari poſſunt.

Sanguinis pars illa, quæ in totum haud inutilis, ad nutritionem tamen inepta, ex Arteriis, Venis ubique per anaſtomoſes [i] junctis. Venam Cavam & Portæ ingreditur, ſicque, iis mediantibus, in *Hepar* & *Cor* reducitur, quo emendetur, iterumque coquatur.

Non ſolùm ſanguinem per venam cavam deferri dico *in cor*, ſed & per venam portæ in *hepar*: quod hiſce rationibus comprobabo.

1. *Hepar viſcerum omnium maximum:* non quod velim, principatum ejus à magnitudine debere, (vide cap. 2.) ſed quod naturam in microcoſmo vaſtum adeò corpus haud condidiſſe, æſtimem, niſi operationis alicujus inſignioris gratiâ.

2. *Vena ejus maxima, magno orificio prodiens, cor illicò accedit, atque ingreditur.* Quæ neceſſitas venam cavam ramis adeò numeroſis per hepar

neorum vaſorum rete ab iiſdem emanante irrigantur, non abſimili forma, ac videmus in arborum foliis, ideò ſanguis ab arteriis citra ligaturam, in hos continuatos retis ramos, nudis oculis inconſpicuos, totumque membranæ amplum ſpatium excurrentes, derivari poteſt, & ex his conſueta naturæ via paratur, in comites propagines reticularis venæ, & tandem in ramum venæ arteriam ligatam concomitantis: videmus enim tam facilem eſſe progreſſum ab extremis arteriis, meatibusque carnium ad venas, ut poſt obitum tota ferè ſanguinis maſſa undique confluens in venis majoribus recolligatur. Qui plura ſuper chyli vera via voluerit, eaque demonſtrationibus & experimentis, quibus ſanæ mentis homini, obloqui minimè liceat, innixa, conſulat tractatum de Corde Louveri *cap.* 5. in quo de Chyli tranſitu & tranſmutatione in ſanguinem agitur. Hiſce omnibus adde rationes ab Authore noſtro hic aſſignatas.

[i] Contra hoc jam ſuprà aliquid adduximus, quod non opus eſt hic repetamus.

hepar diſtributam, mox in cor ipſum adſcendere? ſiquidem ſanguinem reducere debuiſſet haud emendatum, truncus ipſius ſimiliter ac ille qui Arteriæ eſt aortæ, ſecundum corporis longitudinem ad cor potuiſſet aſcendere, hepate inſalutato, maximè cum vena portæ, circa hepar, vias ſanguinem totum à bile liberandi ſufficientes exhibeat. Sanguinem recipere debuit in hepate coctum, eundemque cordi adferre.

3. *Color rubicundus eſt.* Album quandoque id inveniri, pallidum, flavum, viride, benè ſcio, at morbis coloris adſcribendus, minimè naturali conſtitutioni, in omni enim corpore perfectè ſano rubicundum reperitur. Quid mirum, hepar rubrum, ubi debilitatem incurrit, albedinem contrahere? nunquid facies rubra albeſcit corpore malè ſe habente; Quam facilè iterum hepar bilem ſeparans colore flavo aut viridi tingitur? Notum quoque primis xx. aut xxx. à conceptione diebus hepar naturaliter album inveniri, nec rubedinem aſſumere, priuſquam ſanguis maternus (de quo recentiorum quidam longe alia proponunt) ad nutritionem partium jam conformatarum accedit, quod idem in ſpermaticis omnibus obtinet, ipſo etiam corde. Sed an exinde concludes, colorem rubrum hepati tantum accidere, nec proprium ipſi magis eſſe, quam eſt ipſis muſculis, qui tamen ſanguinem idcircò non conficiunt? Ad hæc reſpondeo, Sanguinem adfluentem adeò neceſſarium hîc, hepatique ita appropriari, ut ſine eo perfectum hepar dici nequeat. Quin & color, ſubſtantia, vaſorumque numerus diverſimode adeò, in muſculo & hepate ſe habent, ut nullo modo partes ſibi ſimiles dici mereantur. Et quid abſurdi in eo: *Muſculum ſanguificare*, cùm etiam cor ipſum Anatomicorum atque Philoſophorum Principibus, muſculus conſtituatur?

4. *Sanguis maternus per venam umbilicalem Hepar prius infantis accedit quam Cor.* Et valvulæ & ligaturæ ſanguinem arterioſum per arterias umbilicales à fœtu ad uterum, venoſum verò per venam umbilicalem ab utero ad fœtum, moveri, evidentiſſime demonſtrant. Sanguine verò materno an nutriatur fœtus, an verò humore externo, ſimiliter ac pullus nutritur in ovo, perinde hoc mihi eſt: cùm ſanguinem, ſive à matre proveniat, ſive à fœtu, prius hepar accedere con-

re conſtet, antequam cor ingrediatur.[k]

5. *Bilis à ſanguine in Hepate ſeparatur.* Unuſquiſque enim novit, ſeparationem nullam ſine prȩviâ coctione fieri poſſe.

Ex his omnibus aliud colligere nequeo, quàm, ſanguinem refluum per venam portæ hepati adferri, ut in eo purificetur, adeoque aliquo modo coquatur, quo in opere ſuo, quod eſt perfectiorem reddere ſanguinem, cor[l] ſublevetur; maximè, cum ob continuam, eamque neceſſariam pulſationem, non adeo diu in eo moram trahere ſanguis posſit. Et hanc ob rationem etiam ſanguinem univerſum motu circulari moveri debere cenſeo.

In hepate confectus ſanguis modo c. 8. tradito, *Venam cavam*; hinc *Cor* ipſum intrat.

Et ſic Regium illud Hepar, tempore eo, quo tolluntur reges, poteſtate limitatâ uti poteſt, atque cum honore in regno ſuo permanere.

Sed quid cum melancholico *Splene*, qui multos ridere facit? Accuſatores hîc ſe offerunt plures, nec pauciores Excuſatores.

1. Excrementorum receptaculum Hippocrati Græcorum doctiſſimo neutiquam habitum fuiſſe, vel ex eo liquet, quod alterum Hepar Lienem dixerit.

2. Venarum arteriarumque inſignis numerus, adeoque ſpirituum vitalium abundantia, excrementa hîc colligi minimè permittunt.

3. Cavitate deſtituitur commodâ, quâ ſuccus melancholicus, fœculentus, recipi poſſit.

4. Quod ſi cavitatem hîc nullam requiri cenſeas, parenchyma ipſum denſum nimis eſt, nec poroſum ſatis, adeoque ad receptionem

[k] Revera vena umbilicalis ad hepar accedit, & in ejus ſinum ſanguinem contētum defert; ſed quoniam in fœtu è medio ſinu illo tubulus naſcitur venoſus qui ad venam cavā aſſurgit; quis non videt maximam ſanguinis prædicti partem, nulla per hepatis intricatiſſimas vias excurſione facta, in venam cavam faceſſuram? Tubulus ille æquè ac portio venæ umbilicalis, quæ ex hepate ad umbilicum aſſurgit, in ligamentum convertitur, poſtquam in lucem productus eſt fœtus.

[l] Hodie apud pleroſque, eosque doctiſſimos Anatomicos meritò dubitatur, an ſanguis in corde perfectior evadat, atque muſculus hic ſpeciali privilegio ſit muſculus ſanguificans; cùm multò probabilius ipſis videatur aimathoſim univerſaliori perfici operatione,

nem craſſi ejuſmodi humoris ineptum: qui etiam naturaliter nunquam in eo reperitur.

5. Vaſtum nimis viſcus eſt, quam ut vili ejuſmodi officio fungatur.

6. In demortuis hominibus, etiam quibus triſtitia mortis cauſa fuit, partium internarum examen inſtituenti Anatomico, nulla ferè occurrit, quæ minus à ſtatu naturali receſſit Liene, Corde ſolo excepto, utpote illud Spiritus vitales inſigniter adeò defendunt, ut minus aliis partibus afficiatur. Inteſtinis, Renibus, Veſicæ fellis, & Veſicæ urinariæ rarius hæc obtingunt. [m]

Quis ergo ejus *uſus*? Humorem elaborat acidum, valdè neceſſarium, minimè excrementitium, eumque ſanguini fermenti inſtar commiſcet, quo & perfectior evadat, & ad motum circularem aptior.

Humori huic materiam præbet, meo judicio, Sal ſanguinis, quo, ne corrumpatur, magnopere indiget. At verò ex cibo potuvè ſal hoc cum proveniat, nunquam adeò purum eſt, quin ad perfectiorem ſtatum in corpore noſtro perduci neceſſe habeat. Hoc volo:

Supremus Regum Cor eſt, huic duo alii ſubjecti Hepar & Lien (in gratiam Veterum ſimilitudine hac ut utar, concedatis quæſo) *Cor* sanguinem efficit. *Hepar* coctionem repetit, bilemque ſeparat. *Lien* ex ſale ejus, vi inſitâ liquorem producit acidum quem, ut fermentum, per Ramum ſplenicum venoſum, ſanguini miſcet, quo & perfectior fiat, & ad circulationem magis aptus. Excremen-

ratione, ſc. variis per arterias & venas ſecretionibus, interjectaſque carnes & viſcera circuitionibus, contritionibus, & alicubi etiam forſan fermentationibus.

[m] Credimus quidem cum Clariſſ. Authore, Lienem vili excrementorum aſſervandorum officio non eſſe deſtinatum, ſed tamen non inde concludimus nulla excrementa in illo poſſe accumulari. Quòd cavitate ampla non gaudeat, ratio non valet; quòd illius parenchima denſum ſit nimis & minùs poroſum falſum eſt, nam ut infra demonſtrabimus, non tantum poroſum eſt, ſed in cellulas innumeras excavatur, ad quas cellulas perveniunt extrema arteriarum capillamenta, ut ex iiſdem naſcuntur extremæ venæ ſplenicæ radices. Interea rarum eſt ſatis ſplenem ejuſmodi aggeſtionibus affici quod plurium Clariſſ. Anatomicorum cum Authore noſtro inſpectione anatomica ſatis probatur.

 [n] Hic

mentitium ſi quid hic ſeparetur, id omne per arteriam Cœliacam & Hæmorrhoidales ad inteſtina ablegat. [n]

Quod ſi contradictorium alicui videatur ex ſale humorem provenire acidum, huic ſpiritum ſalis offerimus guſtandum.

Jam ante annos XVI. de uſu Lienis ſingularia quædam in lucem produxit Anatomicus ſummus *Franciſcus Sylvius*. Cenſebat is, ſanguinem in ſolis ventriculis Cordis non perfici, nec eum à Corde per arterias ad partes omnes corporis deferri, ſolius nutritionis gratiâ, ſed verò in viſceribus reliquis aliquam quoque mutationem eum ſubire, *Lienem* ſpeciatim *ſanguinem arterioſum ulterius excoquere, atque ad gradum ſublimiorem perducere, imo plus quam perficere*: adeo ut quodammodo ſanguis fermenti naturam induat, & brevi tempore inſignem maſſæ portionem aciditate donare queat. Eodem modo affirmat ſanguinem in liene magis ac magis excoctum vires accipere, quibus refluus & debilitatus ſanguis refici, & cum chylo præparari poteſt, ut tanto facilius celeriuſque in ſanguinem convertatur. Rationes quas producit hæ ſunt:

[*] 1. Sanguinis multo majorem copiam Lien à Corde accipit, quam ad nutritionem indiget:

2. Nullam aliam per viam regredi is in Cor poteſt, quam per Venæ cavæ & portæ Ramos. Quæ enim de vaſe brevi hactenus tradita, ridiculis figmentis annumeranda cenſeo, uti in apertis cadaveribus ipſe & alii evidentiſſimè demonſtrarunt.

3. Cùm ſanguis hic ſanguini refluo, & chylo ad Cor properanti continuò miſceatur, excrementum non debuit eſſe; ſic enim partes nobiles, totumque corpus, minimè purgarentur, ſed magis læderentur.

4. Chimia jam dudum tales mutationes quotidie in naturâ contingere ipſum docuit.

Pars

[n] Hic Clariſſ. Author ad circulationis leges non ſatis attendit. Arteria Cæliaca nihil prorſus à Liene accipit, nec aliter cum eodem communicat, quàm portionem ſanguinis contenti per ramum ſplenicum in illum devehendo: propterea igitur malè aſſeritur, ſi quid excrementitium in Liene ſeparetur, id omne per Arteriam Cæliacam & Hæmorrhoidales ad inteſtina ablegari.

[*] Qui

Pars reliqua ſanguinis, corpori inutilis, adeoque excrementitia per *inteſtina*, *ureteres*, *poros cutis*, *&c.* expellitur, de quibus plura hîc addere haud neceſſarium. At vias novas aquoſas nunc deſcribere cogimur, in quas Anatomiæ ſtudioſi diu multumque inquiſiverunt.

Ductus Aquosi, Vasa Lymphatica *principium* ſumunt & ab Hepate, & præſertim ab artubus externis, ſuccumque liquidum accipiunt ab arteriis quibuſcum participant.

Ab Hepate qui proveniunt, Venam portæ amplectuntur, ſicque tortuosè glandulas chyli meſaraicas accedunt, ſimiliter ac illi qui à pedibus adſcendunt. Hinc aquam ſuam Venæ lacteæ magnæ exhibent, quæ, ut ſupra indicatum, chylum cordi adfert.

Qui à brachiis originem habent venis ubique incumbunt atque accumbunt, uſque dum ad venam ſubclaviam pervenerint, quam eo circiter loco, quo vena lactea magna eam ingreditur, intrant, valvulâ ſingulari, circa introitum, inſtructi, ſicque omnem ſimul Lympham Cordi adferunt.

Lympha hæc *dulcis* eſt, neutiquam, ut urina, ſalſa.

Vaſa ipſa *tunicâ* conſtant ſubtilisſimâ, unde ruptura eorum facilis.

Uſus eorum mihi videtur, lympham ſuperfluam ex arteriis ſuſcipere, & ad chyli glandulas, lacteamque venam deferre, quo ſic liquidior factus chylus per vias anguſtiores commodius moveri poſſit; hinc eandem ſanguini arterioſo reddere, quo partium humidarum nutritioni, calidarum vero refrigerationi atque humectationi inſerviat *.

Clarius ut conſtet, quo modo jam dicta in Corpore noſtro fieri concipiam, hæc habeo.

Cibus

* Qui plura de vaſis lymphaticis voluerit, conſulat quæ Illuſtriſſimi Thomas Bartholinus, Olaus Rudbeckius, Fredericus Ruiſchius, aliique, hac in materia accuratiſſimè ſcripſerunt. Non ſic tamen integra lymphaticorum hiſtoria, quam nullus hactenus perfecit, aut ſyſtemate ad modum eorum quo arteriæ & venæ demonſtrantur, abſoluto, complexus eſt, habebitur; & revera illi demonſtrationi multa adhuc dum deſunt, nec diligentiæ accuratiſſimorum Anatomicorum datum fuit, rimari ultimas lymphicorum horumcè vaſorum, tum in carnibus, tum in

Cibus in Ventriculo convertitur in Chylum, huic pars potus ſeparata miſcetur. Mixtura hæc, per Glandulas chyli, Venamque lacteam magnam in Cor defertur, ubi in Sanguinem, arteriis mediantibus, in totum corpus deferendum, mutatur. Sanguinis hujus pars quævis partes corporis ejus temperamento convenientes nutrit, calida ſcil. calidas, ſicca ſiccas, humida humidas &c. Quod hîc ineptum reduci debet, quo perficiatur. Ad hoc Venas cur minus ſufficientes, commodaſque vias dicamus, quarum officium ſcimus eſſe, ſanguinem non ſatis coctum ad Cor reducere? Ratio videtur, quod in vaſis ſemper permanens lympha ſanguinem tenuem nimis reddidiſſet, ſicque naturali conſiſtentia ac viribus privaſſet.

Ex omnibus hiſce clare & diſtinctè propoſitis, ſatis liquet, quid ſit CIRCULATIO SANGUINIS; *Motus* nempè *continuus ſanguinis ex arteriis in Venam Cavam & Portæ, ad Hepar & Cor, ut in iis elaboretur ad nutritionem & vitam totius corporis.* P

Ex ſubtiliſſima ſanguinis parte SPIRITUS producuntur, qui duplices ſunt:

1. *Vitales*, qui in Corde geniti Vitam corporis partibus adferunt.

2. *Animales*, qui ex vitalibus in cerebro elaborati ſenſum motumque corpori impertiunt.

Naturales eo tempore quo Circulatio ſanguinis inventa interiere.

Vſus Chirurgicus.

1. *Ductus Salivales*, quoties linguæ frenum diſſecandum, Vena Ranina

in viſceribus, &c. diſtributiones, nedum trunci omnes etiam majores ipſis patuerunt: Interim difficultatibus hiſce non perterritus Clariſſ. Anton. Nuck Lymphographiam generalem in ſua ad tractatum de Novo Salivali Ductu, Saliva &c. præfatione, poſtquam nobis promiſiſſet promiſſi fidem in ſequentibus liberavit, ſicque unicuique anatomicis innutrito deliciis votis reſpondit.

P Per arterias ſanguis è corde in omnia viſcera, omneſque artus propellitur; per venas ex iiſdem viſceribus & artubus in cor reducitur. Hæc ſanguinis circulatio facillimo negotio demonſtrari poteſt, per ligaturas, injectiones, valvularum venarum diſpoſitionem de qua ſupra capite de venis, ut & per alia media, quibus deſcribendis hic non immoramur; nam omnibus qui anatomiam tantùm ſalutarunt ſatis ſuperque ſunt nota.

nina aperienda, aut alius linguæ morbus manu Chirurgi curandus, glandulas eas parvas in quibus terminantur, reſpicere ſuadent, ne, ſiquidem phlebotomo lædantur, ſalivatio continua excitetur.

Glandula quoque *magna Colli*, ex qua ductus hi originem trahunt, ubi inflammatione corripitur, Mercurii uſum non permittit, nam facillimè hinc ſalivatio noxia excitari poſſet.

2. *Venæ Lacteæ, majores, minoreſvè*, ex contuſione aut Vulnere tam graviter ſæpè afficiuntur, ut chylum ad Cor deferre nequeant: & licet vulnus optime & citiſſime ſanaveris, æger tamen poſtea in phtiſin prolabitur, quam inevitabilis mors ſequitur. Hæç veritas Chirurgum à multis defendet calumniis.

In pueris, imo & adultioribus, frequens Abdominis induratio atque inflatio, cujus Cauſa glandularum meſaraicarum durities. Chylo hæc non niſi tenui ad Venam Lacteam magnum tranſitum concedit, undè caro muſculorum flacceſcit, corpus ponderoſum redditur atque laſſum, imò tandem febris & extabeſcentiæ inducuntur. Externo hoc linimento abſque magno labore malum hoc tollere ſoleo.

♃. *Vng. althea Compoſ. unc. j. Arthanit. Martiat. an. drachm. ij. Ol. lilior. albor. Chamomillæ an. drachm. iij.*

M. F. *Linimentum.*

Internè hic valdè proſunt Rotulæ ſeq. toto curationis tempore maſticandæ.

♃. *Chalyb. præp. Oc. cancr. præp. an. ſcrup. j. Tart. vitriolat. drachm. ſ. Lapid. prunell. gr.* xvj. *Spec. aromatic. roſat. ſcrup. j. Sacchar. alb. unc. ij.*

M. F. ſ. a. *Rotulæ.*

Purgationes hoc in caſu non niſi Caſſiâ, Cremore Tartari, Syrupiſque laxantibus perficiuntur, fortiora enim purgantia glandulæ non ferunt.

3. Sanguis venæ ſectione depromptus ſæpiùs poſt aliquot horarum ſpatium valde ſiccus & omni ſero deſtitutus apparet, quod plerumque nimio ſuo calori aut aduſtioni adſcribitur. At vacillat maximè hæc ratio, quod ſi enim eodem die, eadem vena, aut etiam alia aperiatur iterum, in ſanguine educto ſeri magna ſatis copia reperietur. Cauſa adeoque vera in Motu ſanguinis circulari, imprimis verò in

rò in Vaſis Lymphaticis quærenda eſt, quæ tunc temporis ſerum & humiditatem attrahunt, & ſanguinem ſicciorem reddunt.

Sæpiſſimè etiam evenit corpus humanum *tumidum turgidum & languidum* evadere: & tunc Medici meticuloſitas, nullis rationibus innitens, nonnunquam mala quędam prædicit: verum ſudoriferis interne & externe adhibitis brevi temporis ſpatio commodiſſimè curari poſſunt. Cauſa hujus mali originem non habet ex intemperie atque debilitate illarum partium, quas Veteres, Nobiles appellarunt; Diſtingui etiam facillimè ab Hydrope poſſunt, quem partes dictæ inducunt: licet enim Ægrotantes valde tardi & laſſi ſint, nulla tamen cordis anxietate premuntur, liberrime & ex amplo pectore reſpirant, & abdomen non admodum intumeſcit. In facie & artubus materia aquea imprimis colligitur, & quod ſi digito comprimantur partes tumidæ, experientia docebit, partes tantopere non eſſe repletas quam in vero hydrope: unde etiam inflationem hanc flatibus, veram cauſam ignorantes, adſcribere ſolent. *Vaſa Lymphatica* compreſſa, rupta, aut modo alio obſtructa, ſic ut naturalis lymphæ motus impediatur, malum hoc inducunt.

4. *Circulatio ſanguinis* humores omnes *venenatos pravoſque*, qui, vel à natura ipſa ejiciuntur, vel forinſecus adveniunt, primo ſtatim tempore, ope medicamentorum attrahentium, ex glandulis, ipſaque cute extrahi debere jubet, ne exiguo interjecto tempore ſanguis totus inficiatur, ipſumque Cor obruatur, ac vim patiatur. Satis hæc te docent, quam periculoſum ſit Venam ſecare, & Corpus purgare in Bubone peſtilenti atque Venereo, imo in vulneribus omnibus venenatis; quam contra neceſſarium ſit, ſudoriferorum attrahentiúmque uſu, materiam peccantem educere: Ac propterea Circulationis ſanguinis doctrinam ſummæ utilitatis eſſe in arte Medicâ.

Cap. XV.

Diviſio Corporis Humani.

Corpus humanum commodiſſimè in *Ventres* & *Artus* dividitur.

Ventres tres ſunt.

1. Ca-

1. *Caput*, ſive Regio, aut cavitas ſuprema, cui *Collum* additur, quod ejus fulcimentum eſt.

2. *Thorax*, ſive Regio media.

3. *Abdomen*, *Venter imus*, ſive Regio infima.

Artus ſunt *Manus* duæ & *Pedes* totidem.

Vſus Chirurgicus.

Corpus hoc modo dividimus, ut inde ſciri poſſit, quem locum unaquæque corporis pars obſervare debeat: ſequentia ſi quis evolvat, omnia magis manifeſta evadent.

At tantus hîc partium omnium *Conſenſus*, tantaque concordia, ut nulla ſpecialiter conſiderari queat, non accedente conſideratione totius. Magnopere itaque erit neceſſarium, ut paucis hujus mutui conſenſus fundamenta aperiam.

1. In parte quavis requiritur *Temperies naturalis.* Hépate exiſtente calido nimis, Ventriculo nimis frigido, Cerebro nimis ſicco, &c. totum corpus male ſe habet.

2. *Numerus ſufficiens*, in manu, ſi vel minimum oſſiculum, tendo, arteriola, &c. deſit, operatio illico læditur.

3. *Magnitudo juſta.* Pes altero longior inceſſum moleſtum cauſat.

4. *Figura*, *Mollities*, *Craſſities*, imò *Color* ipſe *naturalis.*

5. *Connexio* atque *Situs*, *conveniens.*

6. *Præſentia ſpirituum vitalium*, qui per arterias partibus omnibus adducuntur.

7. *Præſentia ſpirituum animalium*, qui per nervos adferuntur.

8. Singularem etiam conſiderationem requirunt externe *Cutis*, Integumentum univerſi corporis, interne *Dura mater*, velamentum Cerebri, Palati, Linguæ, Faucium, Pectoris, atque Imi Ventris.

9. Nutrimentum ut bene coquatur, adferatur & recipiatur, neceſſe eſt, ne defectus in partibus obſervetur.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER II.

DE CAPITE.

CAPUT I.

De Partibus Capitis externis.

CAPUT tanquam ſupremus ſui ipſius & ſexcentorum aliorum corporum Dominus, ſe ipſum & alia corpora optime gubernat, cum optimo ſanitatis ſtatu conſtitutum & ſui officii cognitione ſit inſtructum: Sed miſerrima illi fruuntur conditione & alii cum ipſis, quibus arte compoſitum caput deeſt, quique nec ejus ſubſtantiam, nec figuram inquirunt neque cognoſcunt.

Figura ipſi ovalis eſt. Pars ſuperior *Vertex*, anterior *Frons*, poſtica *Occiput*, lateralis *Tempora*, reliqua *Facies* dicitur: & partibus conſtat ſequentibus.

Primò *Cutis* apparet, quæ variis in locis, *Pilis*; ubique vero *Cuticula* prædita eſt.

Deinde ſequuntur *Membrana Carnoſa*, & *Pericranium.* Originem hoc debet ſuam Duræ meningi, per ſuturas cranii exeunti, ſicque primò Cranium, & porrò oſſa reliqua omnia inveſtienti.

Anatomici paulo curioſiores demonſtrant pericranium hoc eſſe duplex: exterius, quod antiquum retinet nomen; interius, quod *Perioſtium* appellatur.

Oſſa quæ hiſce membranis ſubjacent primò in *Cranium* & *Maxillas*, & deinde alias partes dividemus.

CRANIUM octo componitur Oſſibus, *ſuturis* propriis atque communibus conjunctis.

Suturæ propriæ *veræ* ſunt aut *ſpuriæ*.

Veræ tres ſunt.

1. *Coronalis.*
2. *Sagittalis.*

3. *Lambdoidea.*

Spuriæ ſunt oſſium temporalium ſuturæ duæ *Squamoſæ.*

Communes tres itidem ſunt.

1. *Frontalis.*

2. *Sphœnoidea.*

3. *Ethmoidea.*

Oſſa ipſa, foraminibus, cavitatibuſque variis, ad tranſitum Aëris, Venarum, Arteriarum, & Nervorum, prædita, *octo* ſunt.

1. *Os Frontis*, in pueris ſemper, in adultis aliquando, uſque ad radicem narium ope ſuturæ ſagittalis diviſum eſt.

2. 3. *Oſſa Syncipitis*, ſive *bregmatis.*

4. 5. *Oſſa Temporum*, ſive *petroſa.*

6. *Os Lambdoideum*, ſive *occipitis.*

7. *Os Sphœnoides*, ſive *cuneiforme.*

8. *Os Ethmoides*, ſive *cribroſum.*

Muſculi Frontis duo ſunt Attollentes, *Occipitis* duo Deprimentes,

Maxillæ harmoniis variis ita conjunctis oſſibus conſtant, ut in adultis corporibus unicum quaſi os repræſentent. Superior una eſt, altera inferior.

Superior ex XI. componitur oſſibus, ex quibus in utroque latere quinque ſunt, undecimum impar eſt in medio collocatum.

1. 2. *Os Zygomaticum* orbitæ oculi inferiorem partem & apophiſi ſua os jugale ſive zygoma conſtituit.

3. 4 *Os Lachrymale*, oculi canthum internum efficiens, foramine ad nares deſcendente, præditum eſt.

5. 6. *Os Maxillare*, oſſium omnium maximum eſt, maxillam conſtituentium.

7. 8. *Os Naſi*, quinque cartilaginibus unitis in fine gaudet.

9. 10. *Os Palati.*

11. *Vomer.* Os ſpeciale ſupra palatum naſi interſtitium ſuſtentans, per harmoniam eidem conjungitur.

Maxilla ſuperior non niſi cum capite movetur, muſculis adeoque propriis nequaquam indigebat.

Maxilla inferior (quæ plerumque ad annum octavum uſque in anteriori parte diviſa, & poſtea tam arcte unita eſt, ut unicum tantum

os conſtituere videatur) duos habet proceſſus, & in iis mediocrem cavitatem, venis, arteriis, nervis, & ipſi maxillæ & dentibus dicatam, nam hinc nutrimentum, & dentes ſenſum accipiunt. Nervorum rami circa mentum per foramen exiguum maxillæ iterum egrediuntur, & labiorum muſculos intrant.

Movetur ſex *muſculorum* paribus, qui ſunt.

1. *Pterygoideus internus.* } attollentes.
2. *Digaſtricus.* }
3. *Latus* deprimens.
4. *Pterygoideus externus* ad interiora ducens.
5. *Maſſeter*
6. *Muſculus Temporalis.*

Muſculus hic hoc peculiare habet, quòd pericranio inveſtiatur, quo oſſa ſubjecta temporalia omnino deſtituuntur, quod nuſquam in aliis corporis partibus contingit. Verùm hujus rei rationem, nemo hactenus, quod ſciam, ſcriptis mandavit: nam quæcunque hac de re ab aliis obiter traduntur, adeò ſunt futilia, ut veritatis ſtudioſo minimè ſatisfacere valeant. Attamen nuper Jobus Mekeranus Ordinarius hujus urbis Chirurgus, in hac arte dexterrimus atque exercitatiſſimus in epiſtola quadam ſingulare quid, ad hanc rem ſpectans, communicavit, quam hiſce addere non pigebit, uſque dum ipſe ſuas obſervationes (quarum jam aliquam partem vidi) in lucem ediderit.

PAVLO

PAULO BARBETTE
MEDICO AMSTELODAMENSI,
Celeberrimo.

MI DOMINE,

Nunquam perfecta ſatis Chirurgiæ & Medicinæ navigatio, in qua juxta Medicorum peritiſſimos ad proximorum ſalutem tanquam piſciculi noſtris cymbis & naviculis fluctibus innatamus, dum in profunditate ſua multas variaſque incognitas rupes, atque inſulas quaſi nebulis obtectas habet.

Scopuli profecto ſubinde ejuſmodi reperiuntur, quos non tantum ſine alliſione non prænavigamus; ſed quibus tanquam ignari & ſuperbi firmiter adhæremus; & ipſos licet forte fortuna ſuperemus, negligentiæ noſtræ culpa evenit, quod deinde tali cognitione non imbuamur, qua eoſdem evitare valeamus. Ad occultas haſce inſulas quod attinet, quæ ad omnium noſtrorum honorem tanquam in crepuſculo adhuc latent, & ſe ad ægrorum ſalutem ſubinde produnt, à quibuſdam qui ultra id quod ſciunt, nihil ſcire deſiderant, data opera & contumelioſe prænavigantur, quaſi ars ad perfectionem nihil amplius exigeret; quod ſane contrarium eſt aureç iſti regulæ, quam quotidie optimus & bonus ille Senex Guido in ore habebat, nempe, *artem crebra additione ſuppleri.* Si forte contingat, artis amantem oculos in ſalutem, & commune omnibus bonum intentos habere, & ipſum ſumma ope niti, ut has occultas inſulas detegat, & mundo aliquid certi verive demonſtret, omnis ejus labor ludibrio, progreſſus contemptui, veraque ejus intentio pro falſa habetur. Non alium habuit ſucceſſum effoſſa circulationis ſanguinis fodina, cujus nuper veritatem ſemper indefeſſus & doctiſſimus Dominus Iohan. Anton. van der Linden ex ſacra pagina confirmavit, cum in abdicatione Rectoratus Magnifici hæc verba ex

ultimo capite Ecc leſiaſtæ (*Et diſrumpitur rota ad ciſternam*) erudite & ſapienter tanquam Anatomicus Sacer, in ſua membra diſſecaret & ex iis ſanguinis circulationem evidenter demonſtraret. Quam acriter præterea contra *Ductus Chyliferos* & *Ductus ſalivales*, nec non alia egregiè inventa diſputatum eſt?

Attamen, mi Domine, licet quamplurimi calamum atramento humectare ſubterfugiant, hac in parte nunquam deero, & tibi manifeſte declarabo, etiamſi totus ſe in riſum effunderet mundus, quo fœtu fuerim gravidus qualemque produxerim, cum nuper in Medicorum corona, uti ante aliquot tibi dies indicavi, hanc quæſtionem moverem, ſcilicet, quare oſſa, quæ muſculis temporalibus ſubjacent, pericranio, uti alia oſſa, non ſint tecta, neque inveſtita.

Hæc inſula quaſi nebulis undique obtecta jam elapſo aliquo temporis ſpatio ante oculos hæſit, & ſummis viribus eam detegere ſemper ſtudui: ſed omnibus jam probe conſideratis, vix ac ne vix quidem propter immenſas Syrtes in littus appellere poteram, & niſi me vellem ad ludibrium uſque periculo objicere, neceſſe habebam me cum navicula in tutiſſimum ſinum recipere: nam nemo omnium ſcriptorum, quod tibi eſt notiſſimum, unquam hanc lineam deſcripſit, ad quam hoc in caſu noſter curſus ſit dirigendus. Verùm cum mihi ſexto Ianuarii 1654. ab ampliſſimo Senatu hujus urbis eſſet demandatum aperire cranium cadaveris Petri Iacobi fabri murarii, tunc temporis mea opinio, qua hactenus fueram gravidus, ſatis ſuperque confirmata eſt: nam quamprimum inſignem in ſuperiori parte cranii depreſſionem obſervaveram, ſimul etiam magnam concreti ſanguinis maſſam inveni, qui partim per aures effluxerat, & partim meatum auditorium obſederat. Deinde vehementi deſiderio viam cognoſcendi tenebar, per quam ſanguis in meatum auditorium deſcenderat: Hanc cum accurate inveſtigabam, ſimul etiam rationem & cauſam detexi, quare pericranium hoc loco muſculos, temporales tegat, minimè verò os ipſis ſubjectum.

Primo ſententiam & reſponſionem (quam dederat Celeberrimus & experientiſſimus Dn. Tulpius Conſul Amſtelodamenſis ad quæſtionem propoſitam, *Unde ſcilicet hic eſſet Sanguis, qui ſæpiſſimè in vulneribus*

neribus capitis per aures effluit) veram & opportunam inveni; nam expertus ſum quemadmodum Nobiliſſ. Conſul jam mihi affirmaverat, ſanguinem à ſuperiori capitis parte inter cranium & pericranium deſcendiſſe, atque ita ſpatium, quod eſt intra os parietale & petroſum intraſſe, inde vero tanquam per cribrum in meatum auditorium ulterius tranſcolatum eſſe. Deinde in hac demonſtratione os petroſum magna diſtantia ab oſſe parietali remotum inveni, adeo ut eo loco ubi oſſa à ſe invicem receſſerant motus notaretur, incipiens ab oſſe petroſo, & in parietali deſinens, ubi tum in oſſe jugali dentata quædam ſymphyſis ab interiori parte callo obſita (uti liquet in omni Articulatione (illiſionem impediens conſpicitur.

Ex his ita ſe habentibus concludi poteſt, quod pericranium, ſi os muſculis temporalibus ſubjectum inveſtiiſſet, ſine ulla dubitatione tum etiam ſe inter os petroſum demiſiſſet, verum ex ejus motu & illiſione in maſticando, loquendo, & alia quavis motione ſemper intolerabilem dolorem percepiſſet. Iam habes, mi Domine, prout excogitare potui, ulterius pergere ſperans, rationem ad quæſtionem propoſitam, ſed non ſatis maturam; & in qua, licet eam acerrimum tuum judicium non improbaverit, acquieſcere non poterit, ſed magis ac magis in luminis oras protrahet. Hinc ſi fructum & utilitatem colligas, eam & homini curioſo impertiri ne dedigneris. Interim te omnipotenti Deo commendo, qui tuum ingenium cultrumque Anatomicum acuat, & denique te ipſum ad magni ſui nominis gloriam, ad miſerrime afflictorum ſalutem, ad ædificationem artis, & commune Reipublicæ bonum dirigat.

Bene vale.

Sententia hæc judicioſa ſatis eſt & admodum probabilis; nam in cadaverum craniis os Temporum ſuperius mobile eſt, ut & inferius, & in ſutura oſſis Zygomatici cartilago conſpicitur, quæ in omni articulo eſt ſumme neceſſaria. Fateor equidem motum hunc eſſe exiguum, ſed major, meo judicio, non requirebatur, quam qui ſufficeret, ad humoribus craſſis, à cauſis internis & externis in meatu auditorio aliquando collectis, exitum præbendum, & cerebrum & aures à multis variiſque incommodis liberandas. Tandem tempus & diligentia haç in re nobis aliquid luminis adferet.

Vtraque maxilla armis neceſſariis inſtructa eſt, quæ Dentes appellantur.

In viris plerumque *triginta duo*, & in fœminis *viginti octo* conſpiciuntur.

Quatuor *Primores*, ſive *Inciſores*.

Duo *Canini*, ſive *oculares*.

Reliqui omnes *Maxillares* ſive *Molares* dicuntur.

Poſt annum 30. 40. aut 50. cum dolore ſæpè duo adhuc in extremo maxillæ prodeunt, quos quidam *Morum*, ac *Sapientiæ* dentes nuncupant, alii *Serotinos*.

Antequam ad Muſculos reliquos Capitis progrediamur, partes nonnullas, quarum necdum facta eſt mentio, deſcribere neceſſarium ducimus, ſunt hæ, *Oculus*, *Auris*, *Naſus*, *Os*.

Oculus quem palpebræ, integumenta nempè membranoſa, anterius cartilaginea atque piloſa, ab externis injuriis defendunt, duplici gaudet *Cantho*, ſive *angulo*. [a]

In quovis angulo *Glandula* reſidet: harum quæ eſt in cantho minori externo inſignis ſatis eſt, dura & alba: quæ in cantho majori interno, minor eſt, mollis, rubra, *punctumque lachrymale* tegens.

Tunica

[a] Qui partium oculi exteriorum ſc. palpebrarum, ut & glandularum in canthis ſitarum fuſiorem voluerit deſcriptionem, is conſulat Nobil. Stenonem qui in ſuis de oculorum glandulis obſervationibus accuratiſſimè demonſtrat glandulam palpebræ ſuperioris innominatam, varios ejuſdem lobos & vaſa lymphatica ex eorumdem interſtitiis prodeuntia cum orificiis ſuis in interiori palpebræ ſuperficie ſitis. Demonſtrat præterea glandulam lachrymalem in interiori oculi angulo ſitam, ut & puncta duo lachrymalia, ad cartilaginis è glandula lachrymali prodeuntis, latera conſtituta, atque rurſus punctorum lachrymalium ad extremas nares continuationem cum vaſe excretorio naribus proprio. Adde Clariſſ. Anton. Nuk Ductus aquoſos extus ſenſibiles juxta pupillam à dextris & ſiniſtris ſitos, & humorem aqueum continuò ſufficientes, ut & alios canaliculos eundem humorem ſuperabundantem referentes, à Nobis opera Clariſſ. D. Zvviky Glareano Helvetii, conjectura propè demonſtrativa repertos, ſed tamen ulteriùs ad totalem demonſtrationem in ſequentibus perquirendos. Præterea præmemoratus Clariſſ. Nuk glandulam conglomeratam in minori angulo oculi ſitam deſcribit è qua ductus ſalivales ad oris exteriora, & juxta Stenonianorum orificia aperiuntur, ut ſupra ex ipſo Auctore & propria authopſia affirmavimus.

De

Tunicæ quatuor humores tres continent.

Vna ipſi cum palpebris communis eſt, à pericranio producta, diciturque *Conjunctiva* ſive *adnata*.

Reliquæ tres propriæ ſunt, enumerantúrque.

1. *Cornea*, à dura meninge proveniens:

2. *Uvea*, ex tenui. Hæc modò ſe dilatans, modò ſe iterum contrahens, *pupillam* conſtituit, oram exhibens variegatam quæ *Iris* dici ſolet.

3. *Retina*, ex Cerebro ipſo, vel potius Nervo optico; Hæc ulterius procedens in *araneam* mutatur.

Tribus hiſce quarta addi poteſt, *Vitrea*, à multis male omiſſa.

Humores Oculi ſunt.

1. *Aqueus*.

2. *Chryſtallinus*.

3 *Vitreus*.

Secundum nervorum par ſpiritus ipſi adfert ad viſum. [b] Tertium vero ad motum.

Arteriæ Carotidis internæ & *externæ Rami* ſanguinem adducunt nutritium: deindè ſanguinem ſuperfluum *Venæ jugulares internæ externaque* reducunt.

Reliquum oculi Adeps & Muſculi conſtituunt.

Adeps ad calefactionem, humectationem, melioremque motum conferens, hîc copioſus valde, vaſis muſculiſque paſſim interjectus.

Muſculos *palpebra* quatuor accepit,

Unum *Rectum*,

Tres *Orbiculares*.

Oculus ipſe ſex, quorum IV. recti ſunt

1. *Attollens* ſ. *Superbus*.

2. *Deprimens* ſ. *Humilis*.

3. *Adducens*

[b] De ratione qua per tunicas & humores deſcriptos radii è variis objectis viſibilibus reflexi inter tranſeundum variè refragantur atque colligantur, ut ſic unitis viribus impreſſionem in retina validiorem efficiant, per nervos opticos ipſi continuatos ad cerebrum deferendam; de his, inquam, nihil ſubjungimus; Lectorem ad Nobiliſſimi Philoſophi Renati Des Cartes Tractatum Dioptrices, alioſque elaboratiſſimos in hac materia ſcriptos remittentes.

Quid

3. *Adducens* ſ. *bibitorius*, aut *Lectorius*.

4. *Abducens* ſ. *indignatorius*.

Duo obliqui, qui *Amatorii* dicuntur: horum

1. *Obliquus internus* ſ. *Trochlearis*, quia trochleam tranſit.

2. *Obliquus externus*.

Auris *externa cartilaginoſa* oſſi petroſo eſt unita.

Membranâ gaudet admodum ſenſili; à parte etiam poſticâ *Glandulis* nonnullis, ad quas humores ſuperfluos Caput ablegat.

Vaſa accipit ab externa internavè jugulari atque carotide: *Nervos* à cervicis nervorum ſecundo pari, nervorum item cerebri pari ſexto.

Pinguedo hic ferè nulla exiguum quid inferius in lobo conſpicitur.

Muſculos quatuor accepit, quorum tres priores ipſi cum aliis partibus communes ſunt quartus proprius eſt.

1. eſt *Antrorſum ducens*.

2. *Retrorſum ducens*.

3. *Quadratus*, *deorſum trahens*.

4. *Tripartitus*, *attollens*.

Auris interna ad ſonum *Cavitates* accepit quatuor, ad tutelam verò & firmitatem *Oſſicula* totidem:

Cavitates ſunt.

1. *Meatus auditorius*, cujus extremum claudit membrana tenuis, valida & fortis, quæ *Tympanum* aut *membrana Tympani* dicitur.

2. *Tympanum*.

3. *Labyrinthus*.

4. *Cochlea*.

Oſſicula, ejuſdem magnitudinis in infantibus, cujus in adultis: ſunt.

1. *Malleus*.

2. *Incus*.

3. *Stapes*.

4. *Os*

4. *Os orbiculare* [c]

Vir nobilis *Ludovicus de Bils*, naturali inclinatione ad ſummum hujus artis culmen evectus, in ſpeciali tractatu docet, Os petroſum (quod hactenus, ob inſignem craſſitiem ſoliditatemque oſſa hæc auditûs, aliaque ejus organa naturali in ſitu ſpectare deſideranti, obſtaculum maximum fuit) non conſtare ex oſſe unico, ſed verò ex quatuor partibus per harmonias junctis, quæ facillimè abſque cœlo & terra ſeparari poſſunt.

Muſculi hic duo, *Vnus* meatui auditorio connectitur, *alter* malleolo.

NASUS *cuticulâ*, *cute*, *muſculis*, & *perioſtio* tectus, *foramina* accepit duo, *ſepto* cartilagineo ſeparata. Unumquodque horum iterum in *illud*, quod ad os ethmoides adſcendit, & *aliud*, quod ſupra palatum ad oris poſteriora ſe extendit, dividitur.

Latera ejus *Alæ* vocantur, ſ. *pinnæ*. Pars carnea inferior carnea columna appellatur.

Membrana interius inveſtiuntur tenui, valde ſenſili, à dura meninge originem accipiente, & hanc Naſus, Os, Palatum, Lingua, Larynx, Gula, ipſeque Ventriculus, communem habent.

Oſſium eum componentium varia & ſpongioſa ſunt, *carunculis* repleta, ne præter voluntatem mucus exſtillet.

Arteriæ à Carotidibus nutrimentum ipſi præbent; *Venæ* à jugularibus ſanguinem non ſatis coctum revehunt. *Nervi* à pari primo ſecundum noſtrum ordinem inſerviunt odoratui, ut illi qui à pari quinto tactui. [d]

Pin-

[c] Quid membrana tympani, quid aër cavitatis tympani innatus, quid oſſicula quatuor ibidem contenta, quid cochlea & labyrinthus pone tympanũ ſita; quid, inquã, hæc omnia pro variorũ ſolorum impreſſione ſuis modificationibus inſtructa ad nervum auditorium deducenda conducant, hic non enarramus, quoniam nihil ad Anatomiam Practicam propriè faciunt, & videri poſſunt apud Illuſtriſſimum Diemerbroëkium, ſuo ſc. de Anatome Corporis Humani *lib.* 3. *cap.* 18. ſolidiſſimè & ingenioſiſſimè, deſcripta. Et præcipuè apud Clariſſ. Du Verney Medicum & Anatomicum Regium Pariſienſem qui de ea re, Tractatum integrum confecit; ut & Clariſſ. Schelhammerum qui ſuper eadem materia doctè ſudavit.

[d] In ſuperioribus vidimus Clar. Diemerbroëckium aſſerentem Nervo-

 rum

Pinguedo hic nulla conſpicitur: ejus oſſa jam ſupra enumeravimus: hoſce habet muſculos.

1. 2. *Deprimentes.*

3. 4. *Dilatantes.*

5. 6. *Conſtringentes.*

Naſutis duo alii accedunt, quos *Aperientes* dicimus.

Os, tanquam janua aëris, loquelæ, & nutrimenti *Labia* duo accepit; laterales ejus partes *Genæ* vocantur, uti pars inferior *Mentum* dicitur.

Labia duos acceperunt *Muſculos*, maxillæ *communes*.

1. *Quadratum* ſive retrorſum trahentem. In aliis fit hæc actio à Zygomatico.

2. *Buccinatorem.*

Superiori Labio Muſculi duo dati ſunt *proprii*.

1. *Surſum* trahens.

2. *Deorſum* movens.

Inferiori unicus tantum datus *Deorſum trahens.*

Labiorum par primum Authori noſtro, ut & Williſio olphactorium dictum, eſſe productionem tubulatam è ventriculis cerebri ad os cribriforme pro expurgatione humoris excrementitii contenti, protenſam; jam videndum quibus nervis odoratus ſenſatio, ſecundùm eundem Diemerbroëckium, perficiatur; circa quod non multum ambigitur; nam è nervis paris tertii Veterum, quinti Williſii, ramus ophthalmicus, ut eſt apud Excellent. Williſium, ſurculum quemdam ſuperiùs reflectit; qui ubi per proprium foramen, os oculi orbitam continens trajecerit, rectà in narium cavernas defertur, ibique in papillulas multas elevatur, quas ſanè olphactus immediatum eſſe organum eodem ut credit, jure affirmat prænominatus Diemerbroëckius, quo, ſuprà cutis papillulas objectorum tangibilium, mox verò linguæ papillulas ſaporum primas impulſiones excipere, eaſque cerebro communicare aſſeritur. Jam verò ſi propria authopſia freti, quid de olphactus organo, ſeu nervis illi inſervientibus, pronũciandum veniat, interrogemur; nõ dubitabimus ſanè aſſerere cum Williſio, Du Verney, & Vieuſſens, id officii demandatũ eſſe pari Veteribus Olphactorio dicto, è proceſſibus ſiquidem mammillaribus plures per oſſis cribriformis foraminula emittuntur fibrulæ, quæ ſenſim duriores factæ, nihilque de natura tubulorum, ut tamen Diemerbroëckio placet, habentes, in tunicam narium interiorem, ut & inter cartilagines carneæ atque ſpongioſæ in fundo narium poſitæ ſubſtantiæ, membranas, abundè & per varios plexus implantantur; non alio ſanè fine quam ut odoratoriorum

Labio utrique communes ſunt.

1. *Oblique ſurſum trahens.*

2. *Oblique deorſum trahens.*

3. *Sphincter, oris conſtrictor, ſ. orbicularis.*

Oris partes interiores ſunt *Dentes*, *Gingiva*, *Palatum*, *VVula*, *Lingua*, & *Os hyoides.*

De Dentibus egimus.

Gingiva nihil habet conſideratione dignum.[e]

Palatum membranâ conſtat ſenſili, Ventriculo communi, à durâ meninge originem ducente.[f]

Uvula teres corpuſculum, ligamentis gaudet duobus, totidemque muſculis, at valdè ſubtilibus.

LINGUA (tanquam gladius honorem noſtrum aut bene aut male ſcindens, prout à puris aut impuris ſpiritibus movetur) poſterius Laringi, oſſi Hyoidi, faucibus, & tonſillis cohæret, anterius membranoſo cuidam, at robuſto corpori, cujus extremum *frænum linguæ* conſtituit.[g]

Frœno utrinque adjacet *Glandula*, *Ranina* dicta, à vaſis vicinis.

Venas

rum corpuſculorum varios motus, cum totidem ſuis modificationibus, excipiant.

[e] Adnotandum tantùm ad latera gingivarum reperiri glandulas exteriorem oris cavitatem undique ambientes, & ſurſum deorſumque ad gingivas pertingentes, quæ muſculos inter, & tunicam oris ſeruntur. Illæ, ut accuratiſſimè demonſtrat Nobiliſſ. Steno, inferiore ſui parte craſſiores ſunt, hinc tenuiores redditæ venis, arteriiſque, & nervis, liberam per exteriorem ſuperficiem viam concedunt. Ex illis autem glandulis procedunt ductus non uno modo; quidam ex pluſculis radicibus in ſingulares abeunt truncos ſatis manifeſtos, quidam ſunt admodum breves, vixque niſi per expreſſum humorem conſpiciendi.

[f] Tota palati caro in brutis ut & in homine nihil niſi conglomerata eſt glandula tonſillis continuata, unde innumeri, ut ſuprà dictum, exiles prodeunt ductus, qui palati membranam perforantes, inde quaſi cribrum efficiunt. De his jam quædam ſuprà.

[g] Lingua muſculoſa conſtat ſubſtantia, fibræ quæ primò conſpiciuntur, dum illa ſuis omnibus tunicis denudatur ſunt rectæ, quibus contractis, abbreviatur lingua: centrum verò multiplices fibræ occupant, longæ ſc. tranſverſæ & obliquæ identidem per ſuper equitationem, eò propè modo intertextæ, quo vimina in corbium compoſitionibus; unde motibus pro loquela deglutitione &c. peragendis, aptum omnino evadit inſtrumentum.

[h] Non

Venas aſſumit duas, *Raninas* dictas, à jugularibus, *Arterias* duas à Temporalibus, *Nervos* duos magnos à pari ſeptimo, varios itidem minores à pari quarto & quinto.

Pinguedine caret. [h]

Muſculi ipſius ſunt

1. *Genioglоſſus*, ſive antrorſum ducens.
2. *Styloglоßus*, ſive ſurſum trahens.
3. *Myloglоſſus*, ſive oblique ſurſum ducens.
4. *Baſiglоſſus*, ſive rectà introrſum ducens.
5. *Ceratoglоſſus*, ſive deorſum trahens. [i]

Os Hyoides, Muſculorum ligamentorumque ope proceſſui ſtyloïdeo oſſium Temporum, Cartilaginique ſcutiformi laryngis, connexum, ex quinque oſſibus unitis componitur. Horum medium, quod maximum, *Baſis linguæ* dictum, cartilagineas productiones duas habet, ſæpiùs in os degenerantes.

Muſculis præditum utroque latere quatuor.

1. *Geniohyoides*, ſive rectà ſurſum elevans.
2. *Sternohyoides*, ſive rectà deorſum ducens.
3. *Styloceratohyoides*, ſive oblique ſurſum ducens.
4. *Coracohyoides*, ſive oblique deorſum ducens.

Partes

[h] Non verum eſt linguam pinguedine carere, nam, ut obſervat Excellentiſſ. Malpighius, interſtitia linguæ fibrarum, ad baſim præcipuè, copioſa replentur pinguedine; eapropter multò ſapidior & mollior eſt ejus fibrarum præcipuè, internarum caro, quam ullius alterius corporis partis muſculoſæ.

[i] Quomodo lingua ſit proprium guſtus organum, varii varia docuere, quidam illius membranæ, alii totius linguæ ſubſtantiæ peculiaris propterea fortis, alii non linguæ, ſed tonſillis id muneris delegarunt: Illuſtriſſ. Malpighius Anatomiæ decus, poſtque eum Excellentiſſ. Fracaſtatus, & rurſus Clariſſ. Bellini papillulis per linguam reſperſis hoc officii demandarunt. Nervis autem multis continuantur illæ papillulæ, & elevantur è ſubſtantia membranoſa proximè fibroſum linguæ corpus inveſtiente, per aliarum membranarum ſuper impoſitarum interſtitia. An ſupra illas inſternatur cuticula quædam, non ſatis liquet; ſed hoc poſito non minus bene ſe habebunt ad guſtum, quam cutis papillulæ cuticula obtectæ ad tactum. Qui plura in hac materia, & præcipuè circa actionem ſalium alimenti, in haſce papillulas, voluerit, conſulat Tractatus memoratos quibus ſanè abundè ipſi ſatisfiet.

Partes hæ omnes externæ *Capitis* ſunt, quod vel ſolum movetur *muſculis* propriis, vel unà cum collo muſculis Cervicis. De his infra agetur.

Proprii ſunt

1. *Flectens*, annuens.
2. *Splenius*, abnuens, caput concutiens.
3. *Complexus*, Splenii ſocius.
4. 5. *Obliqui*, oblique retrorſum trahentes.
6. 7. *Recti*, recta retrorſum trahentes.

Uſus Chirurgicus.

Ex capite quamplurimi, tum interni, tum externi morbi originem ducunt: nam ædificii tecto non admodum disſimilis eſt, quod totius ædificii vaporem recipit; qui deinde in Catharrum mutatus ad inferiores partes defluit, *dolorem* & *paralyſin* excitans in artubus; *inflammationem* in oculis, faucibus, &c. *Dyſpnœam* in pectore; *Chylificationem* imminutam in ventriculo; *Diarrhœam*, *Cœliacam*, &c. in inteſtinis. Externorum quidam jam nobis conſiderandi, Interni enim ad Medicum pertinent.

1. Frequens in Capite PORRIGO, aliis *Achor*, aut *Favus* dicta, cruſtoſa nempè ſcabies, in adultis æquè ac junioribus occurrens. Craſſities harum cruſtarum ſæpè magna, nonnunquam etiam humiditas quædam conjuncta, & pruritum inſignem, fœtoremque excitans.

Cauſa pituita ſalſa eſt. *Pertinax* ferè malum, & facile rediens.

Curatio ut plurimum ſolet peragi fortiori purgatione, venæſectione, ſudoris provocatione, ſalivatione, inunctione, capillorum evulſione; at nullo horum mediorum adhibito, ſolo hoc lixivio ſæpiùs morbum hunc curavi.

♃. *Cineres, Belgis dictos* Wiedaſch, *& cum Vino Gall. albo fiat Lixivium q. v. moderatæ acrimoniæ, in hujus pintis ij decoquantur. Fol. Majoran. Abrotan. an. M. ij. Capill. Vener. M. j. ſ. Flor. roſar. rubr. P. iij. M. ſ.*

Lavetur eo Caput bis tervè quavis ſeptimanâ, calidè, hinc ſiccetur benè linteis calidis. Et paucarum ſeptimanarum ſpatio curabitur æger. Poſſe tamen nonnunquam & leniora purgantia uſurpari, facile concedo.

 2. In

2. In *Hydrocephalo*, *Catharriſque* gravioribus ſummo cum ſucceſſu fonticulus excitari poteſt in nucha, eo quod ſinus duræ meningis eo circiter loco Venæ jugulari jungantur: in pueris maximè, in quibus inſigniter ſæpiùs ſuturæ dehiſcunt.

3. *Pinguia* caput non fert, propterea quod non multis muſculis tectum ſit.

4. In Cranio materia nonnunquam locis variis colligitur lenta; quæ ſi phlegmagogis externiſque diſſipantibus non tollatur, duritiem ſummam temporis ſucceſſu acquirit, imò, augmentatione inſuper accedente, *Cornu* perfectum exhibet, non niſi per Chirurgiam tollendum.

5. Ex Cranio & Abſceſſus alii procedunt, qui, quamvis ad ſteatomata, atheromata atque meliceridesſ pertineant, in Capite ſpeciatim, *Teſtudines*, *Talpæ Topinartæ* & *Nattæ* dicuntur. Curationis hi ſpem ferè nullam exhibent, os ipſum graviter ubi corruptum: filo alias tolli poſſunt, aut, quod præſtat, ferro, cum media alia ferè reſpuant. Modus ferro eos auferendi hic eſt. Diſſectâ Cute in formam crucis, veſicula eximatur, hinc ſeparato pericranio, ſcalpro cranium tollatur uſque ad partem ſanam, inſpergatur pulvis adſtringens, mox cutis iterum conſolidetur, quæ ſi laxior juſto fuerit, particula ejus aliqua auferri poteſt, quamvis id fieri, rarò neceſſarium, cum ſatis curationis tempore corrugetur.

6. *Suturæ Cranii* ſi nimium dehiſcant, cerebrum valde debilitant; ſi nimis ſtrictè uniantur, capitis dolorem movent. Ipſis in ſuturis trepanizationem æquè tuto ſe inſtituiſſe, ac extra eas, Chirurgi exercitati teſtantur.

7. *Muſculi Capitis* ab aliis diverſi nihil inferunt, præterquam quod vulnus aut contuſionem muſculi Temporalis facilè convulſio ſequatur; Imò nec per tranſverſum diſſecari debet, ne os diſtorqueatur.

8. *Dentes* cum nec membranis, nec nervis præditi ſint, inſenſiles omnino ſunt, ſed vero qui iis tribuitur *Dolor* membranis, præſepiola eorum inveſtientibus, adſcribi debet, utpote per quas nervi varii diſtribuuntur; *Cauſæ* tamen hoc in caſu diverſæ, benè diſtinguendæ, occurrunt 1. nempè, Intemperies calida. 2. Intemperies

peries frigida. 3. Humor acris. 4. Continui ſolutio.

In *Intemperie calida* Venæſectio atque Purgatio valdè neceſſariæ: Cucurbitulæ cervici & ſcapulis applicantur; Apophlegmatiſmis atque Errhinis caput purgatur. In principio hæc Aqua, ore detenta, multum præſtat.

♃. Rad. torment. unc. j Fol. Verben. M. j. ſ. Flor. balauſt. P. ij. Nuc cupreſſ. drachm ij. Santal. rubr. drachm. iij. Scoriæ ferr. drachm. j. Vitriol. ſcrup. ij Acet. roſar. unc. ij.

Coq. ex Vino rubro ſtipt. q. ſ. & colat. libr. j. ſ. detur uſui. Fluxu ſedato reliquum Collutione ſeq. diſſipamus.

♃. Rad biſtort. drachm. iij. Ireos drachm. ij. Fol. ſalv. Hyſſopi. an. M. Gallar. drachm. j. Thuris. Sandarach. an drachm. ij. Baccar. juniper. unc. j.

Coq. ex Vino rubro.

In *Intemperie frigida* fugiat æger frigida omnia Medicamenta, Potulenta, Aërem ipſum. Phlegmagoga proſunt, Venæſectio nocet. Ore detineri poſſunt ſeq. magnarum virium.

Spiritus Odontalgicus meus.

♃. Raſur. lign. Sanct. unc. iiij. Sem. Staphidiſagriæ. Cort. Granat. Gallar. Thur. alb. an. unc. j. Opii crud. Flor. papaver. errat. Camphoræ. Zinzib. alb. Caryophyllor. Piper. long. an. unc. ſ. Fol. Salviæ. Perſicar. Nicotian. Mentaſtr. an. M. j. Rad. hyoſcyam. Pyrethr. Mandrag. Cynogloſſ. Vrtic. min. an. unc j. ſ.

Infuſa per dies 14. in ſ. q. Spir. vini deſtillentur in Balneo Mariæ.

Humor acris ad dentes defluens, eodem ferme modo ſanatur, uti intemperies calida. Quæ ſi illa medicamenta reſpuat, mixtura ſequens cochleari uſurpanda eſt, cujus utilitas ſumma non ſolum in hac, ſed & in aliis odontalgiæ ſpeciebus.

♃. Aquæ plantag unc j. ſ. Roſar. Menth. an. unc. j. Alexiph. unc. ſ. Cinnamom. drachm. ij. Iulap. roſac.

Vel

Syr. papav. errat. unc. j. Laud. Opiat. gr. iij.

Miſce.

In *Continui ſolutione* & *Carie dentium* optimum eſt dentem extrahere.

In *Dentitione infantum* dolor mitigari poteſt butyro recenti & melle

le virgineo, vel decocto cerebri leporis aut cuniculi in cereviſia facto; at in diuturniore dolore utile valde gingivam leviter incidere, quo denti concedatur exitus.

9. Ex ſanguine humoribuſque mixtis *Ophthalmia*, modo vera, modo ſpuria, aliquando tunicam oculi unam, quandoque plures occupans. Solo in Cantho majori quæ exoritur, *Ægylops* vocatur; album oculi veſiculis obſidetur, quæ *Phlyctenæ* dicuntur, quibus ruptis ulceratio ſequitur, Oculum totum, niſi ſiſtatur, corrumpens.

Quod ſi ulcus hoc carunculam ſolam occupet, ſic ut lachrymalo punctum exinde occalleſcat, *Fiſtula* inde oritur *Lachrymalis*.

Morbi hi ſi media in Chirurgia noſtra propoſita reſpuant, alia eligenda erunt. *Phlyctenæ* ſeq. pulvere facile tolluntur.

℞ *Sacchar. Cand. alb. Tut. præp. an. unc. ſ. Corall. rubr. præp. Camphor. Vitriol. alb. Sacchar. Saturn. an. ſcrup. i.*

Miſce fiat *Pulvis.*

Oculus ſi ulcere afficiatur, mundificantia primo, & deinde conſolidantia exigit.

Mundificans.

℞. *Myrrhæ gr. xv. Aloës gr.* vj. *Sacchar. can. drachm. j. Vitell. ov. N. j. Lactis Caprin. unc. iij.*

Miſce.

Conſolidans.

℞. *Corall. rubr. præp. Corn. cerv. uſt. Sarcocollæ nutrit. an. ſcrup. j. Sang. dracon. ſcrup. ſ. Plumb. uſt. ſcrup. j. Amyli drachm. ſ. Croc. metallor. ſcrup. ſ. Gumm. Tragacanth. aq. roſac. diſſolut. drachm. j. Aq. equiſeti q. ſ.*

M. F. *Collyrium.*

Si *punctum lachrymale* in glandula canthi majoris calloſitate quadam ſit obductum, & continuo affluxu in fiſtulam commutatum ſit, primo calloſitas eſt auferenda, antequam alia accidentia recedere poſſunt; ad hoc præſtandum in uſu ſunt ſequentia medicamenta, *Phlegma & Spiritus vitrioli*, *Alumen uſtum*, *Vitriolum cæruleum*, *Ærugo æris*, *Aqua mercurialis*, *Aqua fortis*, *Vnguentum Ægyptiacum*, maximè vero omnium Vng. Fuſcum Fel. VVurtz. ad juſtam conſiſtentiam redactum, ex quo impoſitoria conficienda, & fiſtulæ inſerenda erunt.

Calloſi

Calloſitate ſublata, ulcus ſequenti medicamento curari poteſt.

℞. Rad. Ireos, Ariſtolochiæ rot. Cort. Thuris an. drachm. j. ſ. Myrrhæ, Maſtiches, Sarcocollæ. Aloës, Cadmiæ foſſilis an. drachm. j. Mellis q. ſ.

M. F. *Vnguentum.*

Quod ſi Os lachrymale aut *Zygomaticum* cariem quoque contraxerit, Cute leviter inciſa Cauterium actuale aut potentiale applicandum, quo caries hæc curetur, aliàs enim impoſſibile erit, aliud malum commode auferre.

10. Aurium dolores cauſantur intemperie frigida aut calida, vel etiam ſolutione continui: Deinde aliquando vulnera, & ex vulneribus ulcera ſequuntur.

Ad intemperiem frigidam, flatuſque comites, præter communia, particulariaque media, externe hæc ſummo cum ſucceſſu applicantur.

℞. Ol. rutac Hyoſcyam. an. drachm. ſ. Majoran. deſtillat. ſcrup. ſ. Caſtorei gr. vj. Croci Or. gr. iiij.

Miſce.

Fumus Tabaci per fiſtulam inverſam in aurem immiſſus in dolore aurium & ſurditate multis profuit. Sæpiùs quoque magna præſtitit decoctum Cariophyllor. aromaticor. in vino rubro, ſi guttæ ejus duæ aut tres tepidæ in aurem inſtillentur, & deinde auris cariophyllo jam cocto obturetur.

Guttæ duæ Spiritus ſequentis mane & veſperi in aurem inſtillatæ mira præſtant.

Spiritus Otalgicus meus.

℞. Ovor. formicar. maj. N. 100. Caſtorei, Pulpæ Colocynthid. Majoranæ, Sabinæ, Abſinthii, Rutæ an. M. j. Sem. Cumini, Aniſi, Carui, Fœnicul an. drachm. iij. Bacc laur excorticat. Iuniper. an unc. ſ. Cort. Mali Punici drachm. vj. Rad. Hellebor. nigr Cyper. rot. Raphan. min. Cyclamin. an. unc. j. Cæpar. mediocr. N vij. Amygdal. amar unc. ij.

Infuſa per dies 14. in ſ. q. Spir. Vin. rectif. deſtillentur in B. M.

In *Intemperie calida* primo fluxus humorum eſt exſpectandus, qui avertendus eſt Venæſectione, Scarificatione, Purgatione, Enematum injectione, &c. Deinde vero medicamenta ſeq. goſſypio excepta ori imponere oportet.

℞. Lact. mulier. unc. ij. Album. ov. agitat. unc. ſ. Croc. orient. ſcrup. ſ. Axung. anſer. diſſolut. drachm. ij. opii crud. gr. v.

Miſce.

Vel

℞. Ol. violar. Amygdal. dulc. Acet. roſac. an. unc. j. Philon. Roman. drachm. ij. Croc. Or. ſcrup. ſ.

Coq. & Colentur ad uſum.

Vel

℞. Rad. Altheæ unc. j. Fol. Malvæ, Mandragor. an. M. j. Cap. papaver. N. ij. Flor. aneth. Chamomill. an. P. ij. Sem. lini drachm. iij.

Coq. ex lacte Vaccino pro fotu.

Fluxione, doloreque ſedatis, quod reliquum eſt, iis quæ modo in dolore ab intemperie frigida propoſuimus, diſſipari poteſt.

Inflammatio ubi in *Abſceſſum* tranſiit, quod ex pulſu febrili, doloreque continuo increſcente dignoſcimus, naturæ ſuppurantibus Medicamentis ſuccurrere debemus.

℞. Vnguent. Baſilicon. drachm. ij. Ol. Lini drachm. iij.

Miſce.

Vel

℞. Axung. Anſer. Ol. Amygd. dulc. Lilior. alb. an. drachm. ij.

Miſce.

Vel

℞. Rad. Lilior. alb. unc. j. ſ. Bulb. Cepæ maior. N. j. Coq. ſub cineribus contuſis, Adde Farin. altheæ unc. ſ. Sem. lini drachm. vj. Butyr. recent. unc. j. ſ. Ol. chamomill. lini an. unc. ſ. Croc. drachm. ſ.

M. F. *Cataplaſma.*

In *Abſceſſu rupto*, Vlcus mundificantia primo uſurpanda, ubi proſunt Mel roſarum, Centaurii. Succus Apii, Fœniculi, Betæ, Cæparum, Porri. Decoctum Agarici, Lupinorum. Urina humana. Lixivium. Fel Tauri. Vnguentum Ægyptiacum.

Deinde ulcus exſiccantia atque conſolidantia locum habent.

℞. Rad. Ariſtoloch. rot. drachm. ſ. Ireos ſcrup. j. Ceruſſ. lot. Tutiæ præp. an. drachm. j. Myrrhæ. Sarcocoll. Lithargyr. aur. an. ſcrup. ij. Cinabar. factit. drachm. ſ. Scoriæ ferr. ſcrup. j. Mel. roſat. q. ſ.

M. F. *Linimentum.*

Vermes

Vermes ubi in ulcere ex materia impura proveniunt, ſequentibus necandi ſunt.

Succ. Abſinth. Centaurii min. Perſicariæ Decoct. Colocynth. Hellebori alb. Fel Vaccinum, Ol. abſinth. amygdal. amar. &c. vel

♃. Aloës, Myrrh. an. drach. ij. Colocynth. drachm. ſ. Summit. abſinth. M. ſ.

Coq. ex Vino pro *Injectione*.

II. Nasus æquè ac Auricula *Inflammationi* obnoxia, cui mox in principio Medicamentis in Phlegmone ſupra indicatis occurrere cogimur, ne alias cartilagines ejus carie corripiantur, ſicque deformatio turpis inducatur.

Interiorem ejus cavitatem *Tumor* quandoque occupat *Polypus* dictus, ex ſanguine impuro & pituitoſo ortus: duplex hic eſt, vel enim turundæ formam refert, & *Sarcoma* generali nomine dicitur, vel ramulis variis ad oris interiora aut naſi exteriora ſe extendit, & *Polypus* in ſpecie vocatur. Coloris qui eſt albicantis, ſine dolore, & mollis, facile curatur; difficilius vero, qui rubicundior; nunquam, qui lividus, niger, aut fœtidus. Attactus in Cancrum degenerat, totamque faciem occupat.

Curatio Medicamentis abſolvitur, filo, aut ferro. Medicamenta in principio conveniunt Adſtringentia atque Exſiccantia.

♃. Cort. granator. Flor. balauſt. an. drachm. j. Cadmiæ foſſil. drachm. ij. Antimon. crud. Croc. Martis, an. drachm. ſ. Maſtiches, Myrrhæ, Lap. Magnet. Lithargyr. an. drachm. j.

M. F. *pulvis tenuis.*

His nihil efficientibus, Exedentia applicantur.

♃. Alumin. uſt. Bol. Armen. Balauſt. an. drachm. iij.

M. *F. Pulvis.*

Aliud fortius.

♃. Vitriol. unc. ſ. Alumen. Cortic. Granat. Gallar. an. drachm. ij. Myrrhæ rubr. Ariſtolochiæ uſt. an. drachm. j.

M. F. *Pulvis.*

Aliud, adhuc fortius.

♃. Vitriol. unc. iiij. Aluminis, Ærugin. æris an. unc. ſ. Aceti unc. vj.
Calcinentur in vaſe lutato.

Aliud, valde efficax.

℞. Arſenici rub^{r}. Citrini. Alum. Gallar. an. unc. ſ.

M. F. Pulvis.

Radicitus tumores tales exſtirpatos obſervavi Aqua, in qua Mercurius ſublimatus erat decoctus. Sed rariſſimè medicamentis obediunt: quare in tempore inſtrumento ab Aquapendente aut Sennerto deſcripto, tollendi ſunt.

Etiam forceps adhiberi poteſt, quo tumor tamdiu eſt circumducendus, uſque dum propè radicem frangatur & decidat. Filo etiam ſerico quotidie arctius conſtricto, & ita alimento privatus, facillimè extrahi poteſt. Quod reliquum eſt medicamentis curatur jam ſupra indicatis. [a]

12. Plu-

[a] Polypum narium ſequentibus feliciter aliquando vidi curatum. Præmiſſis præmittendis, venæſectione ſc. & purgantibus, præſcribebatur ptiſana è fortiori guaiaci, ſarſæparillæ, ſaſſafr. & ſantalorum decocto una cum eorumdem lignorum pulveratorum additione, per aliquot ſeptimanas quater de die ad ℥vj. uſurpanda longè à paſtu. Præterea mane & veſperi pulvis ſequens in nares inſufflabatur. ℞. calc. vivæ, mellis crudi āā. ℥iiij. fiat paſta igne admoto comburēda, atque poſtea pulveranda, adde tutiæ pptæ, alum. uſti, rad. gentian pulver. āā. ℥j. M. F. pulvis. Tandem ſuffumigium adhibebatur ſequens. ℞. Rad. ellebor. alb. & nigri āā ℥ß. folior. beton. pulver. ʒiij. major. origan. calament. āā. ℥j. flor. roriſmar. M. ß. baccar. juniper. ℥ij. mumiæ Ægyptiac. ℥iß. F. omnium pulvis, ad pugilli quantitatem in ignem pro ſuffumigio injiciendus. Hiſce tamen, aliiſque etiam multis nihil proficientibus vidimus etiam aliquando polypum rebelliorem per illud narium foramen laterale quod ſubter os Zygomaticum abit, radices ſuas ad oculi canthum minorem egiſſe, atque nec cauſticis, nec ferro, nec igne millies applicitis curati potuiſſe, imò ſic augmentum in dies cepiſſe, & quaſi aliam hydram è propriis vulneribus renatum, tandem ad totalem faciei deformationem, atque etiam noſtri ægri ſuffocationem accreviſſe. Super polypo autem narium, quia Celeb. Jobus à Meek'ren varias adducit hiſtorias è re futurum credimus eas hic legendas dare.

HISTORIA PRIMA.

De Polypo Narium Epiſtola Nicolai Zas, *Medici Rotterodamenſis.*

Ad Jobum à Meek'ren.

Experientiſſime Vir,

Cura noſtra, nec non Chirurgi cujuſdam Civitatis noſtræ haud poſtremi commiſſa eſt Puella 13. *annorum, temperamenti frigidioris, polypo narium laborans, varia jam ab aliquo tempore adhibita medicamenta, interna æque ac externa, aſt nihil hactenus effecerunt.*

Res

Res non naturales quas exactè obſervari in omnibus morbis exigit Hippocrates lib. 3. de morb. vulg. & lib. 2. *curioſè etiam ab ægrâ noſtra obſervatæ, fluxiones à capite ad hanc partem deſcendentes ex præcepto* Galeni *ſiſtere allaboravi, promiſſa univerſali corporis evacuatione. Decoctum radicis chinæ jam à longo tempore ſine fructu uſurpatum. Inſtitutæ etiam ex doctrinâ* Celſi lib. 6. cap. 8. *Capitis fricationes Cucuphæ capiti applicatæ ex herbis, floribus &c. cephalicis exſiccantibus paratæ, nec fonticulum neglex imus.*

Topica à Chirurgo adhibita varia itidem fuerunt: pulvis ſabinæ Paræo lib. 5. c. 19. *in hoc caſu uſualis, inſperſus, aut etiam, pro unguento illiniendo, unguento ægyptiaco mixtus; Trochiſci itidem vigonis. At nihil omnium profuit.*

Dolore accedente, ex uſu forſan medicamentorum acrium, mali moris affectum futurum metuebamus, maximè cum carnoſior, ſanguinolentuſvè magis polypus hîc notaretur, coacti adeoque Medicamentum abſumere illud quod Ambr. Paræus lib. 8. cap. 2. *in curatione Polypi commendat, dolores imminuere, haud tamen Polypum ipſum tollere valens.*

Enarratis omnibus fruſtra hactenus adhibitis nihil ſupereſſe, & parentibus, & ægrotanti ipſi indicavimus, præter extractionem Chirurgicam, at admittere eam detrectabant omnes.

Hæremus adeoque, nec quid agendum conſtat. Tu ſi quid habes, Vir Clar. imperti; quo tandem miſera ægrotans moleſto hoc malo liberari queat. Quod ſi non niſi manualem extractionem hîc locum habere nobiſcum ſentias, Epiſtolio quodam notifices rogo, quo & parentes, & ægrotans, quam neceſſaria ſit hæc operatio, informentur. Vale.

Tuus

N. Zas.

Reſponſio Jobi à Meek'ren *ad literas* Nic. Zas, *Medici Roterod. de Polypi narium verâ curatione.*

Domine,

Quod polypum auferendi methodum ex me cognoſcere deſideres, valdè afficit, non video quæ proponere queam tibi ignota, viriliter adeò, paſſibuſque certis hîc procedit, ut quis æquiparari multo magis anteponi poſſit, non videam; Gratias refero maximas, quod eo me honore dignum æſtimes, cui publicum incommodum, quæſtio de verâ polypos curandi viâ proponatur; Beſtia illa (eo enim nomine Polypus *venit, & quidem meritò) quomodo vel per media Topica in naſi cavo conſumentia, vel per inſtrumenta ipſa auferri queat, paucis docere aggrediar.*

Notum nobis Polypum hunc eſſe Galeno de comp. medic. cap. 3 Paulo Æginetæ lib. 3. cap. 24. Aëtio lib. 6. cap. 90. Cornelio Celſo lib. 6. cap. 8. *imprimis* Fabr. ab Aquapendente parte 1. Oper. Chir. cap. 24. *debemus.*

Locus *non ipſi ſolum* naſus, *ſed &* palati pars ſuperior, *& cum eâ* fauces *ipſæ, quæ loca adeo ſæpe carneâ hâc excreſcentiâ anguſtari poſſunt, ut ſuffocari ferè videatur æger.*

Quomodo tractaveris Polypum, quo correpta ægra tua, quæque adhibueris medicamenta accurato ſatis ſtylo proponis. Ut verum fatear, atque ex animo Tecum agam, Medicum hîc præſtiti talem, qualis deſiderabatur

tur, nec aliquid omiſiſſe Te teſtari poſſum eorum quæ ad auferendum malum requirebantur; haud equidem in medicinâ ſatis me expertum agnoſco, profiteorque, qui Chirurgiæ deditus, diuturno nihilominus exercitio etiam ea quæ medicinæ magis conſiderationis habentur, imò revera ſunt, Chirurgis innoteſcere, quotidie experimur.

Localia *quod ſpectat media affectum ipſum quibus tollere allaboraſti; non ſolùm ut haud rejicienda ea habemus, ſed & quæiis anteponi queant nulla nobis nota, teſtamur.*

At, Vir humaniſſime, *concedas precor, quod, cum ægra tua filiola ſit tredecim annorum, cur Vena pedis ſiniſtri ſaphena non fuerit ſecta, ad menſium promotionem, quærere audeam. Carneæ etenim ſubſtantiæ eum dicis imò indies ſanguineam magis conditionem aſſumere, carnoſioremque fore, at hæc unde deduci poterunt, ſi non ex ſanguine.*



Ad extirpationem manualem *admittere Chirurgum quod recuſant parentes, nolit ægrotans, doleo, cum præſtantius medium hactenus nullum innotuerit, citò, imò, etiam certo hac via procedimus; Teſtantur hæc in arte Chirurgica viri celebres*, Fabr. *imprimis ab* Aquapendente *loco ſupra allegato Nobis eadem non ſemel ex voto ſucceſſit, inter alios in Ancilla Medici hujus loci* Simonis Dilmans, Metje Stevens, *cui auxiliante* Henrico à Roonhuyſen, *Chirurgo magni nominis, polypum extraximus incredibilis magnitudinis, & craſſitiei, Figuram hic addimus.*

Attamen, Vir Celeberrime, *quod ſi recuſare perſeverent parentes extractionem manualem, non inconſultum videretur [pace tua dixerim] plumaceolum hoc medicamentum inſigne, à* Joanne Vigone l.b. 2. cap. 5. *deſcriptum, ſalivâ aut aqua plantaginis madefactum, naribus imponere, ad eam altitudinem, ut attingat polypum, idque bis ſingulis iterare diebus. Deſcriptio hæc eſt.*

℞. *Pilor. carptor. panni linei veteris* ℥ij.
Medull. panis alb. ℥iij.
Sublimat. triturat. ʒj.
Aq. Roſar. Plantag. an. ℔j.

Coquantur in vaſe ſtanneo ad ſecundæ partis conſumptionem, dein fortiter exprimantur, & filum carptum ſiccetur in furno.

Medicamento huic, quod cautè admodum uſurpari debet, eò quod ſublimatum

matum

matum recipiat, de quo conterraneus tuus, Medicus olim celeberrimus Joannes Beverovicius libro cui titulus Theſaurus ſanitatis, Schat der Geſontheyt, cap. octavo, *addimus aliud, cujus vires egregias non ſemel experti. Valdè hoc commendat* Alexander Trallianus, *referente* Durante Scacho ſubſid. Med. conſ. de Polypo c. 1. *Caput hoc eſt, caput mortuum Vitrioli, ſequenti modo uſurpandum.*

♃. *Cap. mort. Vitriol.* ℥j.
Subtil. pulv. miſceatur cum Vng. Ægyptiac. portione liquidiore.

Unguentum *hoc bis tervè quovis die applicetur plumaceolo exceptum polypo, penicelli operâ; Benè hoc ſucceſſit* in Conſule *hujus loci, brevi tempore. At quum uſu immoderato hujus ũguenti ardor nimius dolorque excitaretur, coacti fuimus ad utriuſque mitigationem,* Unguentum *ſequens, à prædicto* Scacho *præſcriptum cap. allegato, adhibere, quod bene ſucceſſit.*

♃. *Spumæ Argent.* ʒij.
Ceruſſ. ʒiij.
Alum. ſciſſil. ʒ j.
Tund. & cribrentur, hinc in mortario plumbeo, cum vino odorato ad mellis conſiſtentiam reducatur, huic addatur Olei myrtini q. ſ. conquaſſatumque in pyxide plumbeâ ſervetur.

Crede mihi, Vir Doctiſſime, *medicamenti hujus vires eſſe ſummas, imò notum mihi hactenus nihil eſſe quod ei anteponi queat.*

Quod ſi vero nec hoc medio tolli polypus queat, neceſſarium omnino ducimus parentes ægrotantis, ipſamque ægram eo deducere, ut concedant Extractionem manualem, quam commodiſſimè fieri poſſe, expertus indico, inſtrumento ſ. forcipe, cujus deſcriptionem Fabr. ab Aquapendente *exhibet allegato capite, quod magis commodum cauterio quod commendat* Cornelius Celſus lib. 7. cap. 10. *ne nimium increſcat, quale incrementum enorme notavimus in virgine religioſâ* Grietje Kroonenburg, *quæ, quod in principio eradicationem omnem quovis modo inſtituendam recuſaret, monſtro magis ac homini ſimilem faciem tandem exhibuit, effigiem addimus: Finem imponimus diſcurſui noſtro minus erudito, ne tempora tua aliis ſeverioribus dicata moremur.*

Succeſſum optamus eum, quem non ſemel experti. Benedicat is qui dator omnis boni. Vale, Vir Magne, *diuque vivas in commodum ægrotantium, honorem artis noſtræ, & urbis veſtræ gloriam.*

Tuus
JOB à MEEKREN

Scias, *benevole Lector*, cancroſum hunc Polypum, cujus in Epiſtolâ prædictâ mentionem feci, ad eam magnitudinem excreviſſe, ut deformem reddiderit faciem ad eum modum qui in addita figura exhibetur.

HISTO-



HISTORIA SECUNDA.

De Polypo cartilagineo, à parte poſticâ uvulæ ex faucibus ablato.

POlypus non ſolum nares, ſed & fauces replet, Authore *Fabr. ab Aquapendente part.* 8. *cap.* 2. Undè gravis adeò reſpirandi difficultas, ut ſæpiùs ſuffocari videatur æger.

Pediſſequus *Dn.* ..... *Six*, ex ictu graviori, reſpirandi contraxit difficultatem, adeò ut ſpiritum ducere grave ipſi valdè, imò ſucceſſu temporis incrementum tale ſumpſit malum, ut ne quidem cibum deglutire, niſi cum moleſtiâ ſummâ, valeret.

Variorum Medicorum, Chirurgorumvè auxilia hic fruſtra imploraverat æger; quibuſdam incurabile malum habitum, adeoque, medicamenta nulla in uſum ducenda, ſtatuerunt, alii eò uſque artis medicæ præcepta extenderunt, ut lue venereâ ægrum laborare aſſerere auſi fuerint, eò quod obſcurè admodum loqueretur.

Tandem innotuit quibuſdam ex hæmorrhagiis gravioribus, fluxuque humoris tenuioris acrioriſvè per nares, eoque continuo, in naribus ipſis certo hærere malum. Ad hoc medicamenta varia adhibita, at ſine ſucceſſu.

Amore ſervi incitatus *Dn. Six* nullius non operam implorare pergebat, modò curationis aliqua ſpes, tandem etiam noſtram, collegæque noſtri *Dn. Floriani*.

Ægrum quamprimum viſitare nobis conceſſum, non ſolùm nares polypo repletas obſervare licuit, ſed & fauces anguſtatas à maſſâ carneâ, gravi, durâ, cartilagineâ, circa uvulam

deorſum

deorſum ad œſophagum ſe extendente, muſculis æſophagæis incumbente; Hîc cura nulla niſi quæ per eradicationem manualem, primò adeoque forcipe id quod fauces palatique poſteriora occupabat, tollendum eſſe monuimus.

Operationem hanc, admittente ſervo æque ac Domino, potio præparans & ſimul laxans, ad aliquot dies præſcripta. Hujus uſu præmiſſo, ad ipſam extractionem devenire placuit, quæ, præſente *Domino Six* & *Floriano* Chirurgo, à nobis ad hunc modum peracta.

Primò omnium, nihil eorum hîc deeſſet quæ ad extractionem non magis quam ſanguinis fluxus inhibitionem, requirebantur, curam geſſimus.

Pulverem ſtipticum parari curavimus in hunc modum præſcriptum, ab acrioribus enim abſtineremus aſperæ arteriæ ſtructura atque ſitus fecit.

℞. *Lapid. Hæmatit.* ℥ß.
Bol. Armen. veri.
Terræ Lemn. an. ʒij.
Nuc. Gall, immat. ℥ij.
F. *Pulvis ſubtiliſſimus.*

Hoc quo convenienti modo uti liceret, turundas cõfecimus operi aptas, & plumaceolis, & ſpongiæ exſiccatæ particulis, longas equidem, craſſaſque, attamen molles; has filo fortiore conſtrinximus, quò, ſiquidem ad fauces prolaberentur, ejus beneficio extrahi poſſent; hinc mixturæ ex *albumine ovorum* & *ſucco limonum* paratæ impoſuimus, quo pulvis præſcriptus ſtypticus melius iis adhærere, ſicque commodius applicari poſſet.

Ipſam *operationem* aggredi ubi conſtitutum, ægri, ſellæ altiori inſidentis, animoſi admodum, faciem, fauceſque luci obverſas poſuimus, quo certius & oculis polypum cernere, & inſtrumenti tractare, nobis liceret.

Mox polypum ipſum, ovi gallinacei magnitudinem habentem, planioris licet figuræ, forcipe recurva apprehenſum, forti manu, variè agitando, ſeparare à partibus quibus adnatus, extrahereque allaboravimus; at verò nihil omninò effecimus, inſeparabilis relinquebatur polypus, fracturam patiebatur forceps, magni alias roboris; æger, qui omnia patienti animo perferebat, oris nariumque oſſa violentiâ Chirurgicâ diffracta ſibi eſſe credebat, ſanguinis accedebat fluxus enormis, qui tamen ex ſeipſo ſine ullo medicamentorum adſtringentium uſu ſedatus; Pergebamus interim in opere noſtro, quinquies, ſexieſvè extractionem modo dicto tentando, aſt irritus omnis labor.

Tandẽ, quod polypus extractionem omnem reſpueret, licet deorſum magis deſcenderit, forfice eum auferre aggreſſi ſumus, quod ad eam altitudinem fecimus, quam attingere licuit, conſideratione habitâ uvulæ, ne læderetur.

Extirpato polypo hæmorrhagia nulla obſervabatur, quæ in principio conſiderabilis ſatis fuerat, eò quod hîc vaſcula ſanguifera nutrimentum excreſcentiæ adferentia, læſa ſint, ibi eadem ob cartilaginoſam polypi conſtitutionem deſiderentur.

Faucium, Uvulæ, Palativè ad alterationem *Gargariſmata* convenientia,

tia, *Eclegmataque*, præſcripta, quæ die nocteque uſurpare haud detrectavit æger. Vigiliæ hic continuæ, doloreſque capitis vehementes *Amyddalata* exigebant, quæ tamen parum aut nihil efficiebant, antequam *Laud. Opiati* aliquid miſceretur *Diaſcordio & aq. Alexipharmaca*, cochlearibus per vices uſurpandum.

Ad virium deperditarum reſtitutionem neceſſarium omninò fuit *alimenta* benè nutrientia uſurpare, quæ etiam largiter adſumpſit juvenis.

Die octavo ſanguinis per os & nares immodicus ſuperveniebat fluxus, ex eo quod vaſorum laceratorum extrema cruore repleta; jam etenim aperientur, quæ tamen ſimili cruore denuo repleta fuerunt, ſic ut fluxus dictus ceſſaret.

Indies hinc æger vires ſumpſit, ſic ut quatuor ſeptimanarum ſpatio integrè fuerit curatus, robuſtior quam antehac unquam fuerat.

HISTORIA TERTIA.

De Polypo ligneo quinque aut ſex dierum ſpatio curato

Filiolus Domini Franciſci Reatal, Reineri filii, ætatis ann. 3. per aliquot dies ſtillicidio narium ſanguineo, fœtido, laboraverat, dextram partem naſi occupabat malum, rei gravitatem perpendentes cum matre conſanguinei, me advocarunt, polypus narium eſſet, nec ne dignoſcere deſiderantes, imò auxilia medica exigentes.

In affectum inquirentes non ſolum humore ſanguineo purulento, eoque fœtidiſſimo nares ſcatere reprehendimus, ſed & carneâ ſubrubicundâ excreſcentiâ ſuperius repletas.

Hæc obſervans quis non naſi hanc partem anguſtatam diceret Polypo vero, ex fluxu purulenti humoris cauſato?

Evacuato corpore, quod ſequenti factum medicamento.

℞. *Syr. Diacnic.* ℥ß,
Reſin. Jalap. Pulv. gr. iij.
M. & detur uſu.

Topico hoc Polypum conſumere ſtuduimus.

℞. *Mell. Roſar.* ℥ jß.
Liquoris Ægyptiaci ʒ j.
Cap. mort. Vitriol. calcin. & dulcificati ʒß. *M.*

Mixtura hæc bis tervè de die penicilli ope applicabatur excreſcentiæ dictæ; paucorum dierum ſpatio non ſolum polypus imminutus, ſed etiam fruſtum ligni in medio ejus obſervatum; hoc ope inſtrumenti commodi extracto, brevi ſanatio abſoluta.

Obſervatio hæc attendere nos docet ad ſuppurationes eas quæ in aure aut naſo puerorum occurrunt, ſæpiùs enim externum aliquod partibus iis imponitur, ut bene notat *Paraus lib.* 17. *cap.* 23. unde mala varia.

Hic rurſus, quamvis extra ordinem quid de Hyppopio, atque inſtrumento eidem curando apto habet idem à Meekren, adjungimus.

De Inſtrumento ad hyppopii curationem commodo à nobis invento.

Oculus animæ inſtrumentum ſummè neceſſarium, cujus ope ea quæ ſunt inviſibilis Dei cognoſcimus, bona proſequimur, noxia fugimus, variis tentatur morbis, eò quod teneræ admodum conſti-

conſtitutionis ſit imò pluribus quam ulla alia corporis totius pars. *Jacobus Guilmeau tract. de Oculis* centum & tredecim enumerat.

Paræus in gratiam tyronum, quò præter naturam oculis occurrentia vitia diſcernere diſcant *lib.* 17. *cap.* 4. nonaginta præter propter recenſet, & horum author *Capellus* Medicus.

In praxi noſtra etiam illi occurrerunt, quorum apud recenſitos ſcriptores nulla mentio, ſic ut ſine omni dubio plures Oculorum reperiantur morbi, quam hactenus deſcripſe unt Authores.

Animus haud eſt omnia ea quæ præter naturam oculo obvenire poſſunt hîc loci proponere, multò minus quæ cuivis competant remedia, ſingulari tractatu hoc efficere conſtituimus, ſiquidem quæ hoc opuſculo exhibemus accepta artis noſtræ cultoribus reperiamus.

Solo de *Hyppopio* hoc tempore agere conſtituimus. Oculi purulentiâ. Collectio hæc eſt puris in interno oculi, mobilis tamen, ad pupillam, tanta ſæpe, ut integram eam occupet.

Cauſa hujus morbi duplices, Externæ ſcil. & Internæ. *Externa* huc faciunt Caſus, ſaltus, ictus, vociferatio, imò exercitia atque labores excedentes, undè vaſorum ſubtilium in proceſſu ciliari criſtallini humoris fundamento, aut etiam tunicâ oculi uveâ, ruptura, quam ſequitur ſanguinis extravaſatio, qui facilè hinc in pus mutatur.

Interna cauſa poteſt eſſe Capitis dolor gravis, membranarumque internarum inflammatio, undè humorum in oculi interiora per arterias propulſio, quo pars affecta iis liberetur.

Varia in hoc affectu in uſum duci ſolent, & poſſunt, evacuationes imprimis ſpectantia, venæ ſectiones, ſcarificationes cum cucurbitulis, purgationes, Topica exſiccantia, reſolventia formâ fotus adhibita.

Mediis dictis, quod ſi nihil efficiamus neceſſarium omninò ad operationem Chirurgicam devenire, quæ primo tempore inſtituenda, ne alias materia purulenta oculo contenta tunicam corneam variis ex pelliculis, quatuor ad minimum, compoſitam perforet vi ſuâ corroſivâ, imò tunicas reliquas tenerioris quæ ſunt conditionis, uveam ſcilicet, ciliareſque dictos proceſſus, exedendo conſumat, unde in oculo omnium confuſio exſpectanda, imò ipſius viſus, ſenſuum externorum nobiliſſimi, ablatio.

Tempore *Galeni*, referente *Paulo Ægineta l.* 5. *cap.* 20. Oculiſta quidam fuit, *Juſtus* vocatus, cujus etiam memini *parte* 1. *operat. Chirurg. Fabr. ab Aquapendente*, qui ægrotantem, hyppopio laborantem, imponebat ſedili, hinc utraque manu caput patientis apprehendebat, idque tandiu agitabat, uſque dum purulenta collectio ſeparabatur, fundumque petebat, hoc ex voto ſuccedente, oculo ipſi medicamenta applicabat reſolventia. Non ſemel ſimili via procedere nobis placuit, aſt nihil unquam efficere licuit, adeò ut operationis hunc modum poſtea iterum tentare neutiquam libuerit. Conſultum eapropter magis viſum, *Galeni* methodo quam *lib. meth. med. cap. ult.* proponit, procedere. Perforat hic inſtrumento accommodato tunicam Oculi carneam proximè ad tunica-

nicarum eum concurſum, qui *Corona* & *iris* appellari conſuevit, ſicque materiam purulentam per foramen factum effluere permittit. Hac methodo, ſexies, imò octies, bonó cum ſucceſſu, malum dictum curavimus.

Operatio hæc & facilis eſt, & periculo omni caret; Inſtituit eam, referente *Iacobo Guilmeau*, dexteritate ſingulari, ætatis annó ſeptuageſimo ſecundo, Chirurgorum regiorum Galliæ primus *Ambroſius Paræus*. Imò ipſe *Guilmeau* in duobus ſubjectis feliciter hâc via proceſſit. Legi hîc poſſunt quæ habentur apud *Paræum. lib.*17. *cap.*17. & *Guilmeau part.* 4. *Tract. de Ocul. cap.*12.

Ultimus eorum in quibus Operationem hanc inſtituere nobis conceſſum faber fuit lignarius ex ordine eorum qui navibus ædificandis inſerviunt, Penultima curationi noſtræ ſubjecta Uxor erat *Juſti Bulzing*, Mercatoris hujus loci, in qua ad hunc modum, præſentibus *Dno. Theodoro Wynants*, Medico ordinario, & *D. Petro Svveers*, Chirurgo, proceſſimus; Sellæ imponebamus ægram, ſic ut luci clariori eſſet obverſa, hinc, Oculum ſanum tegebamus linteo complicato, mox, Caput ejus manu utraque prehenſum, & manibus & pectore ſervi noſtri ſuſtineretur, effecimus. Hiſce ſic prægreſſis, manu dextra apprehenſum inſtrumentum, literâ E hîc ſignatum, ad uſum dictum accommodatum, oculi parti ſuperiori applicavimus, loco qui proximus Tunicarum conjunctioni; mox ſiniſtræ manus ope dilatatis palpebris, quo certior foret operatio, intrepido animo corneam perforavimus, & illicò materia purulenta exitum invenit.

Perforatione peractâ *Emplaſtrum defenſivum Vigonis* parti vulneratæ impoſuimus, imo etiam, ope lintei quadruplicati, fomentum ſequens:

♃. *Aq. Plantag.* ℥iiij.
Fœnic. ℥ij.
Sief. Alb. Raſ. ʒij.
Sem. Cydon. Pſilly an. ℥ij.
F. Epithema, calidè applicandum.

Epithemate, Emplaſtroque ad dies duos treſvè uſurpatis, quorum ope & dolor, & inflammatio remiſerunt Mundificantia media applicavimus, v. g.

Expli-

Explicatio Figurarum Tabulæ appoſitæ.

A *Cannula clauſa.*
B *Operculum ejus.*
C *Cannula aperta.*
D *Lanceola acuta, poſterius globoſa.*
E *Manubrium cui aptatur lanceola.*
F *Lanceola manubrio aptata.*
G G *Globulus eſt, impediens quo minus profundius juſto lanceola penetret, quod ſine læſione humoris criſtallini fieri nequit.*



12. Plurimis de cauſis Os *inflammatur*, præcipuæ ſunt; 1. Sanguis calidus. 2. Saliva acris, ſalſa nimis. 3. Catharrus capitis. Succedunt ferè veſiculæ, & *Ulceratio*, quam haud bene curatum, *Gangræna* ſequitur, imprimis in infantibus, poſt variolas aut morbillos. Hîc, præter media communiora, valde ſæpe profuit.

℞. Vnguent. Fuſc. Fel VVurtz. drachm. ij. Mel. roſ. colat. unc. j. ſ. Spir. Vitriol. ſcrup. ſ.

Miſce.

13. Sub LINGUA *Ranula* ſeu *Batrachios* occurrit, tumor ex pituita frequentius quam alia parte ſanguinis productus, ſæpiuſque hoc pulvere tollitur.

℞. *Piperis, Zinziber. an. drachm.* j. *Sal. Gemmæ, Commun. an. ſcrup.* ij. *Origan. Calaminth. Rad. Ireos, Hermodactyl. an. drachm. ſ. Maſtich. ſcrup.* j.

M. F. *Pulvis.*

Inſpergatur ſæpius tumori; quod ſi non ſatis evaneſcat, uno & item altero loco apertionem facito, ut humiditas effluat, vulnerique applicetur Mel roſar. Cauterio hîc quidam utuntur Actuali, at placet magis Phlebotomus. [b]

Ad

℞. *Plantag.*
Eufraſ. an ℥iiij.
Syr. Abſinth. ℥ß.
Aloës, Myrrh. an. ʒ j.
M. F. Collyrium.

Penicilli ope quater quinquieſvè hoc oculo calidè illinire placuit ſingulis diebus, & quidem per dies quinque aut ſex; coacti enim ea quæ cicatricem inducere, oculumque roborare valerent, aſſumere hujus conditionis mixtura hæc:

℞ *Aq. Plantag.* ℥ iiij.
Tutiæ præp. ʒ j.
Lap. Calam. pp. ℈j.
Vitriol. Alb. gr. iij.
Sach. Candi ℥ij.
M. f. Collyrium.

Et horum uſu affectus dictus perfectè ſine ulla viſus imminutione curatus eſt.

Sequenti medicamento uti ſoliti ſumus, quoties materia purulenta in oculo ſe primum manifeſtare incepit. Deſcriptio ejus habetur in *ſubſid. Med. Duranti Schachi cap.* 20. qui eam ex *Meſue* deſumpſit.

℞. *Ceruſſæ* ℥j.
Opii, Sarcocollæ lacte nutritæ an. ʒiij.
Ammoniaci.
Croci, Thuris an. ʒj.
Tragacanth.
Arabic. āā ℈ß.
F. Sief cum aqua pluvial. aut cum mucilagine ſænigræci.

De Ranula hanc habet Obſervationem Clariſſ. Cornel. Stalpartius.

[b] Sub lingua nonnunquam tumor oritur ranula dictus, quòd eo laborantes inter loquendum tanquam ranæ coaxent. At *M. Sebiſius Manuali ſive Specul. Medic. Pract. cap.* 21. *p. mihi* 491. Ita dici ſcribit à figura, quam repræſentat: *Lazarus Riverius lib. prax. p.* 219. rima media, dextram tumoris partem à ſiniſtra dirimente, poſteriorem ranæ partem referre tradit. Ante triginta, & qui excurrunt, annos, ipſe pauperem novi mulierculam, ſub cujus lingua abſceſſum hunc, ab una primùm, deinde & ab altera parte animadverti. Quem cùm Chirurgus *Albertus Barringa* ſcalpello aperiret, plurimùm inde puris viſcoſi admodum, albo ovi non diſſimilis, effluxit. Idem tamen poſt menſem, aut ſex hebdomadas, priorem magnitudinem æquaverat, itaut iterum ſcinderetur, ac paulò poſt tertio repeteretur ſectio: quare requiri videbamus, ut poſt ultimam exonerationem, quædam corrodentia, ac ſiccantia

ntia abſceſſui huic tollendo applicemus. *Poſtea idem addit.* Certiſſimum eſt humorem, unde hujuſmodi abſceſſus oritur, in glandulis quæ ſub lingua, ac propè ejuſdem vaſa ſitæ ſunt, contineri, ac propterea hunc abſceſſum inter eos, qui membrana quadam concluduntur, poſſe referri. Quod ipſum tunc quidem temporis me etiamnum ignoraſſe ingenuè fateor, quoniam apud priſcos Scriptores hujus rei omnino nullam, aut certè per parvam mentionem reperi. Si itaque cum humore non ſimul tollatur ambiens membrana ſive manu Chirurgi, ſive corrodentibus & ſiccantibus, facilè dictus abſceſſus iterum accreſcet; videtur enim accedere ad naturam meliceridis, quia materia in folliculo continetur, in quo interdum calculus ſublingualis creſcit. (*Sic ego ipſe vidi in Mercatore Noſtrate calculum avellanæ magnitudine in ductu ſalivali dextro Wartoniano ſub ejus è glandula ad radicem linguæ ſita exitum, ita impactum, ut dum omni materia ſalivalis per prædictam glandulam ſeparata evacuationi obicem poneret, ex ea ſuppreſſa tumor ingens, partiſque etiam ſuppuratio fieret, quæ mala aliàs curari minimè potuerunt, quàm per memorati calculi eductionem ferro peractam: Nec dubito quin tumores rebelliores ſcrophuloſi aliique in collo & vicinia enaſcentes originem ſuam debeant infarctui alicui, vel in ramis canaliculorum ſalivalium, vel in eorundem truncis aggeſto, qui infarctus ſi eadem facilitate tolli poſſet medicamentis, ac prædictus calculus manuali operatione ſublatus eſt, non tot difficultatibus eorum cura foret importuna.*) *Petrus de Marchettis* poſt tumoris inciſionem ipſam membranam ſingulari dexteritate tollere notat, ſucci chelidonii nonnihil eidem applicans. Idem Marchettus Obſervat. Medico-Chirurgic. 31. de haud abſimili tumore ſub lingua orto memorat, qui jam ovo magnitudine par erat, ſeque ponè colli latus dextrum, propè venas jugulares, ac carotides arterias, ad fauces uſque infra tonſillas, & œſophagum extendebat, quique arteriam tracheam uſque adeò vi ſua, & pondere premebat, ut parum abfuiſſet, ni illam ſingulis menſibus diſſecuiſſet Chirurgus, quin ſuffocatus fuiſſet æger, vel nihil omnino, aut certè perparum per fauces immittere potuiſſet. Hunc tamen ille tumorem non tantùm longa aperuit inciſione, ſimulque venas, unde ille alebatur, hic illic diſſolvit, atque pro parte radicibus privavit, verùm etiam poſtea candenti ferro ipſum, tam intus in ore, quàm extra ad collum aduſſit, ac ſecundùm artem porrò intra dies 40. ſuſtulit. Tantus interdum hic apparet tumor, ut dentes inferiores ſuperet. *P. Matth. Roſſius Obſerv. Chirurg. p.* 143. Duos vulgò errores in hujus mali ſanatione à Chirurgis committi indicat, quies fiat, ut ſæpiùs ulceratio poſt apertum tumorem remaneat, unde iterum [quoniam difficulter tollitur) accreſcere non deſinit. Horum autem errorem primum dicit nimis anguſtam inciſionem, dum illud tantùm agunt Chirurgi, ut incluſo humori ſatis idoneum præparent tranſitum, cùm illa requiratur magna, & ſecundùm totius tumoris longi-

longitudinem facienda ſit: alterum vocat omiſſionem remediorum membranam conſumentium. Quare ipſe poſt ſatis magnam inciſionem, tenacisque humoris evacuationem, molli linamento carpto cavitatem replet, præſcribitque ſimul oris collutionem, inflammationis vitandæ, humorumque novi affluxus ſupprimendi ergo, ex refrigerantibus, ſiccantibus, adſtringentibusque remediis: poſtridie linamenta aqua aluminoſa deſtillata imbuit, quo remedio ſemel tantùm uno die utitur, matutino nempè tempore, ne ſæpiùs imponendo nimius oriatur dolor, veſpertino autem tempore cavitatem iterum replet linamento ſicco, Syrupo tamen roſarum paululum imbuto, tandem verò ipſam membranam abſtergentibus remediis paulatim diſſolvit, conſumitque.

Ad *Gingivæ* corruptionem hic pulvis uſurpandus.

♃. Rad. conſolid. Cort. granator. an. drachm. j. *Thuris*, *Myrrhæ*, *Vitriol. alb. an. drachm. ſ. Chalcitidis uſtæ ſcrup.* j.

M. F. *Pulvis.*

15. *Epulis*, gingivarum tumor, cito filo auferri debet, vel cultro, ne in Cancrum degeneret.

16 Ad VVULÆ *ulceratæ* atque *corruptæ* ablationem Inſtrumentum præſtantisſimum Bartholinus in ſuis Anatomicis obſervationibus delineavit: ſed commode ſatis forfice abſcindi poteſt. Hæmorrhagia Vitriolo cypreo ſiſti poteſt Vng. Ægyptiacum aut ſimile ad curæ abſolutionem ſufficit. Fili ope judicioſe eam tollit Fabr. Hildanus, quod illis eſt imitandum, qui inciſionem metuunt.

CAP. II.

De Partibus Capitis internis.

NUnc ad Palladis arcem pergimus, aliquando vacuam, & aliquando *ſtultitia* repletam: apud hanc ſi *malus animus*, tanquam in contubernio habitet *virtus* ſibi prudenter caveat: ſed tamen ad finem uſque dominium poſſidet, dum interim ejus hoſtis in quovis angulo latitans, nuſquam quietem inveniat.

Antequam eam intremus & cerebrum introſpiciamus cortinæ duæ ſunt removendæ *Meninx craſſa* & *tenuis.*

Dura Mater exterius aſperior quam ab interiori parte, cerebrum laxe admodum ambit, ne motus ejus arbitrarius impediatur; idem in par-

in partem dextram & ſiniſtram non tantum diſtinguens duplicaturæ alicujus ope quæ *Falx* dicitur, imò & à cerebello ipſo ſeparans.

In Falce hac *Sinus* ſemper inveniuntur quatuor, quandoque ſeptem, in quos Arteriæ carotidis rami plurimi inferuntur, jugularibus poſt conjungendi.

Hi ſinus venarum uſum & ſubſtantiam habent: adeo ut non incommode inter venas recenſeri poſſint.

Pia Mater ſenſilis magis, pluribuſque arteriis prædita, quam craſſa, non ſolum cerebrum totum inveſtit, ſed etiam ubique anfractus ejus intrat qui hac de cauſa etiam facilius ſeparari poſſunt.

Dividimus Cerebrum in tres partes, quæ ſunt 1. *Cerebrum* ipſum. 2. *Spinalis medulla.* 3. *Cerebellum.*

Cerebrum Coloris cinerei, molliorisque *ſubſtantiæ* medulla, (quæ & albidior & conſiſtens magis,) unde etiam corticis nomine venire ſolet, ab *arteria* carotide ramulos plurimos accipit, *Nervis* adeoque & ſenſu deſtitutum. [a]

Gyris

[a] Tota corticalis cerebri ſubſtantia ex innumeris conflatur glandulis, in cerebello ſine prævia præparatione facillimè viſendis, at non aliter in cerebro demonſtrabilibus quam cum illud in aqua per aliquod tempus fuerit maceratum, (propterea in hydrocephalico illas ſemel videre contigit diſtinctiſſimas) vel cùm in oleô aliquantisper fuerit excoctum. In hiſce glandulis implantantur extrema arteriarum carotidum & vertebralium filamenta, quæ ſanguinem copioſum advehunt, præcipuè pro ſpirituum animalium efformatione, ut abundè probari poſſet; venę itidem exeunt in ſinus duræ matris ſuperfluum ſanguinem referentes, & turſus canaliculi quidam qui in unum coacti corpus calloſum excitant, quod propterea, ut aſſerit Illuſtriſſ. Fracaſſatus in ſua de Cerebro diſſertatione epiſtolica, eſt veluti grandis ſpongia è filorum mutuò ac omnifariam nexorum congerie effecta. Per hoſce canaliculos deducuntur ſpiritus ſeu particulæ ſanguinis ſalinæ volatiliores à reliqua maſſa in glandulis deſcriptis ſeparatæ, ut per omnes nervos inde enatos ſeu potius continuatos in totum corpus motus ſuos abſolvant. De his omnibus, ut & aliis cerebri & cerebelli partibus plura legi poſſunt in Tractatu de Cerebro Illuſtriſſ. Williſii: In Exercitatione Epiſtolica de Cerebro Excellentiſſ. Malpighii in Diſſertatione Epiſtolica ad illam reſponſoria Clariſſ. Fracaſſati, & tandem in Exercitatione de Cerebri Cortice à præfato Malpighio emiſſa, & aliis exercitationibus ſuis de viſcerum ſtructuris, inſerta. Adde itidem alios qui in Bibliotheca noſtra Anatomica ſecundâ Editione adferuntur.

Gyris ſive anfractibus variis gaudet, & ſatis profunde hi ſeſe dimittunt, imprimis qui in parte anteriore occurrunt, ubi *Fiſſura magna* Cerebrum exterius uſque ad medullam dividit.

Medulla Nervorum omnium mater, intra cranium *Medulla Cerebri*, extra illud *Medulla Spinalis* appellatur.

Cerebellum ex albo cinereum eſt *Arteriaſque* excipit Cervicalem atque Carotidem, pauciores tamen hîc adſunt rami, quam in cerebro, utpote eo longe minus.

Gyris nullis præditum eſt, at ex laminis quaſi plurimis ſibi incumbentibus conflatur; quæ ſi tranſverſe reſecentur, inſtar arboris apparet.

Hiſce ſic conſideratis, partem aliquam cerebri Anatomicus cultro auferat, & illico in conſpectum venient *Corpus calloſum*, ipſique connexus *Forrix*.

Hiſce lateraliter ſubjacent *Ventriculi duo* magni ſoleæque equinæ figurâ ſimiles, quos *Septum lucidum* in *dextrum* & *ſiniſtrum*, vel *primum* & *ſecundum* diſtinguit.

Continetur illis *Rete mirabile*, ſive *plexus choroides*, multis conſtans glandulis exiguis, nec niſi ex arteriæ temporalis ramulis, retis in modum implicatis, compoſitus.

In parte anteriore Ventriculi hi uniuntur, *Tertiumque* conſtituunt.

In hoc Ventriculo tertio *Meatus* duo occurrunt prior eorum ad *Infundibulum & glandulam pituitariam* excurrit, alter ad *Ventriculum quartum* cerebello contentum. Supra hunc prominentiæ quatuor notantur, quæ *Teſtes* & *Nates* vocantur, iiſque adhæret *Glandula Pinealis*, quæ à nonnullis Sedes animæ male vocatur: extra ventriculos enim eam reſidere, minime vero in illis, jam dudum *Clariſ. Sylvius* demonſtravit, cui etiam propterea non niſi pro Glandula habita, idque eo magis, quod non rarò calculos duos, aut tres, imò quatuor aliquando, & ipſe & ego in ea invenimus, quos domi adhuc reſervamus.

Corporibus his ablatis *Nervorum paria octo* ſe offerunt, de quibus ſupra egimus, quibus parte anteriore adjacet *Rete mirabile Galeni*, quod arteriarum cervicalium atque carotidum plexus eſt.

Poſt

Poſt hęc *Cerebellum* occurrit, duplici globo ſimile, in quorum medio *Proceſſus Vermiformis*, & *Pons Varolii* cui ſuccumbit *Ventriculus quartus*.

Vltimo *Spinalis medulla* ſe exhibet, in ſui principio in partes duas diviſa, *Calamo ſcriptorio* haud abſimilis, hæc ad dorſum deſcendens ramos ſuos toti corpori impertit.

Vſus Chirurgicus.

1. In *Vulnere Duræ meningis* Symptomata duo moleſtam valde curationem reddunt, Sanguinis nempe fluxus, & Dolor intenſiſſimus. Cranium quod ſi haud ſatis apertum ſit, ſine ulla mora loco læſo Trepaniſatio inſtituatur, & ſanguine collecto, concretóque, educto, Vnguentum hoc applicetur.

♃. *Mann. Thuris drachm. ij. Aloës drachm. j. Myrrhæ drachm. j. ſ. Pil. lepor. molliſſ. ſcrup. j. Album. ovi q. ſ.*

M. F. *Linimentum.*

Vtilis etiam pulvis, capite de Vulneribus particularibus, Chirurgiæ hujus parte ſecundâ deſcriptus.

Ad doloris mitigationem Olea tepida Roſar. Violar. Myrtill. Sanguis calidus Gallinæ aut Columbæ, &c. valde laudantur.

Hæmorrhagia, doloreque ſedatis, Medicamenta ſeq. vulneri imponantur, nec ab iis abſtinendum, licet copioſius pus prodire ceperit.

♃. *Ol. Thereb. unc. ij. Spir. Vini. Syr. abſinth. an. unc. j.*

Miſce.

Verum Gangræna aut Caries ſi acceſſerint, Linimentum ſeq. majoris utilitatis erit.

♃. *Sarcocollæ, Myrrhæ, Aloës an. drachm. j. Syr. abſinth. Mell. roſar. an. drachm. ij. Vng. Egyptiac. drachm. ij. ſ. Aq. vitæ unc. j. ſ. Vini alb. Gallic. unc. j.*

Bulliant leniter & Colentur.

Neque ſcrupulum moverem ad particulam membranæ carioſæ reſecandam: dummodo liceret forfice ad eam pervenire. Vnuſquiſque tamen hoc in caſu ſibi caveat, ne ſinum aut piam matrem lædat.

2. Pia mater ubi ſimul affecta, ab oleis omnibus abſtineat Chirurgus, etiam exſiccantibus, ne corruptio cerebri mollioris cauſetur. Pulveres capitales ſiccantes commodius hic uſurpantur. At vulnera hæc ut plurimum lethalia cum ſint, nihil inſuper de iis addere placet.

Cap. III.

De Collo.

Collum ſub cuticula, cute, & membrana carnoſa, membrana itidem communi & propria muſculorum, *Muſculos* vtroque in latere IV. habet, ex his.

Longus &
Scalenus flectunt,
Tranſverſalis, &
Spinatus, retrorſum & ad latus ducunt.

Venæ reperiuntur quinque, *Cervicalis*, *Muſcula ſuperior* & *inferior*, *Iugularis interna* & *externa*.

Arteriæ totidem. *Cervicalis*, *Muſcula ſuperior* & *inferior*, *Carotis interna* & *externa*.

Nervi ex pari vago & ſpinali medulla originem habent.

Anterius *Glandulis* gaudet variis, quæ in mulieribus majores ſunt quàm in viris.

Succumbit *Larynx*, ſoni organum, quinque ex cartilaginibus compoſitum, quæ ſunt.

1. *Thyroides* ſive *ſcutiformis.*
2. *Cricoides* ſive *annularis.*
3. *Arytenoides* ſive *guttalis.*
4. *Glottis.*
5. *Epiglottis.*

Movetur ſex muſculorum paribus, qui ſunt

1. *Hyothyroidæi*, ſive attollentes.
2. *Bronchii*, ſive deprimentes.
3. *Cricothyroidæi antici*, dilatantes.
4. *Circothyroidæi laterales*, conſtringentes.
5. *Thyro-arythenoidæi*, aperientes.
6. *Arythenoidæi*, ſive ſphincteres.

Poſt hæc Amygdalæ ſive Parysthmia occurrunt, aliis *Tonſillæ*, hinc *Pharynx* cui 7. muſculi competunt, quorum ope cibus & potus deglutiuntur.

1. 2. *Sphe-*

1. 2. *Sphenopharyngæi*, pharyngem elevantes.

3 4. *Cephalopharyngæi*, introrſum moventes.

5. 6. *Stylopharyngæi*, dilatantes.

7. *Conſtrictior*, ſive *ſphincter* eſt gulæ.

Poſtica colli occupant *Vertebræ* 7. quarum quædam proceſſus habent perforatos, quo vaſis ſanguineis via in cerebrum concedatur.

Uſus Chirurgicus.

1. De *Scrophularum* curatione in antecedentibus ſatis egimus, ſuffecerit nunc hoc in caſu *Oleum Langii* communicaſſe, cujus vires inſignes valde, non ſolum in ſcrophulis, ſed etiam in ulceribus parvis, ſordidis modo circumſpecte uſurpetur.

♃. Ol. Philoſoph. laterini libr. ſ. Thuris, Maſtich. Gumm. Arabic. Terebinth. an. drachm. iij.

Piſtata ſimul deſtillentur per alembicum, tandem deſtillationi addatur ſalis ex cinere Cerræ, drachm. ij. & iterum deſtilla, & quod deſtillaverit in vitro ſerva.

In locum Salis Cerræ arboris, quæ in belgio noſtro non reperitur, ſubſtitui poteſt Sal gemmæ.

2. In *Herniâ Gutturis* ſive *Bronchocele* raro medicamenta aliquid efficiunt, cum fere veſicula propria cauſa mali, (pituita nempe præternaturalis cum flatu) contineatur, tumorque ſub muſculis reſideat, non à glandulis, ſed ab Aſpera arteria originem habens. In principio tamen ſequentia aliquando proſunt.

♃. Rad. Ireos, Galang. an. drachm. j. ſ. Pulegii, Satureiæ, Herniariæ, an. drachm. j. Semin. Fœnicul. Aniſi, an. drachm j Petroſelin. drachm. ſ. Piperis long. Spicæ Nard. Nucis moſcat. Cinamom. an. drachm. ij. Myrrh. drachm. ſ. Alumin. uſt. unc. ſ Sacchar. alb. unc. iij.

M. F. *Pulvis tenuis.*

Patiens de hoc pulvere quotidie ſumat matutinis horis, drachm. j. ſ. cum vino calido.

♃. Gum. Ammoniac. Galban. Bdell. an. in aceto diſſolut. unc. j. Pulv. rad. Ireos drachm. ij. Sem. Sinap. Urtic. an. drachm. j. Pulp. Colocynthid. Croc. Or an. ſcrup. j. Salis Gemmæ. Alumin. an. drachm. j. Picis Naval. drachm. vj. Reſinæ Pini unc. j.

 M. F.

M. F. *Emplaſtrum.*

Medicamentis hiſce nihil efficientibus, hoc modo tumor auferri poteſt. Primo cutis elevata & per longitudinem diſſecta omni loco à tumore ſeparetur uſque ad fundum, deinde veſicula extrahatur, integra ſi poſſibile ſit, quod ſi particula ejus aliqua relinquatur, arteriola tumori nutrimentum adferens diſſecetur, ne de novo regeneretur. Lavetur dein pars affecta Aceto, in quo Salis & Nitri parum ſolutum ſit, nam ſanguinis fluxus in hoc caſu parvi eſt momenti. Tandem vulneris facti labia glutino iterum conjungantur, acum enim hodierna Praxis non neceſſario exigit.

De *Anginâ*, *Vertebrarúmque Cervicis luxatione* ſuis locis egimus.

Finis Lib. II. *Part.* III.

LIBER III.

DE THORACE.

CAPUT I.

De Partibus Thoracis externis.

MEdia Corporis Regio, cujus pars ſuperior *Humerus*, anterior *Pectus*, poſterior *Dorſum* appellatur, ſub *Integumentis* propriis atque communibus Muſculos accepit communes proprioſque.

Communes ſunt qui *Imi ventris* ſunt, & *Scapulæ*. *Illos* ſupra exhibuimus. *Hi* quatuor ſunt.

1. *Serratus anticus minor*, ſive antrorſum ducens ſcapulam.
2. *Trapeſius* ſive *cucullaris*, ſurſum & oblique retrorſum movens.
3. *Rhomboides*, ſive oblique deorſum movens.
4. *Levator*.

Proprii Thoracis muſculi ſunt duodecim:

1. *Su-*

1. *Subclavius*, ſive extenſor.
2. *Serratus anticus major*, ſive coſtas attollens inferior.
3. *Serratus poſticus ſuperior*, ſive coſtas attollens ſuperior.
4. *Serratus poſticus inferior*, ſive coſtas deprimens.
5. *Sacrolumbus*, ſive Thoracis conſtrictor.
6. *Triangularis*, Thoracis conſtrictor alter.

Muſculis his incumbunt MAMMÆ, copioſa in utroque ſexu *pinguedine*, multis quoque *glandulis* [a] in muliebri, præditæ.

Dorſum & *Lumbi* (quorum muſculos hoc loco referre cogimur) quatuor paria muſculorum exhibent:

1. *Quadratum*, ſive vertebrarum flexorem.
2. *Longisſimum*, ſive extenſorem vertebrarum primum.
3. *Sacrum*, ſive extenſorem ſecundum.
4. *Semiſpinatum*, ſive dorſi elevatorem.

Poſt muſculos ſequuntur Claviculæ, Scapulæ, Sternum, Coſtæ, & Vertebræ. De Venis enim, Arteriis & Nervis jam ſupra egimus.

Claviculæ, ſpongioſa oſſicula, ſuperiori proceſſui ſcapulæ junguntur ligamentorum firmorum, cartilaginumque mobilium interventu.

Scapula, os latum & tenue, Coſtis exterius incumbit, ligamentis duobus, proceſſibus tribus, & quinque appendicibus, præditum.

Os Sternum lineis 7. vel 8. in infantibus 3. vel 4. in adultis diſtinctum, ſpongioſum valde eſt, in extremo *cartilagine enſiformi* ſive *mucronatâ* præditum.

COSTÆ in utroque ſexú XII. ſunt. Earum ſeptem *ſuperiores*, quæ *veræ*, tuberculo duplici junguntur vertebris, cartilagine verò oſſi ſterno, durę ſunt, rotundæque *Inferiores* quinque quæ *ſpuriæ* minores ſunt, molliores, brevioreſque, cartilaginibus circa os ſternum gaudentes, minimè id tangentibus.

Has

[a] Qui mammarum, atque glandularum, tubulorum lacteorum, nervorum, arteriarum, venarum, innumerorumque lymphaticorum, eas componentium, hiſtoriam voluerit, videat Tractatum noſtrum de Mammis & Lactificatione Bibliothecæ Anatomicæ inſertum, ut & ea quæ Clariſſ. Godefridus Bidloo in ſua humani corporis Anatomia de illis ichonographicè deſcribit, quamvis hæc noſtris demonſtrationibus in omnibus non reſpondeant.

[a] Non

Has inter coſtas utroque in latere *Muſculi* reperiuntur, *Intercoſtales* dicti, interni XI. & totidem externi, adeoque in univerſum XLIV. fibræ hîc decuſſatim collocantur.

In ſinu cujuſvis coſtæ, inferiori ejus parti inſculpto, Vena, Arteria & Nervus reſident, ad medium muſculorum dictorum ſe extendentes.

Vertebræ Dorſi plerumque XII. numerantur, nihilque ſingularis conſiderationis habent.

Uſus Chirurgicus.

Varias nunc operationes omitto; propterea quod eas in antecedentibus ſatis fusè pertractaverim.

Occurrit nunc *Thoracis Fiſtula*, difficilioris multo curationis quam illa, quæ aliis in partibus producitur, ob continuam muſculorum actionem. Imò diſtinguere ejuſmodi fiſtulas ſummè neceſſarium; obliquæ enim difficulter medicamenta admittunt; pectus quæ perforant haud facile conſolidantur; quæ verò inter pleuram & muſculos originem habent, pus ulterius proſerpere faciunt, unde eſt quod poſtea difficulter educatur. Neceſſariò adeoque hîc reſpiratio minor, pectoriſque motus tardior. *Calloſitas* deinde mediis iis tollenda, quæ capite de fiſtulis indicavimus, ſic aliquando pleura & muſculorum caro coaleſcunt. Hæc ſi nihil effecerint, *fiſtulam argenteam* exilem, & incurvatam, ulceri fiſtuloſo imponat Chirurgus, ita ut extremitas ejus fundum ulceris attingat, per eam acum filo ſerico inſtructam curvitati ipſius reſpondentem immittat, quo facto, cutem acu perforet, mox ablatâ acu, fili extrema duo connectantur, ipſum verò filum ungatur quotidie medicamentis *exedentibus*, calloſitate ablatâ, ulceris fiat *conſolidatio*. Inſtrumenta quæ hoc in caſu uſurpantur vide in *Armamentario Schulteti* Tab. 38. Fig. V. antiquæ editionis.

Mammarum muliebrium frequens in Lactantibus ex lactis affluxu *induratio* dolorifica, quæ Belgis *Drop* dicitur. Diei unius ſpatio curari hæc poteſt unguento Altheæ compoſ. modo *ſuctione* mulieris alicujus aut catelli materia aquea ſæpiùs educatur. Evacuatione hac neglecta, aut dilata, indies magis magiſque Mamma induratur, imò *inflammatur*, conveniunt adeoque hîc *Venæſectiones*, *Purgationes*, *Refrigerationes*, *Sudoris provocationes* exterius *Cataplaſma* applicari poteſt.

♃. Fa-

℞. *Farin. altheæ, Fœnugræc. an. unc. j. Flor. Sambuc. Chamomill. an. M. j. Roſar. rubr. P. ij. Micæ panis ſimilagin. unc. j. ſ. Coq. ex Cereviſia, Addendo Aceti roſac. unc. j.*

M. F. *Cataplaſma.*

Affluxu humorum doloreque ſedatis, quod reliquum eſt ſequenti cataplaſmate diſſipato.

℞. *Farin. fabar. Sem. lini. Fœnugræc. an. unc. j. Sem. cumin. drachm. iij. Coq. ex vino addendo Vng. altheæ comp. Ol. chamomill. an. unc. ſ.*

M. F. *Cataplaſma.*

In Abſceſſum ubi degenerare incipit, *Maturantia* requiruntur.

℞. *Fol. Malvæ, Altheæ an. M. j. Farin. ſem. lini unc. j. Fœnugr. unc. j. ſ. Ferment. unc. ſ. Coq. ex lacte vaccino. Addendo Vng. Baſilicon. unc. j. Croc. ſcrup. j.*

M. F. *Cataplaſma.*

Suppuratus tumor corroſivo potius quam phlebotomo aperiatur. Vulneri facto turundę ope, uſque ad curationis finem applicetur, Balſam. Sulphuris vulgaris; mammæ vero imponatur Empl. Diaſulph. Rulandi.

3. Gibbus originem trahit ex ſpina dorſi, cum vertebræ è loco naturali extrorſum aut ad latus recedunt, cui aliquando cauſa externa, ſed plerumque interna occaſionem præbet, præſertim cum humor aliquis pituitoſus circa eas colligitur. *Humor* hic Oleis atque Emplaſtris diſſipandi vi præditis auferendus, antequam vinculo ferreo, cujuſvis ægrotantis corpori accommodato, quod prominet ſenſim in locum naturalem reducatur. Reductio hæc non adeo preſſione peragitur, quam vi ferri emolliente. Hæc cauſa eſt, cur jam curatus æger vinculo alio, ad annum unum pluresve, uti debeat, ne oſſa molliora iterum protuberent.

Sciendum & hîc, in medio dorſi circa vertebram ſeptimam *Fonticulum* ſummo cum ſucceſſu excitari, ut intercipiantur catharri ad coxam, renes, pedes &c. defluentes.

Cap. II.

De Thoracis partibus internis.

NUnc Pectus aperiendum, ut vitæ fontem ſpectare liceat, quem veritas cœleſtis in ſanguine conſtare affirmat. Quare igitur cordi præcipua ſanguificatio non attribuitur, cum paſſim & ab unoquoque vitæ principium nuncupetur?

Interius Pleura pectus inveſtitur, quæ deinde duplicatur, & tandem quadruplicatur, ſe à vertebris uſque ad ſternum extendens, & tum Mediastinum dicitur, quia tanquam ſeptum pulmones dividit.

Mediaſtin circa jugulum cohæret corpus glanduloſum, quod Thimus dicitur.

Pulmoni aërem trahenti & cor refrigeranti, Trachea ſive Aspera arteria conceſſa eſt, ut hoc modo infletur. Hæc gulæ incumbit, & ex cartilagineis annulis, duplicique membrana conſtat.

Exterior harum membranarum quæ ſubtilior, à pleura provenit, interior quæ craſſior, à dura meninge originem habet. [a]

Cartilagines annulares ligamentis conjunguntur, & minimè perfectum circulum conſtituunt, quartâ ſui parte ubi gulam reſpiciunt deſtitutæ.

Ramos Trachea hæc per totum diſtribuit pulmonem, qui hic robuſti quidem ſatis, at minime cartilaginoſi ſunt.

Pulmo ipſe *tunica* tenui poroſaque tectus, *ſubſtantia* conſtat molli, rubicunda, & ſpongioſa. [b]

Ante-

[a] Non tantùm duæ membranæ aſperam arteriam inveſtiunt, ſed rurſus interiori muſculoſæ, è duplici fibrarum longitudinalium ſc. & circularium genere, conſtitutæ, adnaſcitur alia vaſculoſa & glanduloſa, quæ vaſorum omnis generis ac præcipuè ſanguiferorum ex arteria bronchiali ſupra nominata, & venâ è cava oriunda, denſiſſima propagine obducitur, atque glandulas innumeras perexiguas & albicantes cum adjunctis lymphæ ductibus, gerit.

[b] Tunica pulmones inveſtiens duplex eſt exterior ſcil. tenuis quæ filamentorum nerveorū ſubtilis videtur textura; interior quæ priore & craſſior & aſperior eſt, & ut habet Excellentiſſimus Wil,

Anterius ſterno, poſterius vertebris cohæret, præcipuam pectoris partem replens.

Vaſa varia minorave accepit, de quibus ſuo loco dicturi ſumus.

Cor ſanguinis officina, Vitæ fons atque principium, etiam ipſis ſacris literis teſtibus, Capſulæ cuidam includitur, quam PERICARDIUM Anatomici vocant Membrana conſtat duplici: exterior à mediaſtino, & interior à vaſis cordis originem trahit. Liquorem continet aqueum, limpidum, nullius acrimoniæ participem ex lymphæ ductibus eum adferri non amplius dubitamus.

COR ipſum ſubſtantia conſtat carnea firma, denſaque, quæ *tunica* propria inveſtita, *fibriſque* omnis generis prædita, muſculi inſtar continuo movetur.

Locum in medio habet pectoris, at mucro ad lævam aliquomodo declinat.

Piniformis figuræ eſt, parte ſuperiore *Auriculas* duas habens, quæ ſemper corde ipſo prius pulſant:

In adultis auricula dextra major eſt ſiniſtra, contra fit in infantibus. In ſanguinis expulſione Auriculæ æque ac Cor conſtringuntur, at dilatantur quoties ſanguinem excipiunt. Et hæc dilatatio atque conſtrictio pulſum efficiunt.

Ad ſanguinis concoctionem, receptionem, & expreſſionem duæ ipſi cavitates, & vaſa quatuor conceſſa ſunt.

Cavitates carneo quodam *ſepto* diſtinguuntur, in quo viam nullam, ſanguinis motui ex ventriculo dextro in ſiniſtrum dicatam, hactenus invenire potuit, licet Anatomicorum nonnulli eam dari multis adſtruere conentur.

In

Williſius, è vaſorum & veſicularum pulmonalium extremitatibus propè meris conſtat, unde propter foveas ab his paſſim factas intima ejus ſuperficies inſtar favi apum apparet. Pulmonum verò ipſorum ſubſtantiam quod attinet aſſerit eminentiſſ. anatomicus Marc. Malpighius adſtipulante experientia & demonſtratione, illam eſſe aggregatum quid ex leviſſimis & tenuiſſimis mēbranis, quæ extenſæ, & ſinuatæ pene infinitas veſiculas orbiculares, & ſinuoſas efformant, veluti in apū favis alveolos ab extenſa cera in parietes conſpicimus. Hæ, addit, talem habent ſitum & connexionem ut ex trachea in ipſas, mox ex una in alteram patens ſit aditus, & tandem deſinant in con-

 tinentem

In dextram ſiniſtramque *Cavitates* hæc dividuntur. *Dextra*, quæ major *Venam cavam* excipit, & *Arteriam pulmonalem*, ſive *Venam arterioſam*. *Siniſtra*, quæ minor, *Arteriam* recipit *aortam* ſive *magnam*, & *Venam pulmonalem* ſive *Arteriam venoſam* [c]

De hiſce Vaſis, ſimiliter ac de Nervis ductuque Chylifero, ſive Vena lactea thoracica, Libro primo egimus.

Succumbit Tracheæ in Thoracis cavo, OESOPHAGUS ſive GULA, vertebris incumbens.

Circa vertebram quintam dorſi parum in latus dextrum inclinat, quo cedat aortæ arteriæ, uſque ad vertebram undecimam, hinc recto ductu diaphragma tranſit in ventrem imum.

Duplici *membrana* componitur: exterior, carnoſa, fibras agnoſcit rectas rotundaſque; interior tranſverſas & obliquas; addunt varii

tinentem membranam. Hoc, ut evidentiſſimè demonſtretur, ſubjungit idem, eruantur è vivente adhuc animali pulmones, & immiſſa ſiphone aqua per arteriam pulmonalem, ſanguis totus foras protrudatur, & vaſa pulmonalia pertranſeunte aqua diluantur, poſt levi facta compreſſione imbibita aqua extrudatur, moxque aëre per tracheam immiſſo turgidi pulmones ad umbram vel ſolem exſiccentur; non tantum lumini objecti, diaphanos exterius exhibebunt orbiculos, ſed & interius ſecti candidam veſicularum molem oculis manifeſtabunt. Detexit præterea, microſcopio adhibito, rete quoddam mirabile ex arteriæ & venæ minutulis productionibus conſtans, veſiculas memoratas irrigans, & quaſi vinciens & colligans. Qui de hiſce plura voluerit, ut & de pulmonum diviſione in lobulos minimos variis aſperæ arteriæ ramulis & propagationibus appenſos; item de uſibus iſtius partis atque reſpirationis per ipſam peragendæ, adeat Excellentiſſ. Malpighium qui in hac materia non tantùm epiſtolas duas conſcripſit, ſed & multa ſua de Bombyce diſſertatione epiſtolica complexus eſt; adeat etiam Illuſtriſſimum Williſium, De reſpirationis organis & uſu accuratiſſime agentem: item Clariſſ. Svvammerdamium & Celeberrim. Mayovv qui non tantùm de reſpiratione ordinaria, ſed etiam de reſpiratione fœtus in utero abundè diſſerunt.

[c] Muſculoſæ cordis ſubſtantiæ, ejuſdem vaſorum officiorum, &c. item ſanguificationis, & circulationis ſanguinis, hiſtoriam & deſcriptionem accuratiſſimam atque ſolidiſſimam, ex parte quidem exhibet Nobiliſſ. Steno ſuo de Muſculis & glandulis obſervationum ſpecimine, ſed præcipuè & ex profeſſo Inſignis Harvæus, ut & Clariſſ. Louver, ſuo de Corde tractatu; Illuc igitur Lectorem curioſum, & anatomicarum demonſtrationum avidum, remittimus.

d Oe-

rii tertiam à peritonæo, & optime meo quidem judicio. [d]

Diaphragma, flabelli inſtar ſe habens, reſpirationique inſerviens, Thoracem ab abdomine ſeparat, coſtis nothis omnibus, oſſiſque, ſterni mucronatæ cartilagini, cohæret, circa vertebras proceſſus duos carneos ad inferiora ablegans.

Circumferentia ejus carnea eſt, muſculi inſtar varie mobilis, at centrum membranoſum magis, valdeque ſenſile.

Foramina tria accepit, 1. In medio, per quod Vena cava tranſit. 2. In latere ſiniſtro, per quod Gula cum nervis adjacentibus. 3. Circa vertebras, per quod Arteria aorta, cum Vena azygo.

Plures accepit nervos quam pars ulla corporis à claviculis ad pedem uſque conſtituta; illi nervi non ſolum ex cerebro à pari vago, ſed etiam ex ſpinali medulla & vertebra cervicis quarta & quinta originem ducunt. [e] De aliis vaſis jam ſupra egimus.

Vſus Chirurgicus.

Pleura non ſolum inflammationi ſubjecta, quam ſequuntur pleuritis, empyema & vomica, ſed etiam dolori cuidam, quem humor ſalſus producit. Diſtingui hic à pleuritide poteſt quod tuſſis quidem hic adſit ſicca, nulla tamen febris, & reſpiratio quoque libera ſit. Tollere eam ſolitus ſum Venæſectione, & ſudoris provocatione, ſi metus ſit pleuritidis, externe hoc Emplaſtro.

♃. *Medull. Cruris Vaccæ, Adipis Anatis an. unc. iij. Mucilagin. althee, Semin. lin. Fænugræc. an. unc. j. Thuris, Maſtiches an. unc. ſ. Ol. nuciſt. expreſſ. drachm. ij. Ceræ flavæ q. ſ.*

M F. *Emplaſtrum.*

2. *Mediaſtinum* in homine tam magnam non habet cavitatem quam in canibus, aliiſque animalibus. Contingit tamen nonnunquam

[d] Oeſophagus præter membranam muſculoſam, quam Clariſſ. Author, propter variam fibrarum poſitionem, in duas dividit, aliam habet interiorē, prorſus nerveam & cruſta villoſa ſeu tunica glandulosa, apud Excellentiſſ. Willisium dicta, obductā Hæ omnes tunicæ eumque uſus videri poſſunt ſolidiſſimè deſcripti apud prædictum Willisium in ſua de primis viis explicatione, ut & apud Illuſtriſſ. Gliſſonium in ſuo de ventriculo & Inteſtinis tractatu.

[e] De Diaphragmate nihil ulterius hic adjicimus. Qui fuſam ejus deſcriptionem voluerit, conſulat Celeberr. Caſpari Bartholini filii tractatum ſuper hac re confectum.

quam purulentam materiam, poſt inflammationem, intra duas ejus membranas deſcendi, quæ per pulmones ejicere non poteſt. Trepano itaque hic ſternum perforare cogimur, quo ſic per foramen factum, penicillorum, ſpongiæ, aliorumque inſtrumentorum ope, pus educi queat.

3. In illa ANGINÆ ſpecie, quam *Cynanchen* ſupra diximus, ægro ſuffocanti reſpiratio *Laryngotomia* reſtitui poteſt. Morbus ipſe periculoſior eſt, quam hæc operatio, quę hoc tempore magis ad praxin eſſet revocanda. Circumſpectione nihilominus hic ſumma opus eſt, ne, ſi alię quoque partes Pulmo ſcil. Pleura, Gula, &c. inflammatæ, aut jam pure repletæ, irritus ſit tuus labor, & calumniandi anſam præbeat. Omnibus igitur bene conſideratis operatio hoc modo eſt aggredienda: Reclinetur aliquantum caput, quo in conſpectum magis prodeat Trachea, annulique ejus cartilaginei à ſe invicem magis recedant. Incidatur deinde cutis ſecundum longitudinem laryngis uſque ad foveam. Hęc utrinque miniſtri digitis deducatur, quo oculis Chirurgi occurrant muſculi duo longi ſterno hyoidei, cultro ligneo aut oſſeo à ſe invicem parum removendi, mox, laringe ſeſe exhibente, ſectio in ea fiat ope phlebotomi, loco inter annullum cartilagineum tertium & quartum medio, ſedulo cavendo ne cartilagines ipſæ lædantur. Flatu prodeunte cultellum aufer, vulnerique fiſtulam argenteam infigito, bene proſpiciendo, ne, longior juſto, poſticam tracheę partem attingat,unde tuſſis continua. Suffocationis periculo ceſſante, quod, die tertio aut quarto plerumque contingit, vel ſaltem contingere oportet, fiſtula ablata, vulnus ordinario modo ſecundum artem curetur, nam ab aliis non differt.

4. Novum haud eſt VERMES *in Pericardio* generari, Cor ipſum, niſi impedias, corrodentes. Enecari poſſunt decocto Scordii, Abſinthii, Centaurii, &c. bis terve de die hauſto.

De *Vulneribus Pulmonum, Cordis & Diaphragmatis*, vide noſtram Chirurgiam. *Gulæ vulnus* eodem modo curatur, ac illud quod eſt *Ventriculi.*

Finis Lib. III. *Part.* III.

LIBER IV.

DE INFIMO VENTRE.

CAP. I.

De Partibus Ventris hujus ex internis.

INFIMA Cavitas proprie VENTER dicitur, dividiturque exterius in tres partes, quarum.

1. *Epigaſtrium* eſt, cujus latera *Hypochondria* vocantur.
2. *Regio umbilicalis*, cujus latera *Ilia* dicuntur.
3. *Hypogaſtrium*, cujus latera *Inguina* appellantur.

Pars inferior piloſa *Pubes* nominatur.

Abdomen ſub integumentis communibus muſculos habet decem, utroque latere quinque ad excrementorum craſſorum inteſtinis contentorum excluſionem magnopere utiles. Suntque hi.

1. *Oblique deſcendentes*, quos ſuperius umbilicus, inferius, in viro, proceſſus peritonæi, in muliere ligamentum uteri-teres, perforat.
2. *Oblique adſcendentes.*
3. *Recti*, lineis tranſverſis in tres quatuorvè diviſibiles.
4. *Pyramidales.*
5. *Tranſverſi.*

In medio abdominis, inter utrumque muſculum rectum ex concurſu tendinum latorum tenuiumque muſculorum reliquorum *Linea alba* exoritur, ſenſilis admodum.

De Venis, *Arteriis* & *Nervis* Imi Ventris partium internarum æquè ac externarum, libro primo egimus, & ibi etiam quædam de *Oſſibus* adduximus. Hæc curioſius examinanti primo VERTEBRÆ occurrunt *quinque lumborum* foraminulentæ admodum, reliquis omnibus longe ampliores, craſſioreſque.

Hiſce ſubjacet OS SACRUM, triangulare, in adultis ex unico tantum oſſe, in junioribus ex quinque aut ſex conſtans.

Con-

Connexum huic *Os Coccygis*, in muliere extrorſum magis flexum, in viro magis introrſum.

Lateribus Oſſis ſacri adſtat *Os Innominatum* ſive *Coxæ*, ex tribus oſſibus cartilagine junctis compoſitum. Horum.

1. *Os* eſt *Ilium*, multo craſſius in muliere quam viro.

2. *Os pubis*, facilius ſeparabile ab anteriori parte in muliere quam in viro.

3. *Os Iſchion* ſive *Coxæ*, ſinu prȩditum amplo, qui *acetabulum* ſive *pyxis* dicitur, capiti oſſis femoris recipiendo dicatum.

Vſus Chirurgicus.

Ventris imi externa diviſio quænam partes internæ affectæ ſint egregiè declarat. In *Hypochondrio dextro* ſitum ſuum habet *Hepar*, ultra coſtas nothas, ad ſpatium digiti tranſverſi duplicis, ſe extendens, uſque ad cartilaginem enſiformem ſterni.

In *medio Ventriculus* decumbit ad molliora ventris hujus loca ſe extendens, adeoque quatuor digitorum tranſverſorum latitudine ultra coſtas nothas propendens. Ultra loca mollia ad renes ipſos jacet *Lien*.

In *medio Regionis umbilicalis*, & circumcirca *Inteſtinum tenue* recumbit; ubi aliquando periculoſiſſima vulnera conſpiciuntur.

In *latere* dextro, circa Renem, initium ſuum ſumit Inteſtinum *Colon*, inter Ventriculum & Umbilicum tranſverse ductum ad Renem excurrens ſiniſtrum, ubi, deorſum reflexum, anguſtiuſque redditum flatuum frequens receptaculum exiſtit, unde dolor diuturnus, & tenſio gravis, quæ Lieni immerito adſcribuntur. Inteſtinum alias Meſenterio incumbit, uti Ventriculus Pancreati.

In *medio Hypogaſtrii* collocata *Veſica urinaria, & Vterus*, & ſub his *Inteſtinum rectum.*

Ad *latus* recumbunt *Vaſa ſpermatica*, atque glandulæ in quibus bubones benigni ut & maligni, non nunquam reperiuntur.

At partes hæ omnes vulnerari nequeunt niſi Peritonæum & Omentum prius vulnerentur, in multis tamen hominibus ultra Umbilicum haud deſcendit omentum, in aliis contra etiam ipſum os pubis attingit.

CAP.

CAP. II.

De Abdominis partibus internis.

INternarum partium prima PERITONÆUM eſt, omnes alias anterius & poſterius, ſuperius atque inferius comprehendens.

Membrana eſt duplex. *Origo* ejus potius à vi animæ membranifica deducitur, quam à meningibus cerebri.

Connectitur Diaphragmati, & Vertebræ primæ tertiæque lumborum.

Craſſius in muliere ab umbilico ad pudendum, adeoque fortius, circa pubis oſſa terminum adſumens.

In Viro robuſtius ab umbilico ad diaphragma, & poſtquam vaſa ſpermatica tanquam in vagina exceperit, exteriorem membranam deorſum ad teſtes dimittit, ubi tunicam eorum primam conſtituit.

Intra Peritonæi hujus duplicaturam *Vaſa Umbilicalia* quatuor recumbunt.

1. *Vena umbilicalis.*

2. 3. *Arteriæ duæ umbilicales.*

4. *Vrachus*, ab *umbilico* proveniens, qui nihil eſt niſi nodus induratus vaſorum dictorum.

In infantibus Vaſa hæc aperta, in adultis clauſa ſunt, & in ligamenta mutata. Nunquam tamen in abortu 6. 7. & octo menſium obſervare nobis licuit urachum ullo modo pervium in veſicam; nam nec flatus nec ſtylus penetrabant.

Vena umbilicalis Hepar accedit, urachus veſicam urinariam, arteria utraque umbilicalis arteriæ magnę ramos iliacos.

OMENTUM, Ventriculum atque inteſtina calefaciens, *pingue* admodum eſt & duplex; *Tunicis* tamen conſtat tenuiſſimis, foraminulis multis pertuſis.[a]

Ori-

[a] Excellentiſſ. Malpighius non tantùm aſſerit cum Clariſſ. Authore noſtro Omentum eſſe corpus reticulare & innumeris [illegible] tam ſuam longitudinem pervium, ac propterea minùs proprium humoribus excrementitiis excipiendis, quæ [illegible] ſententia Aquapendentis, vel fla-

Originem ſumit ex Peritonæo, ſub quo etiam decumbit, plerumque ſe eo uſque extendens, quouſque inteſtinum Colon, quandoque tamen etiam ipſi oſſi pubis accumbit.

VENTRICULUS Chyli officina tribus componitur *tunicis*; externa communis ipſi cum peritonæo, intima cum Dura meninge, media propria eſt, iſta craſſior, illa rugoſa, hæc carnoſa.

Fibras omnis generis habet: *carne* ſpongioſa intus incruſtatus. [b]

Situm agnoſcit in medio Hypogaſtrii, Vertebris lumborum incumbens,

tibus concludendis quarum artificioſa colliſione vocem in ventre formare, ventriloqui propterea dicti, valeant, quæ fuit opinio Riolani. Sed in reticularis iſtius corporis naturam inquirit, ſicque propriam authopſiam ſuper ea deſcribit. Omentum conflatur quidem ex tenui extenſa membrana, ſed in ſacculos, ſtrias ſeu mavis amplum vas excavata & propagata, quæ venarum & arteriarum complectitur propagationem, itaut venæ & arteriæ reticulariter ad latera propagatæ, membranoſis iſtis ſtriis in continuata propagine inveſtiantur; quæ membranoſæ ſtriç intus pinguedinem continent in cujus centro ſunt vaſa prædicta. Ulterius progreditur idem Celeberr. Author, & ſuſpicionem facit anne ſtriæ membranoſæ pinguedinem in ſe continentes ſint vaſa adipoſa, adipem è Ventriculo, nec non forſitan Liene aliquomodo exhalantem excipientia, eumque in vaſa ſanguinea ad ſalium contentorum temperationem, & in totius corporis circumferentiam ad varios uſus deducentia. Unde aſſurget novum vaſorum genus adipi continendo & diſtribuendo unicè dicatum, atque in corporis centro collocatum. Idem in ſuis conjecturis pergens, adipem illum ſemini, nec non lacti conficiendo præcipuam forſitan materiam conferre addit, viaſque ad partes illorum elaborationi dicatas conjecturaliter proponit. Verùm ea omnia ulteriori probatione opus habent, & hactenus ab ipſo Authore tanquam paradoxa, doctis exhibentur.

[b] Ventriculus, ut bene docet Clariſſ. Author, triplici conſtat tunica, liceat in majorem illuſtrationem hæc adjicere. Interior nervea eſt; villoſitate obducta, & glandulis multis humorem continuo, etiam diebus duodecim poſt ventriculi à reliquo corpore ſeparationem vomentibus, referta. Media ſive ſecunda muſculoſa eſt è fibris variè poſitis atque directis conſtituta: primæ fibræ ab uno orificio in aliud per ventriculi fundum exporriguntur; ſecũdæ circulariter illum cingunt; tertiæ partim obliquè ſunt poſitæ & alias ad angulos obliquos interſecant, partim rectà ab uno orificio in aliud per ventriculi ſuperiora feruntur. Mediantibus hiſce fibris ſpiritibus animatis omnes omnino ventriculi motus abſolvuntur.

De alimentorum coctione hic nihil addimus, nam ſatis multa ſuper hac re ſuprà diximus.

[c] Opti-

cumbens, orificium ejus ſiniſtrum, *Os* ſive *Stomachus* dicitur, dextrum *Pylorus*.

Ventriculo continuata ſunt INTESTINA, chylum vehentia, excrementaque expellentia. Ejuſdem fermè cum ventriculo *ſubſtantiæ* ſunt, atque optimè in craſſa & tenuia dividuntur.

Tenuia reperiuntur tria:

1. *Duodenum*, in quo finem ſuum ſortiuntur Veſica fellea, cum ductu choledocho, & ductus novus Pancreaticus.

2. *Iejunum*, in quo Venæ lacteæ copioſiores quam in aliis.

3. *Ileon*, quod omnium longiſſimum.

Craſſa etiam tria conſpiciuntur.

1. *Cæcum* cum appendice vermiformi.

2. *Colon* cum ligamentis duobus externis; & valvula interna.

3. *Rectum*, cum muſculis duobus Ani levatoribus, & Conſtrictore, ſive ſphinctere uno.

Inteſtina hæc omnia ope meſenterii & inter ſe & cum vertebris lumborum connectuntur. [c]

MESENTERIUM *Membrana* conſtat duplici, valida, plurimiſque inter tunicam utramque recumbentibus *glandulis*. Exiles hæ admodum ſunt, ut omnino oculi aciem fugiant: ſed plerumque ſe poſt diuturnum morbum, exceptis tribus, produnt; quæ ex naturali conſtitutione majores, teretes, albicantes & firmiori carne præditæ conſpiciuntur.

Maxima

[c] Optimè aſſerit Clariſſ. Author Inteſtina ejuſdem propè cum ventriculo eſſe ſubſtantiæ; nam ut de hoc ſupra diximus, illa etiam triplici conſtant membrana quarum interiori nerveæ adnaſcitur cruſta villoſa Villiſio tunica glanduloſa dicta. Per Ilei & Coli longitudinem plurimæ reperiuntur valvulæ, quæ quia non totum inteſtini opplent ſpatium Illuſtriſſ. Kerckringio dicuntur conniventes. Præterea in tunica nervea multæ implantantur glandulæ, in inteſtinis tenuibus minores, & racematim ſeu per plexus, in craſſis majores, & ſporadice diſpoſitæ: illarum orificia in inteſtini cavum penetrant & facilè demonſtrantur ablata cruſta villoſa, & compreſſis glandulis deſcriptis; nam ſic guttulæ liquoris, ſero lactis non abſimilis, ex unoquoque emittuntur orificio. Qui de illarum glandularum hiſtoria, humoris contenti variis uſibus plura voluerit, illa legere poterit apud Clariſſ. Peyerum ſuo de glandulis Inteſtinorum tractatu accuratiſſimè & ingenioſiſſimè deſcripta.

Maxima earum in medio meſenterii ſita eſt, & preſſa lac album modo tenuius, modo craſſius, exhibet, quod nil niſi chylus. Idem etiam reliquæ duæ exhibent: quæ ſitum ſuum plerumque habent in ſiniſtro latere, ſub vena emulgente ſupra muſculum pſoas haud procul à vertebris lumborum.

Quemadmodum hæ glandulæ plurimas venas lacteas, ita quævis earum ramulum iterum promit, qui mox conjuncti *Venam lacteam Thoracicam* conſtituunt, quæ modo dicto adſcendens, chylum cordi ſubminiſtrat. [d]

Pancreas pulvinaris inſtar Ventriculo ſuccumbit, duodeno inteſtino connexum, in quod ductus ejus noviter inventus, ab authore Wirſungianus dictus, penetrat. Sæpius in hoc Bilis, nunquam vero ſanguis reperitur. [e]

Lien, ſanguinem emendans, humorem acidum continet, quem, non per vaſa brevia ad ventriculum, ſed per ramum ſplenicum ad hepar, ablegat.

Subſtantia conſtat rara, tunica propria ex peritonæo minime procedente, tecta.

Coloris eſt ex atro rubicundi.

Ventriculi fundo cohæret ope vaſorum brevium, coſtis ſpuriis, reni ſiniſtro, omento atque peritonæo quoque, & diaphragmatis parti carneæ, carnoſarum fibrarum beneficio.

Viſcus nullum tam multis abundat arteriis quam lien, excepto cerebro.

Nervis

[d] De Meſenterii nervis eorumque variis plexibus atque uſibus nihil habet Clariſſ. Author, & longum eſſet hic diſſerere, itaque Lectorem ad Illuſtriſſ. Williſii Neurologiam ſeu tractatum de Nervis eorumque uſibus Cerebri anatomiæ adjunctum, ut & Clariſſ. Raimund. Vieuſſens Neurographiam univerſalem, in quibus ea omnia ſolidiſſimè & doctiſſimè deſcripta inveniet, remittimus.

[e] Pancreas una eſt è glandulis conglomeratis, è multis ſc. minimis glandulis per membranam inveſtientem, ut & per vaſa excretoria in unum canalem in medio propè iſtius corporis ſitum, terminata, invicem colligatis, compoſita. De hoc viſcere plurima venirent dicenda, poſtquam Nobiliſſ. Franciſc. De le Boë Sylvius in eo multorum morborum officinam collocavit, ſed hæc omnia videri poſſunt in præclaro libello, quem Pancreatis curioſiſſ. indagator Clariſſ. Graëffius publici juris fecit.

[f] Lien

Nervis quos à pari noſtro ſeptimo accepit, per tunicam potius quam parenchyma ipſum diſtribuuntur.

Non in parte anteriore ſiniſtri lateris ſitum ſuum habet, ſed in poſtica, circa renem ſiniſtrum, coſtis ſpuriis vertebriſque incumbens, quod accurate obſervandum. [f]

HEPAR, ſanguinem refrigerans, Venarum magnarum mater, in hypochondrio reſidet dextro, magnamque Ventriculi partem obtegit.

In duas quaſi partes dividitur per umbilicalem venam, quæ in jam natis pro ligamento inſervit.

Ramos paucos à cœliaca accipit: *Nervos* varios ex ſpinali medulla & ſeptimo noſtro pari.

Parti ipſius dextræ, inferius, connectitur *Veſicula Fellis*, cum *Poro Bilario*. Utriuſque rami cum ramis venæ portæ veſicula quadam communi, *capſula* Gliſſonio dicta, comprehenduntur. Rami hi veſicæ fellis & ductus cholydochi ſive bilarii, in hepate detenti, parenchyma totum pererrant, ubique capſulæ nominatæ incluſi; rubicunda hæc eſt, craſſitie arteriæ ferè ſimilis, à peritonæo, ut videtur originem habens.

Rami externi conjuncti duodenum inteſtinum perforant, Arteriolas duas à cœliaca, venaſque ex vena portæ, *gemellas* dictas, cum veſica ipſa, aſſumentes. [g]

RENES

[f] Lien ex demonſtratione Excellentiſſ. Malpighii eſt corpus mēbranaceum & fibroſum. Membranacea autem ipſius ſubſtantia in multas excavatur cellulas quarum ſtructura fibris ab utraque membranæ inveſtientis parte per totum viſcus emiſſis, atque variè implicatis, firmatur. Per harum cellularum exteriora, arteriæ ſplenicæ extremi rami numeroſi obrepunt; earumdem cavo glandulæ minimæ ovales appenduntur. Invicem communicant hæ cellulæ & ex illis omnibus enaſcuntur venæ ſplenicæ radices. Quomodo autem hæc omnia demonſtrentur, quæque præparatio ad id neceſſaria ſit, item qui uſus inde eruantur, vide apud Excellentiſſ. Malpighium Lienem peculiari diſſertatione pertractantem.

[g] Hepatis, omniumque illud ſpectantium amplam vide hiſtoriam in tractatu quem de eo conſcripſit Illuſtr. Gliſſonius. Et ſi quid ulterius in hoc viſcere rimari placuerit, lege Excellentiſſimi Malpighii de Hepate diſſertationem, in qua plurima nova hactenus inaudita è ſuis latebris profundâ

Renes, ſanguinem depurantes, *carne* conſtant ſingulari, denſaque, *tunica* propria inveſtita.

Exterius pinguedine, & ampla laxaque tunica à peritonæo prodeunte, inveſtiuntur.

Muſculis lumborum *incumbunt*, (ſiniſter tamen dextro altior) intra peritonæi duplicaturam. Et ſuperius ipſis accumbunt Glandulæ cavatæ, *Renes Succenturiati* ſive *Capſulæ atrabilariæ* dictæ. In has rami à *Venis* & *Arteriis* emulgentibus excurrunt, *Nervi* itidem à pari vago.

In Rene aperto *Carunculæ papillares* novem occurrunt, per quas ſerum in *pelvim* deſtillat, per ureteres ad veſicam deferendum. h.

Ureter ſive Meatus Urinarius hærens adhuc in ipſis renibus mediocris eſt magnitudinis, ſed extra procedens, valde anguſtus eſt, duabus ubique tunicis præditus, interiori ipſi propria, & exteriori, quam cum peritonæo communem habet.

Intra peritonæi duplicaturam deorſum, ſupra lumborum muſculos ad veſicam properat, cujus cervici inſeritur mox intra membranas ſurſum adſcendit, ubi interiorem tunicam perforat, eodemque foramine cum alterius lateris uretere, veſicam intrat, exile hoc admodum, arcteque clauditur, adeo ut valvula hic nulla urinæ regreſſum impediente, opus fuerit.

Vesica Urinaria *membranis* itidem duabus conſtat, harum externa craſſior eſt & carnoſa, interna minime.

Intra Peritonæi duplicaturam in illa Hypogaſtrii cavitate ſita eſt, quæ pelvis dicitur, & ab oſſe Sacro, coxæ & pubis efficitur.

In fœminis vaginæ uteri anterius cervice connectitur.

Cervix hæc carnoſa valde, fibrarumque ope ſphincteris inſtar aperit & claudit veſicam. In viris longior eſt, anguſtior, magiſque incur-

dâ viri illuſtriſſimi anatomica ſcientiâ, eruta, reperies

h Renes componuntur è multis fibris tubulatis, tanquam totidem vaſibus excretoriis, glandulis numeroſis in hoc viſcere demonſtrabilibus, appenſis. In hiſce glandulis ſeparatur lotium à ſanguine per arterias emulgentes advecto, idemque per tubulos memoratos in pelvim emittitur, ut per ureteres continuatos in veſicam urinariam deferatur. Quomodo hæc omnia aliaque plura demonſtrentur, vide apud Clariſſ. Belkini, Tractatu de Renibus, ut & apud ſæpius laudatum Excellentiſſ. Malpighium, Diſſertatione de Renibus aliis de viſcerum ſtructura, inſerta.

i Teſticu-

incurvata, in fœminis brevior, amplior, & recta magis.

Vaſa Sanguinea veſicæ rami ſunt vaſorum Hypogaſtricorum. *Nervos* plurimos ex pari noſtro ſeptimo & oſſe ſacro accipit.

Reſtant adhuc VASA SPERMATICA, quæ pro diverſitate ſexus etiam diverſe variant.

In Viris primo occurrunt *Venæ* & *Arteriæ ſpermaticæ*, utrinque una, ſanguinis ad Teſtes deductioni, aliqualique præparationi, inſervientes.

Vena Spermatica dextra ex Venæ cavæ trunco deſcendente oritur, *ſiniſtra* ex emulgente ſiniſtra. *Arteria* utraque ex Arteria magna.

Quatuor hæc vaſa, contorta valde, ureteribus inſtrata, Teſtes accedunt, ſed antequam eos attingunt, circa & in proceſſu peritonæi multis anaſtomoſibus & quibuſdam nervis uniuntur, & *corpus* unicum efficiunt, quod *pampiniforme* vocatur.

TESTES ipſi nunc ſequuntur ſeminis organa *Muſculo* gaudent *Cremaſtere*, *Tuniciſque* communibus duabus, & tribus propriis.

Communes ſunt.

1. Burſa illa rugoſa, quæ *ſcrotum* dicitur, cutis nempè, tenuior & mollior quam aliis in partibus.
2. *Dortos*, carnoſa ſcil. membrana, vaſis plurimis ſcatens.

Propriæ ſunt

1. *Elytroides*, ex proceſſu peritonæi.
2. *Erythroides*, ex Muſculo cremaſtere.
3. *Albuginea*, ex Vaſis ſpermaticis.

Subſtantia Teſtium alba eſt, mollis, rara, glandulis aliquo modo ſimilis. [i]

Incum-

[i] Teſticulorum corpus non tantùm, ut explicat Graëffius, tubulorum inteſtinulorum ad inſtar contortorum eſt aggeries, ſed ut addit Clariſſ. Malpighius, carneæ fibræ mirabili compage eoſdem tubulos ambiunt, ad compreſſionem, ut omnino probabile eſt, contenti ſucci à natura in hiſce partibus ſeparati. Ulteriùs progreditur Excellentiſſ. Bidloo dum in ſuis Anatomicis Tabulis non tantùm prædictos delineat tubulos, & in iiſdem, adhibito microſcopio, valvularum in modum protuberantes cavitates curioſe adnotat, ſed præterea ſanguinea vaſcula hinc inde glandulas iſtorum tubulorum parietibus exterioribus adnatas, obvolventia, depingit. Unde non immerito

Incumbit ipſis tranſverſo ſitu corpus vermiforme, quod, ſenſim, anguſtius redditum, vas ejaculatorium conſtituit, quod EPIDIDYMIS ſive PARASTATA dicitur.

VAS EJACULATORIUM, album, cavumque inſtar ureteris, circa veſicæ cervicem ſemen in *Veſiculas Seminales* defert, ibique ſemen ad tempus commodum ſervatur.

Anterius paululum procedens glandulas duas inſignes invenies, quibus liquor oleoſus: acrimoniam urinæ mitigare valens, continetur, hæ *Proſtatæ* vocantur. [k]

Ultimo ſe offert PENIS ſive VIRGA urinæ, ſeminiſque evacuationi dicata.

Subſtantia ipſi peculiaris eſt, cui ſimilis in univerſo corpore non datur.

Cuticula, imo etiam in pinguiſſimis hominibus *pinguedine* omnino deſtituitur.

Cute tegitur laxa, duplici, & *præputium* conſtituente, & *glandem* tegente, cui *frænuli* ope alligatur.

Cuti, panniculóque carnoſo *Vaſa* ſupra deſcripta ſuccumbunt.

Hiſce vicini *muſculi* quatuor, quorum duo *Erectores*, duo *Ejaculatores* muſculis ſubjecta *Corpora* duo [l] *nervoſa*, maximam partem Virgæ conſtituentia, ejuſdemvè rigiditatem atque flacciditatem fungoſitate ſua procurantia. Infima parte penis *Vrethra* occurrit, duabus tunicis conſtans, interiore tenui & valde ſenſili, & exteriore craſſa, atque carnoſa. In

meritò obſervatis jam ſuprà glãdulis in teſticulis equinis, ſuſpicabamur in noſtra Bibliotheca Anatomica, cùm in aliis omnibus partibus, atque viſceribus ſecretiones ſuas uno eodemque ritu, ſc. mediantibus glandulis Natura perficiat, probabile eſſe in teſticulis à via ſua ordinaria non deflectere, minimasque glandulas & viſum effugientes, vel tubulorum parietibus vel principio adfixas, in eoſdem quod ſepararunt humoris ſeminalis per arterias, atque nervos advecti, derivare.

k Proſtatæ, églandularum acervo coagmentatæ, per extenſos ductus in urethram hiantes cum eadem variis orificiis communicant.

l Malè nominantur nervoſa ea corpora quæ penem conſtituunt, & meliùs cum Graëffio ſpongioſa dicerentur; ſiquidem conflantur è celluloſa ſubſtantia, quã variè pererrant ſurculi & ramuli arterioſi atque venoſi ſãguinem infundentes & reportantes: Hæc corpora ab invicẽ ſeparantur mediante ſepto membraneo ipſis interpoſito.

m Veſiculæ

In Fœminis Vasa Spermatica in hoc à virilibus differunt, quod breviora ſint, & minora, ſerpentinóque ductu teſtes accedant, varios itidem ramulos tubis uterinis, ipſique utero communicent.

Testes *molliores* hic ad latera Vteri *collocati*, ſemen elaborandi virtute pollentes. *Tunica* unica tantum teguntur, eaque propria.

Parastatæ hic nullæ. *Veſiculis* interius teſtes plurimis ſcatent, quæ & ſemen continent, & utero, mediantibus tubis, exhibent. [m]

Tubæ hæ Vtero omni parte *cohærent*, teſtibus tantum aliqua.

Cavitatem habent, ex *tunica* duplici conſtantes, veſiculaſque etiam aliquas continent, in quibus ſemen ulterius perfici multi volunt. [n]

Vterus ſeminis, fœtuſque receptaculum, in medio Hypogaſtrii ſitum ſuum habet, in pelvi, inter inteſtinum rectum, & veſicam urinariam.

Tunicas poſſidet duas validas, craſſaſque, quarum prima à peritonæo, altera propria, & inter utramque fibras plurimas carneas.

Dividitur commode in *Fundum*, *Orificium*, & *Cervicem*.

Fundum, globoſa uteri pars, *Ligamenta* IV. accepit: ſuperiora duo *lata* ſunt, & membranoſa, oſſi ilium connexa; inferiora duo *rotunda* ſunt rubicunda, & ad clitoridem pervia, unde inſtar pedis anſerini per femoris anteriora ſe diffundunt, cavitate omni privata. [o]

Orificium

[m] Veſiculæ hæ ſunt vera ova, ut bene adnotant Graeffius, Svvammerdhamius, Kerckringius &c. Unde teſtes muliebres ovaria verè dici merentur. Non autem è ſolis coagmētantur ovis, ſed præterea ex innumerabilibus membranulis, fibrulis, vaſorum plexibus, & glandulis; membranulæ exteriori involucro, ut & hiſce fibrulæ alligantur, atque ſpatia pro glandulis veſiculiſque relinquunt. Glandulæ vaſorum capillamentis intrinſecùs & extrinſecùs obvolvuntur, tenaciſſimiſque & radiatim diſpoſitis conſtruuntur ex tubulis; atque in eo à veſiculis differunt quòd hæ limpido turgeant humore, & vaſorum plexus per ſuas tantùm mēbranas diſperſos obtineant.

[n] Tubæ Uterinæ *Fallopianæ* dictæ è faſciculis fibroſis præcipuè componuntur, & muſculis finiuntur plurimis qui membranaceæ tubæ ſtructuræ adfixi foliaceum mentiuntur ornamentum. Illi muſculi à ſpiritibus animati tenduntur, circaque corpus teſticuli ſe complicando, ovis excipiendis, & in tubæ cavum poſt cōceptionem propellendis, omnino faciunt.

[o] Ligamenta hæc prope vulvæ ſuperiora in plurimas dividūtur fibrillaceas

Orificium Vteri, arcte ſe conſtringens, ſuoque tempore valde iterum dilatabile, tuberculo præditum eſt inferiore parte, foraminuliſque variis.

Cervix, ſive *Collum Vteri* Penis receptioni dicatus, rugoſus intus, & fere longitudinem 8. digitorum tranſverſorum habens. Diſſecanti primo occurrit *Meatus urinarius*, brevis rectuſque, hinc meatui huic adſita *Clitoris*, peni virili mollitie duritievè quodammodo ſimilis.[p]

Huic adjacet *Hymen*, in ſui medio, ad tranſitum urinæ & menſtrui ſanguinis, perforatum, *Carunculæ* huic IV. cohærent *Myrtiformes*, quibus ſuccedunt *Alæ* ſive *Nymphæ* defendentes, & *Labia piloſa*.

Vſus Chirurgicus.

1. In Hydropicis peritonæi *tunicæ* valde *incraſſeſcunt*, imò temporis ſucceſſu cartilagineam duritiem acquirunt, quod in paracentheſi abdominis ſcitu neceſſarium eſt.

Paracentheſin inſtrumento ſupra deſcripto inſtitutam *Scroti intumeſcentia aquoſa* ſubito ſæpiùs ſequitur. Ratio & via vera eſt, Aquam ſenſim in ſcrotum defluere, ſupra peritonæi proceſſum, loco inter peritonæum & muſculos abdominis rectos interjecto.

2. Aliquando inter Omenti duplicaturam Flatus detinentur, doloris diuturnioris cauſa, quique etiam abſceſſus futuri metum infert. Prçter ſudoriferas Oleis, emplaſtriſque valde diſſipantibus hoc in caſu indigemus:

Eadem duplicatura *Aqua* quoque nonnunquam *concluditur.*, curationis ſpe nulla certa.[q]

Steatoceas expanſiones, & ut innumeris vaſorum omnium propaginibus, ita eam multifariis permeantur membranulis & fibrulis. Quò magis ab utero recedunt, eò rotundiora exiſtunt.

[p] De variis vaſorum in uteri vaginam ſe aperientium orificiis, in deque aſſurgentibus canaliculis ad glandoſa corpora prope urethram ſita, proſtatarum vices in mulieribus gerentia hic nihil ſanè addimus, quia commodè videri poſſunt apud Clariſſ. Graëffium ſuo de Mulierum organis Generationi inſervientibus tractatu.

[q] Flatus & aquas in omenti duplicatura poſſe contineri, ibidemque varias tragœdias excitare, non tantùm dubitatur, ſed etiam meritò negatur, ut ſuprà advertimus contra Riolanum & alios, poſtquam manuducente Malpighio corpus hoc reti-

form

Steatomata in *Omento*, *Abſceſſuque* nonnulli ſæpiùs generantur eo quod pinguedinis hic, glandularumque magna copia reperiatur: Curatio in hoc caſu valde difficilis.

3. Inteſtina, lumbricorum inſtar varie ſe moventia, *Intus ſuſceptionem* quandoque incurrunt, imprimis ubi dolore atroci afficiuntur; & hoc modo excrementis tranſitus ad anum denegatur. *Miſerere mei* ſive *Ileos* affectus talis vocatur. Mediis ordinariis nihil efficientibus, Cucurbitula magna ſine ſcarificatione ſæpiùs parti dolenti apponi poteſt, atque iterum auferri. Annon etiam præſtaret, facta diſſectione muſculorum & peritonæi digitis ſuſceptum inteſtinum extrahere, quam certæ morti ægrotantem committere?

4. *Meſenterium* & ex ſe ipſo, & ob glandularum copiam *Inflammationi*, *Tumoribus*, *Ulceribus*, imo *Corruptioni* valde obnoxium eſt. Affectus hi cum difficulter ab aliis diſcernantur. Medicum exercitatum deſiderant. Idem de *Pancreate* atque *Liene* dicimus. Interim tamen emplaſtrum hoc, cujus efficaciam in curatione tumorum partium dictarum non ſemel expertus ſum, communicare placet.

℞. *Gumm. carann. Ammon. an. drachm. j. Mercur. vivi. Thereb. extinct. unc. ſ.*

M. F. Emplaſtrum.

5. *Ligamenta Hepatis* ſuſpenſoria, diaphragmati atque cartilagini enſiformi id connectentia, in tantum ſæpiùs relaxantur, ut Hepar ad umbilici regionem deſcendat. Vitio huic emplaſtr. hoc ſuccurrimus.

℞. *Rad biſtort. unc. iij. Bol. Armen. drachm. ij. Sem. Cumini drachm. j. Gumm. Galban. unc. j. Ol. nuciſt. expreſſ. drachm. j.*

M. F. ſ. a. Emplaſtrum.

Porrò *Inflammationes*, *Exulcerationes*, imo *Sphacelus* ipſe, in hepate locum habent.

6. *Veſica fellis*, ex tuſſi vehementiori, *rupturam* incurrere poteſt, *Calculus* quoque nonnunquam in ea, imo plures colliguntur.

Anno præterito adſui cuidam Scoto, qui ſpatio IV. ſeptimanarum 200.

forme eſſe, nec ullis liquoribus aut flatibus continendis aptum, ſed cribri Danaïdum ad inſtar undique pervium eſſe, demonſtratum eſt.

200. calculos,[r] & plures per alvum excreverat, ſolo autem conditi ſeq. Cholagogi uſu curatus eſt.

℞. Elect. de ſucc. roſ. unc. j. *Pulv. Ialap. drachm.* j. *Spir. ſalis ſcrup.* j.

M. F. *Conditum.*

Sumat ejus quotidie, aut alternis diebus nucis Moſch. q.

7. Contra *Renum* vulnera ulceráque noſtra Chirurgia idonea ſatis medicamenta ſuppeditavit. Exulcerationibus etiam *Vreteres* obnoxii ſunt, ſed iiſdem curantur medicamentis, quæ etiam renum ulceri dicata ſunt. Calculus major, aut aliud quid, quandoq; cauſa eſt, quare rumpantur, ſed malum hoc incurabile habetur.

8. Præter calculos *Vermes* quandoque in Veſica urinaria generantur, quos Diureticis expellere oportet, additis medicamentis vi vermium necandorum pollentibus.

℞ Aq. antinephrit. unc. j. *Graminis unc.* ij. *Spir. Salis gutt.* viij. *Corallin. ſcrup.* j. *Syr. abſinthii unc.* j.

Miſce.

Sumat ejus partem unam mane, alteram veſperi.

Præterea etiam injectio hæc prodeſt, brevi eos educens.

℞. Aq. card. bened. unc. vj. *Myrrhæ, Aloës in ſpir. Vini diſſol. an. ſcr.* j. *Mel. Centaurii unc.* ſ.

Miſce.

9. *Teſtes*, æquè ac partes aliæ, inflammantur; ubi præter media generaliora, externe hæc conveniunt. In principio Cataplaſma hoc applicetur.

℞. Pulv. roſar. rubr. Myrtill. Balauſt. an. drachm. ij. *Farin. hordei unc.* ij. ſ.

[r] Bernæ Helvetiorum in noſocomio publico virginem vidi pauperculam, quæ jam per plures annos materiam tophoſam & calculoſam variè figuratam, non tantùm vomitu rejecerat, ſed etiam per alvum & vias urinarias excreverat. Periodicè quaſi recurrebat hæc excretio, ſed intervalla variabant, dum aliquando ſc. breviora, aliquando longiora erant. Eo quo ipſam inviſi tempore, coloris erat ſatis vividi, & præter ventrem paulò tumidiorem, palloremque aliqualem, nihil erat in toto corpore unde malè habentium viſcerum ſigna diſtinctiora exprimerentur. Contrectata curioſiùs vētriculi regione durum quid profundius deliteſcens obſervavi, ſtrepitumque quaſi ex colliſione ſilicum non obſcurè audivi. Plura de hiſce referre ſuperſedeo, quia ex Clariſſ. D. Konik Medic. Doctor. diligentia hiſtoria hæc ſatis fuſe deſcripta in Actis Lipſienſibus reperitur.

j ſ. Ol. roſac. Acet. Sambuc. an. unc. j. Vin rubr. q. ſ.

M. F. *Cataplaſma.*

In Dolore vehementi.

♃. *Farin. ſemin. lini, Hordei, Fœnugræc. an. unc. j Fol. hyoſcyam. M. j. Malvæ M. ſ. Pingued. porc. unc. j. Ol. ſem. papaver. unc. j. ſ. Lact. vaccin. q. ſ.*

M. F. *Cataplaſma.*

Si poſt inflammationem ulcus ſequatur, ſuppurantibus naturæ ſuccurrat Chirurgus. Emplaſtro ſequenti emolliendi, dolorem ſedandi, maturandique vi inſigni prædito multum præſtitit: aliquando alios humores prorſus diſſipavit.

Emplaſtrum Filii Zachariæ.

♃. *Ceræ flavæ, Medullæ cruris vaccæ, Adipis Gallinæ, Anatis an. libr. j. Mucilagin. ſem. lini, Altheæ, Fœnugræc. an. unc. iiij. Ol. lini q. ſ.*

M. F. ſ. a. *Emplaſtrum.*

Materia jam ſuppurata aërem poſtulat: quare phlebotomo Chirurgus abſceſſum aperiat: cauterium potentiale ipſi commendare non poſſum, nam peſſimos habuiſſe ſucceſſus jam obſervavi. Foramen exiguum ſit, & ſolummodo tunicas penetrans. Licet in hoc caſu ſe pus optimè habeat, morbus nihilominus periculoſus eſt, & facillimo negotio in cancrum aut ſphacelum degenerat, & commodiori medio quam ferro tolli non poteſt, ſi in tempore talis operatio inſtituatur. Deinde ulcus ſequenti modo & quamprimum curetur. Partem ab omni frigore defendito, eamque continuo corroborato, atque naturalem calorem in ea conſervato. Lavamentum calide applicandum.

♃. *Flor. balauſt. Roſar. rubr. Myrtillor. an. P. ij. Aloës drachm. j. Thuris. ſcrup. ij. Aquæ plantagin. unc. iij. Vini rubr. q. ſ. Coq. & Colentur.*

Hoc peracto, ſequenti unguento partem oblinito, & emplaſtrum ſive cataplaſma moderate diſſipans ſuperimponito.

♃. *Tutiæ præp. Ceruſſ. lot. an. drachm. ij. Minii, Lithargyr. aur. an. drach. j. Sarcocoll. drachm. iij. Plumb. uſt. drach. ii. Vng. Apoſtolor. unc. ſ. Ol. & Ceræ q. ſ.*

M. F. *Vnguentum.*

10. Virgæ ſi vulnus infligatur, plerùmque cum vitæ periculo conjunctum eſt. Unguentum hoc valde conducit.

♃. *Ceruſſ. lot. drach. iij. Myrrhæ, Lithargyr. an. drachm. j. ſ. Sarcocoll.*

Tutiæ

Tutiæ præp. an. drachm. j. Tragacanth. drachm. ij. Ol. roſac. q. ſ.

M. F. *Unguentum.*

Inflammatio ejus eodem modo curatur ac partium aliarum ſenſilium. At *Ulcus* ſi accedat externum, internis æquè ac externis curatio perficitur, ne malignitatem contrahat, aut in ſphacelum abeat.

♃. *Lithargyr. unc. ſ. Plumb. uſt. drachm. ij. Tut. præp. drachm. ij. Aloës drachm. j. ſ. Cort. pini ſiccat. ſcrup.* IV. *Lap. hæmatit. drachm. j. Sem. aneth. combuſt. Cucurbit. ſicc. uſt. an. ſcrup. ii. Ol. roſac. Merc. viv. an. drachm. ij. Ceræ q. ſ.*

M. F. *Unguentum.*

Huic ſi propter impuritatem non obediat:

♃. *Flor. æris drachm. ſ. Alum. uſt. drachm. j. Aq. Plantag. Roſac. an. unc. ij. Vin. alb. Gall. unc.* VI. *Spir. Vini unc. j.*

Mſ. & ebulliant parum.

Huic addi poſſet Merc. præcipitatus, præſertim ſi neceſſitas exegerit.

Sphacelus hoc in caſu certius non curatur quam extirpatione partiali aut totali, ne ad interiora proſerpens malum interimat ęgrum.

Ulcera interna Virgæ quomodo curari debeant, cap. de Ulceribus particularibus docuimus. Medicamentum hoc loco addemus, cujus uſu virga cancroſa curata fuit.

Unguentum Petri Bajeri.

♃. *Suc. extremitat. rubi, Futic. roſar. Aceti an. unc. ij. Thuris, Maſtiches an. drachm. iij. Lithargyr. aur. unc. j. Vini malvatic. unc. vj. Succ. ſemperviv. unc. iii. Aq. vitæ unc. iiij. Virid. æris drachm. ij. ſ. Vitriol. Alumin. uſt. an. drachm. j. ſ. Camphor. drach. j. Ol. roſac. unc. vj.*

Pulveriſatis pulveriſandis ſubtiliſſime & cribratis Coq. omnia lento igne, excepta camphora, quæ in fine addatur, uſque ad conſumptionem ſuccorum. Addatur Cera & fiat Unguentum.

11. *Vaſa Spermatica* in Fœminis graviter aliquando obſtruuntur, ut unà cum Teſtibus ad pugni magnitudinem in Hypogaſtrii latere intumeſcant.

12. In *Tubis Uteri* Semen muliebre nonnunquam corrumpitur, unde ſymptomata graviſſima eveniunt. Menſtrua ad menſes aliquot

ſup-

ſuppreſſa Hydrops ſæpiùs ſequitur. Aquam hanc collectam in cadaveribus apertis recto ductu per tubas in peritonæi duplicaturam defluere obſervavimus.

13. *Vterus* ex affluxu ſanguinis præternaturali ſæpiùs inflammatur, in puerperis imprimis, & quibus menſés inordinate fluunt. Inflammatio hæc ſæpiùs in *abſceſſum* mutatur, ſi negligentius tractetur, cujus curatio Medicum ſpectat. Sed *Sphacelus* incurabilis eſt: quæ enim Veteres de exſtirpatione Vteri referunt, totum nempè eum auferri poſſe abſque inſigni damno, erroribus reliquis annumerari debent. An hoc animal in animali, neceſſariam hanc partem, multis aliis partibus cohærentem, copioſisque adeò arteriis præditam, abſque periculo vitæ exſcindere licet? Idem hic iis obveniſſe credo quod in procidentia Vteri deſcribenda & curanda obvenit, Vaginæ Vterinæ tunicas extenſas pro Vtero ipſo, & hic & ibi aſſumpſerunt: poſſe autem tunicas has ſine gravi periculo auferri, libens concedo: At vero uteri totius ſphacelum mortis certæ cauſam exiſtimo.

14. Vteri

[f] *De exciſione uteri aut ſaltem ejuſdem poſſibilitate quædam jam ſuprà diximus. Jam verò quia ejus totalem procidentiam negant multi, & præcipuè poſt Kerkringium ipſumque Authorem noſtrum, Celeberr. Job. à Meek'ren eum hacce in materia audiamus oportet; ſic autem Obſervat. Medico-Chirurgic. cap.* 54.

De Procidentia uteri falsâ.

Magno *Socrati*, Philoſopho ſummo, imò & *Antonio Juliano*, Oratori Romano, ordinarium fuit, quoties de amoribus ſermo habendus, facie tectâ publico ſe exponere, cò quod quæ proponerent omnis repræhenſionis expertia neutiquam eſſe, ſatis conſtaret.

Quam ergo pœnā non incurret ille, qui naturæ arvum, amoris omnis pudoriſque fōtem, perarare tentat, eum imprimis in finem, ut ſententiæ Antiquorum quæ uterum muliebrem non tantum extra corpus prolabi, ſed & in totum auferri poſſe docet, falſitas declaretur, præſtare multis forſan videbitur ab incepto deſiſtere, quam Clariſſimorum Virorum turbæ adeò inſigni procidentiæ extirpationive uterinæ poſſibilitatem probanti, ſeſe opponere.

At verò non eſt quod me deterreant hæc ſimiliaque, quin contra animoſus, anatomico experientiæ cultro armatus, quæ in deſtructionem figmenti dicti adferri poterunt, proponere aggrediar.

Amicus Socrates, amicus Plato,
Sed magis amica veritas.

E re ſtudioſorum erit, Authorum variorum qui vel per negligentiam, vel per

vel per occupationes varias, uterum non ſolùm extra corpus procidere, ſed & à Chirurgo auferri ſine damno poſſe, docuerunt, ſententias diverſas, antequam quæ nobis obvenere exhibeamus, proponere.

Aëtius à Midena libr. 16. *de re medicâ c.* 78. Uterum ad magnitudinem oviſtruthiocemelis extra corpus procidere poſſe, tradit.

Majoris extenſionis allis habetur, quorũ etiam variis cauſam procidentiæ, addere placet vociferationẽ nempè, fœcum alvinarum excretionem moleſtam, caſum, percuſſionem ad femora, coitum indecentem, partum graviorem; videri poſſunt quæ hac de re habet *Felix Platerus de part. procid. cap.* 2.

Ariſtoteles lib. 7. *cap.* 2. Uterinæ procidentiæ cauſam venereum appetitum excedentem dicit, eamque curari minimè poſſe niſi gravidatione.

Hier. Fabr. ab Aquapend. operat. Chirurg. part. 1. *cap.* 86. quid agendum ſit docere ſtudet, quoties ob ligamentorum, vel laxitatem, vel ſeparationem uterus extra corpus prolapſus.

Fel. Platerus cap. 2. *de part. procid.* Mulierem cui uterus prolapſus concipere, imò etiam fœtum ipſum circumgeſtare poſſe, ſcribit.

Vopiſcus Fortun. Plempius Anatom. Cabrolii cap. 34. Uterum ad capitis magnitudinem procidere poſſe ſcribit, eumque incuriâ quadam putrefactum exſtirpari ſine incommodo, ſic ut etiam eo ablato concipere queat mulier.

Paulus Ægineta de arte med. lib. 3. *cap.* 72. vivam pronunciat mulierem, cui uterus abſciſſus.

Du Laurens lib. 7. *de part. gener. cap.* 11. *Æginetæ* ſententiam amplectitur, omnia bona promittens mulieri cui uterus ablatus.

Nec utero ſolo, ſed & renibus ſine dãno carere poſſe hominem *Theoph. Paracelſus Paramir. lib.* 4. *de orig. morb. matric.* ſcribit.

Jacobus Berengarius in Mag. anat. Langius Epiſt. 39. *Tom.* 2. *Mercurial. lib.* 4 *genac.* 21. & *Ludov. Duretus in Holler. cap.* 57. *de morb. partic.* Uterum muliebrem exſtirpaſſe ſe memorant ſine ullo metu, ſine ullo vitæ periculo.

Regius Medicus *Fernelius* vidiſſe ſe refert parturientem quandam, cui uterus cum fœtu in luſo ſine ullo vitæ diſpendio ablatus; ipſe licet *anatom. cap.* 7. uterum firmiter ſatis nexum referat, non ſolum veſicæ urinariæ & inteſtino recto fibrillarum ſubtilium ope, ſed & oſſibus Ilium beneficio ligamentorum validorum.

Plinius & *Soranus* uterum muliebrem auferri ſine periculo poſſe exemplo porcorum probare nituntur, quibus, ut delicatiorem eſcam præbeant, uterus auferri ſolet.

Paræus Conſiliarius regius lib. 23. *cap.* 41. mentionem facit mulieris 30. annorum cui ablatus uterus.

Paræo aſſenſum præbet *Franciſcus Rouſetus de partu Cæſareo ſect* 4. *cap.* 5. & 6. Uterque in ſententiæ ſuæ probationem adferunt quod in diſſectis cadaveribus pelvim quo loco uterus detinetur induratam obſervaverint.

Fabulis magis annumerari merentur quæ de uteri exſtirpatione agentes

tes *Avenſoar. lib.* 2. *cap.* 2. *Anton. Beniven. de abdit. morbor. cauſ. cap.* 11. *Wierius*, *Zacut. Luſitanus*, *Fel. Platerus*, & plures alii, adferre voluerunt, mulieres nempè quibus uterus corruptus abſciſſus, non ſolùm ſuperſtites permanſiſſe, ſed & liberos procreaſſe.

Hildanus è contra ex ore medici *Henrici Stapedii*, in reſponſione ad caſum de uteri Ruptura à *D. Michaële Doringio*, medico propoſitum, exēplū adducit mulieris ab exſtirpatione uteri inordinatâ ſubitò exſtinctæ.

Thomas Bartholinus cent. 2. *hiſt.* 91. hiſtoriam proponit à *Clar. Motthio* Medico communicatam, quâ in nobili quadam, ab obſtetrice ſecundinas auferre laborante, uterum, & cum eo vitam ipſam ablatam narrat. *Nobiliſſima* inquit *Matrona Chilonii Holſatarum* 15. *ante filiorum mater, fœtum vivum, quem* 40. *hebdomadibus commode ſatis geſtaverat, ſemihora labore, ſine ulla moleſtiâ feliciter* 1642. *excluſit, remanentibus tamen more hujus puerperæ ſecundinis, quas cum obſtetrix, ut ſolita fuerat, ſolvere & extrahere conatur, unà cum ſecundinis uterum, quamquam inſcia, extraxit. Inter operandum puerpera ſciſcitanti quomodo negocium ſuccederet, reſpondit: ſecundinam ſe quidem habere, ſed ſubſequi carnis partem ſibi incognitam. Adſtantes fœminæ, molam eſſe credentes, ſibique ſæpe id eveniſſe, obſtetricem ad extrahendam carnem exſtimulant, quæ omnia, etiam validiore manu, irrito conatu, & renitente carne, juſſa exequitur. Advocatus* D. Motthius, *ſine voce, nutu, & pulſu puerperam invenit, mortuamque vere pronunciat; occupatâ deinde obſtetricis ſede, immiſſaque ſub lecti ſtragulis manu, ipſum uterum integrum, marſupii inſtar propendentem, & ab utroque latere perforatum obſtetricis digito, deprehendit, adſtantibuſque monſtravit, verè tunc mortuam ſero credentibus.*

Idem cent. 1. *hiſt.* 97. carnoſæ excreſcentiæ, in utero ex caſu obortæ, libras quatuor cum media pendentis, mulieri lethalis, meminit.

Plura antequam hîc proponamus, neceſſarium omninò ducimus, uteri partiumque connexarum delineationem exhibere; hac enim legitimè conſideratâ, cuivis conſtabit impoſſibile eſſe uterum, neceſſarium adeò generationis organum, ex corpore mulieris auferre, integrâ permanente procreatione. Et ea ex communicatione *Anatomici Hagienſis incomparabilis curioſiſſimique Dn. Freder. Ruiſchii*, factâ collatione cum utero balſamo condito, ab eodem nobis exhibito, non neglectis iis, quæ ad pleniorem cognitionem patefecêre obſtetrices variæ.

Locum natura *utero* & amplum, & tutum conceſſit, inter veſicam urinariam, & inteſtinum rectum, quæ hic duplicis pulvinaris vices ſubeunt. Medius hic eſt quo in æquilibrio ſervetur corpus.

Componitur quoad ſtructuram ex tunicis, venis, arteriis, nervis, & ligamentis.

Tunicæ hîc duæ, *interna* una, altera *externa*.

Vide Tabulæ mox adjectæ Fig. 1.

A *Arteria ſpermatica ſiniſtra ab arteria magna trunco oriunda.*

B *Vena ſpermatica ſiniſtra ab emulgente ortum ducens.*

 C *Vaſa*

C *Vaſorum ſpermaticorum præparantium implicatio.*

DD *Teſtes muliebres.*

E *Vaſa lymphatica ab utero & teſtibus orta, lymphamque ad receptaculum chyli amandantia, quod ex valvularum ſtructura conſtat.*

F *Vaſorum ſpermaticorum præparantium propagatio ad uteri corpus.*

GG *Tubæ Fallopianæ.*

HH *Nervoſa particula pro vaſis ejaculatoriis habita.*

I *Uteri fundus.*

KK *Vagina.*

L *Collum uteri.*

MM *Alæ veſpertiliorum ſeu ligamenta lata.*

NN *Ligamenta teretia.*

Hæc originem ſumit à peritonæo, *illa* carnoſa eſt magis quam ulla membranarum infimi ventris. *Fibrarum* triplici conſtat ordine, quarum ope attractio, retentio, & expulſio perficiuntur, craſſities harum tunicarum increſcit decreſcitque pro diverſitate ætatis, temporis, menſtruationis & gravidationis.

Venæ duplicis conditionis ſunt, utroque latere una, *ſuperiores* quædam, quædam *inferiores*. *Superiores* à *ſpermaticis* procedunt, antequam Teſtes accedunt, uterinumque fundum & collum pererrant. Eadem ratio *arteriarum*. *Inferiores venæ*, ſimiliter ac arteriæ ab *Hypogaſtricis* deveniunt.

Nervi non ſolum à *ſexto pari* nervorum cerebri deveniunt, ſed & ex *ſpinali medullâ*, quæ oſſe ſacro detinetur.

Ligamentorum, quorum ope & vicinis partibus nectitur uterus, & in ſuo ſitu conſervatur, duo ſunt paria, horũ *duo ſuperiora* ſunt, *duo inferiora*, *Superiora* continuationes atque appendices ſunt peritonæi, cornibus ſeu *Tubis Fallopianis* connexa. *Inferiora* tertia ſunt, validaque nervoſa, intus excavata, hæc ex latere fundi uterini deſcendentia, ubi circa inguina tendines muſculorum obliquorum abdominis attigerunt, eos perforant, mox varias, in partes diviſa, una earum, quæ breviſſima, circa Clitoridem os pubis accedit, alterâ longiſſimâ, membranam adipoſam, cum quâ non ſolum femoris magnam partem adit, ſed &, ſi fides habenda *Riolano, ſect.* 1. *ana. cap.* 32. ad extremam pedis excurrit.

Ligamentis hiſce imputari debent varia, eaque magno numero mulieribus obvenientia, Tumores nempè inguinales, ſtupor pedum, dolor femorum, plantarumque pedum, articulorum circa pedem extremum, collique veſicæ urinariæ, juxtor imò reſolutio univerſalis partium corporis totius ſuperiorum æque ac inferiorum.

Propoſita quibus haud ſufficiunt, adeant ſcripta anatomica quæ exhibuerunt *Joannes Riolanus*, *Joannes Veslingius*, & *Thomas Bartholinus*; quam arctè vaſa ſpermatica, ligaméta, membranæque utero uniantur, imò uterus ipſe peritonæo, veſicis ſeminariis, inteſtino recto, tunicæ oſſis innominati interiorem ſuperficiem inveſtienti, præter varias partes, alias ſenſiles, inſenſileſque, quantum ſatis erit declarabunt. Ut adeò cum *Riolano* partem uterum neceſſariam pronunciare teneamus, ſimiliter ac Teſticulos, attamen minimè diviſibilem.

Partium enarratarum ſtructuram, connexionemque legitimè perpendens, quis non videat, quem facillimam ſit gravidas, imò ſæpius etiam non

non gravidas, vitio quodam ſuperveniente, gravia eaque plurima moleſtare ſymptomata, huc dolores intolerabiles, febres graviſſimæ, aliaque, imò mors ſæpius ipſa, quæ, ubi abortivorum excluſio indebita mulierem affligere ſolent.

Ulterius quod ſi procedamus, quæ non malorum caterva ſeſe offert quoties in mulieribus etiam non gravidis menſtruorum excretio ſupprimitur? fluor albus hic occurrit, palpitatio cordis, febres erraticæ, deliria gravia, nauſea continua, pica, chloroſis, & centum alia, quorum cauſa uterus, ut adeò haud inconvenienter uterus *Hippocrati lib. de locis in homine* 59. omnium malorum, quæcunque mulieribus obvenire ſolent, cauſa dicatur.

Rebus ſic ſe habentibus tanto inter uterum parteſque alias exiſtente conſenſu, tanta connexione, quis Chirurgorum exſtirpationi ejus admoveret manum, quis, qui ſymptomatum ipſius diſpoſitioni pravæ ſupervenientium ullam rationem habet?

At non ſine ratione hîc aliquis in naturam ejus, quod veteres, imò & recentiorum plurimi, uterum prolapſum appellarunt, quod reſtituiſſe, imò ſæpius abſtuliſſe ſine ullo damno referunt, inquiret. Vix enim ſcriptorum ullus occurrit qui non de affectibus mulierum agens Procidentiæ uterinæ mentionem faciat, cauſas ejus exponat, imò & curationẽ proponat.

Sunt etiam qui, procidentiæ hujus differentias exhibentes; ad genua ipſa corpus hoc, quod uterus habetur, prolabi poſſe tradunt.

Quod ſi ſcriptores hi illud laboris ſumerent, ut ligamentorum uteri aliformium ſtructuram examinarent, firmum id adeò, firmiterque vicinis connexum reperient, ut impoſſibile ſit ſeparationem hîc ullam dari, niſi quæ cultri acie peragitur, ſic ut nullo pondere extrorſum moveri queat.

Caſus nonnullos rariores, qui vel nobis ipſis occurrerunt, vel Medicis Chirurgiſvè aliis, primò hîc proponere neceſſarium utileve ducimus, antequam ad rem ipſam deveniamus, quidque de uterinâ procidentia, de qua tam multa ſcripſerunt varii, ſtatuendum ſit, declaramus.

Primo loco conſideratione noſtrâ omniumque qui in hac re informari deſiderant, dignum eſt quod in gratiam artis Chirurgicæ cultorum his verbis *Cent.* 2. *hiſt.* 58. proponit *Thomas Bartholinus. Vidi* inquit *Vir Celeberrimus in Noſocomio Patavino* 1641. *diſſectam mulierem, qua prolapſum uteri à partu difficili antè* 10. *annos paſſa credebatur. Narravit ſe in prato cubantem obſervaſſe deſcendere uterum, gramenque venari. Ex illo tempore indies crevit ob affluxum ſanguinis, ut diſtentus nigerque in putredinem degeneraverit. Iudicabat Chirurgicas operationes nobis demonſtrans P. Marchettus, non eſſe uteri procidentiam, ſed excreſcentiam aliquam in vaginâ uteri, adeoque abſcindendam. Alter Noſodochii Chirurgus familiaris pro uteri ſtetit procidentiâ, cum excreſcentia ſubitum ortum, incrementumque habere non poſſit. Mulier interim ſecari volens, inter ambigua conſilia ad mortem properavit. In aperto cadavere, ſatis trunco obeſo, ſed artubus emaciatis, uterum ſuo loco ſanum beneque conſtitutum vidimus,*

dimus, excreſcentiam verò ex uteri vaginâ dilaceratâ pendulam, cum labiis pudendi, ex lue venereâ forſan inflammatis.

Accedit caſus priori ferè ſimilis, quem & nobis & publico communicare placuit Medico hujus loci experientiſſimo *Dn. Franciſco van der Schagen*, quo quæ omni tempore ſibi perſuaſerat, nunquam ſcilicet uterum verum profunde adeo extra corpus prolabi poſſe, uti quidem veterum recentiorumque crediderunt plurimi, nec ullo tempore exſtirpatum eum fuiſſe, ſicut in vivis non ſolùm permanſerit mulier, verùm etiam prolifera; quin potius ablatum fuiſſe aliquod partibus genitalibus, extra uterum, adhærens, vera eſſe obſervaſſe ſe teſtabatur. Verba quibus caſum hunc proponere placuit hæc erant.

Ante annos aliquot cadaver aperui mulieris alicujus cõſiſtẽtis ætatis, hydrope imi ventris extinctæ, quod jam à longo tempore uteri procidentiâ laboraſſet, omittere haud potui, quin in veram ejus conſtitutionem inquirerem, diſſecto proinde abdomine, inteſtinis ad latera inclinatis, uterum non ſolum quoad externa legitimè ſe habentem reperi, ſed & loco debito collocatum; at quod pudendi labiis continebatur, pro utero prolapſo ſemper habitum, nil niſi vaginæ ſeu colliuterini partem eo extenſam notavi, quale quid, dum laxantur tunicæ, facile contingere poſſe quivis concedet.

Placet jam *exſtirpatum uterum* oculis Lectoris curioſi exponere, quo figmentis circa eius procidentiam, abſciſſionemque à variis propoſitis, fidem ulteriùs dare deſinat.

Anno 1659. die nativitatis Chriſti, quo & conſilio, & opera inſerviremus Chirurgo hujus Reipubl. celebri *Henrico Roonhuiſen*, cum *Clariſſimis, Experientiſſimiſque Viris Dr. Dn. Arnoldo Tholinx, Guilielmo Piſone, Mathæo Slado, Medicis, Dn. Georgio van Loon, Chirurgo*, mulierem acceſſimus 35. annorum, cujus pudendis unitum corpus inſigne, ponderoſum, fœtidumque, collo tenui deorſum, extenſum uterus hoc habebatur omnibus ad pedes prolapſus; in quâ etiam ſententia perſiſtere placuit variis, poſtquam exſtirpatum, maximè quod uteri cornua, vaſa cœca, cum Teſticulis in eo obſervaſſe ſe ſibi perſuaderent, cui tamen nobiscum alii ſe opponebant, eò quod, ſiquidem poſſibilis eſſet uteri procidentia, partes dictæ exterius haud forent conſpicuæ, ſed in inverſo continerentur utero; hac ratione fore addebatur, ut ſimiles omninò evaderemus Medicis Chirurgiſve regiis *Dn. Gaudin, la Fuere Paræo, & Iacobo Guillelmeau*, qui in utero prolapſo alicujus mulieris, nondum abſciſſo, & Teſticulum, & aborſivi fœtus tunicam corruptam notarunt. Vide *Paræum lib. 24. cap.* 48.

Diebus aliquot elapſis, quid de enarratâ, peractâque, quæ dubios nos valdè fecerat, controverſiiſque variis anſam dederat, ſtatuendum, conſtitit; ſanam enim obſervabamus mulierem, menſtrua ex debito fluere, imò graviditatis ſigna quodam occurrere; plura huc facientia ſcire qui deſiderat *obſervationem ſecundam Partis primæ Dn. Rodenhuyſen* conſulere poterit.

Hiſtoriis enarratis noſtram jungere or-

re ordinis ratio exigit, exhibebit ea non ſolum in vivente muliere procidentiam imaginariam, Chirurgica manu ablatam, ſed & in cadavere diſſecto, quid ejus nomine veniſſet iis, qui ante mortem inſpexerant, corpus extra pudenda propendens.

Mulier 53. annorum *Pariint je Rooſa* jam à longo tempore fluxu menſtruali, primo ſanguineo, hinc albo laboraverat, unde imaginariam contraxerat uteri procidentiam cum febre intensâ, virium deſtructione, corporiſque extabeſcentiâ ſummâ; Corpus hoc prolapſum inſignis erat magnitudinis, jam gangrænâ correptum, pondere ſuo valdè moleſtum, eam nobiſcum viſitarunt *Dn. Iacobus Vallan Birrius*, *Bouvvmeeſter*, *Tobias Andreæ Medici*, & *Jacobus Odendaal*, Chirurgus.

Re inſpecta, arduum multis videbatur, & nō niſi cum vitæ interitu perfici poſſe, uterum ita prolapſum exſtirpare, haud enim induci poterant, uteri hoc minimè corpus eſſe credere, cujus cum corde, hepate, cerebro maximus conſenſus, quo etiam mulierem deſtitui poſſe impoſſibile.

Urgebant alii exſtirpationem, ex eo quod & veterum & recentiorum ſcripta, actaque eam poſſibilem haberent, ſæpiuſque ſine ullo ſanitatis diſpendio peractam teſtarentur.

Vide Tabulæ proximè adjectæ Fig. 2.

Delineatio procidentiæ imaginariæ, ubi

A *Corpus ipſum propendens extra pudenda.*

B *Collum ejus,*

Probabilius nobis videbatur, cui etiam ſententiæ non unus accedebat, corpus dictum, inſigniter adeò tumidum, fœtidum, ponderéque ſummo moleſtum, extra pudenda muliebria ad pedum genua dependens, ipſius uteri corpus haud eſſe, ſed ſolam ejus tunicam internam, dum in ſtatu ſano reliquis unitur, variis modis rugoſam, extra pudenda, plicis variis ſolutis, ipſaque à ſubjecta tunica mediâ ſeparatâ, prolapſam. Tunicæ hujus procidentiæ occaſionem primam dediſſe ſuſpicabamur impuriorum, acriumvè fluxum diuturnum, undè vaſorum ſanguineorum tunicam eam accedentium corroſio, eamque inſequens ſanguinis extravaſatio, atque loco præternaturali collectio, imò ob humorum copiam expreſſione, laxitatevè vaginalis hujus tunicæ ad exteriora protuſio.

Mulier pondus dictum circumgeſtare coacta, fœtorem ſummum diutius perferre nequiens exſtirpationem urgebat quammaximè. Arduum ſanè omnibus habebatur eam inſtituere, nec tamen occaſionem oblatam, quæ fronte capillata, poſthæc calva, negligere licuit, ſic enim conſtare poſſe credebamus, quid veritatis falſitatiſvè inſit decantatæ antiquorum, recentiorumque variorum ſententiæ, qua uterum muliebrem extra corpus procidere, imò ſinè ullo vitæ graviditatiſque inſecuturæ diſpendio auferri poſſe docetur.

Conſultatione debitâ inſtitutâ, opus magnum, non ſine mortis prognoſi, aggredi conſtitutum. *Operationis* hæc fuit methodus. Primò ligaturâ arctâ faſciæ firmioris ope inſtitutâ collum corporis dicti coarcta-

 batur,

batur, mox intra ligaturam & corpus prolapſum, cultri acutioris operâ, inſtituebatur abſciſſio. Faſciæ ad colli conſtrictionem adhibitæ portio notabilis relinquebatur, ad id, ut, ſiquidem è vivis diſcederet ægrotans, & nobis cadaver diſſecandi occaſio concederetur, ejus ductu in partis amputatæ radicem deduceremur. *Exſtirpatione* peractâ ſanguinis fluxus nullus obſervabatur, ad quem tamen ſtypticum aliquod loco vulnerato applicabatur, licet in totum eum attingere haud concederetur, propterea, quod illicò, abſciſſione peractâ introrſum duceretur pars ea cui faſcia injecta.

In diem uſque quartum omnia bene ſe habebant, aſt circa ſextum, ſeptimumvè vires valdè imminuebantur, febris contra & animi deliquia augebantur, ſic quidem ut brevi Deo animam nobis corpus exhibere cogeretur.

Ad *anatomen* ejus admiſſi, *ventris imi integumentis* diſſectis, *uteri* examen inſtituere primarium duximus, hîc enim quid de uteri prolapſu, prolapſique exſtirpatione, ſtatuendum, clarè conſtare poſſe credebamus.

Quoad externa nihil in eo obſervare nobis licuit quod conſtitutioni morboſæ annumerari queat, nihil hîc deficiebat, non ſolùm in utero ipſo; ſed & vicinis partibus generationi dicatis; *Coloris* erat albicantis, pyri complanati *Figuram* habens.

Hiſce ſic perſpectis, oſſiumque pubis diviſione, eo loco ubi cartilago interpoſita ea jungit, peracta, uteri totum corpus, cum partibus annexis, qua fieri potuit dexteritate, à partibus vicinis quibus connectebatur, ſeparavimus ſeparatumque convenienter tabulæ impoſuimus.

Hic quoties faſcia extra pudendum pendula, corporis abſciſſi radici adhûc alligata movebatur nullo modo movebatur uterus; cogebamur adeoque vaginam uterinam ſecundum longitudinem corporis diſſecare, quo, cuinam parti alligata eſſet faſcia dicta, quidque fuiſſet illud quod exſtirpatum, conſtaret. *Apertione* facta faſciæ ductum ſecuti deveniebamus ad mali principium, portionem nempè tunicæ internæ rugoſæ, vaginam præter alias conſtituentis, poſt oblationem portionis reliquæ quæ laxitatis nimiæ culpa extra pudendum prociderat, in utero relictæ, cui ſtrictè admodum faſcia erat juncta. Terminus hic orificio uteri interno vicinus valdè.

Quis ergò non videt, veteres hæc omnia neceſſario latuiſſe, quod in rei veritatem, qua decebat curioſitate, haud inquiſiverint; Procidentias uterinas quas obſervaſſe ſe, imò exſtirpaſſe referunt, ſic tamen ut ſana permanſerit ægra, fatiſque fœcunda quomodo veras, fuiſſe probabunt? Sane multa cerebro noſtro fingimus, quorum falſitatem diſſectiones cadaverum evidentiſſimè patefaciunt. Ut in variis caſibus aliis, ita in hoc propoſito, verum id obſervare licuit. Vanam eſſe procidentiam uteri perfectam, adeoque impoſſibile omninò mulieri uterum totum auferre, integra manente vita, ſalvaque conceptione.

Vide


fig. 1.
A
B
C
E
I
F
G
G
M
M
D
D
H
H
L
K
K
N
N
fig. 2.
B
A
fig. 3.
N
N
M
A
K
L
O
B
O
C
O
O
I
I
G
E
F
F
D
E
H

Vide Tabulæ proximè adjectæ Fig. 3.

Delineatio uteri cum partibus genitalibus connexis prout Tabula impoſita.

A *Uterus.*
B *Collum uteri.*
C *Orificium uterinum.*
D *Pudendum.*
E *Veſica urinaria cervix.*
FFF *Vagina diſſecta.*
G *Corporis abſciſſi collum faſciâ conſtrictum.*
H *Faſcia.*
II *Ligamenta uteri inferiora.*
KK *Tuba Fallopiana.*
LLLL *Ductus cœci.*
MMM *Ligamenta lata.*
NN *Teſticuli.*
OOO *Membranæ.*

Obſervatio hæc, præter alia à nobis hoc capite propoſita, planè ſatis edocere Chirurgum juniorem poterunt, quænam agenda quoties, ex affluxu imprimis humorum, vaginæ dicta tunica interior, laxior juſto reddita, hinc extenſa procidentiam noſtræ ſimilem, ſpuriam omnino, producere notatur; nihil eſt quod hîc exſtirpationem impedire queat, modò vires ægrotantis eam permiſerint, inſiſtere hîc licet tuto veſtigiis Medicorum Chirurgorumque eorum, veterum æquè ac modernorum, qui procidentiam uteri auferri poſſe ſine damno volunt, modò quæ illi toti utero applicarunt, nos tunicæ ejus rugoſæ tribuamus, abſtulerunt fateor antiquiores uterum prolapſum, aſt non niſi imaginarium, nil enim niſi tunicam dictam exſtirparunt, quod facillimum, imò nullius periculi opus; quam etiam operationem aggredi tenetur Chirurgus, ſiquidem inflammationes, gangrænæ, exulcerationeſque graviores, acceſſerint, imò ægrotanti difficillimum, partem prolapſam protuberantem intra vaginam detinere. Peſſaria equidem in tali caſu uſurpari, imò uſurpari poſſe, probè ſcio, aſt cum cera liquefacta denudetur facilè lignum, quod ea incruſtatum, non poteſt fieri quin vaſa ſanguinea uterina ob corporis motuum agitato ligno, aperiantur, undè ſanguinis fluxio continua (quæ menſtruatio immodica vocari conſuevit) cum virium deſtructione, corporiſque extabeſcentia.

Adeſdum itaque Chirurgicæ artis cultor, quænam uteri procidentia in Chirurgia occurrat percepiſti; quomodo per exſtirpationem auferri queat ſine periculo, quidque antiquorum dogmata in hoc negotio fidei mereantur, vel ſaltem qua methodo errores eorum tegere liceat, procidentia talis quoties offertur alacri animo exſtirpationem aggredere, facilis æquè eſt curationis ac vitia corporis varia alia, ſola hîc ut percepiſti, tunica vaginæ rugoſa extrorſum protruſa tollitur, minimè uterus ipſe. Non ita pridem ſimilis conditionis uterum prolapſum ægrotanti valdè moleſtum, minoris licet extenſionis, auferre mihi licuit, bono cum ſucceſſu. Quod ſi occaſione data prolapſum ejuſmodi uterum tollere concedatur, intrepido id perficere animo allabores quæſo, ſic enim ægrotanti ſalus, antiquitati errorum correctio, recentioribus veritatis indagatio adſeretur.

Hiſtoriæ huic antequam finem imponamus, utile quammaximè videtur,

tur, qua methodo *Exſtirpatio* dicta perfici queat, imò debeat, paucis declarare; inſtrumenta ad operationem hanc neceſſaria exiguo numero comprehendi poſſunt, ſunt ea cultellus falcatus, acutus, faſcia, medicamentum ſtypticum, ligamenta circa extrema diviſa, ex linteo molli antiquo parata, ſimilia iis quibus lythotomus uti ſolet.

Ægrotanti menſæ incumbenti ligamentum hoc primo omnium applicetur, facto circa ventris anteriora nodo, hinc faſcia injiciatur collo corporis prolapſi fiat conſtrictio arctiſſima loco vaginæ proximo; hoc facto, ſiniſtra manu, quo fieri poterit robore, corpus prolapſum attrahatur, dextra cultro dicto armata loco inter collum cõſtrictum & partem reliquam prolapſam intermedio, auferatur. Exſtirpatione dicto modo peracta, loco vulnerato, ad quem facile manum Chirurgi ducet faſcia eidem adhûc nexa, pulvis ſeq. ſtypticus cum albumine ovorum applicetur, ſpleniiſque debitis impoſitis deligatio conveniens inſtituatur, ad quam ligamenti primo loco ventri ægrotantis applicati extremitates conveniunt. *Medicamentum ſtypticum*, quod delicatula valdè ſit vagina ſeq. modo conficietur.

♃. *Farin. Conſol. mai.* ℥ ij.
Cortic. querc. ſubt. pulv. ℥ ij.
Nuc. Gallar. ʒ iij.
Cupreſſ.
Balauſt. Sang. Dracon.
Boli Armen. ver.
Lapid. Hæmatit. an. ℥ ij.
Alum. uſt. ʒ j.
F. Pulvis.

Die ſeq. *injectio* poteſt fieri ex infra ſcripto, bis quovis die ad tollendum dolorem.

♃. *Fol. Malv. Verbaſci.*
Alchimill. an. M. j.
Caudæ equin.
Plantag. an. M. ß.
Flor. Roſar. Rubr. ℈ ij.
Sem. Lini. ʒ iij.
Maſtich. Oliban. an. ʒ ij.
Coq. in aq. pura, F. Colat. ad ℥ xx. *in eâ diſſolve Mell. Roſ.* ℥ j. ß.
F. Injectio.

Die uno alterove his medicamentis conſumpto, ad majorem mundificationem ſeq. *injectio* uſurpari poteſt.

♃. *Rad. Conſol. major.* ℥ j.
Fol. Ruthæ, Scordii.
Hyſop. Artemiſ.
Flor. Roſar. an. Rubr. an. M. ß.
Summ. Abſinth. ℈ ij.
Coq. ſ. a. in vino Gallico, Colat. adde
Liquor. Ægypt. ʒ ß.
Mell. Roſac. ℥ j. ß.
Ung. de Apio ℥ j. ß.
M. F. Injectio.

Ad aliquot dies injectio hæc uſurpari poteſt, quod ſi pus, albicantis coloris, minori copia, quam antea ſe exhibuerit, ſeq. *injectio* ad exſiccationem majorem conſolidationemque priori miſceri poteſt.

♃. *Tut. Præpar.*
Lap. Calamin. præpt. an. ʒ j. ß.
Sief. Alb. Rhaſ. ʒ j.
Balſ. Sulph. ℈ j.
M.

Et brevi tempore ſine omni dubio curatio abſoluta.

Antequam ulterius progrediamur ad ea unde Job. à Meek'ren per experien-

rientiam impugnatur à Clar. Cornel. Stalpartio placet ob materiæ affinitatem ex eodem Autore afferre hiſtoriam,

De Imperforatâ quadam Epiſtola ad virum celeberrimum Dⁿ. JOANNEM van HORNE, Anatomes Profeſſ. Lugd. Batavum.

DOMINE,

V*Ltimas noſtras ad te miſſas, quibus dubia quædam curioſitatis gratia ſolvebantur his concludebamus verbis:*

Quod ſi quædam rarius occurrentia in arte noſtra ſe exhibuerint, haud intermittam, quin eorum te participem reddam.

Accipe ergo, Vir Celeberrime, *haud adeò admiratione dignum, quam rarius occurrentibus annumerandum quod civitas noſtra mulieres, tales qualem hîc proponimus rarius exhibeat.*

Propoſitum minimè nobis de puellis agere, ſed virginem exhibebimus adultiorem.

Rensje Eelkjens, *ex Friſia oriunda, Amſtelodami licet nata, virgo robuſta, annorum viginti duorum, & alvi & urinæ excrementa legitima quantitate, debitoque tempore, deponebat, menſtrua verò necdum obſervaverat, ſatis licet annoſa; Vrinæ tamen excretio tandem valdè interrupta fuit, forſan quod materia ſeroſa ventris cavo colligeretur, brevi enim abdominis tenſivo tumore correpta. Accedebant preſſiones dolorificæ graviſſimæ circa pudenda, vehementes hæ adeò fuerunt, ut veſtimenta lacerare, omniaque turbare coacta fuerit, imò deſperatione mota violentas ſibi intuliſſet manus, ni ſoror impedimento fuiſſet.*

Quæcunque ipſi præſcripta fuerant medicamenta plus noxæ quam commodi attulerant.

Diſſentientium Medicorum Chirurgicorúmque ingens ſatis hîc numerus, undè factum, quod quæcunque uſurparentur nihil omnino effecerint, adeoque anſa data fuerit vulgo, Medicorum Chirurgorúmque inſcitiam magis accuſandi, quam ſtatum ægrotantis deſperatum deplorandi.

Fuerunt qui cauſam horrendi ſymptomatis menſtruorum ſuppreſſionem conſtituerunt, ex vaſorum uterinorum præternaturali anguſtia ortam.

Alij graviditatem ſubeſſe ſuſpicabantur; alij denique veneficio rem totam adſcribere haud detrectarunt.

Petrus Potgieter, Chirurgus, *publico ſalario ad id obligatus, ut parturientibus pauperibus in caſu neceſſitatis ſuccurrat, uterum ad orificium externum prolapſum ſtatuebat, quod vitium manuale operatione corrigere tentabat, ſic tamen ut capiti inſiſteret ægrotans.*

His aliiſque ſic fruſtra uſurpatis; vaginam uterinam imperforatam eſſe, *ſic ut ingreſſus æquè ac egreſſus negaretur excludendo æquè ac admittendo, eo quod* membrana *validâ orificium clauderetur, innotuit.*

Membrana hæc Medicis variis excreſcentia habebatur carnea, aliis carcinoma, aut aliud incurabile malum, in re adeò dubia certi aliquid quo conſtitueretur, Medici Chirurgique alii prioribus juncti, inter hos & me accedere voluerunt conſanguinei.

Inſpectione convenientè habitâ, portam eam anguſtam per quam Cæſares,

reges, mendici, omniſque ordinis homines, mundum hunc intrant, membranâ quadam incraſſatâ clauſam invenimus, cui ſimile exemplum Hildanus part. 3. obſerv. 60. & 61. *proponit; Clauſura hæc arcta adeò obſervabatur, ut digito nullus concederetur introitus, undè factum quod menſtruus ſanguis, indies acrimonia, menſe quovis quantitate, auctus, ad locum anguſtatum fuerit collectus, quæ cauſa repletionis, tenſionis, intumeſcentiæ, doloriſque ſummi.*

Hoc in caſu medium nullum excogitari poſſe indicabam, quam inſtrumento commodo vaginam aperire, & quidem ad modum eumquem in ancilla ferè mortuâ exercuit Fab. ab Aquapendente part. 1. oper. Chir. cap. 82. *&* Wierus lib. de præſt. Dæmon. cap. 38. *in virgine Craneburgenſi. Aſſentiebat ægrotans, ſuadebant idem Chirurgi Medicique præſentes.*

Operationis *modus quis fuerit, antequam proponamus, duo hæc conſideratione noſtrâ digna occurrebant.* 1. Annon exiguo quodam foramine membranam dictam perforare neceſſarium, ne materia intus collecta confertim nimis effluat, cum virium proſtratione ſumma, quale quid in apertione abſceſſuum magnorum obſervamus.

2. Annon ſectio quædam hîc inſtitui debeat cruciata, *quam commendat* Corn. Celſus lib. 7. cap. 28. *ne lædatur via urinaria.*

Ad primum *reſpondebam, vix eam humoris copiam hîc collectam eſſe, quæ æquiparari queat, ponderi fœtus recens nati cum annexis, nec tamen puerperas calore, ſpiritibus, roboreque præter modum ſemper deſtitui.*

Ad ſecundum, *ſufficere hîc ſectionem ſimplicem, quæ à parte inferiore deducatur ad ſuperiorem, quo, etiam jam effluente materiâ, apertio continuari queat, nec humor exiens eam inhibeat.*

Operatio ipſa hoc modo inſtituta. In dorſum proſtratæ virginis crura utrinque primo ad latera depreſſa, quo labia pudendi magis diſtarent, hinc lanceolâ diſſectio membranæ obliquo ductu, ne orificium veſicæ urinariæ læderetur peracta, illico materiæ impuræ, aliquomodo fœtentis, colore & conſiſtentia hepati comminuto ſimilis quantitas ea effluxit, quæ librarum quatuor cum dimidia; nocte ſequenti ejuſdem humoris quantitas major ſe exhibuit; parcior hinc, aſt alterius conditionis.

De eventu ſuo tempore certiorem te faciemus, interim tuum erit Hymen, an membrana incraſſata imperforata vitium hoc appellari debeat, determinare. Operationi dictæ adfuerunt.

ARNOLDUS THOLINX.

FRANCISCUS van der SCHAAGEN.

JOANNES DEYMAN.

SIMON DILLEMAN.

ADRIAEN REYNIERS, Medici.

GEORGIUS van LOON, Chirurgus.

Vale, Vir magne in commodum Reipubl. medicæ, & nominis gloriam æternam, faveréque perge

In nullo non inſervire

Tibi paratiſſimo,

JOBO à MEEK'REN.

Iam eò revertamur unde digreſſi ſumus,

mus, ſc. ad poſſibilitatem veritatémque uteri procidentiæ è Clariſſ. Cornel. Stalpartio contra Iob. à Meeckren explicandam, ſic autem ille.

De vera totius uteri procidentia.

Quanquam plurimi Scriptores, ac inter eos recentiores multi (quales ſunt Theod. Kerkringius Roohnuſius, Mekeranus, aliique) negent totam vulvam procidere, ipſe tamen cum ſæpiùs memoratis fratre meo, ac Clariſſ. *Solingio* Medicis, poſt debitam inquiſitionem comperi, *Martinæ* cuidam *Mottyn* non vaginam tantùm, ſed & ipſum procidiſſe uterum, qui durus admodum, ac duorum pugnorum inſtar conjunctorum repetiebatur. Internum etiam matricis os quàmfacillimè ſentire poteramus, quod extrinſecus tanquam os Cyprini [Carpam vulgò dicimus] nobis apparebat. *Addit idem, in ejuſdem Obſervationis ſcholio.* Retulit mihi nuper Nobiliſſ. D. Ægidius *Eutich. Saxoniæ Ducis Archiater* ſe ann. 1683. die Octobris 16. hic Hagę ad Matronam I. D. V. 19. annos habentem ocyſſimè fuiſſe vocatum, quæ ex Carpenti, ſeu Eſſedi ſaltu præcipiti abortum difficilem, & violentum non ſine uteri prolapſu paſſa erat. Quem ipſe, Obſtetrixque, nec non Matronæ Mater, aliæque conſpexerint: Suaſi itaque ut appropriatis adſtringentibus in vino coctis foveretur, oleoſisque intruderetur uterus, atque ipſa elato tranquillè cubaret podice, brodiaque analeptica per epicraſim ſumeret. Atque ita quidem intra unius menſis intervallum priſtinæ reſtituta eſt ſanitati, quotannis ſine ullo parturiens incommodo. Quòd ſi illa quidem ætate fuiſſet provecta, res hæc non tam fælicem, opinor, habuiſſet exitum.

Præter uteri procidentiæ hiſtoriam memoratam, aliam de ejuſdem inverſione ex eodem Stalpartio rurſus hic adjungimus. Sic autem ille.

Ipſe cum Chirurgo Medicoque *Cornelio Solingio* hic Hagæ ann. 1673. 14. Aprilis ad M. J. Uxorem vocatus fui, quæ pridie robuſtum ediderat partum, cujuſque è corpore ignorantia obſtetricis ſecundarum loco uterus eductus erat, quem inſtar inverſæ manicæ, interioribus partibus exterioribus redditis, inter femora propendentem invenimus, infantis minoris caput æquantem magnitudine: Dictam quoque puerperam poſt dimidiam à partu horam deceſſiſſe intelleximus: Altera autem paulò poſt accedens obſtetrix ſecundas cum funiculo umbilicali ab inverſo utero, cui etiamnum affigebantur, ſeparavit. Nos autem inverſum hoc corpus bene perſpectum, facto in fundo foramine, in ſuum reduximus locum, atque tum illico per dictum foramen ipſa ſenſimus inteſtina.

Idem Stalpartius de uteri ruptura hiſtoriam rariorem adfert.

Cùm *Ionæ Pergo* filia jam quater peperiſſet, nec ſine maximo dolore atque incommodo, ſingulis vicibus edidiſſet partus, quintò uterum ferens haud minoribus agitata cruciatibus, ac ſatis diu antequam pareret vehementius longe, quàm quidem præcedenti tempore infeſtata fuit uſque ad tertium ante partum diem;

ab hoc enim tempore multum ſibi obveniſſe levaminis fatebatur. At, cùm jam ipſe inſtaret pariendi actus, nullo modo emittere obſtetricis ope valuit fœtum, qui jam ante dies aliquot extinctus videbatur [uti poſtea ex mutatione, ac ſeparatione cutis illius ſatis liquebat] quique flexis poſt cervicem manibus, atque ore obliquè ſurſum ad os pubis elevato reperiebatur: ita ut varia, ac gravia admodum, jam parturienti ſenſim magis, magiſque ſupervenirent ſymptomata; videlicet non deliquium tantùm, oppreſſio, horror, ac febris, ſed & plurimarum obſcurè viridium fæcum vomitu rejectio, quoniam fœtus inteſtinum rectum, cui proximus erat, ita premebat, ut excrementis per inferiora negaretur tranſitus. Ad hanc mulierem tantis preſſam anguſtiis, nec parere valentem arceſſitus tandem mecum fuit experientiſſ. Chirurgus *Cornel.Solingius*, nunc etiam Medicus, qui, me præſente, brevi poſtea jam mortuum eduxit fœtum. Quo facto, quia non ita facilè educere ſecundas poterat Chirurgus, in ipſius mulieris corpus immittere manum, quam funiculus ducebat, cœpit: tum verò inteſtini priùs, quàm uteri placentam ſenſit. Hanc verò illico poſtea reperiens, tribus partibus propendentem ſenſit in abdomine, extra uterum, quem, quoniam jam ante aliquot dies fœtum emiſerat, pro maxima parte, durè admodum compactum, atque in ſe contractum comperit, ita ut initio ſcirrhum crederet. Ille itaque porrò ſecundam, ubi etiamnum adhærebat, ab utero ſeparavit, cartilaginemque cujus ope pubis oſſa conjunguntur; omnino mollem evaſiſſe, ac dicta oſſa ad digiti latitudinem à ſe invicem receſſiſſe, haud dubiè paulatim diducta ſenſit. Ipſa autem mulier, tantis victa laboribus, angoribusque eodem die vivere deſiit. Poſtridie autem, me, fratreque *Ioh. Stalpartio van der VViel* præſentibus, illius cadaver à dicto *Solingio* fuit apertum. Tum verò venter ante diſſectionem mirum in modum extenſus, ac protuberans apparuit, illa autem facta, ex magno iſto tumore nihil à nobis effluere animadverſum eſt, præter fœtentem flatuum copiam, nec non parum coagulati bonique coloris ſanguinis, qui ex cotyledonibus, aut multò magis ex uteri vaſorum oſtiolis, quo tempore ab eo avelleretur placenta, illuc defluxerat. Poſtea dictus *Solingius* manum ab exteriore parte per vulvam in cadaver immiſit, atque iterum, tum inteſtina, recedentemque ſupra os pubis uterum reperit, cujus partem inferiorem paulò ſupra internum os verſus poſteriora (quo ſc. loco communis membrana à peritonæo proveniens inteſtinum rectum ſimul cum utero cingit, veſtitque) ruptam invenit, per quam aperturam totus fœtus, exceptis capite, brachiiſque, ut modò dictum, poſt cervicem flexis, in matris ventrem tranſierat. Atque hæc quidem cauſa eſt, quòd idem, ampliori ſpatio reperto, levamen aliquod matri, ut ſuprà narratum, paucis ante partum diebus attulerit.

Verùm ne Lector credat Clariſſ.Cornel.Stalpartium in ſuis obſervationibus hal-

14. Uteri Collum *Hæmorrhoïdibus* æquè ac inteſtinum rectum obnoxium eſt. Hę fluentes ſequentibus ſignis à menſtruis diſcerni poſſunt: Menſes cum fluunt, Vaſorum ramulos in Collo uteri nullos notare poſſumus, ipſo ex Vtero proveniunt, & nullum dolorem niſi in Hypogaſtrio excitant: vaſa per quæ excretio hæc fit arteriæ ſunt hypogaſtricæ & ſpermaticæ. Hæmorrhoides vero Rami ſunt Venæ pudendę; viſu tactuque cognoſci poſſunt, & dolor non niſi in pudendo movetur. Eodem modo uti aliæ tractari debent: ad dolorem ſedandum Vnguent. hoc valde utile eſt.

℞. Mucilag. ſem. Cydon. Althea an. unc. ſ. Croci, Ol. Roſac. Pingued. Gallin. an. drachm. j. *Vitell. ov. N.* i.

M. F. *Vnguentum.*

Mixtura excellens.

℞. Li-

hallucinatum, eò quod veram uteri procidentiam ab alia falſa ex ejuſdem vagina orta diſtinguere neſciat, ut forſitan temerè de aliis Celeberr. pronunciat Kerkringius, idem ille Stalpartius vaginæ uteri extenſionem ſibi viſam quam ab uteri procidentia optimè diſtinguere novit ſic deſcribit, in alia ſua obſervat.

Cùm ann. 1667. ad nautæ cujuſdam uxorem Hagam inter ac Delphos habitantem fuiſſem vocatus, ipſi à partu etiamnum recenti, magnum in ipſius uteri vagina tumorem eſſe comperi, non ſine ejuſdem exitu, extra enim corpus propendebat ovo Struthiocameli ſimilis, ac purpuraſcentis lividique erat coloris. Chirurgum itaque arceſſi, prædixique haud dubiè mox gangrænam inſecuturam, atque illico Chirurgus Nicol. Wintercamp Riſvico veniens adfuit, qui, me præſente, dictum tumorem variis in locis incidit, ne ſentiente quidem muliere. Nos verò tumorem illum [atque ita quidem fueram ſuſpicatus] coagulato ſanguine reperimus refertum. Quare talia ipſi cataplaſmata, fomentaque præparavimus, qualia hujuſmodi requirit malum. Atque ita quidem illa, poſt factam ſeparationem, carniſque accretionem intra menſis ſpatium convaluit, pluresque dein liberos peperit.

Idem nobis viſum ann. 1686. *Neocomi Helveticorum in Lanii uxore; ſcil. illa poſt partus laborioſi dolores tumorem, infantis ad minimum æquantem è labiorum vulvæ interioribus partibus propendentem geſtabat, quem, uſi opera experientiſſimi Chirurgi D. Ionæ Antonii Purry, ſcarificationibus factis, cataplaſmatibus fotibúſque applicitis, & tandem ſanguine è tumoris medio in maſſam concreto, fœtidiſſimóque per corruptionem reddito, ferro educto, facilè curare licuit, atque ægram, imminenti, ut omnes credebant, periculo ſubtrahere.*

♃. *Lithargyr. aur. Ceruſſ. lotæ, Plumb. uſt. an. ſcrup.* j. *Aq. portulac. unc.* v.
Miſce.

Hæmorrhoides ea laventur &, parti affectæ lintea aqua hac madefacta imponantur.

Finis Lib. IV. *Part.* III.

LIBER V.

DE ARTUBUS:

CAPUT I.

De Manu.

MAnus nomine etiam *Brachium* comprehendimus, cujus *Integumenta*, communia æquè ac propria, & item ejus vaſa jam ſatis ſunt deſcripta.

In tres partes vulgo dividitur.

1. *Humerum.*
2. *Cubitum.*
3. *Manum* proprie dictam.

HUMERUS ſive BRACHIUM unico Oſſe conſtat, at novem Muſculis.

Muſculi ſunt

1. 2. Attollentes duo, *Deltoides* & *Supraſpinatus*.

3. 4. Deprimentes duo, *Aniſcalptor* ſivè *Latiſſimus*, & *Rotundus major*.

5. 6. Antrorſum ducentes duo, *Pectoralis* & *Perforatus* ſive *Coracoidæus*.

7. 8. 9. Retrorſum moventes tres, *Infraſpinatus*, *Rotundus minor*, & *Immerſus* ſive *Subſcapularis*.

Tribus

Tribus hiſce ultimis ſimul agentibus brachium quaſi circumducitur, & oblique extrorſum attollitur.

Os magnum eſt, longumque. Caput ipſius ſive *extremitas ſuperior* cartilagine, ligamento membranoſo, tendinibúſque quatuor, inveſtitur: ſinu quoque ſingulari præditum, in quo Muſculi tricipitis tendo recumbit.

Extremitas inferior Trochleæ ſimilis eſt, quæ cubitum inſigniter introrſum incurvari permittit, ſed contra non niſi ad lineam rectam extendi.

CUBITUS duobus conſtat oſſibus, quæ à muſculis ſpecialibus ſpeciatim moventur, quos hic, licet extra ordinem, exhibere cogimur.

Os inferius, quod ma'us longiuſque altero, *Ulna* dicitur.

In extremo ſuperiori proceſſus duo triangulares notantur, quos *Roſtra* ſive *Glandes* vocant.

Extremum inferius *tuberculo* rotundo definit, cui *proceſſus* acutus, qui *Styloides* dicitur, adſtat.

Muſculis IV. movetur, horum duo ſunt Flexores.

1. *Biceps*.
2. *Brachiæus*.

Duo Extenſores.

1. *Longus*.
2. *Brevis*.

Os ſuperius, quod minus & brevius, *Radius* dicitur ſive *focile minus*, parte ſuperiore excipitur ab ulna, inferiore ulnam excipit, in medio parum à ſe invicem diſtant, qui tamen locus *ligamento* tenui repletur.

Muſculis itidem IV. movetur, quorum duo Proenatores.

1. *Rotundus*.
2. *Quadratus*.

Duo Supinatores,

3. *Longior*.
4. *Brevior*.

Addunt his quidam muſculos duos alios, ſed rariſſimè inveniuntur, & diverſimode deſcribuntur.

MANUS

Manus in ſpecie tres in partes dividitur. *Carpum*, *Metacarpum*, & *digitos*.

Carpus Muſculos habet IV.

Flexores duos, *Cubitæum* & *Radiæum internum.*

Extenſores duos, *Cubitæum* & *Radiæum externum.*

Hiſce ſubjecta ſunt *Oſſicula* VIII. innominata hactenus, cartilaginea primis annis, molliaque, deinde duriora evadunt.

Ligamentis robuſtis coërcentur & conjunguntur.

Metacarpus *Muſculos* habet duos, *Palmares* dictos, *Longum* & *Brevem*.

Oſſicula IV. *ligamentorum* cartilaginoſorum ope Carpo connexa.

Digiti *Oſſiculis* XV. conſtant, quibus nomina certa necdum impoſita, & *Muſculis* XIV. Horum.

II. Flexores ſunt, *Sublimis* & *Profundus.*

II. Extenſores.

IV. Adductores, *Lumbricales.*

VI. Abductores ſive *Interoſſei* tres *externi*, & totidem *interni.*

Præter hos *Pollici*, *Minimóque digito*, & *Flexor* & *Extenſor* ſingularis datus eſt.

Conſiderabilia inſuper in Manu 1. *Armoſa membranoſa*, quæ ligamentum eſt rotundum, tendines multiplices univerſæ manus circulo quaſi comprehendens, in varia alia facile diviſibile.

2. *Vagina membranoſa*, quæ tendines manu contentos coërcet.

3. *Fiſſura oblonga* cuivis tendini ad tranſitum tendinum tertium internodium moventium muſculorum inſculpta: hæc trochleæ vicem gerit.

4. *Oſſa Seſamoidea.*

Vſus Chirurgicus.

1. Humerus ſæpenumero frangitur aut luxatur, ſed ſæpius *Catharro* & *Arthritide* divexatur. In frigida Arthritide nihil efficacius inveni quam Emplaſt. Sticticum Crollii cum oleo Philoſ. commixtum, ut & ſequens emplaſtrum.

♃ *Picis Navalis, Colophoniæ an. unc. iij. Mucilagin. rad. Altheæ unc. ij. ſ. Ammoniac. Galban. Maſtich. Myrrhæ, Thuris an. unc. j. ſ. Propoleos, Viſc. quercin. Ariſtoloch. rot. Æris uſt. Ceræ citrin. Terebinth. an unc. iij. Ol. Terræ unc. ij.* M. F. ſ. a.

M. F. ſ. a. *Emplaſtrum.*

In *Catharro calido*, aut *Arthritide* ſimili ſingularis virtutis ſemper obſervavi fomentum hoc.

♃. Vitriol. alb. Virid. an. unc. ſ. Nitri. præp. drachm. vj. Alumin. drachm. j. Myrrhæ drachm. ij. Opii drachm. j. Vini alb. Gallic. libr. ſ. Spir. vini rectificat. drachm. x. Acet. Sambuc. unc. iij.

Miſce pro *Fotu.*

Sub Axillis *Bubones Venerei* æquè ac in Inguine ſeſe produnt.

2. Articulum Humeri & Cubiti *viſcida* ſæpiùs *pituita* occupat, unde brachii rigiditas & immobilitas originem habent. Balſamũ Peruvianum magni æſtimare experientia didici, ſimiliter & Ung. ſequens.

♃. Ping. Vulpis, Arietis, Butyr. recent. an. unc. ij. Ol. lumbric. terr. unc. j. Spir. Vin. rectificat. unc. iv. Coq. ad ſpiritus conſumptionem. Addendo Ol. roriſmarin. Succin. an. drachm. iij. Philoſophor. drachm. ij.

M. F. ſ. a. *Vnguentum.*

3 Ex octo *carpi* oſſiculis, unum aut plura *luxationem* ſæpius incurrunt, quorum reſtitutio, ſi non acceleretur, malum poſtea inemendabile erit.

Ganglion hiſce in locis valde frequens eſt præter Catharrum & Arthritidem, cujus curationem jam docuimus.

4. In *Metacarpo* ęquè ac *Digitis* ſuperius & inferius *Tendines* plurimi occurrunt, qui in ulceribus facile læduntur, quod bene notandum, ne paralyſis inducatur. Non alia hoc in caſu medicamenta requiruntur, quam quę in antecedentibus allegavimus. Sed hoc imprimis obſervandum venit. 1. Vinculum nimis arcte non eſſe conſtringendum. 2. Spicillum nec profundius, nec frequentius in vulnera hæc aut ulcera immittendum. 3. Manum digitoſque recto, elevatoque ſitu collocandos. 4. *Sphacelo* has partes facile affici, quem ſigna hæc certo prænuntiant. Pus juſto tempore non adeſt: Labia in principio ſicca ſunt, aut parum humiditatis tenuioris exhibent: hic prius ardor, pulſatio & rubedo ſentiuntur, quam in carnoſis partibus. Deinde labia invertuntur, livida, & tandem nigra evadunt. Hoc in caſu media ſunt adhibenda quibus Sphacelus arceri poteſt.

Cap. II.

De Pede.

PEs etiam in tres partes dividitur, in *Femur* ſcil. *Crus*, & *Pedem extremum.*

Femoris os unicum eſt: cujus motui *Muſculi* xiv. inſerviunt.

Flexores duo, *Pſoas*, & *Iliacus.*

Extenſores tres, *Glutæus major*, *medius*, & *minimus.*

Adductores tres, *Triceps.*

Adductores ſex, *Quadrigemini*, & *Obturatores duo.*

Adductoribus abductoribúſq; ſimul agentibus femur circũgyratur.

Femoris os omnium totius corporis maximum & longiſſimum eſt. Exterius protuberat, interius incurvatur, ſicque oblique introrſum ad genua deſcendit.

Proceſſus obtinet tres, in infantibus facile ſeparabiles.

Crus duplici oſſe conſtat: horum quod maximum, interiora occupans, *Tibia* dicitur ſive *focile majus*, quod minus, exteriora ſpectans, *Fibula* ſive *Focile minus*, utrumque oſſibus Cubiti valde ſimile. Diſtant parum à ſe invicem, & ligamento connexa ſunt.

Motus perficitur ab undecim *Muſculis*, qui ſunt.

Extenſores quatuor: *Rectus*, *Crureus*, *Vaſti duo.*

Flexoresquatuor, *Biceps*, *Semimembranoſus*, *Seminervoſus*, *Gracilis.*

Adductores duo, *Longus & Popliteus.*

Abductor unus, *Faſcialis.*

Inter Femur & Crus Patella reperitur, in infantibus cartilaginea, in ſenibus dura, firmaque, articulo exterius appoſita.

Pes in partes tres dividitur, *Tarſum*, *Metatarſum*, & *Digitos.*

Tarsus ſex *Muſculis* movetur.

Flexoribus duobus, *Tibiæo antico*, & *Perinæo.*

Extenſoribus quatuor, *Bicipite*, *duobus Gemellis*, & *Soleo*; quibus multi quintum addunt, *Tibiæum poſticum.*

Horum extenſorum tres Tendinem exhibent valde robuſtum, qui *Chorda Hippocratica* dicitur.

Oſſibus conſtat ſeptem quæ ſunt.

1. *Talus* ſive *Aſtragalus.*
2. *Calx* ſive *Os calcis.*
3. *Os naviculare* ſive *Cymbiforme.*

4. Os

4. *Os Teſſeræ* ſive *Cuboides.*

5. 6. 7. Oſſa tria *Cuneiformia* ſive *Sphænoidea.*

Metatarſus quinque oſſibus conſtat.

Digitorum Oſſa XIV. ſunt, *Pollex* enim nō niſi internodia duo habet

Metacarpus muſculis nullis gaudet, excepto *Plantari*, qui palmari quodammodo ſimilis eſt.

Digitorum *Muſculi* XVII. ſunt,

Duo nempe *Flexores.*

Unus *Extenſor* digitorum quatuor, quem in uſum quadruplici etiam tendine præditus eſt.

Quatuor *Adductores* ſive *Lumbricales.*

Decem *Abductores* ſive *Interoſſei.*

Pollici ſpeciatim inſerviunt.

Flexor unus,

Extenſor unus,

Adductores duo,

Abductor unus.

Hic æquè ac in manu obſervanda ſunt *Oſſa Seſamoidea*, in adultis ſemper digitorum internodiis adjecta, partim ut articulos firment, partim ut tenues defendant. In ſenibus ſemper, ſed nunquam in pueris, à decem usque ad viginti numerantur.

Uſus Chirurgicus.

Pes in naturali conſtitutione & extra naturalem conſtitutionem multa cum manu habet communia: quare ſuperfluum foret morbos jam enumeratos repetere.

1. Si in eo articulo qui eſt oſſis femoris & Iſchii humor quidam acris colligatur, inde plerumque Iſchiaticus dolor ſequitur. Ligamentum ſi hac de cauſa laxetur, os à naturali ſitu parum recedit, & ægrum claudicare facit. Si os aut cartilago corrodatur, & vaſa comprimantur pedis atrophia & aliquãdo totius corporis inſequitur.

2. *Tumores* in *genu* admodum periculoſi ſunt, difficiliſque curationis, ob muſculorum inopiam ligamentorum vero, tendinum, & oſſium, frigidæ ſiccæque naturæ partium, humiditatem ſufficienter diſſipare haud valentium magnam copiam. Mediis itaque calefacientibus quamprimum ſuccurramus neceſſe eſt, imò ſuppurationis ſi quæ indicia ſe exhibuerint, primo tempore abſceſſus aperiatur, ne alias æger in claudicatem, extabeſcentiam, & tandem

 mor-

mortem ipſam, incidat. Apertionem abſceſſus plerumque humoris alicujus ſtillicidium ſequitur, curationem valdè difficilem reddens: ad hoc pulverem Reſtaurativum ſæpiùs laudatum commendo.

3. Oſſi Calcis ſive Calcaneo *Tendo* inſignis inſeritur, Vulnera hujus, Contuſionéſque graves convulſionem adferunt, ipſamque mortem.

Hoc circiter loco *Pernio* ſe exhibet, cujus Cauſa vel frigus intenſum, vel caliditas cum ſiccitate: Cutis craſſæ primo fiſſuræ notantur, & deinde ulceratio accedit. Pinguia omnis generis atque emplaſtra proſunt, imprimis ſeq.

♃. *Pulv. Gallar. Ariſtol. rotund. an. drachm. ſ. Minii drachm.* j. *Merc. ſublimat. gr.* vj. *Lithargyr. Myrrhæ an. drachm.* j.ſ. *Camphor. ſcrup.* j. *Thuris drachm.* ij. *Ceræ viridis q. ſ.*

M. F. *Emplaſtrum.*

Loco Ceræ viridis axungia Cervi, aut arietis ſumi poteſt pro linimento.

4. Digiti manus aut pedis *congelati* fricentur nive, aut rapa congelata contuſa: & deinde ſequenti unguento calor reſtitui poteſt.

♃. *Axung porc. Ol. Olivar. recent. an. unc.* j. *Ceræ alb. unc.* ij.

Coq. parum & F. *Emplaſtrum.*

5. *Fonticuli* in Artubus externis, ut plurimum excitantur. Locum antea indicavimus: in *brachio* ſemper inter muſculum Deltoidem & bicipitem: in *Femore*, interius, ſupra genu, ad diſtantiam duorum digitorum tranſverſorum à genu ipſo; in pede ſuperius ad digitorum duorum latitudinem infra genu, inferius vero totidem aut trium digitorum ſpatium ſupra malleolum. Fonticulos hos, ut ſine dolore excitare queas, Coronidis loco, hoc accipe *Cauterium* nullum dolorem movens, cujus etiam uſus in ulceribus parvis imo cancroſis, carniſque excreſcentiis admodum commendabilis eſt.

♃. *Sulphur. crud. Arſenici alb. Antimon. crud. an. unc.* ij.

Sulphuri lento igne ſeparatim liquefacto & Spithama agitato adde Arſenicum & Antimonium pulveriſatum, & miſceantur donec uniantur cum Sulphure & rubeſcant.

Poſtea

♃. *Hujus mixturæ unc.* j. *Cap. mortui vitriol. unc. ſ.*

M. F. *Pulvis*, ſexies Spiritu vini lavandus & ſiccandus ad uſum.

FINIS.

INDEX
RERUM ET VERBORUM
PARTIS OPERIS CHIRURGICÆ
Accuratiſſimus.

A

Abdomen quid, *pag.* 391.
Abdominis induratio & inflatio. 389.
Abſceſſuum apertio quo loco & modo inſtituenda. 94. 95. 96.
Acetabulum. 440
Achor. *vide* Porrigo.
Adeps. *vide* Pinguedo.
Ægylops. 408.
Alæ. 401. 450.
Ambuſtio, ejus Curatio, &c. 319. *& ſeq.*
Anaplerosis quid. 6. *ibid. in not.*
Anaſarca. *vide* Hydrops.
Aneuriſma, ejus cauſæ, ſigna, &c. 221. *& ſeq.*
Angina, ejus cauſæ, diff. ſigna, curatio, &c. 229. *& ſeq. ibid. in not.*
Ani procidentia. 74. *& ſeq.*
Anodyna media. 163.
Anthrax. *vide* Carbunculus.
Anus non perforata ut curanda. 97.
Armilla manus. 472.
Arſenici quinta eſſentia *in not.* 204. *& ſeq.*
Arteria, ejus diff. &c. 353. *ibid. in not. & ſeq.*
Aorta. *ibid.*
Aſpera, ejuſque diſtributio. 434. *ibid. in not. & ſeq.*
Axillaris. 354.
Carotis. *ibid.*
Cervicalis. *ibid.*
Cœliaca. *pag.* 354.
Cruralis. *ibid.*
Emulgens. Epigaſtrica Gaſtro-Epiploica. Humeraria. Hypogaſtrica. 354.
Arteria Intercoſtalis. 354.
Iliaca. *ibid.*
Lumbaris. *ibid.*
Magna 353.
Mammaria. *ibid.*
Meſenterica. *ibid.*
Muſcula. *ibid.*
Phrenit. *ibid.*
Pudenda. *ibid.*
Pulmonalis. 353.
Scapularis. 354.
Spermatica. *ibid.*
Splenica. *ibid.*
Subclavia. 353.
Thoracica. 354.
Venoſa. 354. *ibid. in not.*
Arteriæ cyſticę gemellæ. 445. *ibid. in not.*
Arteriotomia quomodo inſtituenda. 356.
Arthritis, ejuſque curatio. 472. *& ſeq.*
Arthrodia quid. 334.
Articulatio quid & quotuplex. 334.
Artus quid. 391.
Aſcites. *vide* Hydrops.
Aſtragalus. 336.
Atheroma, ejus cauſæ, curatio, &c. *ibid. in not.* 185.
Atlas. 336.
Atrophiæ cauſa, curatio, &c. 363. *ibid.* in not.

Atrophia à vitio Vaſorum lacteorum. *pag.* 389.
Auris partes. 400.
Auriculæ Cordis. 435.
Auris Cavitates, oſſa, &c. 400.
Auris membrana incraſſata quomodo incidenda. 96.
Aurium dolor, &c. Ulcus. 409.
Inflammatio, abſceſſus. 410.
Vermes. 411.

B.

Baſis linguæ quale os. 403.
Batrachios. *vide* Ranula. 420.
Beenſuyger. 337.
Been-vreeter. 338.
Brachii oſſa. 336.
Brachii rigiditas, ejuſque Curatio. 473.
Bronchocele. 68. 192.
Bubo, ejus cauſæ, ſigna, &c. 196. & ſeq.
Bubonocele. 68.

C.

Cachoëthe. *vide* Ulcus. 285.
Calculi in veſica fellis. 142.
Calculi extractio. 142.
Calculi cauſa, ſigna, &c. 142.
Calx. 336.
Canthus oculi. 398. *ibid. in not.*
Capillorum defluvium. 371.
Caput quid, ejus figura, partes, &c. 392. *& ſeq.*
Capitis vulnus, ut curandum. 260
Vlcus. 321.
Carpſula Gliſſonii. 446.
atrabilaria. 446.
Carcinoma. *vide* Cancer.
Cancer, ejus Diff. Cauſæ Curatio, &c. 201. *& ſeq.*
Carbunculus, ejus Diff. Cauſæ, &c. 192. *ibid. in not.*
Cardiaca. *vide* Medicamenta.
Carminativa ſ. flatus diſcutientia. 173.
Caro quid, quotuplex. 361. 362.
Carnem generantia. *vide* Medic. ſarcotica.
Caries, ejus Cauſæ, Curatio, Signa, &c. 299. 300.
Caries oſſis lachrymalis. 409.
Carpus. 336.
Cartilago quid. 342.
enſiformis. 336.
mucronata ſterni, ejus incurvatio. 343.
Carunculæ myrtyformes, papillares renum. 450.
Cataractæ ablatio, Cauſæ, &c. 107. 108. *ibid. in not. &* 108. 109. 110. *& ſeq.*
Catharrus, ejuſque effecta. 403.
Curatio. 405.
Cathæretica. 186.
Cauterium quotuplex. 77.
ejus commoda & incommoda. 95. 96.
Cerebri partes. 425.
Cerebelli hiſtoria. 426.
Chirurgiæ vox, operationes quot. 5. 6.
Cholagoga. *vide* Medicamenta.
Cholerici quibus ſignis dignoſcendi. 330.
Chorda Hipocratis. 474.
Chyli glandula. 378.
Chyli motus ab inteſtinis, an ad hepar per venas meſeraicas. 379. 380.
Chylificationis hiſtoria. 375. *& ſeq. ibid. in not.*
Cicatricem inducentia. *vide* Medic. Epulotica.
Cicatrices tollentia. 366. 367.
Circocele. 68.
Clavicula. 431.
Clauſura uterina, &c. 97.

Clytoris

Clitoris. 450.
Cochlea auris. 400.
Collum, ejus partes. 428. 429.
Columna naſi. 401.
Comminutio quid. 7.
Contracturæ cauſa, curatio, &c. 351.
Contrafiſſura. 12.
Combuſtionis medicamenta. 320.
Cœliaca. 405.
Cor, ejuſque hiſtoria. 435.
Cordis vulnus. 261.
Cornu capitis undè. 406.
Corporis humani Diviſio. 390. 391.
Corpus calloſum Cerebri. 426.
Corpora nervoſa penis. 448.
Corroſiva. *vide* Medicamenta.
Coſmetica medicamenta. 366.
Coſtæ, earumque differentia. 431.
Coſtarum fractura. 32.
luxatio. 37.
Coxæ fractura. 32.
Cranium, ejuſque partes. 335. 336.
Cranii Oſſa. Suturæ. 392. 393.
Cranii fractura, &c. 12. 13. 14. *& ſeq.*
Crus. 336.
Cubitus. 470. 471.
Cubiti oſſa. 336. 471.
Cuticula. 365.
Cutis, ejus uſus, &c. 365. 366.
Cutem pulchram reddentia. 366.
Cynanche. *vide* Angina.

D

Dortos tunica. 447.
Defenſiva. *vide* Medicamenta.
Dentes quot, &c. Primores inciſores, Oculares, Canini, Molares, Maxillares, Sapientiæ, Morum, Serotini. 398.
Dentium dolor, ejus Cauſæ, curatio, &c. 406. 407.
Dentitio, ejus remedium. 407.
Diæreſis quid, 6. quotuplex. 76.
Diarthroſis quid. 334
Diaphoretica ſ. Sudorifera. 17.
Diaphragma, ejuſque partes. 437. *ibid. in not.*
Dislocatio. 34.
Dolor dentium, &c. 406.
Aurium, ejuſque curatio, &c. 410.
Ductus aquoſi. 387.
Salivales. 374. 388.
Dura mater, ejus hiſtoria. 424.
Dyarrhœa. 405.
Dyſpnœa. 405.

E

Elongatio. 34.
Empyema, ejus ſigna, curatio, &c. 108.
Enarthroſis quid. 334.
Enterocele. 68.
Epididymis. 448.
Epiglottidis induratio. 342.
Epiplocele. 68.
Epulis. 424.
Eryſipelas, ejus Cauſa, curatio, &c. 164. *& ſeqq.*
Exæreſis quid. 5.
Exedentia medicamenta. 186.
Exſtirpatio partis mortuæ. 137.

F

Facies quid. 392.
Falx meningis. 425.
Favus. *vide* Porrigo.
Femur. 336.
Femoris fractura. 32.
luxatio. 38. 39.
Fibra, ejus diff. uſus, &c. 345. *& ſeqq. ibid. in not.*
Fibula. 336.
Fibulæ fractura. 32.
Fiſſura quid. 12.
Fiſtula, ejus Cauſæ, Curatio, Signa, &c. 310. *& ſeqq.*
Fiſtula lachrymalis. 408.
Fiſtula thoracis. 432.

Flatus

Flatus in omento. p.450.
Flatus diſcutientia. 173.
Flatulentus Tumor. *vide* Tumor.
Focile majus & minus. 474.
Fœtus mortui ſigna, &c. 130.
Fœtus mortui extractio, &c. 129. *ibid. in not.*
Fonticulus. *vide* Fontadella.
Fonticuli quibus locis inſtituendi. 475 476.
Fontanella, quo tempore, loco, modo, &c. excitanda. 116. 117. *ibid. & ſeq. in not.*
Fornix Cerebri. 426.
Fractura quid, ejus Cauſæ, Curatio &c. 7.
Fractura Claviculæ, ſive humeri. 31.
Coſtarum. 32.
Cranii. 12. *& ſeq.*
Coxæ. 32.
Fibulæ. 33.
Maxillæ. 31.
Naſi. 31.
Radii. 33.
Patellæ. 35.
Scapulæ ſive Omoplatæ. 31.
Sterni. 31.
Tibiæ. 33.
Vertebrarum. 32.
Vlnę. 33.
Frœnum præputij. 448.
Frons. 392.

G

Gangræna, ejus Diff. cauſæ, &c. 210. *& ſeq.*
Ganglion. 473.
Gibbus, ejus Cauſa, Curatio, &c. 433.
Gingiva, quid. 403. *ibid. in not.*
Gingivæ corruptio. 424.
Ginglymus quid. 334.
Glandes. 471.
Glandula oculi. 398.
Pinealis. p. 426.
pituitaria. 426.
Glandulæ lumbares. 378.
Salivares à Chirurgo bene notandæ. 389.
Glandul. meſaraicarum durities quæ mala producat. 389.
Globorum extractio. 127. *ibid. in not.*
Globulos è vulnere extrahentia. 242.
Glottidis conſtrictio. 342
Gomphoſis quid. 334.

H

Harmonia oſſium. 334.
Hæmorrhagia narium quomodo curanda. 355.
Hæmorrhoides Uteri. 469.
Hepar ejuſque hiſtoria. 445.
Hepatis uſus 382. *& ſeq. ibid. in not.*
Vulnus, 277. Ulcus, inflammatio, &c. 451.
Hernia, ejus Cauſæ, Curatio, &c. 40. *uſque ad* 71. *ibid. in not.*
Herpes, ejus Diff. Cauſæ, Curatio, &c. 174. *& ſeq.*
Hirudines, earum electio, uſus. 111. 112.
Humerus ſ. os humeri. 336. 470.
Humeri fractura. Luxatio. 31. 36.
Humor oculi vitreus, aqueus, criſtallinus. 399.
Hydrocele. 68. 170.
Hydragoga. *vide* Medicamenta.
Hydromphalos. 170.
Hydrops, Cauſa, ſigna, &c. 170. *& ſeq.*
Hydrops tubarum Uteri. 455.
Hydrocephalus. 170. *& ſeq.*
Hydrocephali cura. 171. 406.
Hymen. 450.
Hypochondria. 439.
Hyperſarcoſis, ejuſque curatio. 240. 241.

Vlcero-

Ulceroſa, &c. 337.
Hypochyma. 107.
Hypogaſtrium. 439.

I.

IGnis Perſicus. *vide* Carbunculus.
Ileos affectus. 451.
Ilia. 439.
Incus auris. 335. 400.
Inflammatio, ejus Cauſa, curatio, &c. 161. *& ſeq.*
Infundibulum Cerebri. 426.
Inteſtina, eorumque hiſtoria. 443.
Cœcum, Colon, Duodenum. Jejunum, Ileon, Rectum. 443.
Inteſtinorum vulnus 277.
Intus ſuſceptio. 451.
Iris oculi. 399.

L.

LAbia, eorumque partes. 402.
Labii Leporini cura. 157.
Labyrinthus auris. 400.
Larinx non poteſt inflammari. 343.
Laryngotomia. 438.
Lien, ejuſque hiſtoria. 444. 445.
Lienis vulnus. 262.
Ligamentum quid & quotuplex. 343.
Ejus in continui ſolutione. 344.
Laxatione. 344.
Linea alba abdominis. 439.
Linguæ frenulum nimis ſtrictum. 97.
Luxatio, ejus Cauſæ, Signa, Curatio, &c. 34
Claviculæ. 36.
ſive oſſis humeri. 36.
Coſtæ 37. 38.
Oſſis ſacri. 37.
Luxatio. 38.
Cubiti. 38.
Femoris. 38. 39.
humeri. 36.
Maxillæ. 36.
Patellæ. 39.
Vertebrarum. 37.

M.

MAlleus auris. p. 331.
Mammæ induratio. 432. 433.
Inflammatio, abſceſſus. 432.
Manus. 470.
Maſticationis hiſtoria. 372. 373.
Maxillæ, earumque partes. 392.
Muſculi. 392. 393.
Maxillæ oſſa. 335
Meatus auditorius. 400
Urinarius. 446. 452.
Mediaſtinum. 436.
ejus cavitas. 437. 438.
Medicamenta Carminativa. 173.
Exedentia. 186.
Corroſiva. 186.
Catheretica. 186.
Attrahentia. 198.
ad Cancrum 201.
Sudorifera. 171. 212.
Cardiaca. 212.
ad Gangrænam. 212. 213.
Ophthalmica. 226.
ad Anginam. 230. 231.
Sanguinis fluxum ſiſtentia 239.
Convulſionem. 240.
ad Hyperſarcoſin. 241.
Aliena è vulnere extrahentia. 242.
Digeſtiva, 244.
Sarcotica. 244.
Vulneraria. 246. 247.
Epulotica. 245. 246.
ad vulnera Nervorum. 248.
contra Vermes. 288.
ad Cariem. 300. 301.
ad Ulcera phagædænica. 308. 309.
ad Combuſtionem. 320. 321.
Cholagoga. 10.
Phlegmagoga. 11.
Melanagoga. 11. 12.
Repellentia. 162.

Reſolventia. pag.162.
Diſcutientia. 162.
Suppurantia. 163.
Maturantia. 165.
Anodyna. 163.164.
Emollientia. 169.
Hydragoga. 170. 171.
Coſmetica. 366.
Cicatrices tollentia. 366.367.
Contra fiſtulas. 313.
Medulla cerebri ſpinalis. 425. 426.
Oſſis. 335.
Melanagoga. *vide* Medicamenta.
Melancolici quibus ſignis dignoſcendi. 331.
Meliceris, ejus Cauſæ, Signa, curatio, &c. 185.186.
Membrana quid & quotuplex. 344. 345.
Membri mortui exſtirpatio. 137. 138. *ibid. in not.*
Meninx craſſa & tenuis. 424.
Meningum Cerebri vulnus, ejus curatio. 427.
Meſenterium, ejuſque hiſtoria. 443.
Meſenterii tumores, corruptio, ulcus, &c. 451.
Metacarpus. 336. 472.
Metatarſus. 337. 474.
Miſerere mei. 451.
Modiolus. 113.
Muliebre pudendum clauſum ut aperiendum. 97.
Muſculus quid, &c. 361.
Muſculus Aniſcalptor. 470.
Baſigloſſus. 400.
Bibitorius. 402.
Buccinator. 401.
Biceps. 471.
Brachiæus. 474.
Brevis. 471.
Ceratogloſſus. 404. *ibid. in not.*
Complexus. 405.
Conſtrictor oris. 403.
Gulæ. 428.
Coracoidæus. 470.
Corachoyoides 404.
Cremaſter. Teſtis. 447.
Cruræus. 474.
Cubitæus. 472.
Cucullaris. 430.
Delthoides. 470.
Digaſtricus. 394.
Faſcialis. 474.
Geniogloſſus. 404.
Gracilis. 474.
Infraſpinatus. 470.
Immerſus *ibid.*
Iliacus 473.
Longus. 471.
Latus. 394.
Maſſeter. 394.
Mylogloſſus. 404.
Orbicularis oris. 403.
Muſculus Pectoralis. 470.
Perforatus. 470.
Plantaris. 474.
Popliteus. 474.
Profundus. 472.
Pſoas. 473.
Quadratus auriculæ. 400.
Dorſi. 431.
Manus. 472.
Labii. 402. 403.
Radiæus. 472.
Sacer. 431.
Sacrolumbus. 431.
Scalenus. 428.
Seminervoſus. 474.
Semimembranoſus. 474.
Semiſpinatus. 431.

Serra-

Serratus. pag. 431.
Soleus. 474.
Sphincter oris. 403.
Gulæ. 428.
Splenius. 428.
Sternohyoides. 405.
Styloglosſus. 404.
Stylocer atohyoides. 404.
Subclavius. 431.
Sublimis. 472.
Subſcapularis. 470.
Superbus. 399.
Supraſpinatus. 470.
Temporalis. 394.
Trapeſius. 430.
Triangularis. 431.
Tripartitus. 400.
Trochlearis. 400.
Muſculi auriculæ. 400.
Auris internæ. 401.
Cruris. 474.
Cubiti. 471.
Digitorum. 472. 474.
Dorſi. 431.
Femoris. 473.
Humeri. 470.
Labiorum. 402. 403.
Laryngis. 428.
Linguæ. 404. *ibid. in not.*
Lumborum. 431.
Manus. 472.
Maxillæ inferioris. 393. 394.
Naſi. 402.
Oculi. 399.
Palpebræ. 399.
Pedis. 474.
Penis. 448.
Pharyngis. 429.
Scapulæ. 430.
Muſculi Amatorii. 400.
Arythenoidæi. 428.
Bronchii. pag. 428.
Cephalopharyngæi. 429.
Cricothyroidæi. 428.
Ejaculatores. 448.
Erectores penis. 448.
Gemelli. 474.
Glutæi. 473.
Hyothyroidæi. 428.
Intercoſtales. 432.
Interoſſei. 472.
Lumbricales. 472. 474.
Obliqui labiorum. 403.
Oculorum. 399. 400.
Capitis. 405.
Abdominis. 439.
Obturatores. 473.
Pterygoidæi. 594.
Quadrigemini. 473.
Palmares. 472. 394.
Rotundi. 471.
Recti abdominis. 439.
Palpebræ. 399.
Oculorum. 399. 400. *ibid. in not. & ſeq.*
Capitis. 405.
Cruris. 474.
Sphœnopharyngæi. 429.
Stylopharyngæi. 429.
Tibiæ. 474.
Vaſti. 474.
Thyro-arythenoidæi. 428.

N.

Naſus, ejuſque partes. 401. 402.
Narium fractura. 31?
Nates cerebri. 426.
Natta. *vide* Teſtudo.
Nervus, ejus differentia. 356. *& ſeq. ibid. in not.*
Olfactorius. 358.
Opticus. 359.
Oculos movens. 359.

Guſtatorius. p.359.
Auditorius ibid.
Vagus. ibid.
Linguam movens. ibid.
Nervorum contuſio, ejus Cauſæ, Curæ, &c. 359. & ſeq.
Humiditas. 360.
Nodus. 341.
Nymphæ. 450.

O

Occiput. 392.
Oculi partes. 399.400.
Vulnus, Curatio, &c. 260.
Ulcus. 285. & ſeq.
Oedema, ejus Cauſæ, Signa, Curatio, &c. 166. & ſeq.
in Omento aqua, abſceſſus, flatus. 450.
Omphalocele. 68.
Ophthalmia, ejus Diff. Cauſæ, Signa, &c. 408
Oris inflammatio. 421.
Ulcus. ibid.
Gangræna. ibid.
Os quid. 335.
ejus nutrimentum. ibid.
Oſſium connexio. ibid.
Numerus. 380. 381.
Uſus. 381.
Os brachii. 336.
Calcis. ibid.
Coxæ. ibid.
Cuboides, ſ. Teſſeræ. ibid.
Coccygis. ibid.
hyoides. 335.
Ethmoides. ibid.
Frontis. ibid.
Ilium. 336.
Innominatum. ibid.
Iſchium. ibid.
Lachrymale. pag. 335.
Os naſi. 401.
Naviculare ſ. cymbiforme. 336.
Occipitis. 335.
Orbiculare auris. 401.
Palati. 335.
Pubis. 336.
Sphœnoides. 335.
Zygomaticum. ibid.
Oſſa Auditus. 335.
Capitis. ibid.
Carpi. 336.
Cubiti. ibid.
Cuneiformia pedis. ibid.
Digitorum. ibid.
Metacarpi. ibid.
Pectoris. ibid.
Petroſa. 400.
Seſamoidea. 336.
Syncipitis. 335.
Temporum. ibid.
Ozœna. *vide* Ulcus narium.

P

Palatum. pag. 403.
Palpebræ, earum ſubſtantia & uſus. 398.
Pancreas verum. 444.
Aſellii. 378.
Panaritium. *vide* Paronychia.
Panus. *vide* Bubo.
Paracentheſis quando, quo loco & modo inſtituenda. 98. & ſeq. ibid. in not.
Paralyſis. 405.
Paraſtata. 448.
Paraſynanche. *vide* Angina.
Paronychia, ejus Cauſæ, Signa, curatio, &c. 219. 220.
Pars corporis quid ſit. 331.

Ejus diviſio in Principes & minus tales. *ibid.*
In Similares & Diſſimilares. 332.
Partus naturalis Cauſæ, 129.
Præternaturalis Cauſæ, *ibid.*
Patella. 336.
Patellæ fractura. 35.
Penis. 448.
Pericardium, ejuſque partes & liquor. 435.
Pericranium quid, undè, quotuplex. 392.
Pericranium cur temporales muſculos tegat, minimè os ſubjectum. 394.
Pernio, ejuſque curatio. 475.
Phagedæna. *vide* Cancer, & Ulcus depaſcens.
Phlegmone. *vide* inflammatio.
Phlegmatici quibus ſignis dignoſcendi. 330.331.
Phlegmagoga. *vide* Medicamenta.
Phlyctenæ oculi. 408.
Phygetlon. *vide* Bubo.
Phyma. *vide* Bubo.
Pia mater, ejuſque hiſtoria. 425.
Pili, an partes corporis. *369. ibid. in not.*
Pinguedo quid? an pars corporis. *369. ibid. in not.*
Pinguia capiti nociva. 406.
Pinnæ naſi. 401.
Pleuræ dolores varii. 437.
Pleuritis, ejus Cauſę, curatio, &c. 105. *& ſeq.*
Plexus choroides. 426.
Pneumatocele. 68.
Polypus narium, ejus Cauſæ, curatio, &c. 411, *& ſeqq.*
Porus bilarius. 445.
Porrigo, ejus Cauſa, &c. *p.* 405.
Proceſſus Cerebri vermiformis. 427.
Styloides. 471.
Procidentia Ani. Uteri. 71. *& ſeqq. ibid. in not.*
Pubes. 440.
Pulmo, ejuſque partes. 434. *& ſeqq. ibid. in not.*
Pulmonis vulnus, ejus ſigna, curatio, &c. 261.
Punctum lachrymale. 398.
Pylorus. 443.
Pyxis. 440.

Q

QUinta eſſentia Arſenici. 204. *& ſeqq.*

R

RAnula, ejus Cauſa, &c. 421. *& ſeqq.*
Radius. 336.
Ramex. *vide* Hernia.
Radii fractura. Luxatio. 33.38.
Raſio, quomodo fiat in oſſa. 77.112.113.
Renes eorumque hiſtoria. 446.
Vulnus. 236.
Vlcus. 285.
Renes ſuccenturiati. 446.
Rete mirabile. 426.
Roſtra. 471.

S

SAlivæ uſus, materia, &c. 72. *& ſeqq. ibid. in not.*
Sanguinei quibus ſignis dignoſcendi. 229.230.
Sanguis extractus ſero omni cur brevi deſtituatur. 389.
Sanguinis fluxum in vulnere ſiſtentia. 239.
Sanguinis circulatio quid. 388.
Sanguinis circulatio ſummæ utilitatis

in Medicina. 470.
Sanguificationis doctrina. 293.
Sarcocele, ejus Curatio, &c. 140. *& ſeq.*
Sarcomatis generatio vera: Curatio. 363. *& ſeq.*
Scabies, ejus Cauſa, Curatio, &c. 467. *& ſeq.*
Scapula. 336.
Scapulę fractura. 31.
Sceleton quid. 335.
Scirrhus, ejus Cauſa, Signa, &c. 168. 169.
Scrophulæ, Cauſa, Signa, Curatio, &c. 429.
Scrotum. 447.
Scroti intumeſcentia aquoſa per paracenthesin quomodo curetur. 450.
Secundinæ extractio, &c. 129.
Serratio. 77. 112. 113.
Setaceum ubi, quomodo, &c. faciendum. 126. 127.
Setacei uſus in Hydrocephalo & Catharro. 406.
Septum cordis. 435.
Septum lucidum Cerebri. 426.
Spermatocele. 68. *ibid. in not.*
Sinus meningis. 425.
Spinam è vulnere extrahentia. 242.
Spiritus Vitales, Animales, quid. 388.
Sphacelus, ejus Cauſæ, Curatio, ſigna, &c. 210. *& ſeqq.*
Splenis uſus. 386. *& ſeq. ibid. in not.*
Stapes auris. 336. 400. 454.
Sternum. 336.
Sterni fractura. 31.
Stomachus. 443.
Struma, ejus Cauſæ, Signa, Curatio, &c. 189.
Stupor, ejus Curatio. 360.
Subluxatio. 34.
Sudorifera. *vide* Diaphoretica.
Suffuſio. *vide* Catarracta.
Sutura oſſium. *pag.* 334.
Sutura Capitis Coronalis, Ethmoidea, Frontalis, Lambdoidea, Sagittalis, Sphenoidea, Squamoſa. 392. 393.
Sutura in Vulneris cura quomodo inſtituenda. 260.
Synanche. *vide* Angina.
Synarthroſis quid. 334.
Synchondroſis quid. *ibid.*
Syneuroſis quid. *ibid.*
Syntheſis quid. quotuplex. 6. 7.
Syſſarcoſis quid. 334.

T.

Tarſus, ejuſque oſſa. 336.
Talpa *vide* Teſtudo.
Temperamenta quomodo diſtinguenda 329. *& ſeqq.*
Tempora quid. 392.
Terebratio. 77.
quomodo fiat. 112. 113.
Teſtis viri. 447.
fœminæ. 449. *& ſeq.*
Teſtium inflammatio, &c. 452. *& ſeq.*
Cancer, ſphacelus. 453.
Teſtis Cerebri. 426.
Thorax quid. 391.
Tibia. 336.
Tibiæ fracturæ. 33.
Tophus. 341.
Trachea. *vide* Arteria aſpera.
Trepaniſatio quando, quomodo, &c. inſtituenda. &c. 113. *& ſeqq.*
Tubæ uterinæ. 449. *ibid. in not.*
Tubarum uteri hydrops. 455.
Tumor. ejus Cauſæ, &c. 159. *& ſeqq.*
Tumor flatulentus, ejus Cauſæ, Curatio, &c. 172. *& ſeqq.*
Tumor Aquoſus &c. 170. *& ſeqq.*

Tunica. Adnata, ſ. Conjunctiva oculi. *pag.* 399.
Aranea. 399.
Cornea. *ibid.*
Elythroides, Erythroides, *ibid.*
Albuginea. *ibid.*
Retina. *ibid.*
Vitrea. *ibid.*
Vvea. *ibid.*
Tympanum. 400.
Tympani membrana. *ibid.*
Tympanites. *vide* Hydrops.

V.

VAlvulæ Cavæ. 351.
Venæ pulmonalis. 352.
Arteriæ aortæ. 353.
Venæ arterioſæ. 355.
Vaſa Lymphatica. 387. *& ſeq.*
Spermatica. 447.
Vmbilicalia. 441.
Vena, ejus Diff. &c. 346.
Adipoſa. 347.
Arterioſa. 350.
Axillaris. 354.
Azygos 350.
Baſilica: 349. 350. 352.
Cava ejuſq; diſtributio. 349. *& ſeqq. ibid. in not.* Cephalica.
Cephalica. 350.
Cervicalis. 350.
Cœcalis. 352.
Coronaria ſtomochica. 351.
Coronaria cordis. 349.
Syſtica. 351.
Emulgens 350.
Epigaſtrica. *ibid.*
Epiploica. 351.
Gaſtrica minos. 351.
Gaſtrica major. *ibid.*
Gaſtro-Epiplois. *ibid.*
Hæmorrhoidalis. 352.
Hypogaſtrica. 350.
Jecoraria. *ibid.*
Intercoſtalis. 349.
Inteſtinalis. 351.
Jugularis. 349.
Iſchiatica. 350.
Lactea magna. 347.
Lumbaris. 350.
Mammaria. *ibid.*
Mediana. 350. 352.
Mediaſtina. 350.
Meſenterica 351.
Meſocolica. 352.
Muſcula ſuperior. 350.
Muſcula inferior. 251.
Phrenica. 249.
Poplitea. 250.
Portæ. 347.
Pudenda. 350.
Pulmonalis. 347.
Ranina. 352.
Salvatella. 350.
aph œna. 351. 352.
Sine pari. 349.
Splenica. 351.
Spermatica. 350.
Sacra. *ibid.*
Subclavia. 349.
Suralis. 351.
Thoracica. 350.
Venæ quæ in particularibus morbis ſecari debeant. 352. *& ſeq.*
Venæ lacteæ, earumque uſus. 377. *& ſeqq.*
Venæſectio in quibus & quando inſtituenda. 77. *& ſeq.*
Venæſectiones indicationis. 77. *& ſeq. ibid. in not.*
Ventres corporis quid & quot. 390. 391.
Ventriculus ejuſque hiſtoria. 442. *ibid, in not.*

Ven-

Ventriculi vulnus, ejus curatio. 262.
Ventriculi cordis. 435. 436.
Ventriculi cerebri. 426.
Vermes in pericardio. 438.
Vermes in veſica. 452.
Vermium medicamenta. 288.
Vertebræ colli. 335. 429.
Abdominis. 336.
Dorſi. 439.
Vertebrarum fractura. 32.
Luxatio. 37.
Vertex. 392.
Veſica fellis, ejuſque hiſtoria.
Veſicæ fellis calculi. 451.
Veſica urinaria, ejuſque hiſtoria. 446.
Veſicæ vulnus. 237.
Vlcus. 324.
Veſicæ ſeminales. 448.
Virga. *vide* Penis.
Virgæ vulnus, 453.
Inflamm. Vlcus. 454.
Ulcus, ejus Diff. Cauſæ, Signa. 285.
Curatio. 286.
Auris. 409. 410.
Carioſum. 399.
Depaſcens. 303.
Fiſtuloſum. 310.
Oculorum. 321.
Pedum. 325.
Narium. 322.
Veſicæ. 324.
Vteri. 325.
Vlna. 336. 471.
Vlnæ fractura. 33.
Luxatio. 38.
Vmbilicalia vaſa. 441.
Vmbilicalis regio. 439.
Vnguentum armarium ſympatheticum. 247.
Vnguis, an pars corporis. 368
ejus fiſſura, Decidentia. 571.
Vomer. 393.
Vrachus. 441.
Vrethra. 448.
Vreter. 446.
Vterus, ejuſque hiſtoria. 449. *ibid. in notis*
Vteri inflamm. abſceſſus, ſphacelus, &c. 455.
Procidentia, &c. 71. *& ſeq. ibid. in not.*
Vterus, an extirpari poſſit. 455.
Vvula. 403.
Vvulę ulcus. 424.
Vulnus, ejus Diff. Cauſæ, Signa, &c. 234. *& ſeq.*
Vulnera quæ lethalia 235. *ibid. in not.*
Vulnerum ſymptomata, eorumque curatio, &c. 238. *& ſeq.*
Vulneris labia quomodo conjungenda. 242.
Vulnus Auriculæ 26.
Capitis. *in not.* 263. *& ſeq.*
Cordis. 260.
Faciei. 261.
Inteſtini. 260.
Lienis. 262.
Meningum Cerebri. 260.
Nervorum, ejus Cauſæ, &c. 247.
Oculorum. 262.
Pulmonum 261.
Renum. 262.
Sclopetorum *ibid. in not.* 255.
Venenatum. 257.
Ventriculi 262.
Veſicæ. 263.

FINIS.